















XXXIV
MARES

COLLEGIUM THEOLOGICUM, SIVE SYSTEMA BREVE UNIVERSÆ THEOLOGIÆ;

Comprehensum

Octodecim Disputationibus Collegialiter olim habitis in Academia Provinciali Illustrium ac PP. Ordinum Groningæ & Omlandiæ,

A

SAMUELE MARESIO,
S.S. Theol. Doctore, ejusdemque Facultatis Professore Primario, Historiæ Ecclesiasticæ Ordinario, & Pastore Gallicæ Ecclesiæ

Editio Novissima ad quartam & Ultimam ab Authore recognita, præcedentibus multo accuratior, & priori duplo ferè auctior, ut ex Collatione & Indiculo post Epistolas liminares legendo patebit.





GRONINGÆ,
Typis FRANCISCI BRONCHORSTII, Civitatis Groninganæ Ordin. Typographi ANNO 1659.



ILLUSTRIBUS AC PRÆPOTENTIBUS ORDINIBUS GRONINGÆ ET OMLANDIÆ,

Dominis meis Clementissimis, Salutem & εὖ πράττειν in Domino.

ILLUSTRES AC PRÆPOTENTES DOMINI;

ATHENIENSIBUS quondam detractantibus Religionis honores deferre Macedonum Regi, Demades Orator dicebat ut caverent terrestria amittere dum mordicus cœlestia tueri & conservare volebant; Planè diversum in Vobis animadverti potuit consilium, ab illis fœlicissimis recuperatæ Libertatis temporibus quorum jam secundum currit Jubilæum; Nam tanta Vestras Ill. ac P. P. DD. semper tenuit Veritatis quæ est secundum Pietatem & retinendæ & propagandæ Cupido, ut non aliter terrena posse firmari censuerint, quam procurando cœlestia, Juxta Domini nostri Jesu Christi monitum, *Quærite primo Regnum Dei & justitiam ejus, ac cætera adjicientur vobis*. Cæsar suam fulcivit authoritatem, dum coronam capiti suo ab Antonio impositam in Jovis caput transtulit; Ita Rerum publicarum Proceres, dum ornandæ Religioni consecrant insignia suæ Authoritatis, eam inexpugnabilem reddunt. Ibi Cæsari redduntur quæ sunt Cæsaris, ubi redduntur Deo quæ Dei sunt. Arca Fœderis Divinam benedictionem secum defert ad eos à quibus honorificè excipitur; Hoc Palladio tuta est Troja; Ex fatali isto crine Politiæ prosperitas suspenditur. Unde id etiam Scriptori Ethnico, Livio nempe, excidit, *omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus*. Inter varia au-


tem ſapientiſſimè inſtituta à Veſtris Ill. ac P P. D.D. ad Pietatem promovendam & conſervandam, primum quaſi locum ſibi vindicat Erectio Academiæ, tum aliis facultatibus & Diſciplinis, tum maximè Theologiæ Orthodoxæ ac puriori, conſecratæ. Nam ex ea tanquam ex equo Trojano, per hos triginta ſuperiores annos, multi & in hac veſtra Provincia & per totam Europam prodierunt ſtrenui Milites Chriſti, qui armis Juſtitiæ, quorum hîc ſub Clariſſimis ac Celeberrimis Profeſſoribus, RAVENSPERGERO, GOMARO, ALTINGIO, tyrocinia poſuerant, *Munitiones*, *Ratiocinationes*, omnemque *ſublimitatem quæ ſeſe extollit adverſus cognitionem Dei*, everterēt, omnes cogitationes Chriſto captivas adducerent, & Mendacii ac Vitii laquearibus Verbi Divini flammas injicerent. Quùm autē poſt illos Heroas lampada nunc teneam, ad quam Miniſterio Eccleſiæ Conſecranea Juventus ſuas accendat faculas, quibus deinceps Gregibus Domini præduceat ad Sanctitatem Morum & Fidei Veritatem, nihil antiquius mihi duco quam Maximorum illorum Theologorum, quantum per meam poſſum tenuitatem, premere veſtigia, atque ex Conſcientiæ officio & Gloriæ Divinæ ſtudio, Ill. ac P. P. D.D. Veſtrarum Piæ & Sanctæ intentioni in hoc Athenæo ſubſervire; Ipſis præſertim Studioſis, ſuâ Sedulitate & in Nos benevolâ propenſione, ultro currenti calcaria ſubdentibus. In quo experior, quod ſicut Comico teſte, *Nulla eſt tam facilis res quin difficilis ſiet quam invitus facias*, ita nihil tam arduum & difficile eſt quod facilius non reddatur ſi alacriter ſuſceptum fuerit; Deo alacritati illi quâ meo defungor munere ita cœlitùs benedicente, ut quantumvis ad Profeſſionis exercitia multigena quâ publicè quà privatim, accedat in ſuperpondium neceſſitas concionandi Gallicè in Templo Veſtro Academico ſingulis diebus Dominicis, tamen ſub onere non fatiſcam, neque Diſcipulorum noſtrorum defraudem genium. Dum in eo totus ſum, & Tyronibus, quod nutrices ſolent ſuis alumnis, ſtudeo præmandere cibum hunc ſpiritualem, non tantum publicis illis & Prælectionibus & Diſputationibus quæ in omnium oculos incurrunt, ſed etiam privatis, uti vocāt, Collegiis quæ pro quorumcunque captu, ſtudio, ingenio, ſoleo prætere habere, ex eorum uno ſenſim emerſit hoc Diſputationum per univerſam Theologiam breve Syſtema, quod nunc ex Umbra Collegii ad publicam lucem ſub Illuſt. ac P. P. D D. Veſtrarum Nominibus educo. Illiſque quâ poſſum animi ſubmiſſione dedico, addico & inſcribo. Erit Illuſt. P. P. D. D. Veſtris

D. Vestris testimonium meæ assiduitatis & diligentiæ in ea Sparta excolenda ad quam ante biennium me honorificè evocarunt; cui vocationi ut obsequerer solum Gloriæ Dei promovendæ studium effecit, nullum prioris meæ stationis tædium, in qua & Superioribus charus eram, & quoad τὰ βιοτικὰ auctiori fruebar stipendio; Quod dico non ut querar aut dubitem in posterum de Vestra Liberalitate erga me, sed quo nonnullorum Æmulorum & Adversariorum livori & calumniis eam obviam, qui mussitarunt & Libellis suis famosis insperserunt me solo lautioris præmii consequendi & αἰσχροκερδίας animo, hanc Provinciam suscepisse. Aliis quoque hoc qualecunque opusculum exhibebit Hypotyposim sanioris illius Doctrinæ quæ hactenus singulari Dei beneficio in Vestro Lycæo sonuit, & porrò eodem favente sonabit; Ut enim ferunt insulam Melitensem venenis & serpentibus caruisse ab eo tempore quo B Paulus in illam pedem intulit, & eam viperam excussit in ignem quæ manui suæ adhæserat, ita spero Vestram hanc fœlicem Provinciam, (quamdiu saltem suam fœlicitatem poterit ferre) ab omni errore noxio & venenato immunem permansuram, ex quo Apostolicam suscepit doctrinam & Viperam Papismi Verbi Divini rogo mandavit. Hinc etiam constabit, nos cum omnibus Ecclesiis Reformatis vinculo communis Fidei & Charitatis arctissimè uniri, cùm eam solam hîc Doctrinam proponam quam ἀπὸ βρέφους hausi in earum sinu ex utriusque Testamenti Uberibus, & cui vindicandæ & asserendæ contra Pontificios aliosque Heterodoxos, tum vivâ voce, tum scriptis, per annos plusquam XX. in Professione Theologicâ, XXV. in Ecclesiæ Ministerio, hactenus insudavi. Commendentur licet alii libri à Novitate, nolim tamen hanc laudem huic meo vendicare; Imò hoc sedulò cavi ne quid novum haberet, vel à formulis *Consensus* in Ecclesiis nostris receptis ac Dei Verbo dissonum aut alienum: Satius est Vetera tueri, cùm juxta Tertullianum *Primum quodque verissimum*, quam nova reperire: Imò si quid nonnulli novaturiendi prurigine laborantes invexisse mihi videantur, id omne suis locis subnoto & inter scopulos à nostro Tyrone vitandos refero. Hic enim mihi scopus, non solum Veritatem docere, sed errorum quibus impugnatur directè vel indirectè Brevia & Syrtes indicare, ut cum Theologia Positiva sive Didactica, Elenchtica percipiatur, & Status ac momentum & Fundamentum Controversiarum, quæ hodie proh dolor fervent inter Christianos, intelligatur. Nullam ferè earum quo agitantur inter Nos & Ponti-

Pontificios, Socinianos, Anabaptiſtas, & eos qui ſe vocitarunt Remonſtrantes, omiſi: In Papiſticis præſertim eò diligentius incubui, quod valde referat omnibus diſtinctè innoteſcere cauſas graves quas Proteſtantes habuerunt ſeredendi à Romani Antichriſti communione; hoc maximè tempore quo Idololatria vires reſumere conatur, nec deſunt qui utroque latere claudicantes Syncretiſmum inter Chriſtum & Belialem, Jeroſolymas & Babelem, moliuntur. Eorum quoque non diſſimulavi σφάλματα qui ſe Lutheranos appellant; Quamvis enim non eodem loco quo alii illi ſint habendi, & ſit peroptandum ut in Fundamento & Proteſtantiſmo contra Romanam Synagogam jam convenientes, in capitibus minoris momenti non diſſentiremus, tamen cùm eo devenerint acerbitatis ut ferè ubique nobis lites moveant, nec ſentiant Pontificios hanc diviſionem in lucri parte ponere, ipſiſque eam offerre gratiam quam Polyphemus Vlyſſi promittebat, illum ſcilicet demum poſt ſocios eſſe devorandum, etiam debuit annotari quid in illis deſideremus, & cenſurarum quas in noſtros ſtringunt iniquitas propalari. Si inſuper quorundam è noſtris à receptiori ſententia abhorrentes opiniones veniunt expendendæ, id fit citra ullius contumeliam, nemine vel nominato vel indicato.

Uno verbo, in rebus Fidei & Veritatis ſum exactor rigidus; Morum & vitæ ſanctè inſtituendæ non aliam regulam admitto quam Dei Legem, quæ Charitate completur; In Adiaphoris libertatem eam propugno quam nobis Chriſtus Sanguine ſuo peperit, in cujus uſu hinc ſervilem & ſuperſtitioſam ſcrupuloſitatem quæ culicem percolat, illinc licentiam ſcandalozam & profanitatem quæ deglutit camelum, ex aſſe vitandas ſemper ſtatuo; *Medio tutiſſimus ibis.* Circa Praxim & Eccleſiæ Politiam, malo de modo juris exercendi, quam de ipſo jure rigidè diſputare; cùm velim Candidatos Miniſterii ad eam prudentiam formari, quæ negotia occurrentia conſiderat, non ut Pictores veteres objecta pingenda, qualia eſſe deberent, tanquam in idea Reipub. Platonicæ, ſed qualia in hac infirmitatum & miſeriarum valle ſunt aut eſſe poſſunt; Illi Catones minus ſunt apti rebus gerendis, qui diſputant de Republica ac ſi eſſent in Academia Platonis, non in fæce Romuli. Hæ porrò Diſputationes noſtræ non ſunt humanis citationibus teſſellatæ, ſed quam potuimus nervoſè ex ſolis Scripturis, juxta illud Apophtegma quod Antiquitas tribuit Petro, οὐδὲν ἄτερ γραφῆς, & ſolidis rationibus, contextæ; Scriptæ enim ſunt Tyronibus, quorum teneriores ſtomachi

mixtu-



SAMVEL MARESIVS PICARDVS
SS. Theol. Doct. Ejusdemq. Facul. Prof. Pr. in Acad.
Groning-Oml. et Eccl. Gall. Pastor. ÆT. LVI. Aº MDCLV.

I. v. Meurs sculp.

mixturam illam ciborum & testimoniorum omnis generis non ferunt; & illi Professorium munus minus norunt qui se ad Discipulorum suorum captum vel nolunt vel nequeunt demittere. Qui ex pleno dolio in vacuũ fundere vult, debet plenum deprimere: Natura & ars incipiunt à minimis. In vas oris angustioris si copiosiùs & liberaliùs infundere voluerimus, omnis liquor circum effundetur & nihil capiet; guttatim illic agendum. Ac ut ii non sumus, qui Collegia promittamus Studiosis Juridico-Medico-Physico-Cretico-Historico-Logico-Metaphysico-Mathematico-Theologica, & si quæ sunt ejusmodi; nam *Quæ sunt Medicorum promittunt Medici, tractant fabrilia fabri*, nec sutor ultra crepidam; sic etiam non eos nobis spondemus Auditores, qui triennii spatio Pansophiam possint consequi: Evolutis omnium artium & disciplinarum Scriptoribus quos Bibliotheca multorum millium non capiat, & nequidem iis exceptis qui vel periculosa aut nugatoria tractant, de Kabbala, Magia, Chiromantia, Oneirocrisi, Furum artibus; vel longè aliena à Theologiæ studiosis, de Algebra, Chymia, arte Gladiatoria, Alchymia, & similibus, quæ doctiùs ignorantur à Ministerii Candidatis quam sciuntur: Omnibus linguis memoriæ mandatis, etiam præter ordinarias Eruditorum & vulgares Europæ, Copticâ, Æthiopicâ, Persicâ, & quod magis miremur eâ quæ Cingarorum dicitur: Universâ Theologiâ exhaustâ, non tantum illâ vulgari quæ in nostrorum Syntagmatis, Institutionibus, Synopsibus, Medullis traditur, sed Scholasticâ, Casuisticâ, Patristicâ, Asceticâ; quæ nomina rarius quid sonant quam quod vulgò antea in Academiis & Ecclesiis Reformatis auditum est: Fruantur per nos alii suo ingenio, & citiùs Doctores Catholicos sive Universales faciant, qui nihil nesciant, quam alibi formentur Candidati Sacri Ministerii; Nobis non licet esse vel tam Eruditis vel tam Didacticis: Intra sphæram nostram nos continemus, eo magis quod qui ubique est, nusquam sit. Sunto illi Aquilæ in nubibus; Nobis fas non est tam altum sapere. Auri, argenti, purpuræ & cocci plurimum habeant quod offerant in Templo Domini; *Nobiscum benè agitur*, ut loquar cum Hieronymo, *si obtulerimus pelles & caprarum pilos*. Aliis non invidemus, sed miramur magis; Satis nobis fuerit si ex nostra Disciplina prodierint qui cum ædificatione & fructu Fidem & Resipiscentiam populo Christi queant annunciare. Quare relictis Marthæ suis distractionibus & occupationibus variis, semper illud unicum necessarium Mariæ consectabor. Nec à me, Illustr. ac P. P. D. D. aliud expectatis, nec aliud est quod mea ars Vobis efficere hoc possit amplius; In

 quo

quo dum totus sum, Deum Opt. Max. veneror, ut Ill. ac P. P. D. D. Vestras Spiritu suo semper regere Vestraque omnia Consilia ad Nominis sui gloriam & Ecclesiarum suarum, tam in Vestra Provincia quam extra eam, utilitatem & commodum dirigere dignetur; ac sicut Ill. ac P. P. D. D. Vestras Divinæ protectioni transcribo, sic earum Benevolentiæ Academiam & me commendo. Valete Ill. ac P. P. D. D. & favete ei qui semper futurus est,

Illustr. ac P. P. D. D. Vestris
Ad omnia Obsequia addictissimus,

Groningæ XVII. *Februarii.* CIↃ DC XLV.

SAMUEL MARESIUS.

Nobilissimis,

Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis
VIRIS,

D. HENRICO van HEECK J.U.D. & Reip. Groninganæ Consuli Gravissimo.

D. OTTONI VALCK JCto, ejusdemque Reip. Senatori Prudentissimo;

D. ADOLPHO LOUWENS, in eodem Senatu Assessori Meritissimo;

D. JEBBONI ALDRINGA, D. in Fermert / Esenga / Faan / Nyekercke / Homsterlant / &c.

D. OSEBRANDO JOH. RENGHERS, D. in Slochteren / Frailenborch / Colham / &c.

D. JODOCO HENSIO, JCto, Consiliario & Syndico Omlandiæ Spectatissimo;

Academiæ Groning-Omlandicæ,

Curatoribus Magnificis, Sapientissimis, Literatissimis, Dominis & Fautoribus meis omni observantiâ colendis,

SALUTEM IN DOMINO.

Nobilissimi Amplissimique Domini,

NOndũ quintus elapsus est annus ex quo hujus brevis Systematis Theologici prima prodiit Editio; Quam non displicuerit Sacrorum Studiorũ ingenuis cultoribus, indicio esse potest quod brevi illo tẽporis spatio sic distracta fuerint omnia exẽplaria, ut Typographus de secunda Editione adornanda non modò cogitare sed consilium inire debuerit. Ne autem hac in parte ipsi deessem, vel Juventutis nostræ eam efflagitantis frustrarer Vota, opus ad manum resumsi, atque ita refinxi, ut nunc mole duplo ferè auctius prodeat, tum ex quibusdam haud inutilibus, uti confido, Appendicibus, tum ob additos & insertos ubique integros Sacræ Scripturæ textus, qui in priori editione studio brevitatis fuerant omissi; in plurimis quoque multò accuratius, ut solent esse, juxta Euripidis sententiam, αἱ δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι Quam difficile sit tam latè patentis Scientiæ Theologicæ vastum corpus in talem Epitomen contrahere, quæ cum debita partium omnium proportione & harmonia, succulentâ & perspicuâ simul brevitate sui commendanda veniat, illi demum norunt qui in Augustissima & Amplissima hac Disciplina excolenda consenuêre: Quid verò hac in re præstiterim, & ii proculdubiò agnoscent ingenuè qui oculo irretorto nostram hanc qualemcunque opellam cum aliorum laboribus ejusdem generis contulerint. Non sum ita mihi Suffenus ut putem Doctiorum Soles per hanc stellulam ultimæ magnitudinis esse obscurandos: Sed nec ita contemptim de illa sentiam ut metuam suum illi splendorem & locum in cœlo Ecclesiæ demendum.

mendum, Momorum & Zoilorum vel ſputo vel dente. Saltē ex hoc meo labore conſtabit nihil eſſe antiquius in meo Munere, quam ea ſectari quibus Veritas quæ eſt ſecundum Pietatem perſpicuè tradi, methodicè doceri, ſolidè adverſus omnium ordinum Adverſarios muniri, ac uno verbo in arce reponi queat; ipſa vero Juventus quæ noſtræ Diſciplinæ & Inſtitutioni committitur, ſic contra quoſlibet Errores præmuniri & ad ſacrum Miniſterium præparari, viâ quam fieri poteſt compendioſiſſimâ, & quantum patitur illud Hippocratis, *Ars longa, vita brevis*, ut in utroque genere Didactico & Elenchtico cum fructu & ædificatione inſerviat Eccleſiæ. Nec tamen, ut liquidò conſtat ex meis aliis Lucubrationibus quæ hactenus factæ ſunt juris publici, ſemper hæreo in iſtis Elementis: Etiamnum occupor tum in exartuando *Johanne Volkelio* Socinianorum primipilo, tum in revocanda ad incudem Tabula Chronologica *Jacobi Gaulterii* Jeſuitæ; & brevi potero, ſi Deus meis annuat Votis, Volkelium à capite ad calcem ſolidè & perſpicuè refutatum dare; quod hactenus à nemine, quantum ſcio, præſtitum, ſummopere neceſſarium videtur hoc tempore, quo liber periculoſiſſimus, quem Latinum ſupprimere ante aliquot annos non potuit Zelus & Authoritas Nobiliſſ. & Ampliſſ. Magiſtratus Amſtelodamenſis, illius mille & ducenta exemplaria flammis ultricibus abſumenda tradentis, recens prodiit in linguam Belgicam tranſlatus, ad intoxicandos plebis animos, & Socinianiſmi virus, heu! plus ſatis hucuſque ſerpens, latiùs & impudentiùs diſſeminandum; Potero itidem, Numinis aurâ conſiliis meis adſpirante, etiam intra breve ſpatium ipſam Gaulterii Tabulam ad Veritatis amuſſim, ſaltem per priora ſex Secula Chriſtianæ Eccleſiæ, reſtitutam edere; & ſic Antiquitatis larvam Papatui detrahendo, Gloriationis & Maledicentiæ Jeſuiticæ hiatum obſtruere, noſtrarum Eccleſiarum doctrinam à Syncretiſmo perpetuo cum veteribus Hæreſibus liberare, ejuſque jugem conſenſum cum Antiquitate Catholica luculenter demonſtrare: De his duobus, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DOMINI, jam ultrò me reum debendi apud Vos profiteor, & fidem me liberaturum confido cum bono Deo, modò, quod avertat ipſe, novæ mihi moræ & remoræ non aliunde injiciantur, & meum ἔργον irrequietotum hominum παρέργοις, quibus per hoſce annos contra meum animum & genium debui ſubinde occupari, iterum non ſufflaminetur. Ut autem, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DOMINI, primam Editionem præſentis hujus Operis inſcripſi ILLUSTRIBUS & PRÆPOTENTIBUS D. D. ORDINIBUS hujuſce Provinciæ, ceu primitias laborum meorum in hac ſua illuſtri Academia, ita quicquid ei nunc acceſſit ſecundarum curarum, Nobiliſſimis Amplitudinibus Veſtris, quâ par eſt Reverentiâ & Animi ſubmiſſione, dico, conſecro & offero: Principale operis ceſſit meritò principalibus meis Dominis, quod etiam Epiſtola ad ipſos primæ Editioni præfixa & huic addita ſemper teſtabitur: Sed non aliis Acceſſorium hoc debebatur quam Vobis, qui ab Illuſtribus & Præpotentibus ſuis Dominationibus hujus ſuæ Academiæ Ephoriam habetis demandatam: Veſtra enim potiſſimum intereſt ſcire quid rerum geratur in ea, & quantum quiſque Profeſſorum in ſua Vocatione ad illius Decus & Ornamentum conferat; atque ut fert Adagium Græcum ex Homero deſumptum, curare diligenter ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγα-

τἀγαθόντι τέτυκται, *Ædibus in nostris quæ recta aut prava geruntur*; Illud est, liberè dico, Vestrum *Hoc age*; & cùm nunc authoritate publica creverit Vester numerus & à quaternario ad senarium adscenderit, ut istud Nobis eo ipso erit pro stimulo gloriæ, quæ Horatio teste, *calcar immensum habet*, quod plures nacti Inspectores ex Optimatibus, nostris pluribus ea ratione *Principibus Viris* nos placituros benè agendo deinceps sperabimus; ita etiam confidimus Vos omnes Vestra consilia ad Bonum & Incrementum Rei Literariæ & Ordinis nostri directuros, atque, licet quandoque disjuncta vel distincta in circumferentia Negotiorum Reipublicæ, in hoc saltem Curæ Vestræ centro unanimiter coadunaturos & conjuncturos. Non patiemini res Academiæ Vestræ eò negligentiùs haberi aut periculosiùs labi, quò plures nunc estis illi Curatores assignati; sed potius efficietis, ut pro eo quod Hadrianus Cæsar moriens dicebat, *Turba medicorum me perdidit*, pro lixam habeamus materiam dicendi per majorem Curatorum nostrorum numerum majora nunc Ordinem nostrum Ornamenta & Privilegia consequutum fuisse. Nos verò NOBILISSIMI & AMPLISSIMI VIRI, excitati Vestro Generoso studio in Academiæ ac singularum Facultatum Privilegiis, Juribus, Immunitatibus, tuendis, fovendis & augendis, diligentiùs & alacriùs pergemus tum in functionibus ordinariis Munerum nostrorum, ad quas ex Conscientiæ officio, Vocatione publica & legibus Academicis tenemur, tum in extraordinariis illis & indebitis laboribus Exercitiorum privatorum omnis generis, quibus Academica studia juvare & fœlicissimè promovere Herculeâ planè diligentiâ solemus. Quod ad me speciatim, NOBILISSIMI & AMPLISSIMI VIRI, non hîc ad id utar novâ protestatione; nec opus est verbis ubi res ipsa, Vobis sic spero satis nota, loquitur; Semper illud Italicum & habui & habebo porrò præ oculis, *Piu meritare che conseguire*; Stipendii vel Minervalis decempeda brevior est honesto Professori, quam ut velit ad eam suos labores sic exigere, ut non semper cum Carolo V. tendat *Plus ultra*: Est illi Conscientia satis amplum Theatrum, & quamvis non attendant alii ipsum multò amplius facere quam tenetur, saltem id habet taciti solaminis ex suis operibus supererogatoriis quod possit honestè gloriari plus sibi Publicum debere quam se Publico. Ego tamen eousque non sum processurus: Sed ut semper agnoscam nihil mearum esse virium quod non debeam bono Ecclesiæ & Academiæ Publico, ita nihil unquam, adspirante Benignitatis Divinæ Favonio, sum omissurus eorum quibus pro virili mea parte Sparta quam nactus sum magis magisque exornari queat. Atque ut istud sanctè cum Deo polliceor, sic exinde mihi Vestri Favoris Vestræque Protectionis, contra quoslibet Zoilos, Æmulos & Malevolos, continuationem tam certè spondeo, quam certò mansurus sum in ævum,

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi Domini,

Vestrarum Nobilissimarum Amplitudinum Devotissimus & ad omnia paratissimus cultor,

SAMUEL MARESIUS.

Groningæ XIV. *Iulii*, 1649.

SAMUEL MARESIUS

HENRICO MARESIO,

J. U. D. Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Sylvæducensis Pastori Fidelissimo;

ET

DANIELI MARESIO,

olim Verbi Divini Ministro & Ecclesiastæ Gallico in hac Groningensi Civitate, nunc verò Ecclesiæ Gallo-Belgicæ quæ Medioburgi Christo colligitur Pastori Vigilantissimo;

FILIIS SUIS CHARISSIMIS,

Εὖ πράττειν in Domino.

PRimam hujus Systematis Editionem, DILECTISSIMI FILII, *inscripseram Illustribus & Præpotentibus Ordinibus hujusce Provinciæ, Dominis meis Clementissimis; quibus ut meipsum sic totum Operis hujus corpus, addictum volo permanere. Secundam Nobilissimis Dominis Academiæ Curatoribus, quos semper Fautores & Mecœnates expertus sum, & quibus omnibus, quoscunque Resp. ei Muneri præfecerit, me semper devotum & obnoxium profitebor. Sed quicquid per quartas & has quintas curas ei accessit, vobis duobus consecratum volui. Nec enim apud alios familiariùs aut sinceriùs queam mihi gratulari de hujusce Opusculi, supra votum spemque meam, fœlicissimo successu, quem totum speciali Dei Benedictioni acceptum latum debeo: Quod enim tantillo temporis spatio quarta & quinta recudi debuerit; Quod undique expetatur; Quod in omnibus Scholis & Academiis Nominis Reformati passim lectitetur, Quod multis in locis Reverendi & Celeberrimi quidam Viri, illud vel suis explicent discipulis, vel sibi constituant in Cynosuram institutionum suarum; Quod etiam nonnullos eorum quos pudet profiteri per quos profecerint, non pigeat quandoque clanculum ex hoc nostro fonticulo aliquid aquarum in suos latices derivare; Quod nostri aliàs nominis æmuli & Zoili, qui putant tantum suæ Famæ & Celebritati accessurum, quantum alienæ detraxerint, hîc fregerint geminum, nihilque repererint in hoc Opere cui labem ullam* heterodoxiæ *vel* paradoxiæ *possent adspergere; Quod præsertim ex mea Disciplina per hoc organum, tanquam ex equo Trojano, hactenus innumeri ferè prodierint egregii Viri, qui cum laude & ædificatione partim in Academiis & Scholis, partim in Ecclesiis Reformatis, quà latè patent, Gloriæ Dei promovendæ inserviunt, & gratâ mente recolunt quantum sibi profuerit hoc studiis suis Theologicis fundamentum supposuisse, quamque multum brevi tempore sub meo ductu profecerint; non mihi ullo modo,*

sed

ad Gratiæ Dei quæ mecum est, ut loquar cum Apostolo, & cujus potentia per infirmitatem consummatur, in solidum adscribo; Nec enim qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed Deus qui dat incrementum: Ante paucos menses explevi quinquagesimum nonum curriculi mei annum; Procedit quoque mei Ministerii trigesimus nonus; trigesimus quartus Doctoræ & Professionis Theologicæ, cujus labores cum Ecclesiastico Munere sustinui in Academia Sedanensi totum ferè octennium, Mosætrajecti, licet extra Scholam, variis scriptis Polemicis contra Veritatis adversarios, ferè ad quadriennium, in illustri Schola Sylvæducensi toto septennio, in hoc Athenæo jam ultra quindecim annos; Non facile autem dixero quas tempestates toto illo tempore sustinuerim, quas devoraverim molestias, partim ab Orthodoxiæ nostræ adversariis, partim, quod sævius fuit, à fratribus æmulis & invidis; quot libellis maledictis, calumniosis, sycophanticis, famosis, & hi & illi meam famam depeculari studuerint; quam jugis mihi incubuerit necessitas, ad instar Judæorum reædificantium tempore Nehemiæ muros Hierosolymitanos, alterâ manu tractandi trullam ad opus Ministerii & ædificationem corporis Christi, alterâ missile ad mei defensionem: Verum in his ærumnis & angustiis, ob quas sæpè Eliæ votum emisi, Satis est, nunc Jehova accipe animam meam, nonenim sum melior majoribus meis, magno solamini semper mihi fuit, præter bonæ Conscientiæ testimonium, & favorem publicum Ecclesiarum quibus inservii, quod tam luculenter Deus meis laboribus benediceret, & tam insigniter meâ opellâ uteretur ad quamplurimos, ipsâ ringente invidiâ, in Justitia & Veritate erudiendos: adeo ut ex quo huc vocatus sum, in nulla Academia Belgii Fœderati, quod præfiscine dictum velim, magis quam in hac, fortè nec æquè, floruerit studium Theologicum, meisque Censoribus invidis & Carptoribus Theoninis ac iniquis, comparatè ad ea quæ præstiti huc usque, sive potiùs Deus per me, potuerit illud Ausonianum convenire, Sedulum cunctis studium docendi, Fructus exilis tenuisque sermo. Quin in vobis duobus, CHARISSIMI FILII, singularis illius Benedictionis Divinæ & specialis amuleti adversus juges inimicorum & æmulorum vexationes, specimen eximium hactenus obtinui, ac sensi quam jure dixerit David, Possessio Jehovæ sunt filii, & Salomon, Filius sapiens lætitiâ afficit patrem: Nam cum summo meo gaudio & simul matris vestræ dulcissimæ, quæ jam per annos XXX. concorditer mecum vixit, utriusque fortunæ individua comes, ac in primarium nostri conjugii fructum, quem cum Attalicis opibus permutatum nollemus, ab aliquot jam annis in summa Juventa, & tempore quo vos adultos discere non turpe foret, consecrati ambo Gloriæ Divinæ, inservitis Ecclesiæ Christi cum ædificatione, non alio Manuductore usi in studio Theologico quam vestro Parente; ut quoties in multitudine Misericordiæ Dei ejus domum ingredior meo functurus Ministerio, queam illi dicere cum Propheta, Ecce ego & filii quas dedisti mihi. Tu quidem, HENRICE, tyrocinia posueras sacræ facundiæ in Augustissimo Parisiensi foro, ubi post Licentiæ in utroque Jure gradum susceptum, cœperas Advocati munere defungi, sub Auspiciis Consultissimi & Amplissimi fratris mei; Et bellè tibi prima illa publicè dicendi initia processisse, audivi ipse ex ore Illustrissimi Præsidis Belleuræi cùm ad Celsissimos Ordines Generales Legatum extraordinarium Regis Christianissimi ageret; siquidem ipso Præside & Judice

dice in aliqua causa peroraveras & triumphaveras: adeoque postquam tuopte nutu, nec sine Numine, me ab initio ob causas sæculares (quid dissimulem?) dissuadente, & Domino *Patruo tuo tandem consentiente, animum appulisti ad sacra studia & corpus Juris cum corpore Scripturarum permutasti, exemplo plerorumque Virorum magnorum in veteri & renascente Ecclesia, omnia faciliora expertus es; & sic compos evasi voti quod Deo nuncupabam quo die Sedani baptizabaris, te de sacro fonte suscipiente Celsiss. & Religiosiss. Principe, Elizabethâ Nassoviâ,* D. *Ducis Bullionæi viduâ, tibique imponente nomen sui quondam Viri, Summi Principis, nec non dilectiss. filii Sereniss. Turenii hodie florentis; Tunc enim juxta ordinem Ecclesiæ, illa pericopa Ps.* 144. *concinebatur, quâ pii optant ut filii sui sint tanquam plantæ educatæ in tenera ætate sua, &c. At tu,* DANIEL, *latere mea nunquam relicto, eam facilitatem dicendi & docendi nostrâ linguâ es consecutus, Deo largiter benedicente, ut & acceptus semper fueris huic Ecclesiæ, quamdiu in ea docuisti, & tui desiderium alibi eousque excitaveris, ut tandem ad florentissimam Medioburgensem Ecclesiam, cui servis ab hoc biennio, fueris honorificè evocatus. Loca etiam in quibus vestro Min. respectivè fungimini aut fungi cœpistis amplius contestantur de mea innocentia adversus meos Criminatores, & mantissam adjiciunt illi speciali Benedictioni Divinæ quam deprædico: Sylvæducis cœpit illa rixa inter me & celebrem Belgii Theologum, (quod Illustrissimum Brederodium τὸν ἐν ἁγίοις, & reliquos Proceres Sylvæducenses, Viros pientissimos, meumque de illorum facta innocens judicium, contra illius theses contumeliosas, ex professo ac nominatim in eos conscriptas, modestissimè & ad ipsorum instantiam defendissem) cujus decumanos adhuc fluctus nuper debui sustinere in ipsius* Theologia naturali reformata, *sive potius deformata, & voluminosa Disputatione* de Falso *(in qua de suo facto oblitus est differere) aliisque scriptis ejusdem furfuris contumeliosis, contra fidem publicè datam Provinciarum nostrarum Synodis: Sylvæducenses verò pristinum suum affectum erga me contestaturi, & publicè ostensuri quanti facerent Maresianum nomen, quam primum sese obtulit occasio, te* HENRICE, *ad se evocarunt Cassellis, ubi in Aula Serenissimi Principis Lantgravii (à quo & ægrè dimissus es, nec sine specialibus Benevolentiæ & Beneficentiæ Suarum* Serenitatum *testimoniis,) lingua Gallica fungebaris Ministerio sacro, fermè à tempore tuæ hic ad illud Ordinationis. Sic enim* Dei *Providentia factum, ut illa ipsa Urbs quæ mihi fuit non causa sed occasio diutissimæ vexationis, nunc magnam mihi suppeditet consolationem, quod te in ea meum videam quadantenus successorem, charum Ecclesiæ cui servis, Superioribus gratum, nactum conjugem ex anim. sententia, auctum gemina prole, & multijugem* Dei *favorem in novæ familiæ auspiciis expertum. Nec minori est solamini quod te,* DANIEL, *hic primùm collegam & coadjutorem habuerim in opere Domini. Tua enim prima vocatio secundum Deum debebatur Procerum nostrorum in me singulari favori, quem gratanter recolo; quod cùm observarent juges & indefessos meos in sua* Academia *labores, eorumque fructus uberrimos privatim & publicè, & quod primariæ Theologicæ Professionis functioni continuæ, haud gravatè adjecissem labores Professionis Historiæ Ecclesiasticæ, mihi per Nobiliss. & Ampliss.* D. D. *Curatores jam ante absque ullo stipendii augmento demandatæ, te mihi conjunctum*

junctum voluerint in Ministerii Gallici exercitio, quod ab obitu R. D. Pastoris de la Haye mihi soli incumbebat, ut ad tot onera Ecclesiastica & Academica accedente senio, sub illis fatiscerem. Tantum autem Amoris *& Benevolentiæ exterus, nulla fultus cognatione aut clientela, solaque virtute nixus, non hic experirer indies, si talis forem, qualem me* Theologiæ naturalis *&* Primæ Philosophiæ Reformatæ, *ac similium quisquiliarum Authores, calumniæ suæ penicillo ordinario depinxerunt. Id grave putabat olim* Chrysostomus, *laudari ubi non fueris, si interim torquearis ubi es: Sed mihi jucundum non potest non esse quod me sentiam faveri & amari ab omnibus ubi sum, dum linguarum & pennarum maledicarum flagellum cogor alibi sustinere. Vos itaque,* CHARISSIMI FILII, *discite meo exemplo perstandum in vocatione Divina* διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, *nec ita Summum Patrem familias fidos suos operarios unquam deserere, quin variis benedictionibus & consolationibus subinde contemperet æstum adversitatum quo cum sæpius conflictantur, stratagemate Satanæ, qui, quod de Ægyptiis habet Scriptura, odio plusquam Vatiniano bonos Pastores insectatus, mille remoras illis in sua vocatione conatur objicere: Spartam igitur quam nacti estis sedulò exornate; Post manum aratro admotam, retrò nolite respicere; Orate & laborate; Intenti estote lectioni, exhortationi, doctrinæ: Nulla dies abeat absque linea; Iuvet utrumque vestrum insigniri epitheto Michaelis Imperatoris, qui à sedulitate in studiis & lucubrationibus* Parapinacius *fuit appellatus: Nemo juventutem vestram jure contemnat: Sed estote exemplaria fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in castitate. Cùm non sit facilius simul servire Deo & Mammonæ, quam simul cœlum altero oculorum tueri altero terram; oportet utique Ministros Dei & Præcones Regni cœlorum, præ cœteris renunciare mundo, juxta veterem formulam, & pompis ejus: & qui Crucifixo se devoverunt, debent carnem & carnis affectus omnes suffigere illius Cruci: Fusis itaque ac procul fugatis Iuvenilibus & omnibus præposteris hujus sæculi cupiditatibus, quæ instar equorum furentium Hippolyti per avia raptam & miserè dilaniant qui se illis committunt, date operam ut moribus, gravitate, sanctitate, & illa maximè* αὐταρκείᾳ *quæ cum Pietate magnum est lucrum, revera sitis quod jam estis Munere & Vocatione, senes nempe sive* πρεσβύτεροι *& Viri Dei. Donum Dei quod in vobis est per impositionem manuum, jugiter suscitate. Retinete fidem & bonam conscientiam, qua expulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt, Attendite vobis-ipsis & gregibus quibus vos Spiritus Sanctus præfecit Episcopos, ad pascendam Dei Ecclesiam quam suo proprio sanguine acquisivit. Pascite Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes, non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucrum, sed promto animo; neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis: Nullum munus concipi potest majus aut sanctius eo quod sustinetis; sed ut difficilia quæ pulchra, sic optimi pessima corruptio; Honestæ itaque & solidæ doctrinæ, quam primitùs ex hoc Systemate haustam, & jugi literarum sacrarum & bonorum Authorum lectione auctam, vestris auditoribus proponere debetis, honestam ac inculpatam vitam semper conjungite, nec minus manu & opere docete quam lingua & ore: Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum; nec probat Deus in suo templo illa horologia vitiosa quæ aliter sonant quam indicant. Ipse* Pacuvius *oderat eos qui forent* Philosophâ sententiâ ignavâ operâ, *ut & illos Epictetus qui philosopharentur* μέχρι τοῦ λέγειν ἄνευ τοῦ πράττειν. *Malè conveniunt*

veniunt Esavi manus cum voce Jacobi, & grandi reatu se obligant coram Deo, qui excubantes pro aliarum animabus tanquam rationem reddituri, suas negligunt, ac fabros Noachi imitati, struunt Arcam in aliorum salutem, ipsimet Diluvii aquis obruendi. Imprimis ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, studete benè mereri de omnibus; In peccatorum publicè obtinentium reprehensione necessaria & cordata, nihil unquam privatis suspicionibus vel affectibus indulgete; Parcite personis, dicite de vitiis: Nec canes muti estote, nec canes mordaces; Ita etiam Superiores dextrè sui sunt monendi officii, ut non adducantur in contemptum vel odium apud plebem, cui aliàs volupe est traduci & traducere eos quibus subest, unde natum forte Adagium, Benè agere & malè audire regium est: Et semper quoad me improbavi illos Concionatores tribunitios qui suis affectibus zelum prætendunt, nec putant se benè suo Ministerio defunctos, nisi ubi gnaviter in Magistratum aut Patricios, quo jure qua injuria detonuerunt. In publico Ministerii vestri exercitio, Christum solum prædicate, non vos ipsos; eique fundamento quod benè posuistis non fœnum & stipulam superstruite, sed aurum & gemmas; & stultas ac ineruditas aversati quæstiones, ea tantum sectamini quæ sunt ædificationis omnium. Concordiam & pacem cum omnibus ambite, & date operam, quantum pote erit, ut nullos habeatis inimicos, nisi qui unà hostes fuerint Virtutis ac Veritatis. Si quos cum tempore nanciscamini æmulos, ut virtutis comes est invidia, illud Pindari cogitate, κρείσσων οἰκτιρμῶν φθόνος, Perstate in illo verè fraterno amore quo vos mutuò complectimini, & tres vestras sorores, nec me nec vobis Dei gratià indignas, eodem sancto vinculo constringite. Uno verbo, cùm assecuti sitis doctrinam meam & propositum & tolerantiam & persequutiones quas sustinuerim, ex quibus Dominus me liberavit, (liceat mihi apud vos verba Pauli ad suum Timotheum usurpare) estote hac in parte mei imitatores; & cum altiùs penetrent exempla domestica, à me discite quid docendum in Ecclesia, quid ferendum in mundo, quid expectandum à Deo, penes quem merces copiosissima nobis reposita est. Id si feceritis & vos ipsos servabitis & eos qui vos audierint; & cùm apparuerit ille Pastorum Princeps referetis ab ipso coronam Amarantinam gloriæ, ac audiet ab eo quisque vestrum illud Euangelicum, Benè est, serve bone & fidelis; in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam; ingredere in gaudium Domini tui. Amen, Amen. Valete plurimum CHARISSIMI FILII, atque hæc quorum meminisse juvabit, iterum iterumque cogitate ac penitissimis inbibite medullis: Deus vobis vestrisque studiis, & consiliis, laboribus sacris, affatim benedicat; ac in vobis promissiones additas secundo & quinto Decalogi præcepto, deletis in sanguine sui Dilectissimi Filii, primogenti inter multos fratres, nostris transgressionibus, misericorditer adimplere dignetur. Hæc Vota nuncupata 18. Novembris 1658. cùm absolveretur quarta editio hujus Systematis, repetebam eodem animo cum hac quinta editione, mutatis mutandis, Groningæ Frisiorum 1. Julii 1659.

INDI-

INDICULUS

Eorum quæ ſecundæ Editioni ac conſequenter tertiæ quartæ ac quintæ acceſſerunt.

1. *Textus Sacræ Scripturæ.*
2. *Notæ Marginales.*

3. *Materiæ ipſi elucidandæ haud pauca additamenta planè neceſſaria.*

4. *Præfatio ad Lectorem ſuper ſecunda* Editione, *in qua fusè agitur de Collegiis privatis & hujus Syſtematis uſu ad illa.*

5. *Aſſertionum Theologicarum ex univerſa Theologia ſelectarum, Decades viginti, in uſum Collegiorum, præſertim* Examinatoriorum.

6. *Elenchus Controverſiarum præcipuarum quæ nobis intercedunt cum* 1. *Pontificiis,* 2. *Anabaptiſtis,* 3. *Socinianis,* 4. *Illis Theologis qui ſe Lutheranos vocant,* 5. *Remonſtrantibus,* 6. *Apertis hoſtibus Chriſtianiſmi, ſcilicet Judæis, Mahumetanis, Ethnicis, Deiſtis, Libertinis & Irriſoribus profanis omnis Religionis; in uſum Collegiorum Polemicorum.*

7. *Brevis methodus concionandi per aphoriſmos digeſta.*

Ut verò dies docet, Author in quarta Editione, & hac quinta quæ terſior nunc exhibetur, hinc inde pro jure quod cuique in ſua competit, inſperſit, adjecit aut mutavit, quæcunque per τρίτας & τετάρτας φροντίδας judicavit commodiùs ſuæ menti explicandæ & Veritati elucidandæ inſervire. Additus quoque eſt Catalogus locorum N. T. controverſorum, pro Collegiis textualibus Polemicis. Typographus autem adjecit ad calcem Orationem inauguralem Authoris, cùm Profeſſionem Theologicam hîc auſpicaretur, & Catalogum Scriptorum hactenus ab ipſo editorum, ut jam ante proſtabat (niſi quod nunc auctior eſt) in Vitis Profeſſorum hujus Athenæi.

Diſtributio totius operis,

AD LECTOREM.

Nolim, Amice Lector, *ut aliud cenſeas de hoc ſcripto quam quod eſt: Mera ſunt exercitia Academica, propoſita tyronibus qui ſine cortice natare nondum poſſunt; & de quibus ſi judices longè inferiora eſſe theſibus iis quæ cultiores & ampliores alibi quotidie prodeunt, me* ὁμόψηφον *habebis:*

Dum Brevitati simul & Soliditati studeo, oblivifcor Elegantiæ: Nec Eruditionis aut multi-jugæ Lectionis hic laudem capto, sed Veritatis & Perspicuitatis: Malo Iuventuti quam instituo utilis esse, quam aliis ex operoso Authorum ac Citationum catalogo Helluo librorum videri: Trahit sua quemque voluptas. *Neque putes me omnia illa Problemata Theologica hic excussisse quorum Viri quidam Doctissimi indices prolixos pertexuerunt; Delectus fuit habendus earum materiarum in quibus plus est momenti, & unde etiam alia quæ non leguntur intelligantur: Satis mihi fuerit si deprehendar in Didacticis maximè necessaria attigisse, in Elenchticis nullam fere è primariis Controversiis prætermisisse, & filum subministrasse Ariadneum cujus ope ex earum Labyrintho Iuniores se extricent: Nam ad hæc duo potissimum collimavi. Quod autem sæpè ad unum locum revocavi plura capita quæ alibi distinctas sedes obtinent, non debet mihi esse fraudi; Nam cùm nequidem singulis septimanis potuerint hæ theses disputari, diutiùs debuisset durare Collegium, si plures numero Disputationes extitissent; Tum Systema Theologiæ contractum propositurus, debui quoque, quoad commodè fieri potuit, numerum locorum generalium contrahere. Quo verò videas non hic tibi proponi scopas dissolutas, accipe Schema, Distributionem & Ordinem totius Operis.*

Theologiæ *Natura* & *Principium*, nempe Dei Verbum, sive Sacra *Scriptura*, considerantur Loco I.

Et cùm versetur tota Theologia circa Deum cognoscendum & colendum, ejus debet expendere *Naturã* & *Opera*: Natura Dei consideratur 1. *Absolutè*, quoad illius Existentiam, Nomina & Attributa, Loco II.

2. *Relatè* quoad *S.S. Trinitatem* & Personas Divinas, Loco III.

Opera Dei sunt vel *Immanentia*, quæ & *Decreta* dicuntur, quo pertinent *Providentia* in communi, ac speciatim *Prædestinatio*, de quibus agitur Loco IV.

Vel *Transeuntia*, quæ iterum sunt, aut *Naturæ*, aut *Gratiæ*:

Opera *Naturæ*, proponuntur Loco V. qui est *de Creatione Mundi, Angelorum & Hominis.*

Circa Opera *Gratiæ*, ejus *Necessitas* & *Fœdus* debent expendi.

Gratiæ *Necessitatem* duo demonstrant; 1. *Miseria* hominis, quæ *Peccato & Pœna peccati* constat, de quibus Loco VI.

2. *Lex Dei*, de qua tum in genere, tum in specie, Loco VII.

Fœdus Gratiæ quod attinet, ipsummet proponitur comparatione institutâ *Legis & Euangelii, Veteris & Novi Testamenti*, ac *simul* quomodo

se

ſe ad illud habeat hominis *Liberum arbitrium*, Loco VIII.

Cùm verò illius gratiæ Euangelicę ſumma ſit CHRISTUS, explicatur Chriſti.

1. *Perſona & Status*, Loco IX.

2. *Officium* tum in communi, tum in ſpecie, Loco X.

3. *Beneficia*, ſcilicet,

1. *Vocationis*, *Fidei* & *Iuſtificationis*, Loco XI.

2. *Sanctificationis*, cujus conſiderantur Tum *Natura* & *proprietates* Loco XII. Ubi & de *Bonis operibus*, tam in genere quam in ſpecie, ac nominatim de *Oratione*, *Votis*, *Iejunio*, & *Eleemoſynis*;

Tum Adjuncta, *Reſipiſcentia* ſcilicet & *Libertas Chriſtiana*, de quibus Loco XIII.

3. *Glorificationis*, quę Loco XIV. expenditur, *Abſolutè* reſpectu animę ſeparatæ per mortem, & ejuſdem corpori reſtitutæ per Reſurrectionem? *Comparatè* ad condemnationem impiorum.

Horum porrò Beneficiorum quia Objectū eſt *Eccleſia*, ejus exponitur.

1. *Nomen & Partes*, ubi agitur inter alia de *Magiſtratu*, *Conjugio* & *Miniſterio* Eccleſiaſtico, Loco XV.

2. *Forma*, *Notæ & Adjuncta* Loco XVI. Ubi de illius Viſibilitate, Infallibilitate, Perpetuitate, Poteſtate, Diſciplina.

3. *Contraria & Hoſtes* Loco XVII. Ubi de Infidelitate, Apoſtaſia, Hæreſi, Antichriſto, Gog & Magog.

Et tandem quoniam Eccleſię Beneficia Chriſti oblata Dei Verbo, obſignantur *Sacramentis*, Loco XVIII. de illis agitur, tam in genere quam in ſpecie, ac nominatim de *Baptiſmo & Cœna*.

ALIA AD LECTOREM PRÆFATIO.

Super ſecunda Editione in qua agitur fusè de Collegiis privatis, & hujus Syſtematis uſu ad illa, ſic tamen ut quartâ & hac quintâ editione, in Præfatione eadem quædam mutata & addita ſint.



Uamvis, Amice & Benigne Lector, *ex præcedenti ad te alloquio, de natura, ſcopo & ordine hujus Opuſculi ſis edoctus, tamen aliquid cenſui adjiciendum circa illius iteratam editionem: Quod auctius nunc prodeat dimidiâ ferè ſui parte, res ipſa loquitur; an melius, ne illud obtineat*, Magnus liber magnum malum, *tute judices. Nolim ſanè mihi evenire quod illi Ruſtico, qui cum vidiſſet in foro catellum Melitæum multo ære redemptum, quendam quem alebat domi Moloſſum duxit ad mercatum, ſperans ſe tanto pluris eum venditurum illo catello, quanto craſſior & grandior ipſo erat; Sed ludibrio habitus ab omnibus ſuam tandem agnovit ſtultitiam. Cùm primæ Editionis exemplaria citiùs quàm ſperaverat ipſe Ty-*

pographus distracta fuissent, etsi non defuissent Zoili qui hunc nostrum laborem superciliosè despuerent, is secundam adornaturus Editionem à me petiit ut & loca Scripturæ, quæ in priori citabantur duntaxat non recitabantur, ex multorum Studiosorum voto adjicerem, & si quid secundis curis haberem mutandum vel meditatum, huic secundæ Editioni ampliandæ & exornandæ conferrem. Quid igitur hîc præstitum sit, paucis accipe: Primò ipsa loca Scripturæ quæ in priori Editione desiderabantur, imò sæpè Typothetarum vitio, quod faciliùs obrepit circa notas numerales, perperam indicabantur, hîc integra prostant, eâ industriâ textui inserta, ut plerumque suam ex illo explicationem consequantur & ad ejus integritatem faciant: Sic autem magis discet Iuventus θεολογεῖν *ex Dei Verbo, & æquè turpe reputabit sibi sine Scriptura loqui, ac Iurisconsulto turpe est loqui sine lege: Nec melior aut sanior Theologia potest excogitari eâ quæ è Dei Verbo oritur & in illud refunditur: Sectentur alii Cuminisectorum & Scholasticorum subtilitates inanes; Nobis nunquam licebit esse tam acutis. In locis autem Scripturæ annotandis, non omnia ea retuli quæ ad rem propositam facerent, sed delectum habui potiorum, ad quæ Studiosi cætera sibi in lectione sacra occurrentia facilè deinceps adjicere queant. Deinde in ipso textu nonnulla, pro eo jure quod Authoribus in sua scripta competit, immutavi, & quæ obscuriùs dicta videbantur brevitatis studio, distinctiùs enarravi, ut servatâ eadem dispositione quæ antea, imo eodem paragraphorum sive thesium numero, planè opus novum & præcedenti longè accuratius deprehendendum veniat omnibus qui ambo inter se conferre voluerint. Adhæc in margine brevem analysim proposui cujusque loci in subsidium memoriæ; Et cum Theologiam Didactico-Elenchticam compendiosè & nervosè tradere animus esset; frequenter adhibui terminos Philosophicos in Scholis usurpari solitos, quos qui penitus eliminatos volunt ex sua Traditiva, eo ipso obscuriores fiunt, ac ineptiores reddunt suos Discipulos qui cum Adversariis congrediantur, vel eorum mentem assequantur; & perinde faciunt ac si Arithmeticam sine siffris, aut Medicinam sine charecteribus & notis illis quibus pondera, mensuras, pharmaca, solent Hippocratis filii compendiosè designare, doceri posse pertenderent. Quin etiam errorum vitandorum scopulos ubique signavi per propria eorum nomina qui eos propugnant, quæ etiam in margine subnotata deprehenduntur ut in tertia editione, sic in hac quinta, in gratiam Studiosæ juventutis; Iudæorum nempe per literam I. Mahumetanorum per M. Pontificiorum per P. Socinianorum per S. Remonstrantium per R. Vorstianorum per V. Anabaptistarum per A. Lutheranorum per L. Weigelianorum per W. Brownistarum, Swenkveldianorum, Præcisistarum & similium Fanaticorum per F. Nec debet id mihi vitio verti, quod aliquando idem error variis in locis reprehendatur; tum quia sæpè idem error, ut multiceps hydra, varia fidei capita oppugnat; tum quia ad harmoniam omnium partium Theologicæ veritatis, juvat observare quod ab illius Cynosura quilibet error ita deflectat, ut ex variis fontibus ejus Elenchus arcessi possit: Imò etiam hac ratione futurus Concionator ejusdem Elenchi varias sedes poterit annotare, ut ita pro varia occasione idem cæteroquin error veniat ad populum refutandus. Et cùm Catalogum Controversiarum qui extat ad calcem Systematis, ex illo ferè semper deprompserim, inde factum ut etiam ibi quandoque contra eosdem Adversarios eadem ferè quæstio, quamvis cum aliqua mutatione, bis occurrat disputanda. Adjeci præterea ad calcem quæ Collegiis Examinatoriis, Disputatoriis & Polemicis dirigendis & moderandis futura sint pro filo Ariadneo, eo ordine & fructu quem ibi fusiùs descriptum reperies. Eò siquidem spectant, tum viginti illæ Decades Assertionum ex Universa Theologia desumptarum quæ ibi prostant, tum illis additus sextuplex* Elenchus Controversiarum *præcipuarum quæ nobis intercedunt cum variis Adversariis, scilicet 1. Pontificiis, 2. Anabaptistis, 3. Socinianis, 4. Lutheranis, 5. Remonstrantibus, 6. Apertis hostibus Christianismi, cujusmodi sunt Iudæi, Mahumetani, Deistæ, Libertini & profani irrisores omnis religionis. Imò ne quid deesset nostris Tyronibus formandis & informandis, his omnibus additur* Brevis Methodus Concionandi *per Aphorismos digesta, ad quam priora sua conamina in exercitiis Practicis sub nostro præsidio & ductu dirigere possint. Quemadmodum enim hoc meum* Systema *Collegii Theologici nomine inscribitur, ita nihil prius in tota hac opella spectavi quam & mihi & meis Discipulis ea comparare & conquirere adminicula, quibus commodiùs & ordinatiùs eorum juvarem & promoverem studia in præcipuis & maximè necessariis ex illis Collegiis privatis, quibus præter publica, solita & debita Exercitia Prælectionum*

& Dis-

& *Disputationum Academicarum*, jugiter occupor. Quid in eo genere præstem aliorum est judicium: Quid velim aut intendam, paucis expediam: Falluntur meo judicio qui putant Lectiones publicas, quas Professor quilibet habet pro more quater in septimata, ad pompam magis quam ad usum esse comparatas, & omnem eruditionem ex Collegiis esse hauriendam: Nam è contrario quò paratiores & benè meditati accedunt Professores ad Cathedram publicam, si modò meminerint se eò venire, non tam ut docti videantur, quam ut doceant, & sic loci dignitatem tueantur, ut tamen Auditorum captui se accommodent, eò uberiores fructus ex illorum prælectionibus referunt Discipuli qui animum intendunt, calamo subnotant quæ dicuntur & domum reversi meditantur quæ audiverunt: Absit à viro cordato ut ex voluntaria Appendice suæ Professionis primariam illius partem faciat, & πάρεργον in ἔργον mutet, ac pluris velit fieri extemporaneam illam quam in Collegiis præstat operam, & ad quam suâ potius liberalitate quam ex Vocationis suæ necessitate se adstringit, quam subactas illas Meditationes quas ex Officii sui conscientia protrudit in publicum. Nec minus errant ab altera parte qui privata Collegia nullius faciunt, & putant jam eo usque profecisse, ut ex familiariori illa Præceptorum suorum institutione nihil amplius queant proficere: Siquidem Collegiorum privatorum subsidio faciliùs intelliguntur Lectiones publicæ, & quantum ibi prodest viva vox, tantum hic efficit familiarior illa συγκατάβασις per quam Discipulorum captui penitiùs cognito se Professor attemperat, cùm unumquodque magis ex modo recipientis quam dantis recipi & admitti solet. Itaque inter hæc duo extrema, medium semper censui tenendum; quia medium tenuère beati: Pluris semper feci & volui fieri publica illa Exercitia quæ nos trahunt in lucem quam privata ea Collegia, quæ in umbra & intra privatos parietes peraguntur; Imò cum Ornatissimi quidam Studiosi à me privatim petiissent aliquam Manuductionem ad historiam Ecclesiasticam, eam præter ordinarios & debitos labores satis diu malui quasi publicam facere in Auditorio Theologico & patente januâ bis hebdomadatim, horâ tamen extraordinariâ, quod esset opus supererogationis ad quod nondum essem publicè auctoratus, & cujus continuatio vel omissio hactenus mei foret arbitrii, quam Collegialiter instituere; tum quod res esse longioris subsellii, quam intra curriculum alicujus Collegii ordinarii absolvi quiret; tum quod censerem ad Academiæ ornamentum facere id exercitii apprimè necessarii genus, cui ordinariam aliquam Professionem assignari liberalitate publicâ, ut alicubi jam cœptum, è re foret Ecclesiæ; tum quo me ipsum hac ratione tantisper exstimularem, in labore utilissimo iis Theologiæ Studiosis qui supra Postillatorum vulgus sapere volunt, ad Constantiam & Perseverantiam, quæ Collegio, ut sæpè fit, sensim diffluente, remittere & frigescere debet. Quibus etiam rationibus permotus, facilè ante quadriennium & quod excurrit, hanc Provinciam mihi passus sum imponi solemni Vocatione N. N. & A. A. D. D. Curatorum, & laborem privatum ac arbitrarium, in necessarium, quamvis citra stipendii augmentum, permutari. Nec tamen Collegia privata unquam duxi negligenda: Nam ea semper habui & etiamnum habeo frequentissima; Disputatoria, Explicatoria; Examinatoria, Practica, Problematica, Textualia, Antilogiarum Scripturæ Conciliatoria, Isagogica ad notitiam Canonum Ecclesiæ, &c. pro ratione temporum & personarum, ex quibus quantum se nostri Discipuli proficere putent, suâ frequentiâ & sedulitate testantur. Interim quandoquidem eò delabitur nostra oratio, quemadmodum circa Lectiones publicas hunc modum velim servari, ut quilibet Professor de re qualibet dicat non quantum potest, sed quantum expedit, nec se minus Didacticum quam Doctum in illis exhibeat, cùm prolixitas nimia, qualis Hellesbachii Professoris quondam Viennensis qui per 22 annos in primo capite Esaiæ explicando fuit occupatus, quantumlibet erudita, æquè tædiosa esse soleat, ac inutilis esse potest exsanguis & obscura brevitas; ita circa Collegia privata certi quidam fines sunt agnoscendi, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Primò itaque velim, (quod etiam publicâ authoritate in hac Academia hactenus obtinuit) nulla haberi Collegia privata, sive plurium, sive pauciorum, sive ab ipsis met Professoribus, sive ab aliis quibus facultas hæc concessa fuerit, iis horis quæ Lectionibus & Disputationibus publicis sunt consecratæ; ne Resp. in Republ. constitui videatur, aut Studiosi censeantur pluris facere unius privatam institutionem, quam publicam reliquorum illis horis docentium. Deinde quilibet Collegiis privatis instituendis debet se continere intra suæ Facultatis terminos, nec sub ullo prætextu alienam Spartam involare: Ut non ferendi Phi-

di Phi-

di Philosophi, qui sub prætextu vel Logicæ praxeôs exercendæ, vel Philosophiæ Moralis tradendæ, vel Metaphysices explicandæ, vel Physicæ illustrandæ, arrepto thuribulo & jurisdictionis suæ finibus violatis, Theologica tractant, aut Iuridica, aut Medica, ita nonnisi Ardelionum loco mihi sunt illi Theologi, qui Pansophiam suam venditaturi, promittunt Collegia in omni scibili, nempe 1. *Logico-Theologica,* 2. *Rhetorico-Theologica,* 3. *Historico Theologica,* 4 *Poëtico-Theologica,* 5. *Grammatico seu Philosophico Theologica,* 6 *Metaphysico Theologica,* 7. *Philosophico-Theologica,* 8. *Medico-Theologica,* 9 *Iuridico-Theologica; de quibus videatur bellulus libellus inscriptus* Exercitia & Bibliotheca studiosi Theologiæ, *maximè* libr. 1. cap. 16. *Mihi sanè religio est esse vel videri tam erudito: Qui ubique est nusquam est, & nihil solidi potest haberi ab ejusmodi ingeniis aqueis, quæ alienis terminis quam suis faciliùs continentur: Non omnia ferre potest omnis tellus; &* quæ sunt Medicorum promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. *Scitè Plato hanc legem inter alias Civibus suis ferebat, ut singuli unicam tantum discerent & exercerent artem: Nam* pluribus intentus non valet ad singula sensus. *O fœlices eas Academias, quæ in uno homine possint obtinere quod aliæ vix in decem simul consequuntur! Si talium tamen Phœnicum paullo vilior esset annona, nos gregarii Professores ad unum tantum facti, facilè dimitteremur à nostris Proceribus, qui nollent frustra per plures fieri quod æquè benè & minori cum sumptu unicus præstare posset. Sed Pansophorum illorum cuique illud Funccii occini meritò potest,*

Disce meo exemplo mandato munere fungi,

Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Præterea sentio omne Collegium, ut rectè procedat, nonnisi trimestre vel quadrimestre esse debere, aut saltem vix ultra semestre esse continuandum: Nec enim in Collegiis omnia ἀκριβῶς possunt pertractari ut in lectionibus publicis, sed summaria tantum capita pinguiori Minervâ & ὡς ἐν τύπῳ, sive juniores gradum sibi velint facere ad majora, sive provectiores quæ jam didicerunt repetita breviter malint: Ipsimet Studiosi in Collegiis compendia quærunt, suis consiliis, vel proficiscendi aliò, vel novum aliquod studium hoc peracto inchoandi, accommodata; & nimia Collegii diuturnitate flaccessit eorum alacritas, & multi moræ impatientes ac prolixitatis tædio diffluunt, atque sic quod cœptum fuerat cum impetu, sæpè cum languore magis cessat quam absolvitur. Studiosi in petendis Collegiis à Professoribus suis, eum imitantur qui ab eximio pictore requirebat ut in parva tabula Gigantem valde procerum sibi depingeret: Volunt enim interdum brevi temporis curriculo diffusæ alicujus Disciplinæ integrum Systema sibi exhiberi: Quapropter ut pictor ille alterius desiderio utcunque satisfacturus, nonnisi giganteum pollicem depinxit, cum effigie alterius alicujus hominis qui illum ad ulnam metiebatur, ita Professores in Collegiis magis debent summa capita & ex ungue Leonem, quod ajunt, indicare, quam omnia sigillatim & distinctè explicare. Adhæc studiosi non debent omne suum studium intra angustos Collegiorum cancellos coarctare, ut se ideo benè procedere putent quod duo vel tria Collegia simul frequentent: Sed debent insuper Professores suos publicè docentes attentè & sedulò audire, ac privatim delectu habito meliorum Authorum aut suo captui magis convenientium, ea legere & meditari quæ ad Collegiorum suorum materiam propiùs accedunt. Opus est quoque in ipsis Collegiis attentione summâ, alacri animi contentione, & omnimodâ diligentiâ: Qui tantum intersunt Collegiis, ne incurrant in mulctam absentium, animo interim occupato in patinis, ut ajunt, vel in fenestrarum quadris dinumerandis, tantundem proficiunt ac si abessent: Et necquicquam se postea eruditos somniant quod tot frequentarint Collegia, siquidem iisdem quoque & pari cum fructu, quia pari modo, ipsa scamna inter fuerunt: Imò nimia supinitas & negligentia Discipulorum, ipsam alacritatem Professorum in docendo plerumque retundit, & quod ad me si quando videam auditores torpentes, vel garrientes, juveniliter oscitantes, eo ipso ago remissiùs, & parum abest quin relabar cum Demosthene ad narrationem litis de umbra asini. Itaque Studiosorum est hîc sibi non deesse, & omnes ad diligentiam & assiduitatem stimulos adhibere, iisque legibus sua circumvallare Collegia quarum beneficio alacriter & cum fructu ea continuari & absolvi queant. Huc facit maximè quod in quibusdam Academiis & Scholis obtinet, ut non solum nullum habeatur Collegium merè gratuitum, sed etiam ut Honorarii constituti pars media repræsentetur initio Collegii, & altera pars ubi ad medium perventum est. Nam cùm plurimi malint tempus sibi inutiliter periisse quam

pecuniam, dum metuunt jacturam facere pauculorum illorum nummorum quos expendere tenentur, ho: ipso metu, temporis, rei longè pretiosioris, jacturam utiliter redimunt. Verum, ut & de eo aliquid dicam, nondum inter omnes Eruditos convenit, utrum præstet privata Collegia haberi gratuita à Professoribus publicis, necne? Qui affirmativam tuentur, asserunt se stipendiis publicis auctoratos ad omnia ea quæ sunt Muneris Professorii, quo etiam privatæ institutiones referri debent; Monent jam olim malè audivisse inter Literatos integram quandam Nationem, quod ex ea nonnulli Lutetiam delati sub exordiis Academiæ Parisiensis, per plateas Urbis se Scientiam vænalem habere altâ voce proclamarent; Ajunt non convenire Liberalioribus Disciplinis, sordidam illam nundinationem, quâ Professores videntur quæstui habere studiosam juventutem, dum magna quæque, & sæpé majora quam d ceret, illi ex suis Collegiis pollicentur, ut illa ære grandiori redimat, ac plerumque nonnisi carbones reportet pro thesauro; Quin Simoniæ reatum eos rentur contrahere qui præter stipendia sua publica aliquid expetunt, vel expectant, vel admittunt pro privatis Collegiis; Addunt se hac suâ liberalitate Benevolentiam & Amorem Studiosorum demereri, quo paratiores, alacriores & frequentiores intersint Lectionibus & Exercitiis publicis, quæ absque illa Collegiorum gratuitorum esca faciliùs desererentur & negligerentur ab omnibus; Dicunt tandem, in Theologica Facultate præsertim, Discipulos ut plurimùm esse tenuioris fortunæ, quam ut grande Minerval pro Institutione privata queant persolvere; & eos Professorii ordinis huic nostræ Academiæ benè consulere, donec saltem ordinaria aliis in Belgio Fœderato Privilegia vinaria (quæ plerisque cedunt in damnum & occasionem majorum sumptuum) fuerit consequuta, qui de suo jure hac in parte remittunt; ut quantum videtur hic Studiosis decedere, comparatè ad alias Academias, quoad vectigalia vini & cerevisiæ peregrinæ, (nam cerevisia Provincialis & domestica nihil eorum pendit) tantum ipsis imò plus accedere constet ex liberalitate Professorum suorum, illis frequentissima Collegia absque pacta mercede indulgentium; Nec obstare debere generoso illi consilio, quod quidam minus gratos hic se præbere solent; Nam ut Alphonsus Rex malebat decem non honesti commatis mulieres ignotas sibi salutasse, quam honestam matronam insalutatam præteriisse, sic præstare decem indignos hoc gratuito beneficio obligari quàm alicui digno denegari: Et quamvis improvida Iuventus non semper attendat quantum debeat Præceptoribus suis, & in eos nonnunquam plus petulantiæ exerceat, qui de ipsa meliùs merentur, eam tamen ubi ad maturiorem pervenerit ætatem, longè aliter sensuram & gratâ memoriâ beneficia indebita gratis in se collata recogitaturam, ac gratitudinis suæ contestandæ, si quid superfuerit honestatis, nullam occasionem prætermissuram. Qui stant pro negativa censent, Liberales Disciplinas per Collegia gratuita prostitui & viliùs haberi quam deceret; cùm semper pluris fiat quod cariùs emitur; Imò sic ipsamet Collegia multo minus prodesse Studiosis ipsis, quod semel neglecta citra aliam ullam jacturam quam temporis, possint ea de novo petere & consequi, & pariliter negligere ubi libuerit; Ajunt hac ratione Professores abire in mancipia Studiosorum, qui ipsorum liberalitate & honestate non semper satis honestè utentes, tam faciles & quandoque importuni solent esse in quibuslibet Collegiis efflagitandis, quam desultorii & volatiles in illis abrumpendis & deserendis, adeo ut omninò aliquid auri illi Mercurio fixando prærequiri videatur; Addunt inofficiosâ illâ officiositate & posteros gravari & præsentes Collegas, qui fructum aliquem ex similibus laboribus indebitis solent expectare, à quibus hoc modo Iuventus abducitur, atque sic & succus pecori & lac subducitur agnis; Commemorant Iesuitas ab ævo voluisse se hac arte cœteris docentibus præferri quod gratuitam institutionem Iuventutis pollicerentur; Sed eos ideo omnium bonorum indignationem incurrisse, quod sub plausibili illo prætextu Avaritiæ suæ & Ambitioni litarent, atque injecto gobione grandiores truttas adhamare studerent; Statuunt se stipendiis publicis sic esse vocatos ad Professionis suæ exercitia publica, ut citra Simoniæ piaculum aut conscientiæ gravamen aut crimen Pleonexiæ, pro laboribus extraordinariis & indebitis aliquid insuper Minervalis aut Honorarii, moderati tamen, (ne expilari videatur Iuventus, sed tantum levi recognitione ad officium & sedulitatem magis adstringi,) jure merito possint expectare, Christo dicente quod Operarius est dignus suâ mercede, cui & illud concinit Apostoli, Communicet qui instituitur in sermone cum eo qui se instituit omnia bona Gal. VI, 6. Queruntur liberaliores Professores, aliis vel invitis legem ponere similis liberalitatis, nec putant id ipsis agis licere in

Collega-

Collegarum præjudicium, quam obire Professorium munus absque omni stipendio; cùm æquum sit ut ex altari vivat qui deservit altari, & aliquid ex lana & lacte gregis consequatur qui illum pascit; Referunt Professores nonnisi magnis laboribus, sumptibus, sudoribus & vigiliis, sibi suam doctrinam comparasse, quam ita prodigè haberi minimè conveniat; Dicunt virum cordatum tales debere habere Lectiones publicas, ex quibus Studiosi optent insuper ipsius uti privatâ institutione, non verò Collegiorum ambitiosâ largitione Auditores sibi mercari & Collegis suis subducere; Pertendunt hac viâ & Collegia privata & Lectiones publicas negligentiùs haberi, tum ab ipsis-met Professoribus, qui illorum obruti multitudine nec ea neque has satis expolire possunt, tum etiam à Studiosis ipsis quibus chariora essent Collegia si paullò essent cariora adeoque rariora, & Lectiones publicæ in majori pretio, si non eâ spe se lactarent, pari pretio posse obtineri familiariorem & utiliorem institutionem in Collegiis; Negant sanctionem mulctarum, sub quibus Collegæ omnes, legibus Collegii, quas subscriptione firmarint, ad Sedulitatem & Assiduitatem adstringi posse putarentur, (ne in Collegiis merè gratuitis ex facilitate nimia fastidium & contemptus oriatur, unde & Professores oleum ludant & operam, & Studiosi frustrentur illo fructu qui ex tam insigni beneficio veniebat expectandus,) ad hanc rem sufficere; Nam nonnullos, ut sunt varia & quandoque plus justo Mercurialia & desultoria ingenia, non alio animo Collegia subire, quam Catonem olim Amphitheatrum, scilicet ut abeant; Hos, si commilitones mulctas exigant, primùm subter fugia quærere & calvas excusationes ut leges eludant; dein rixas illis movere si pressiùs urserint quæ sunt æquitatis & ordinis; ac tandem ne cogantur persolvere Collegio quod jam debebant penitùs emanere; Exinde leges negligentiùs haberi & paulatim singulos diffluere, ut combibones solent ex Caupona cùm non sunt solvendo, paucis ex honestioribus relictis quibus incumbat Carmen Eucharisticum Præsidi dicere; Aut si quid forte ex mulctis corrasum fuerit, id omne abire in materiam Symposii illiciti ac Statutis Academicis prohibiti; Illi malo quondam optimam visum adinventam medelam, ut apud Collegii Præsidem sub primis illius auspiciis, quisque certo pignore deposito, caveret de mulctis persolvendis, illud sub finem Collegii, vel integrum recepturus si constans fuisset, vel reluiturus persolutis mulctis, quas durante Collegio incurrisset; verùm neque id consilii potuisse procedere, ut experientia & tempus docuerunt; Denique asserunt ita animi ingrati vitium affricari Iuventuti, licet ad illud justo plus suapte indole propensæ; Nam Scire volunt omnes mercedem solvere nemo; Atque hanc proculdubio fuisse maximo GOMARO τῷ ἐν ἁγίοις primariam causam, cur inter tria quorum ad Catonis imitationem se pœnitere ajebat, hæc duo reponeret, quod ullos unqnam aluisset commensales, & quod ulla Collegia gratuita habuisset; Iustos equidem rerum æstimatores duplici vinculo se debere eâ occasione obstrictos profiteri suis Præceptoribus, & quod non publicè modò sed privatim quoque ab illis fuerint instituti, & quod gratuitam sibi operam hac in re præstiterint; Sed illos hodie perpaucos esse & raros nantes in gurgite vasto; ac longè frequentiorem extare numerum ingratorum, qui cum suis Præceptoribus quà privatim quà publicè agunt ut Aristoteles cum Platone, nempe, ut hic dicebat, mulorum instar, qui postquam matris suæ ubera exsuxerunt, eam jam saturi impetunt calcibus; Ex decem leprosis sanatis, vix unum Samaritanum reperiri qui revertatur gratias acturus; adeo ut quicquid hauserint doctrinæ à suis Magistris malint abstulisse per modum prædæ, quam sub titulo Beneficii possidere. Hanc litem utrimque suis subnixam rationibus, dirimere vel componere meum non est. Saltem putem operæpretium fore ut vel omnia Collegia sint gratuita ex constitutione publica, vel nulla, exceptis semper à Minervali iis quos premit res angusta domi, & qui eo plus se debere profiterentur quod non esse solvendo se agnoscerent. Id singulorum arbitrio non videtur relinquendum, ut quidam cœteris præjudicent generosâ suâ liberalitate, aut alii inæqualia præmia & majora in labore æquali referant. Si quis in Senatu quo magnificentior aliis appareret nihil vellet ex sportulis participare, id non esset ei impune: Et Disciplinæ Ecclesiarum Galliæ Canonibus prudenter cautum est, ut quilibet in Ministerio teneatur ordinarium stipendium admittere, de illo si ditior fuerit dispositurus ad libitum, ne dum illud recusat liberalitatis studio, præsentibus & futuris Collegis præjudicium creet, & ipsum Gregem sensim gratitudinis officia erga se docentes dedoceat. Interea tamen nondum res eo æqualitatis potuit in hac Academia revocari; sed ego semper ultrò & meâ sponte, licet cæteroquin paratus me ordini generali si sanciatur subjicere, omnia mea Collegia

& gratis

& gratis adverbialiter & gratuita habui; adeo ut nihil unquam pretii aut mercedis vel in antecessum pactus fuerim pro mea opera, vel postea acceperim: Id tamen de quorundam meorum Discipulorum grato animo debeo publicè profiteri, quod à paucis annis hunc ordinem in plerisque meis Collegiis cœperint observare, ut in vinculum Constantiæ & Assiduitatis aliquid per modum symbolæ inter se prænumeraverint, quod finito Collegio, non in pocula, ut aliàs fieri solet, sed in bonum aliquem librum expenderunt, quem in gratitudinis τεκμήριον & sui apud me μνημόσυνον, præfixis singulorum Nominibus, Bibliothecæ meæ inferendum honestissimè obtulerunt. Hunc morem postea, cùm & hìc abusus irrepissent, immutaturi, voluerunt eundem in finem, mihi ceu suo Præsidi offerre levidense aliquod Isagogicum, illi usui pro meo lubitu & judicio applicandum. Id verò ita moderatum est, & ita etiam voluntarium ac tenue singulis, ut revera Collegia mea hactenus gratuita maneant. In istiusmodi autem Collegiis quo minùs mercenaria sunt, eo diligentiores & magis assidui debent esse Studiosi, quod si quid vident Professores in illis lucrum non captare, nec suæ utilitati litare, sed graves molestias & labores Herculeos gratis sibi imponere in ipsorum commodum & gratiam, atque cereos imitari qui se flammæ & igni præbent devorandos ut illuceant aliis: Hoc de me ausim profiteri, quod singulis septimanis majorem horarum numerum impendam actuali functioni Muneris mei, præter tempus quod Mediationibus Lectionum & Concionum, Disputationibus conscribendis & aliis lucubrationibus ac Professoriis occupationibus, necessariò debetur, quam ullus Ludimagister in Pædagogio publico: Hæ scilicet sunt Professoriæ deliciæ; Hæc sunt Consectaria illius Academicæ φαντασίας, quam dum nonnulli, vel incautiùs admittunt, vel ambitiosiùs appetunt, sentiunt, contra quam forte speraverant, sibi esse non Nahomin sed Maram, & laborum difficillimorum fœcundissimam matrem:

Pro molli viola pro purpureo narcisso,
Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Hìc autem non referam operosè quæ & qualia habere soleam privata Collegia; quid etiam præter hæc Dogmatica, circa Textualia mediter, quæ doleo ab iis negligi quibus aliàs in suis Professionibus textus sacri explicatio in solidum incumbit; Sufficiat observasse quem usum nostrum Systema ad ea possit habere, præter communem illum fructum quem Studiosi quilibet ex illius Lectione & Meditatione percipere queunt; Summis enim Viris illud alibi placuisse mihi est compertum, & indicio esse potest quod priores tres editiones tam citò distractæ fuerint. Primùm igitur quoad Collegia Examinatoria & Disputatoria, per illas viginti Decadas Assertionum Theologicarum, quas eum in usum adjeci ad calcem Systematis, Studiosi ex illius lectione circa materiam tractandam in Collegio, ad illud venient longè paratiores; cum ibi reperiant circa unamquamque Assertionum illarum veræ sententiæ firmamenta ex sacra Scriptura & Analogia fidei, & fontes solutionum adhibendarum objectionibus ferè omnibus quæ in contrarium moveri possent: Quin ista Collegia habenda circa has ducentas assertiones, maximè solidæ & methodicæ Repetitioni Systematis ipsius destinari censenda sunt. Deinde quoad Collegia Polemica, quibus itidem nunc ad calcem Systematis destinatur Elenchus ille sextuplex præcipuarum Controversiarum quæ hodie intercedunt Ecclesiis Reformatis cum omnibus suis Adversariis publicis, hoc ipsum Systema inserviet studiosæ Iuventuti, tum ad originem & occasionem Controversiarum meliùs percipiendam, tum ad cognoscendum quodnam Fidei & sacræ Theologiæ caput potissimum impetat error qui venit impugnandus, tum ad suppeditandum Respondentibus pro veritate fontes solutionum ad palmaria Adversariorum argumenta, imò & ipsis Opponentibus, ubi Collegium Polemicum destinabitur vindicandis rationibus Orthodoxorum contra errantes & Hæreticos, (quod ut quandoque fiat, suo loco fusiùs suademus) solidiora & efficaciora argumenta, ad veritatem propugnandam & errorem de ponte dejiciendum, si quando in eum Adversarium incidatur qui malit Respondentis partes, ceu faciliores in tali conflictu, quam Opponentis suscipere. Sed præsertim cùm hìc, & maximè ab eo cui ut mihi Locorum Communium Professio, vel ex toto vel ex parte, incumbit, semper soleant Studiosi alicujus Compendii Theologici Explicationem expetere, quà vel præparentur ad majora addiscenda vel quæ jam didicerint repetantur, pro talium Collegiorum Explicatoriorum jugi materia hoc meum Systema mihi erit quoad vixero: cum quisque suos conceptus meliùs percipiat & inculcet quam alienos. Tria autem genera collegiorum Explicatiorum ad hoc Systema possint haberi, prout ea petierint Studiosi: Primum potest destinari accuratiori illius explicationi,

editioni, hoc modo; Præses textum prælegat: Ad periodos quæ nihil habent difficultatis nihil addat: Sistat in illis quæ aliquid habent obscuritatis & eas paucis explicet: Occurrentes terminos vel ambiguos vel Pholosophicos elucidet, eorumque usum demonstret; Si quæ alicujus momenti instantia in contrarium putet posse moveri, eam proponat & refutet: Si quid scrupuli videatur posse oriri circa loca Scripturæ citata, id expediat; Ubi textus est Elenchticus, statum & originem Controversiæ breviter proponat; argumenta quæ ei insunt pro Orthodoxia vindicet: & ubi præveniuntur Adversariorum rationes, quod attentus Lector studiosè passim factum deprehendet, illas distinctiùs proponat, & ostendat quomodo ex ipso textu solvendæ veniant. Stilum tum omnes Studiosi Collegæ expediant, ad libri sui marginem annotent id quod è re sua fore censuerint. Non autem veniant in Collegium quin prius legerint domi id quod explicandum erit eo die, & apud se subnotaverint eas difficultates quas sibi optent expediri: ac id ipsum domum reversi cum auditis & annotatis explicationibus relegant & ruminentur: Hoc Collegium si quater in septimana habeatur integro semestri opus habet, sed nec multo amplius durabit, etsi cuilibet loco sic distinctè relegendo & explicando quinque vel sex dies, quod satis erit in nonnullis, assignentur. Secundum Collegium explicatorium ad Systema, sed minus accuratum præcedenti, possit haberi hoc modo: ut omissâ textus integrâ lectione, Præses singulorum paragraphorum quos studiosi præ oculis haberent, summam indicaret, & siquid subesse putaret difficultatis cursim enodaret. Tale Collegium si bis in septimana haberetur, non multo amplius quam quatuor menses exigeret. Singulis enim septimanis singuli loci hac methodo non inutiliter percurri possent. Tertium, in quo longè plus reponerem utilitatis, nec tamen plus temporis quam præcedens exigerit, hac ratione videretur instituendum: Duodecim v. g. sunto Collegæ, qui teneantur domi sedulò attente legere Systema, & ea subnotare quæ sibi difficultatem movent, quæque non satis assequuntur: Ubi veniunt in Collegium, sex ex illis sorte delecti, quo omnes paratiores accedant, sibi inter legendum natos scrupulos proponant Præsidi, non Disputantium sed Dubitantium & Disquirentium more, ne res trahatur in longum, eorumque brevem exemtionem ex illius ore percipiant. Singulis vicibus media pars unius loci ita expediatur, ut nulla tamen thesis illius intacta abeat: Dictribuatur cujusque diei pensum in sex æquales portiones, quarum prior cedat ei quem sors priorem constituerit, secunda secundo, & ita deinceps: Non quærant Studiosi nodum in scripo, sed annitantur proponere reales difficultates, ipsi textui inhærentes. aut directè ex illo enascentes, & quæ saltem sibi aliquid facessant negotii: postquam unus ordine suos exposuerit scrupulos, eorumque solutionem acceperit, fas esto cuilibet ex Collegio, si ipsi inciderint alii citra eosdem paragraphos quos putet majoris momenti, præfatâ veniâ, priusquam ad alteram transeatur illos proponere eorumque: Quisque annotet ad libri sui marginem dubiorum suorum explicationem, eamque domum reversus sedulò meditetur: Si qui hanc institerint viam, plurimum proficient: Hic enim ipsis explicabitur non forte quæ jam sciant, sed quæ nesciant, & earum industriæ excitandæ admodum inserviet quod non passivè ut κωφὰ πρόσωπα, sed etiam activè se habeant in Collegio; Etenim

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria Discipulum faciunt superare Magistrum.

Habes, Amice Lector, *Consilii & Instituti mei in hoc opere rationem: Suo loco videbis infra quem circa Collegia Examinatoria & Disputatoria ordinem censeam servandum, & quam materiam ad illa comportarim: Nemini tamen hîc præscriptum volo, & tam facilè patiar ut mea aliis displiceant, ac quædam aliena mihi: pro ingenio & affectu lectorum* habent sua fata libelli: *Nequidem ipse Iupiter, ut ajunt, si velit, omnibus placere queat. Satis ecto, quod Orthodoxam Theologiam mihi commissam omni studio & ope coner promovere, nullamque omittam rationem profectibus eorum inserviendi qui se nostræ Disciplinæ committunt, quo* citò tutò jucundè, *ut statuunt Medici agendum in ægrorum sanatione, ad optatum finem deducantur, & ea apud nos ediscant, quæ tandem in Ecclesiis Domini ad multorum ædificationem & consolationem alios queant edocere. Non hic suggero Methodum integram studii Theologici: quo ordine nempe illud inchoandum, continuandum, absolvendum sit: Id sufficienter præstitum à Clarissimo Viro D. D.* LUDOVICO CROCIO, *S. Theol. Doctore & ejusdem Facultatis dum viveret in Schola Bremensi Professore Ordinario, in accurata sua* Instructione de ratione studii Theologici, *quam diligenter legi, & quoad fieri potest, obser-*

obſervari velim à noſtris Tyronibus: Solùm oſtendo quomodo ipſis verſandum ſit in ea illius parte quæ Collegiis Explicatoriis, Examinatoriis & Diſputatoriis peragitur, aut ſaltem quid à me porrò in eo genere debeant expectare ſub auſpiciis Providentiæ Divinæ: Interim hos illis verſiculos tres, relatos & fuſiùs explicatos à Iohanne Sariſburienſi lib. 2. de Nugis curial. cap. 13. *meditandos relinquo;*

Mens humilis, ſtudium quærendi, vito quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hæc reſerare ſolent multis obſcura legendo.

His quaſi diſcentium clavibus, *ut eas Sariſburienſis vocat. addit ipſe ſeptimam* cap. 14. *ſcilicet* Amorem docentium, quo Præceptores ut parentes amandi & ſunt colendi. *Hunc ut illi erga me continuent & rogo & ſpero; ſiquidem Amoris ejus ſingularis quo & affectu & effectu eos proſequor, non aliud pretium quam Amor eſſe debet; Tres noſtræ Charites Aglaja, Thalia & Euphroſyne, Ridentes, Nudæ, Iuvenes, indivulſo nexu debent cohærere: Ridentes, quod hilariter dandum ſit, ut nihil facio lubentiùs quam Iuventutis ſtudia promovere; Nudos, quod ſicut beneficia ſide fuco danda ſunt, ita nunquam veniant ingrati ſilentii ſipario involvenda: Iuvenes, ut memoria beneficiorum nunquam ſeneſcat, ut ſit apud pleroſque, invitis gratiis natos, qui poſtquam ad Iovis aram ſuam accenderunt lucernam, eâ potiſſimum ad ejus Templum compilandum abutuntur. Nec immeritò ſic pingebantur Charites olim, ut duæ converſâ adſpectantes eſſent facie, tertia averſam haberet, quo ſignificaretur quod pro accepto beneficio duplex gratia debeatur: Velit Deus Opt. Max. ut quam ab aliis gratitudinem expectamus, ipſi præſtemus pro virili, & omnia noſtra ſtudia & opera ad Nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ſuæ ædificationem conſtanter referamus;* AMEN.

EPIGRAMMA
AD LECTOREM.

QUi cupis aſſiduo cognoſcere Sacra labore,
At facilem methodum diligis atque breven;
Divinum hoc magni volvas Syſtema MARESI,
Inſtar cunctorum quod tibi ſemper erit:
Exhibet ille SUIS MARE *Nectaris, atque ſalubrem,*
Porrigit Ambroſiam, vivificaſque dapes.
Si ſapis hinc hauſtus avido trahe gutture; Quiſquis
Ebrius hinc fies, ebrius eſſe nequis.

ANTONIUS PERIZONIUS.
S. T. D. & in Schola Illuſt. Hammonenſi ejuſdem
Fac. Doctor, ac Philoſ. Profeſſor Ordinarius.

ODE
Scripta in hoc Syſtema Theologicum & ad Authorem miſſa.

JAm tota, tanta, quanta,
Cohors Scholaſticorum
Vale. Valete longùm,
Valete Summuliſtæ,

Vos Formulariique
Sententiariique
Omnes valete ad unum.
Valete quotquot illos
Torsistis, elevastis,
Vastâque reddidistis
Sibi impares, hiantes,
Sibique discrepantes
Interpretatione,
Farragine intricatâ.
Valete quotquot hujus
Estis rei nefandæ
Prævaricationis.
Subtile si quid unquam,
Unquam-ve quid subactum
Sub eruditionis,
Fidei vel involucro,
Vestris latet papyris,
Scriptis vel exoletis
Reconditum, perrennet
Quod erigente famâ
Caput suum per astra:
Totum profectò sacris
His paginis id ipsum
Refulget exaratum.
Quicquid Patrum, Sophorum,
Ecclesiasticorum,
Quicquid Schola Orthodoxa
Habet vel hinc vel inde,
Quod gloriæ sacratum,
Quod seculis dicatum
Famæque sempiternæ:
Totum profectò sacris
His paginis id ipsum
Refulget exaratum.
Huic maximo Virorum
Qui detrahit, profanat
Sacrum, omne fas piumque,
Bellum suoque apertum
Indicit is Jehovæ.

A. P. T. D. S. S. T. S.

In Systematis novissimam Editionem.

Relligio obscuris quondam detenta catastis
Libera nunc radios spargit ubique suos;
Et, quoniam innumeras erat in divisa papyros,
Cultior hoc uno conspicienda venit:
Scilicet immensos sapiens solertia fines
Contrahit, & clarâ vult brevitate Legi,
Scribite scriptores alii! se hic tota; stupendum est!
Condit in exiguo Theologia Libro.

Ab eodem.

Lector in hoc parvo cernis mirac'la Libello,
Mobile perpetuum, Principiumque movens:
Nempe fatigatum toties dum currere prælum
Cogitur, assiduos excitat ille typos.

HENR: PICARDT.
Amstelrodami CIↃ.LX.LIX.
XII. Kal. Jun.

COLLE:

COLLEGII THEOLOGICI LOCUS PRIMUS;

De

THEOLOGIÆ NATURA

& Principio, nempe Scriptura.

THeologię (*a*) nomen quod Ethnicis fuit familiare, cùm Philosophos & Poëtas *Theologos* appellarint, ἀυτολεξεὶ non extat in Scriptura, nisi quod Johannes, sed speciali de causâ, (nempe quod in Divinitate (*b*) τȣ̃ λόγȣ asserenda, sit quasi Aquila in nubibus;) in Apocalypseôs inscriptione *Theologus* dicitur; quo etiam elogio, nec absimili de causa, insignitur apud Veteres Gregorius Nazianzenus, quem Præceptoribus suis Hieronymus annumerat. Extant tamen in Scriptura & λόγος τȣ̃ θεȣ̃, non solum ἐνδιαθετῶς, quo sensu Christus dicitur λόγος Joh. I, 1. & ὁ λόγος τȣ̃ θεȣ̃ Apoc. XIX, 13. sed etiam προφορικῶς ut cùm dicitur Hebr. IV, 11. *vivus* ὁ λόγος τȣ̃ θεȣ̃ *& efficax*; & θεȣ̃ λόγια vocantur quæ fuerunt *commissa* Judæis Rom. III. 2. Unde *qui loquitur* in Ecclesia loqui debet ὡς λόγια θεȣ̃ 1 Petr. IV, 11. & familiaria Religionis Christianæ capita dicuntur Paulo Hebr. V, 12. *elementa initii* τῶν λογίων τȣ̃ θεȣ̃, *eloquiorum Dei*. Sonat autem suo significatu *sermonem Dei*, vel *de Deo*; quæ duo debent conjungi; quia de Deo nisi ex Dei sermone sermocinari non licet.

II. Nonnisi Catachresticè id nomen tribuitur (*c*) Ethnicorum Doctrinæ de Diis, apud quos olim triplex Theologia fuit, Fabulosa Poëtarum, quæ in Theatris; Politica Sacerdotum, quæ in Templis; Mystica vel Physica Philosophorum, quæ in Scholis obtinebat; Imò quælibet doctrina de Deo & Dei cultu erronea & in fundamentalibus cū Dei verbo pugnans, nonnisi æquivocè Theologia dici debet; qualis Mahumetanorum, Judæorum, Pontificiorum, Socinianorum & similium Hæreticorum.

III. Vera Theologia solet distingui in (*a*) *Archetypam*, quæ est ipsiusmet Dei de seipso cognitio, & *Ectypam*, illius scilicet ἀποσκιμάτιον & effigiem, quæ est Creaturarum de Deo & rebus divinis notitia: Hæc iterum vel est *Unionis* in Christo *uncto oleo justitiæ præ consortibus suis* Psal. XLV, 8. & cui Deus *non dat Spiritum ad mensuram* Joh. III, 34. vel *Visionis* in Angelis & Beatis, qui non amplius *per fidem* ambulant, sed *per aspectum* 2 Cor. V, 7. & *cernunt coram*, non uti nos *nunc, per speculum & per ænigma* 1. Cor. XIII, 12. vel *Stadii* & Studii in Viatoribus. Prout autem unum & verum convertuntur, sic vera Theologia est *una*, si res ipsa spectetur, multiplex si modus rei diversis subjectis inhærentis.

IV. Viatorum (*b*) dari Theologiam aliquam, & populorum consensus, & salutis obtinendæ necessitas, & Dei bonitas sui communicativa, satis evincunt; Ea autem vel *Naturalis* est, vel *Revelata*: Illa versatur circa τὸ γνωστὸν *Dei*, uti dicitur Rom. I, 19. tum ex insitis cuique notionibus communibus, ex quibus vel ipsæ *Gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciunt*, ac *sibi ipsis sunt lex* & *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* Rom. II, 14. 15. tum ex discursu per Creaturas, quomodo Deus debet *quæri* & vel *palpando inveniri*, cùm *non longè absit ab unoquoque nostrum; in ipso enim & vivimus & movemur & sumus* Act. XVII, 27. 28. Hanc ut meritò propugnamus contra Socinianos illam quandoque negantes, & debemus excolere contra Atheos & profanos grassantes, ita negamus contra Pelagianos Veteres & Novos, sufficere ad salutem;

a THEOLOGIÆ
b Nomen;
c *Distributio* in Falsam, &c.

a Veram, *quæ varia pro subjecto recipiente.*
b Viatorum *est vel* Naturalis.

aut dari Religionem aliquam communem & *naturalem*, uti dicitur Campanellæ, à qua ſententia
F.P. Sociniani & Remonſtrantes non omninò viden-
R.S. tur abhorrere, per quam omnes promiſcuè ſervari poſſint; cùm ſalus non aliundè poſſit haberi quam ex Dei verbo per Chriſtum.

V. Hæc verò, (*a*) Revelata ſcilicet, eſt à Gratia, & nititur revelatione Divinâ; Naturalem non excludit, ſed includit, ut numerus major minorem; & definiri poteſt *Doctrina veræ Religionis à Deo nobis patefacta, ad ipſius gloriam & ſalutem noſtram*: Author ergo illius eſt Deus revelans, *nobiſque eam retegens per Spiritum ſuum* 1 Cor. 11, 10. Eſt enim *Pater luminum* à quo *supernè deſcendit omnis bona donatio* Jac. 1, 17. & maximè ſalvifica hæc *ſapientia* quæ ἄνωθεν eſt Jacob. III, 15. 17. Finis ultimus ipſius gloria, prout *ex ipſo, per eum & propter eum ſunt omnia* Rom. XI, 36. Subordinatus Salus noſtra; nam poteſt nos σοφίσαι *ad ſalutem* & ipſum *Dei hominem perfectum reddere & ad omne opus bonum perfectè inſtructum* 2 Tim. III, 15. 17. (*b*) Objectum vera Religio ex Dei revelatione cognoſcenda & ſectanda.

VI. Ad (*c*) hanc, ſive *à relegendo*, ſive à *religando* dicta ſit, datur propenſio quædam naturalis in homine, uti experientiâ conſtat; nec aliàs proceſſiſſet Politicorum aſtus in falſis Religionibus adinveniendis vel excolendis, quibus populos continerent in officio; quod notandum contra Machiavellum ejusque aſſeclas, in illum aſtum rejicientes Religionum originem. Illa tamen propenſio nativa ſibi relicta in homine corrupto, nihil præter monſtra ſuperſtitionum proferre poteſt; ſed per lumen ſupernaturale & revelationem Divinam perficitur; ita ut vera Religio medium tenens inter impietatem ſive ἀσέβειαν & δεισιδαιμονίαν ſive ſuperſtitionem, ſit propriè θεοπρέπης.

VII. Eſt autem illa *Recta Deum cognoſcendi & colendi ratio, ſub ſpe certa divinæ remunerationis in verbo Dei patefacta*. Ejus (*d*) notæ ſunt quatuor; I. Si nos & cultus noſtros ad verum Deum dirigat, eique ſoli directè & immediatè illos deferat: nam actus *eliciti* Religionis ſoli Deo debentur, etſi actus illius *imperati* proximum quoque ſpectent. II. Si cultum doceat à Deo revelatum, & nunquam abrogatum. III. Si rationem monſtret convenientem quâ Dei juſtitiæ ſatisfiat, & homini obtingat ſalus æterna. IV. Si omnem boni laudem Deo, omnis verò mali culpam Creaturæ tribuat. Ex quibus patet ſolam Religionem Chriſtianam, ad amuſſim Verbi Divini exactam ac repurgatam, veram eſſe, & aliis omnibus renunciandum homini veræ Religionis & ſalutis ſuæ ſtudioſo.

a Vel Revelata.
b Ejus objectum.
c RELIGIO.
d Religionis *veræ* Notæ.

VIII. Poteſt autem (*a*) vera Theologia conſiderari, vel *Syſtematicè*, per modum Diſciplinæ alicujus in ſua præcepta certâ quadam methodo diſpoſitæ, vel *Habitualiter*, per modum habitus alicujus eximii in intellectu reſidentis. Priori ſenſu diſtribuitur à nonnullis in Didacticam & Polemicam, ab aliis aliter; Vulgò in *Poſitivam* & (*b*) *Scholaſticam*; inter quas id ſtatuunt diſcriminis, quòd illa magis Oratoriam, hæc adſtrictam magis & Logicam methodum conſectetur. Huic poſteriori nomen fecêre nominatim *Scholaſtici* dicuntur, (quorum ſæculum incipit à Lombardo Sententiario, Petri Abælardi diſcipulo & compilatore) qui ſub ſpecie methodi accuratioris, Theologiam in Matæologiam mutarunt, Ariſtotelem & Averroëm Paulo æquarunt, omnia pietatis myſteria ſentibus & ſpinis ſeverunt, & acumen omne quo pollebant, erroribus graſſantibus & publicè obtinentibus incruſtandis & propagandis conſecrarunt.

IX. Cùm multa tamen non incommodè dixerint & ſatis dextrè ac terminis maximè appoſitis explicarint, Adverſariorum importunitas & Hæreticorum vafrities, ſæpè nos cogunt eorum terminos & locutiones uſurpare, in tradenda Orthodoxa Theologia, ſive *didacticè* ſive *polemicè*: Et quamvis eorum doctrina non multum inſerviat quæſtionibus illis quæ conſtant terminis merè Theologicis, tamen ab erroribus, vanitatibus & λογομαχίαις, quibus ſcatet, repurgata, ſuum habet uſum in illis quæſtionibus quæ terminis conſtant partim Theologicis partim Philoſophicis. Qui autem nobis cudunt Theologiam *Caſuiſticam*, *Aſceticam*, *Patriſticam*, a Didactica & Polemica diſtinctas, entia multiplicant abſque neceſſitate; cùm ad Didacticam pertineat enodare Caſus conſcientiæ ac de exercitiis pietatis diſſerere; ad Polemicam verò, Patrum opiniones & ſententias de controverſis capitibus referre.

X. Po-

a Theologia *conſideratur vel* Syſtematicè.
b Ubi de Scholaſtica.

X. Posteriori sensu, (*a*) Habitus est intellectualis dignitate superans omnes Disciplinas Philosophicas, ut frustrà se fatigent qui eum ad aliquem ex quinque Aristotelicis coarctare satagunt: Nam luminis quo utitur dignitate, superat Prudentiam & Intelligentiam; principiorum ex quibus pendet nobilitate, Sapientiam; operationum utilitate, Artem; conclusionum certitudine, Scientiam: Illos omnes ambitu suo quodammodò complectitur, nec tamen ad eorum quemquam præcisè restringitur.

XI. Habitus quoque est θεόσδοτ☉, in eo cum acquisitis conveniens, quod *ordinariè* studiosâ diligentiâ comparetur; sed ad infusos accedens, quod principia habeat revelata divinitùs, & lumine fidei, saltem *historicæ*, opus sit illius conclusionibus assensuro: ut lumen naturale intelligentiæ requiritur in aliis disciplinis, quo assensus præbeatur earum conclusionibus.

XII. Mixtus etiam censendus est ex Speculativo & Practico: cùm frustranea foret rerum sublimium quas speculamur notitia, nisi redigeretur in praxim, juxta hoc Pauli monitum, *Imtentus esto tibi ipsi & permane in istis* 1 Tim. IV, 16. Nec ideo Theologia minus *Una*: nam imago Dei in homine una erat, etsi primigeniâ suâ constitutione, mentis sapientiam, voluntatis rectitudinem, sanctitatem affectuum contineret; & fides una, licet assensum & fiduciam complectatur. Una etiam est quoad substantiam sub utroque Fœdere; *nam per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum &* patres nostri Act. XV, 11. Sed modum & gradum longè nobilissimum obtinuit sub Novo Testamento, eò quod *Deus* qui πολυμερῶς & πολυτρόπως *olim loquutus fuerat patribus in Prophetis, ultimis his temporibus loquutus est nobis in Filio* Hebr. I, 1.

XIII. Porrò Theologia vera non solum est noëtica, sed etiam dianoëtica & (*b*) *argumentativa*; Licet enim sua principia præsupponat, non probet, ut nec aliæ scientiæ, tamen & unum articulum infert ex alio, ut fit à Paulo, dum ex Christi resurrectione nostram comprobat 1 Cor. XV, 12. 13. & contra Hæreticorum strophas veritatem tuetur κατασκευαστικῶς, eam adstruendo & propugnando, & ἀνασκευαστικῶς, oppositos ei errores impugnando, solidis argumentis, & negantium sua principia dissolvit argutias.

a Vel Habitualiter.

b Theologia est argumentativa.

XIV. Conclusiones tamen Theologicæ *inevidentes* plerumque censentur, quatenus evidens id dicitur *cui mens non potest dissentiri perspectâ terminorum significatione & eorundem debitâ connexione.* Nam probantur potissimum per authoritatem, argumento *testificativo* & inartificiali, non per demonstrationem argumento artificiali & *scientifico*. Et hoc cum statuant non malè Ponti- P.
ficii, perperam ergo distinguunt inter conclusiones Theologicas & fidei, quarum illas *deductas* vocant, has *expressas*, non alio fine quam ut suorum rixas perpetuas in gravissimis Theologiæ capitibus elevent, & quendam Scepticismum invehant inter Christianos; cujus etiam vitii rei sunt, qui partim stultæ ostentationis causâ, *Paradoxa* & *Quodlibeta* plurima in Theologicis defendenda suscipiunt, partim ea proponentes quæ resolvere nequeunt, ἐποχὴν Academicam in illis suadent.

XV. Ratione itaque carent qui in hac (*a*) disci- P.L.
plina argumentativa, aut parum, aut nihil, ut hodierni Pontificii plerique, & quandoque nonnulli Lutherani, concedunt rationi; Quamvis enim in rebus ad religionem spectantibus lusciosa & corrupta ratio sibi relicta, nihil boni vel præstet, vel possit; siquidem est *quod sapit caro inimicitia adversus Deum, Lege enim Dei non subjicitur nec etiam potest* Rom. VIII, 7. *neque animalis homo capax est eorum quæ sunt spiritus Dei; sunt enim ei stultia, nec potest ea cognoscere quia spiritualiter dijudicantur* 1 Cor. II, 14. quod etiam Ethnicorum exemplo satis patet; nec revelationis Divinæ mysteria debeant exigi ad trutinam ra-
tionis, ut fit à Socinianis & Novatoribus, cùm S.R.
activitatis ejus sphæram longè superent; & in his Scriptura nos ad nostri *abnegationem* invitet Matth: XVI, 24. & rationem Christo docenti *captivandam* esse statuat 2 Cor. X, 5. quippe qui sit *unicus Doctor* noster Matth. XXIII, 8. nec *caro & sanguis* hæc nobis retegant, *sed Pater qui est in Cœlis* Matth. XVI, 17. unde & *fides* dicitur ἔλεγχ☉ οὐ βλεπομένων Hebr. XI, 1. Tamen cùm lumen lumini non sit contrarium, nec verum vero, sintque fidei Mysteria supra rationem, non contra veram rationem, non debet simpliciter recta ratio à Theologicis exulare, aut cum illa ψευδωνύμῳ Philosophia confundi de qua Paulus ita loquitur Col. II, 8. *Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem seductionem, se-*

a Rationis *usus in Theologia.*

cundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

XVI. Quare cum Revelatio rationem, naturam Gratia, supponat, Rationis usus quadruplex est in Theologia concedendus; Arguendi, Inferendi, Conferendi & Illustrandi. Tres posteriores sunt ministeriales & organici, prior principalis suo modo & primarius. Ratio Mysteria Theologica *(a) illustrat*, eò comportatis omnibus iis quæ ex libro naturæ, humanioribus literis, monumentis historiarum, disciplinisque philologicis & philosophicis, possunt haberi. Ejus etiam est *(b) conferre* Scripturæ loca & Religionis capita inter se, Versiones cum Originalibus, Novum Testamentum cum Veteri, dogmata hodierna cum veteribus, doctrinas quaslibet cum Dei Verbo; In qua potissimum collatione consistit illud *Iudicium*
P. *discretionis*, quod ringentibus licet Pontificiis, unicuique fidelium de rebus sacris vindicamus, juxta hoc Pauli, *Omnia probate, quod bonum est retinete* 1 Thess. v, 21. & istud Johannis, *Ne cuivis Spiritui credite, sed probate Spiritus an ex Deo sint* 1 Joh. iv, 1.

XVII. Sed & cum ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligamus, Rationis ministerio opus est ad consequentias nectendas & *(c) inferendas* ex Scripturis; sive veritas sit astruenda, sive error sit debellandus. Tales consequentias syllogisticè collectas ministerio rectæ rationis ex Dei Verbo, qui cum hodiernis agyr-
P. tis Pontificiorum nolunt admittere, hominem exuunt, reluctantur exemplis Christi, Apostolorum & Patrum omnis ævi, nullum Scripturæ usum relinquunt vel Theoreticum vel Practicum, & veterum Hæreticorum, Arrianorum nominatim & Manichæorum, egregiè premunt vestigia.

XVIII. Cùm autem organicè tantum & instrumentaliter concurrat ratio ad tales consecutiones ex Scriptura eliciendas & cognoscendas, sicut oculus & manus concurrunt in rebus ponderandis & mensurandis, sive exigendis ad amussim publicam, illarum consequentiarum certitudo, non in humanam rationem, sed in revelationem Divinam refunditur. Quare tales consequentias pro natura principiorum ex quibus educuntur esse de *fide*, cum sanioribus
rs Pontificiis, contra hodiernos Veronistas & Socinianos, meritò statuendum.

XIX. Ad triplicem hunc usum organicum rationis in Theologia, (*a*) quartus *principalier* est adjiciendus quem obtinet non per modum organi quo, sed per modum medii ex quo Theologus *arguit*, sive nectit argumenta quæ Ratio ex proprio quasi censu promit, ut propugnet Orthodoxiam, vel Heterodoxiam impugnet; prout summæ veritati omnes aliæ debent ancillari. Si in eos disputetur qui Revelationem non agnoscunt, ex ratione erunt convincendi, & quamvis fidei mysteria, utpotè inevidentia & captum rationis superantia, per rationem non possint demonstrari, tamen ostendi per eam potest eorum *credibilitas*; hoc est, revelationem in illis nihil impossibile, vel irrationabile, aut lumini naturali contrarium, statuere: Similiter possunt solidis rationibus refutari quæ argutiæ in contrarium ex ratione cœcutiente proferuntur.

XX. Imò in iis in quibus jam agnoscitur vel admittitur revelatio, ut primaria argumenta desumuntur ex Scripturis, sive veritas sit adstruenda, sive oppositum mendacium sit diruendum, ita *secundaria*, ad instar copiarum auxiliarium, ex ratione petuntur; tum ut *quoad nos* fortiùs revelata adstringantur, tum ut quæ pro revelatis falsò obtruduntur, non solum ex Scriptura, sed etiam ex ratione & natura rejiciantur, & adversarius ad absurdum vel impossibile deducatur; axiomate hoc, quod cùm verum vero non contradicat, id non sit in fide admittendum, quod cum insito rationis dictamine nullo modo conciliari potest. Quo sensu potest defendi contra quosdam Lutheranos, *occasionaliter* principia rationis & Philosophiæ inservire accendendo Spiritui sancto, nec fieri in talibus argumentis aut mixturam aliquam Philosophiæ cum Theologia, aut μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. 1.

XXI. Ex his quoque sequitur conclusionem eam esse de fide, saltem *materialiter* & ex hypothesi, quæ ex duabus præmissis elicitur, quarum una sit Theologo ex *propriis*, altera *ex scitis*, vel quod idem est, altera luminis naturalis, altera revelati; qualis Christi contra Sadducæos Matth. xxii, 31. 32. ubi resurrectionem mortuorum probaturus, duas distinctas adhibebat propositiones; revelationis unam, quod Deus dixerit *Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi*; alteram rationis, *Deus non est Deus mortuorum sed viventium:* Nam per debitam in ejusmodi argumento consecutionem, præmissa ea quæ est de fide, vim suam conclusioni

a Isque Illustrativus,
b Collativus,
c Illativus,

a Probativus.

sioni communicat; estque illic legitimus situs termini medii, non fidei quidem *Principium*, sed *Motivum* tamen ad fidem.

XXII. Quin & tum conclusio, juxta plerosque, sequitur debiliorem partem, quia videlicet est inevidens: Philosophicè enim loquendo, debilior censetur propositio quæ solâ nititur authoritate, eâ quæ nititur ratione, quod à *scientifica* demonstratione sit remotior: Sed nec illud axioma vulgare Logicum, ultra qualitatem & quantitatem præmissarum debet necessariò extendi.

XXIII. Hinc liquet quid de Theologiæ principiis, quæ hîc *complexa* & cognoscendi quæruntur, non *simplicia* & essendi, sit statuendum. Nam (*a*) Theologiæ naturalis, quà talis, principium esse solum lumen naturale & rationis, nemo ibit inficias; Sed quoad Theologiam (*b*) Christianam sive revelatam, cùm omnis illius conclusio sit de fide, debet quoque ultimò resolvi in unicum fidei principium & firmamentum, quod est Dei Verbum; nam *fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. x, 17. Et si quas propositiones illis conclusionibus vel eliciendis, vel comprobandis, adhibet ex ratione & lumine naturali, habent illa potius rationem *Medii* per quod quæstio probatur, quam *immediati Principii* in quod fides resolvitur.

XXIV. Nec temerè principia Theologiæ cum ejus argumentis debent confundi: Etenim (*c*) argumenta Theologica habent varias sedes: quarum aliæ ea *necessaria* suppeditant, ut Authoritas Verbi Divini, & lux evidens rectæ rationis, ubi maximè ea jam præsupponitur: nam v. g. cùm Scriptura doceat Christi corpus esse nostris simile, quale illud sit, ex luce rationis quâ nostra cognoscimus, judicandum est; aliæ tantum *probabilia*; ut dicta Patrum, Decreta veterum Conciliorum, assertiones Doctiorum, testimonia Historiarum aut Philosophorum, consensus Adversariorum: Sic malumus distribuere, quam cum Pontificiis Traditiones ἀγράφους, Conci-
P. liorum Canones, Pontificum rescripta, ad priorem sedem vitiosè referre. Formulas verò publicas, ceu vincula unionis Ecclesiasticæ, *normas secundarias* in Theologia dici posse, licet inadæquatas & tantum *subordinatè* ad Scriptu-
R. ram, meritò contra Novatores eas nullius facientes, pertendimus.

XXV. Sed quoad Theologiæ Salutaris, sive quod idem est, Fidei principia, ista extra Dei dicta, sive Θεοῦ λόγια divinitùs revelata, quæri non debent; nec aliter Deus ad salutem potest cognosci quam ex divina revelatione; unde illud Davidis, *Attolle super nos lucem faciei tuæ, Iehova* Psal. IV, 7. & istud, *Penes te est fons vitæ, in luce tua fruemur luce* Psal. XXXVI, 10. Neque debuissent Impostores fingere colloquia cum Numinibus & Angelis, nisi omnibus id esset persuasum, rectam colendi Dei rationem ab illius revelatione esse expetendam.

XXVI. Ut necessitatem illius revelationis ostendit ingenii humani imbecillitas & cœcitas, cœlestia enim & salutaria *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mente hominis venerunt* 1 Cor. II, 9. jureque Apostolus Ephesiis apprecatur *Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius* Eph. I, 17. sic eam præsupponit summa clementia Dei, qui cùm hominem condiderit ad se & conditionem hac terrenâ fœliciorem, illi proculdubio verbo suo viam aperuit eò perveniendi. Hoc verò Dei verbum, quod (*a*) ἀγράφως hominibus ante Mosem variè communicabatur, cuique tunc conservando inserviebat Longævitas Patriarcharum, Fœderatorum paucitas, Frequentia Revelationum, nunc habemus in Scripturis Sacris plenissimè consignatum.

XXVII. Est autem (*b*) Scriptura Sacra *Verbum Dei per Prophetas, Euangelistas & Apostolos, Viros à Dei Spiritu immediatè actos, in literas fideliter relatum, ut de Deo, ejusque operibus, voluntate & cultu, erudiamur ad salutem:* Cui definitioni intelligendæ ista maximè faciunt; *Ne facito quisquis quod sibi rectum videtur*, sed *unamquamque rem quam vobis præcepero, eam facite* Deut. XII, 8. 32. *Ad Legem & testimonium* Esa. VIII, 20. *Habent Mosem & Prophetas, audiant eos* Luc. XVI, 29. *Quæ ante scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus* Rom. XV, 4. *Hæc scripta sunt ut credatis*, & *ut credentes vitam habeatis* Johan. XX, 31. *Tota Scriptura divinitùs est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus* 2 Tim. III, 16. 17.

XXVIII. Voluit verò Deus quam primum po-

a Theologię Naturalis PRINCIPIUM Ratio;
b Christianæ Revelatio.
c *Argumenta Theologica.*

a Verbum Dei olim ἄγραφον, nunc ἔγγραφον,
b SCRIPTURA SACRA. *Ejus*,

populus suus potuit justam Remp. constituere, leges scriptas ei tradere, (*a*) ad præcavendas fraudes Satanæ, & humanas in cultu suo corruptelas, & quo esset constans & omnibus semper obvius canon veræ religionis. Quare Pontificii adversantur Dei consilio sapientissimo, dum minùs necessariam Scripturam arbitrantur. Hæc porrò *necessitas* nunc est *absoluta* Ecclesiæ respectu, quamvis ex *hypothesi* voluntatis divinæ enata.

P.

F. XXIX. Itaque est Scriptura (*b*) verbum Dei προφορικὸν, quicquid nugetur Swenkfeldius, ita à Scriptoribus Sacris instinctu Spiritus Sancti consignatum, ut in scribendo nec errarint de facto, nec etiam errare potuerint; quod meritò contra Socinianos, Remonstrantes ac Weigelianos defendimus, ex variis Scripturæ ipsius locis; Sic enim Lucas profitetur se quæ scripsit *penitùs assequutum* fuisse, ut agnoscatur *earum rerum veritas* quæ docentur in Ecclesia Luc. I, 3. 4. Nec dubium quin Spiritus Sanctus suos amanuenses deduxerit *in omnem veritatem*, juxta promissionem Christi Joh. XVI, 13. Unde & *ipse Spiritus Sanctus* per Prophetas *loquutus* dicitur Act. XXVIII, 25. & *tota Scriptura* θεόπνευστος asseritur 2 Tim. III, 16. *Nec enim libitu hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Sancti Dei homines* 2. Pet. I, 21. Quod si quæ ἄπορα habeant Scripturæ, illa statim erratis non debent annumerari: Quin etiamsi quædam mendæ in sacrum textum irrepsisse viderentur, illæ Temporum injuriæ, vel Depositariorum incuriæ, potius quam Scriptorum Sacrorum culpæ, deberent adscribi.

S.R. W.

P. XXX. Falluntur etiam (*c*) Pontificii qui ut elevent authoritatem Scripturæ, ejus libros *occasionaliter* tantum scriptos fuisse, non ex speciali Dei mandato, nugantur: nam præterea quod etiam malorum morum occasione bonæ leges ferri solent, & mandatum *docendi omnes gentes* quod Apostoli Matth. XXVIII, 19. acceperunt, complectebatur etiam scribendi mandatum, saltem indefinitum & commune; (cùm posteros & absentes nonnisi per scriptionem docere potuerint;) & inspiratio immediata Spiritus Sancti à quo agebantur 2 Pet. I, 21. fuit Scriptoribus sacris pro mandato; & multi ex illis etiam mandatum expressum scribendi habuerunt; ut Moses; *Inscribe hoc monumentum libro* Exod. XVIII, 14. & Esaias; *Sume tibi volumen magnum & scribe in eo stylo humano* Esai. VIII, 1. & Jeremias; *Scribe tibi omnia verba quibus alloquor te in libro* Jer. XXX, 2. & Habacuk; *Scribe visionem & quidem proprie in ipsis tabulis ut percurrat lecturus eam* Hab. II, 2. & Joannes; *Quod cernis scribe in libro & mitte septem Ecclesiis* Apoc. I, 11.

XXXI. Scripturæ verò divinitatem contra Profanos & Atheistas, astruunt (*a*) 1. Veritas & Varietas vaticiniorum quæ in illa extant. 2. Partium ex quibus constant mirus consensus. 3. Rerum quæ in illa tractantur sublimitas; quarum notitia nullâ rationis sagacitate potuit obtineri. 4. Martyria passa & Miracula facta, tum ab ipsis Scriptoribus sacris, tum ab aliis, vel in aliis, in Scripturæ confirmationem, conservationem & protectionem. 5. Antiquitas. 6. Consensus populorum & sæculorum. 7. Mira orbis per Scripturæ doctrinam conversio. 8. Adversariorum testimonia, ut Ethnicorum de Mose, Josephi & Thalmudistarum de Christo, Mahumetis de utroque Testamento. 9. Styli simplicitas & majestas. 10. Scriptorum Sacrorum probitas ac ingenuitas in suis ac suorum nævis retegendis. 11. Præceptorum quæ illic traduntur sanctitas. 12. Vis & efficacia in hominum animis commovendis.

S.P.

XXXII. Denique libros Sacros ab iis fuisse conscriptos quorum nomina præ se ferunt, & res gestas fuisse uti narrantur, vel inde certò colligitur, quod qui ab ipsis authoribus hos libros acceperunt, & eos tanquam Divinos posteritati commendarunt, rerum inibi narratarum, vel saltem miraculorum quibus authores fidem sibi plenam faciebant, testes αὐτόπται fuerint.

XXXIII. Sed quamvis hæc & similia argumenta sive *motiva*, impiis redarguendis & convincendis apprimè inserviant, tamen ut quis (*b*) certitudine fidei persuadeatur Scripturam esse à Deo, eamque *excipiat non ut sermonem hominum, sed sicut est verè ut Dei sermonem qui etiam* (inquit Apostolus) *agit in vobis qui creditis* 1 Thess. II, 13. opus habet testimonio interno Spiritus Sancti per illam ipsam Scripturam efficacis, in quod fides sua ultimò resolvatur, tanquam

a Necessitas.
b Infallibilitas.
c Origo.

a Authoritas Divina.
b *Cujus persuademur per Spiritum Sanctum.*

quam in sui causam efficientem principalem; licet aliàs resolvi debeat ultimò in ipsam Scripturæ divinitatem, tanquam in objectum suum formale & primum credibile, sive *doctrinale principium*, ut dicitur Stapletono, à quo cœtera pendent. Hinc petit David, *Retege oculos meos ut intuear mirabilia ex lege tua* Psal. CXIX, 18. Hinc ex Dei Fœdere, *Spiritus* suus & *Verba* sua conjunguntur indissolubiliter Esa. LIX, 21. Hinc Christus Spiritu suo *aperuit* discipulorum suorum *mentem ut intelligerent Scripturas* Luc. XXIV, 45. & eadem clavi *adaperuit cor* Lidiæ, *ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo* Act. XVI, 14. Hoc potissimum sensu intelligendum illud, *Erunt omnes edocti à Deo*; *Quisquis ergo audivit à Patre*, inquit Christus, *& didicit venit ad me* Joh. IV, 45. Et *Deus qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, splenduit in cordibus nostris*, inquit Paulus, *ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Iesu Christi* 2 Cor. IV. 6. Hac autem persuasione nihil certius; cùm lumen fidei ita se menti insinuet, ut per illud fidelis non solum credat, sed etiam se benè & verè credere certò sentiat.

S.P. XXXIV. Dum ergo Sociniani & Pontificii illam Spiritus Sancti persuasionem internam respuunt, illi ut rationis humanæ integritatem, hi ut Ecclesiæ authoritatem tueantur, & nobis nescio quem Spiritum privatum falsò affingunt, nec capiunt fidelium privilegium, quod Paulus sic explicat, *Non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus* 1 Cor. II, 12. nec assequuntur fidei naturam, quæ nonnisi à Spiritu Sancto est: *quod* enim *idonei sumus id ex Deo est* 2 Cor. III, 5. exerteque fides *per Spiritum eundem* dari dicitur 1 Cor. XII, 9. ac ipse *Spiritus fidei* appellatur 2 Cor. IV, 13.

XXXV. Non equidem negamus, authoritatem & (a) traditionem Ecclesiæ inter *motiva* ad fidem posse annumerari; sed eò concurrit tantum ministerialiter, instrumentaliter & humanè, ut Samaritana ad suos concives Christo initiandos Joh. IV, 39, 42. non principaliter, αὐθοπιστῶς & divinè; sanioribus à Pontificiis negantibus Ecclesiam esse fidei *objectum formale*, aut in illam fidem nostram ultimò resolvi. Imo in hac quæstione nesciunt quid nomine Ecclesiæ debeant intelligere, veterem ne, an præsentem; aut qualis sit Ecclesiæ actus ad Scripturæ authoritatem *quoad nos* constabiliendam, *signatus*-ne per aliquam sententiam judiciariam, an *exercitus* tantum per jugem ac successivam traditionem.

XXXVI. Quinimò cùm nihil habeant de Ecclesia ejusque privilegiis nisi ex Scripturis, debent necessariò committere *Circulum* quem nobis falsò exprobant, dum ex Scripturis Ecclesiam, & ex Ecclesia Scripturas conantur ostendere; Nos enim Scripturas admittimus *propter* authoritatem Dei in illis loquentis, illas vero à Deo esse *per* fidei Spiritum firmissimè credimus; Illi verò & profitentur se credere Scripturæ *propter* Ecclesiam, & viceversâ asserunt se *propter* Scripturam fidem suam, etiam hac in parte, subjicere Ecclesiæ. P.

XXXVII. Libri Sacri V. & N. T. *Canonici* dicuntur, tum quod sint *Canon* & norma credendorum; *Et quicunque secundum hanc regulam incedent*, τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, *pax esto super eos & misericordia & super Israelem Dei* Gal. VI, 16. tum quod contineatur intra catalogum de illis divinitùs consignatum Ecclesiæque concreditum, ab ultimo Prophetarum pro Veteri, Apostolorum pro Novo; (a) Continet autem pro V. T. 22. juxta Hebræos, ipsis distributos in *Thorah* Legem, *Neviim* Prophetas, (quorum alii *Roschanim* Priores, alii, *Acharonim* Posteriores) & *Cethuvim* Hagiographa, quò & respexit Christus Luc. XXIV, 44. *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, Prophetis & Psalmis*; vel ut alii eos enumerant 39. nempe, Mosis quinque, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium: Josuæ unum; Judicum unum; Ruth unum; Samuelis duos; duos Regum; duos Chronicorum; Esdræ unum; unum Nehemiæ; Estheræ unum; Jobi unum; Psalterium; Salomonis tres, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum Canticorum; Prophetas majores quatuor, Esaiam, Jeremiam, ejusque insuper Lamentationes, Ezechielem, Danielem; minores duodecim, Oseam, Joëlem, Amosum, Abdiam, Jonam, Michæam, Nahumum, Habacukum, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam. Pro Novo, historicos quinque, nempe Euangelia quatuor Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, & Lucæ Acta Apostolorum; Propheticum unum, Apocalypsim Johannis; Paulinas epistolas 14. unam ad Romanos, duas ad Corinthios, unam ad Ga-

a licet etiam Ministerio Ecclesiæ.

a Libri Canonici, *qui.*

Galatas, unam ad Ephesios, unam ad Philippenses, unam ad Colossenses, ad Thessalonicenses duas, duas ad Timotheum, unam ad Titum, unam ad Philemonem, unam ad Hebræos; etsi cum quibusdam ex Latinis veteribus, quibus se
S. Græci omnes constanter opponunt, Sociniani hanc Paulinam esse negent, & alii eam voluerint aliquando lancinare; & septem aliorum, quæ *Catholicæ* vulgò dicuntur, quarum una est Jacobi, duæ sunt Petri, tres Johannis, & ultima Judæ.

XXXVIII. Hic Canon debet esse immutabilis Ecclesiæ, cui neutiquam licet vel de illo demere, vel ad illum addere, etsi Stapletonus falsò Ecclesiæ vendicet hanc authoritatem: Et cum
P. saniores è Pontificiis negent alios libros pro Canonicis V. T. admittendos quam quos Apostoli hoc nomine consignarunt Ecclesiæ, hinc patet Canonem Scripturarum post Apostolos crescere non potuisse; & frustrà Tridenti, Apocryphos, scilicet Tobiam, Judith, Maccabæos, Sapientiam, Syracidem, Baruchum, cum additamentis quibusdam ad Estheram & Danielem, Canonicis annumeratos fuisse, quippe qui nec in Canone Judæorum fuerint, nec etiam pro Canonicis ab Apostolis commendati, vel habiti in Ecclesia primitiva, & suo satis se prodant indicio; adeoque hæc ipsa Controversia de istis libris in Canonem non recipiendis, inciditur authoritate Scripturæ, tum *in actu signato*, rationibus ex illa desumptis, & nominatim ex loco Rom. III, 2. (ubi dicuntur speciali privilegio Judæis, fuisse *credita eloquia Dei*, cui concinit & illud Davidis, quod Deus *indicarit verba sua Iacobo, statuta sua & jura sua Israeli* Psal. CXLVII, 19. adeo ut nullos debeamus quoad libros V. T. pro Canonicis habere, nisi quos illi in Canone habuerint;) tum *in actu exercito*, per ipsam titulorum in textu originali inscriptionem ac seriem.

XXXIX. Porro libri Canonici sunt omnes in se paris authoritatis, & æquè authentici, *authentiâ* vel *historiæ* & narrativâ, vel *normæ* & dog-
P. maticâ: (quam Pontificii & nonnulli alii dictis amicorum Jobi, *theticè* saltem consideratis, nequeunt jure abrogare;) quamvis non par fuerit olim apud omnes de illis certitudo. Quare ut rejecti meritò Manichæi, Legis & Prophetarum
A. adversarii, sic nec audiendi hodierni Anabaptistæ
S. & Sociniani, quorum illi libros Mosis & Prophetarum adventu Christi fabulantur antiquatos, hi verò authoritatem eorum in rebus religionis Christianæ parvi faciunt; cùm tamen Christus & Apostoli non aliò provocarint, juxta illud *Scrutamini Scripturas* Joh. v, 39. Hinc Christus *exorsus à Mose & omnibus Prophetis* duobus discipulis Emaunticis *interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de se* scripta erant Luc. XXIV, 27. & Paulus Act. XXVI, 22. protestabatur se *nihil* dixisse *extra ea quæ Moses & Prophetæ prædixerunt*.

XL. Ex libris (*a*) Canonicis nulli perierunt, contra quam asserunt vulgò Pontificii & Sociniani; P. S.
id enim tum à Dei Providentia, tum ab Ecclesiæ vigilantia, est longè alienum: Nec Canonici esse potuerunt illi qui in Scriptura commemorati nunc desiderantur; Qui cecidit stabili non erat ille gradu: Quanquam & aliquos ex iis desiderari suspicantur perperam, cùm etiamnum extent in Canone. Hoc eodem argumento eorum fontes Græcos Novi Testamenti, Hebræos Veteris, integros & incorruptos remansisse contra eosdem Pontificios asserimus. In (*b*) Hebræo textu parum P.
refert, an novos characteres induxerit Esdras, plus an puncta sint Massoretharum inventum; quare ut de characteribus ipsis quibus nunc utimur, quantum à Samaritanis distinguuntur, censemus eos ante Esdram in usu fuisse, atque à Mose & Prophetis in Scriptura sacra consignanda adhibitos, sic maximè intutum arbitramur vocalia puncta, non incognita tempore Christi, commemorantis etiam *legis apices* Matth. v, 18. & ex quibus pendet sensus genuinus divini eloquii, humanis Judæorum inventis accensere.

XLI. Hi soli fontes absolutè sunt authentici, tum quoad *res enunciatas*, tum quoad *modum enunciandi*. (*c*) Versiones verò quælibet authenticæ sunt tantum priori modo & materialiter, non secundo & formaliter. Interpretes enim fuêre errori obnoxii, non Prophetæ. Quod dictum volumus tam de Interpretatione Græca Alexandrina, quæ vulgò, non satis tamen solidè, ut Scaliger & alii demonstrarunt, dicitur LXX. Seniorum, quam de vulgata versione Latina, contra Ponti- P.
ficios, qui adhuc inter se de Canonis Tridentini sensu circa illius authentiam, & quousquè debeat extendi, digladiantur; aliis eam originali textui exæquantibus, aliis præferentibus, aliis etiam, qui inde dicti sunt *Hebraizantes* inter adversarios, subjicientibus; quorum longè sanior est sententia. Ideo versiones omnes ad textum He-

a Integritas.
b Textus authenticus.
c *comparatè ad Versiones.*

Hebraicum & Græcum debent exigi: Certitudo verò conformitatis versionum cum fontibus, *Grammatica* & Scientiæ humanæ est doctiorum; *Spiritualis* & fidei Christianæ quorum-libet fidelium, pro mensura doni Dei; juxta illud Christi, *Si quis voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipsò loquar* Joh. VII, 17.

XLII. Tales autem versiones etiam in vulgares quaslibet linguas extare oportet; quo quisque (*a*) *in sua lingua*, ut factum in Pentecoste Act. II, 10. audiat *magnalia Dei*, & ab omnibus fidelibus diligenter lectitari, contra quam obtinet tyrannide Pontificia, Clero ejus quantum potest candelam sub modio reponente, & arcente populum à pabulo Scripturæ, ac omnia sua Sacra linguâ plebi barbarâ peragente; planè contra mentem Apostoli, qui malit *in Ecclesia quinque verba cum intelligentia, ut & alii* instituantnr, *quam decem millia verborum linguâ ignotâ* 1 Cor. XIV, 19. & infinita Scripturæ loca; Beatus enim ille *cujus oblectatio est in lege Iehovæ & qui de lege ejus meditatur interdiu ac noctu* Psal. 1, 2. & *Scrutamini Scripturas*, inquit Christus Joh. V, 39. Item, *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose* Col. III, 16. *& Erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, eaque ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis quùm sedes domi tuæ & quùm ambulas per viam, quùm cubas & quùm surgis: Etiam allegabis ea in signum manui tuæ & erunt pro frontalibus inter oculos tuos; Denique inscribes ea postibus domus tuæ & portis tuis* Deut. VI, 6. 7. 8. 9. Quin Regi mandabatur Deut. XVII, 18. 19. *describere* sibi *exemplum legis in libro*, & *legere in eo omnibus diebus vitæ suæ*. Imò Candacis Eunuchus *sedens in curru suo legebat Esaiam Prophetam* Act. VIII, 28. & ibid. XVII, 11. laudantur Beroenses Judæi, ceu *generosiores* aliis, *ut qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas an hæc ita se haberent*, & à Petro fideles sui ævi, quod *firmissimo sermone Prophetico* attenderent 2 Petr. 1, 19. Denique *Beatus qui legit & beati qui audiunt verba prophetiæ hujus*, inquit Johannes Apoc. 1, 3. Neque tamen lectionis privatæ prætextu, piis licebit publicos cœtus, divinitùs
F. institutos ad verbi divini præconium, negligere, ut vellent nonnulli contemptores sacri Ministerii; dixerit licet Paulus *non esse deserendam aggregationem nostri mutuam, sicut mos est quibusdam* Hebr. X, 25. quia subordinata non pugnant.

XLIII. Et quamvis negari non possit sensum Scripturarum esse quandoquè (*b*) impervium & multa in illis esse obscura & difficilia; homini præsertim animali & ad cœlestia cœcutienti; unde Æthiops ille profitebatur se non satis assequi quæ legeret Act. VIII, 30. 31. & quædam δυσνόητα esse in epistolis Pauli *quæ indocti parumque stabiles detorquent ut & reliquas Scripturas suo ipsorum exitio*, asserit Petrus 2 Petr. III, 16. Quam difficultatem faciunt vel augent 1. Humana imbecillitas, quæ omnia assequi non potest; *Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus* 1 Corinth. XIII, 9. 2. Præjudicatæ opiniones plerorumque qui Scripturis affingunt, ut pueri nolis sonantibus, quod putant & volunt; quorum sanè *occalluerent mentes*, ita ut cùm *legitur Moses*, totaque Scriptura, *velamen cordi eorum impositum sit* 2 Cor. III, 14. 15. 3. Pertinacia hostium veritatis, qui sæpè tenebras Soli offundunt & nodum quærunt in scirpo; Attamen in cassum Pontificii multa deblaterant de obscuri- P.
tate perpetua Sacræ Scripturæ, ut hoc prætextu declinent ejus tribunal & populum ab illius lectione deterreant.

XLIV. Nam *in se* Scriptura est dilucida, ut potè à Patre luminum profecta, qui dici nequit vel noluisse vel non potuisse clariùs loqui; unde dicitur *lucerna pedibus* nostris & *lux itineri* nostro Psal. CXIX, 105. imo *lucerna splendens in obscuro* 2 Petr. 1, 19. Sed & sic infirmiorum captui attemperatur, ut sensus ejus sit obvius cuivis Christiano in simpliciter & absolutè necessariis ad salutem, secundum mensuram Dei doni; si præsertim præjudiciis vacuus & puris manibus ad eam accedat, & debitam diligentiam ac speciatim Dei invocationem adhibeat; Nam *præceptum hoc* (inquit Dominus) *quod ego præcipio tibi, occultum non est à te* Deut. XXX, 11. & *Doctrina Iehovæ integra est, restituens animam; testimonium Iehovæ verax, sapientiam afferens imperito; mandata Iehovæ sunt recta, lætificantia animam; præceptum Iehovæ purum illustrans oculos* Psal. XIX, 8. 9. Stat etiam firma promissio, *Quisquis petit accipit, & qui quærit invenit, & ei qui pulsat aperietur* Matth. VII, 8. Hinc Christus, *Mea doctrina non est mea sed ejus qui misit me; Si quis voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar* Joh. VII, 16. 17.

a Quæ debent institui ut Scripturæ legantur vernaculè. b Perspicuitas. c Qua sic asseritur.

XLV. Ita verò non tollimus(*a*)usum Ministerii Publici in Ecclesia, aut Doctoratus in Schola; Cùm præsertim conciones publicæ, & Professorum diatribæ, ac Doctorum commentarii, non solum inserviant obscuris explicandis, sed & perspicuis applicandis & diffundendis; Quin rejicimus Socinianos statuentes Scripturam absque interno lumine Spiritus Sancti, fidem & obedientiam posse operari. Nam etsi fundamentalia theoreticè possint intelligi à quolibet, unde factum aliquando ut Ethnici sederint arbitri inter Christianos de rebus fidei disceptantes, *practicè* tamen & cum fructu ac fidei obsequio, absque fidei Spiritu percipi non possunt.

XLVI. (*b*)Sensus Scripturæ non est multiplex,
P. ut fingunt Pontificii, sed unicus & Grammaticus, licet is sæpè componatur ex historia & typo, aut per quandam accommodationem ad Allegoriam aut Tropologiam trahatur. Ex tali sensu Scripturæ mystico cujus fundamentum extat in ipsa Scri-
S. ptura, Theologus, negantibus licet Socinianis, benè argumentatur. (*c*) Veri autem & unici illius Scripturæ sensus obtinendi, nulla certior ratio, quam adhibitâ diligentiâ & oratione, eum ex ipsamet Scriptura eruere, ut fiebat tempore Esdræ, Levitis legentibus *Legem Dei explanatè & exponendo sensum, dantibus intelligentiam per Scripturam ipsam* Neh. VIII, 9. & ad ea capita quæ Paulo commemorantur 2 Tim. III, 16. 17. nempe διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν & παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, juxta *analogiam fidei* Rom. XII, 6. revocare.

P. XLVII. Dum verò Pontificii(*d*) medium aliquod infallibile interpretandi Scripturam extra Scripturam θεόπνευστον quærunt, in Traditione Ecclesiæ, Patrum consensu, & Papæ ac Conciliorum Decretis, tribuunt hominibus quod illis non convenit; eos in sua causa judices faciunt; ipsis contra jus & fas subjiciunt Dei verbum & fidem ac conscientias hominum, licet noluerit Paulus *dominari fidei* piorum 2 Cor. I. 24. & Scripturæ ἰδίαν ἐπίλυσιν comminiscuntur, contra Petri sententiam 2 Petr. I, 20. cùm tamen Spiritus Dei *spiret ubi vult* Joh. III, 8. ac sua charismata *distribuat privatim singulis sicuti vult* 1 Cor. XII, 11. & sub ipsius ductu ad lapidem lydium Scripturæ, *omnia & omnes Spiritus* probari debeant 1 Thess. V, 20. 21. 1 Joh. IV, 1.

XLVIII. Eo ipso autem quod Scripturæ dicuntur (*e*) Canonicæ & Testamentum Dei, & revera habent quicquid ad Legis & Evangelii integritatem, nec non fidei & charitatis officia, requiritur, plenissimè & sufficientissimè continent regulam morum & fidei; (*f*) ut nihil tanquam saluti necessarium debeat admitti, nisi quod vel αὐτολεξεὶ in illis contineatur, vel per necessariam & apertam consequentiam legitimè ex illis deducatur. Etenim dixisse Deus censendus est quicquid ex suis dictis legitimè colligitur, cùm non nescíverit quas ex illis homines, rectâ ratione utentes, consequentias nectere possent.

XLIX. Igitur à fidei & morum norma & Canone, Theologiæque principiis, rejicimus, 1. Kabbalisticas & Thalmudicas δευτερώσεις Judæorum, quas etiam qui inter illos *Karraim* J.
dicuntur meritò respuunt. 2. Mahumetis Alco- M.
ranum, infinitis scatentem absurditatibus & blasphemiis, Mosi & Jesu contrariis, etsi utrumque à Deo missum agnoscat. 3. Anabapti- A.
starum & Weigelianorum novas revelationes, W.
verbum internum, quod illis est congenitum naturæ lumen, Angelorum colloquia, Philosophiam cœlestem, id est, si mens eorum propiùs attendatur, Astrologiam, Chymiam, Algebram, & similia, contra quæ nos permuniit Apostolus hac gravi dehortatione, *Nemo vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem*; item & hac, *Nemo adversum vos rectoris partes sibi ultrò sumat in submissione animi & religioso cultu angelorum, pedem inferens in ea quæ non vidit, & temerè inflatus carnis suæ intelligentiâ* Col. II, 8. 18.

L. *Litera quæ occidit* 2 Cor. III, 6. non debet trahi ad universam Scripturam, ut eo prætextu rejiciatur, sed ad Legis quà talis & erga homines peccatores Ministerium: suntque fideles *epistola Christi non atramento sed Spiritu Dei viventis scripta* 2 Cor. III, 3. non quod ipsa Scriptura externa nullo modo sit medium ad conversionem, sed quia in eo opere vim suam à Spiritu Dei nancíscitur; Quanquam & ille locus, agat potissimum de commendando Pauli Ministerio, cujus Christus ipse fidem adstruebat, tanquam per epistolam quandam commendatitiam, efficaci conversione Corinthiorum per illud.

LI. *Edocemur* verò *à Deo*, juxta Christum Joh. VI: 45. quatenus doctrina illa quæ externè sonat

a *Ut non obsit Ministerio publico.* b Sensus. c *Ejus eruendi ratio*, d *Non infallibilitas Ecclesiæ.* e Sufficientia. f *Quæ contra varios errores asseritur.*

ſonat in Scriptura, mentibus noſtris per Spiritum Dei imprimitur, non quod abſque mediis hiſce externis novas revelationes accipiamus aut ſectari debeamus: Et licet in ipſos Miniſtros gloria converſionis noſtræ non ſit rejicienda, nec enim is *qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat creſcendi vim* 1 Cor. III, 7. ſua tamen ineſt Miniſterio Evangelico, ceu inſtrumento morali, divinitùs ei uſui deſtinato, efficacia ad converſionem; nam præcones verbi Dei ſunt *miniſtri per quos credimus* 1 Cor. III, 5. *quos qui audit, Chriſtum audit* Luc, X, 16.

LII. Sed præſertim ab hac norma rejicimus
P. (a)Traditiones ἀγράφους Pontificiorum, in quibus circa res fidei & morum alteram & majorem partem Verbi Divini ſolent reponere; Nam non aliò amandamur quam ad Scripturas: *Ad Legem & teſtimonium* Eſai. VIII, 20. *Scrutamini Scripturas* Joh. V, 39. *Habent Moſem & Prophetas, eos audiant* Luc. XVI, 29. Ad illas vero amandamur, tanquam ſufficientes ad fidem & ſalutem; *Hæc enim ſcripta ſunt ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ipſius* Joh. XX, 31. Imò *quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus* Rom. XV, 4. Poſſunt enim Scripturæ nos σοφίσαι *ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu; eſtque tota Scriptura divinitùs inſpirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus* 2 Tim. III, 15. 16. 17. Ideo Paulus qui *omne conſilium Dei* Eccleſiis annunciaverat Actor. XX, 27. profitetur tamen Actor. XXVI, 22. ſe nihil docuiſſe extra id quod tradunt *Moſes* & *Prophetæ*: Hinc Scripturis *addere* vel *detrahere nefas* Deut. IV, 2. V, 32. XII, 32. Prov. XXX, 6. quâ etiam prohibitione ſacer Canon obſignatur Apoc. XXII, 18. 19. *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto; & ſi quis abſtulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ.* Ut non immeritò prohibeamur *ſapere ſupra id quod ſcriptum eſt* 1 Cor. IV, 6. & *Anathema* dicatur vel *Angelis* ipſis *è cælo* aliquid evangelizare tentantibus *præter id* quod accepimus Gal. I, 8. 9. Ipſe etiam Chriſtus tales Traditiones nominatim rejicit Matth. XV, 3. 6. 9. damnatis Phariſæis qui *tranſgrediebantur* & *irritum faciebant mandatum Dei per traditionem ſuam*; hoc quoque propoſito axiomate, *Fruſtra me colunt docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum.*

LIII. Quæ putant recipi aut recipienda extra & præter Scripturam, vel revera extant in Scripturis, ut Pædobaptiſmus, Trinitas, Irreiterabilitas baptiſmi, Numerus & forma Sacramentorum, perpetua etiam Virginitas B. Mariæ &c. Vel ſunt Ceremonialia, non dogmatica, ut quod Paſcha die Dominico debeat celebrari: Vel cum jam ſupponantur in hac quæſtione de Traditionibus, videlicet quod Scripturæ ſint à Deo, his libris conſtent, hos authores habeant quorum nominibus inſcribuntur, huc trahi nequeunt. Traditiones enim de Scripturis, non concludunt dari traditiones præter Scripturas, & illæ tales ſunt in actu exercito, non ſignato; Nec eſt Eccleſiæ traditio, principium credendi Scripturis, ſed medium duntaxat & inſtrumentum.

LIV. Ex his ſatis ſuperque liquet Scripturas ſic eſſe unicam (b) Normam primariam & indeclinabilem fidei, ut non aliundè Controverſiarum deciſio ac judicium deſumi debeat; Nec ullam hîc realem diſtinctionem admittimus, ut Pontificii & Sociniani, inter Normam & Judicem ſupremum, niſi in quantum diſtingui poteſt inter Scripturam ipſam & Deum in ipſa loquentem; utrique enim hoc judicium deputatur; quoniam Dei Verbum *dijudicat cogitationes & conceptus cordis* Heb. IV, 12. & Deus ipſe *judex univerſorum* appellatur Heb. XII, 23. Huc maximè referri poteſt promiſſio facta Apoſtolis, *ſeſſuros eos ſuper thronis ut judicent duodecim tribus Iſraël* Luc. XXII. 30. cùm judicium Controverſiarum ad eos in Scriptura loquentes, ſive potiùs ad Deum per eos, pertineat. P. S.

LV. Quare, quicquid contra ſtrepant Pontificii, nullum nunc in Eccleſia judicem viſibilem, ſupremum & infallibilem Controverſiarum fidei agnoſcimus; cùm fides perſuadeatur non imperetur, omnes homines ſint errori obnoxii, & Concilia & Pontifices & quidquid eſt humani faſtigii, ſubjici debeant Scripturæ, nec ultra audiri quam ſi *juxta illam* pronuncient & doceant, ut habetur Deut. XVII, 11; Imò de illius infallibilitatis imaginariæ & judiciariæ poteſtatis ſede, ſitne penes Pontificem, an Concilium, adverſarii adhuc inter ſe conflictan- P

a *maximè contra* Traditiones Pontificias. b *Hinc Scriptura* Norma & Iudex Controverſiarum.

tur; & utraque sententia plurimis & insuperabilibus laborat incommodis.

LVI. Hominibus itaque in Ecclesia nullum aliud superest judicium quam *Discretionis*, cujus instrumentum, non principium, est recta ratio; sive illud judicium sit privatum singulorum, qui omnia debent probare & quod bonum est retinere; sive publicum multorum simul Pastorum in Concilio: quod ut ut magnæ sit authoritatis in foro externo Ecclesiæ & quoad ὁμοψηφίαν unionemque inter Pastores Ecclesiæ retinendam, tamen longè infra authoritatem Scripturarum subsidit, nec ulteriùs obligat in foro conscientiæ, quam persuasi fuerint fideles de illius consensu cum Scripturis. Idem statuimus de testimonio Patrum, hoc est primitivæ Ecclesiæ post Apostolos Doctorum, sive simul, sive sigillatim sumptorum; quod probabile facit argumentum, quale ex Prudentum responsis & consiliis habetur, non necessarium & ἀνυπεύθυνον judicium; cùm & ipsi Sancti Patres se & sua judicio Scripturarum constanter submiserint.

LOCUS SECUNDUS; *DE* DEI NATURA & Attributis.



Heologiæ primarium *objectum*, est (*a*) Deus *cognoscendus* & *colendus*: Ejus cognitio alia est *intuitiva* & Patriæ, alia *obscura* & Viæ; quæ iterum vel est *imperfecta* ex libro naturæ tantum, tam *insita* per κοίνας ἔννοιας unicuique adnatas, quam *acquisita*, per discursum: quod contra Socinum, S.
Scriptura luculenter testatur, docens noluisse Deum *se esse expertem testimonii, dando nobis cœlitùs pluvias ac præstituta tempora fructibus perferendis, & implendo cibo & delectatione corda nostra* Act. XIV, 17. Nec enim *longè abest ab unoquoque nostrum* Act. XVII, 27. *Cœlis enarrantibus gloriam* ipsius Psal. XIX, 2. & eo quod *de ipso cognosci potest manifestato* nobis; *Ipsius enim invisibilia, nempe æterna ejus potentia & divinitas, mente perpensa pervidentur ex iis quæ fecit per creationem mundi* Rom. I, 19. 20. Idem & ratio comprobat, tum ex omnium omninò populorum consensu, tum ex conscientiæ sensu intimo, quem penitùs exuere ne ipse quidem Caligula possit: hoc respectu Gentes *sibi ipsis sunt lex; ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut etiam defendentibus* Rom. II, 14. 15. Vel *perfectior* ex utroque volumine simul Naturæ & Scripturæ: cùm ex illo & esse & posse Dei, ex hoc etiam & velle habeatur.

II. Triplici viâ pervenimus ratiocinando in Dei notitiam; *Causalitatis*, quâ per varias causas secundas promoti, in ipso tanquam in causa prima subsistere debemus; *Eminentiæ*, quâ quicquid est perfectionis in Creaturis, ipsi longè eminentiùs convenire statuimus; *Negationis*, quâ ab ipso removemus quicquid imperfectionis inest Creaturis. Cùm tamen sit infinitus & lumen habitet inaccessum, non potest definiri: nec audiendi qui cum Socinianis, Vorstio & S.V.
Scoto, genus & differentiam ei tribuunt; *Ens* enim aut *Spiritus*, non *univocè* & æqualiter de Deo & Creaturis inter se collatis prædicatur, sed tantùm valdè inæqualiter & *æquivocè*. Describi tamen utcumque potest, *Spiritus à seipso ab æterno existens, Unus essentiâ, Trinus Personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.*

III. (*b*) Deum esse sic omnibus est persuasum, imò & per se notum, quicquid contra pertendant nonnulli Scholastici, ut si qui id negare videantur, prout *dicit stultus cum animo suo non est Deus* Psal. XIV, 1. id faciant potiùs ore & opere, quam corde; & magis ex voto quàm ex opinione loquantur; nec tam *speculativè*, ut plurimùm, quam

a DEI Cognitio *varia adstruitur*; Naturalis. *b* DEI Existentia.

quam *practicè* Athei sint. Neque dubitabit de Dei existentiâ, qui attendet ad Motum universi; Causarum in illo concatenationem, in qua nequit dari progressus in infinitum; Mundi ornatum & ordinem; Tendentiam omnium rerum ad certum finem, etiam earum quæ aliàs non agunt ex insito consilio; Scelerum pœnas; Heroicos impetus; Futurorum vaticinia; Miracula; Imperiorum revolutiones; & quæ illas solent, vel portendere, vel precedere Omina; Conscientiæ syntereses & stimulos; Turpis & honesti discrimen; Idololatriam ipsam, & hominis intimam constitutionem & naturam. Nonnulli quoque dicuntur visis spectris & dæmonibus adducti ad Deum agnoscendum. Id tamen quod Deus sit, longè certiùs & firmiùs testimonio Dei & fidei lumine tenetur à fidelibus; *Nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum, & præmia largiri iis qui ipsum requirunt* Heb. XI, 6.

IV. Dei cognitio *in se*, vel est absoluta, (*a*) Essentiæ; vel relata, Personarum. Essentiæ nomen de Deo non profanè & perperam, ut Antitrinitarii statuunt, sed benè & commodè usurpatur: nam se vocat *Eheje, qui sum* Exod. III, 14. & dicitur *Qui est & qui erat & qui futurus est* Apoc. I, 4. Nec aliud sonat nobis Dei essentia, quam Dei φύσιν (ut dicuntur Ethnici quondam *serviisse iis qui* φύσει, *naturâ, non sunt Dii* Gal. IV, 8.) quæ & μορφὴ θεοῦ, *forma Dei* Phil. II, 6. & θεότης, *Deitas* Col. II, 9. dicitur. Quin *Essentia* & natura meliùs de Deo dicitur, quam *Substantia*, si absolutè consideretur; nam nec substat accidentibus, aut alicui rei *subest*, cùm sit οὐσία ὑπερούσιος; nec substantia prima, sensu Aristotelico, dici potest, cùm non sit persona, sed tres sint personæ sive subsistentiæ in ea essentia. Illa verò tum ex Nominibus, tum ex Proprietatibus suis intelligitur.

V. (*b*) Nomen propriè non cadit in Deum, quia est Ens singularissimum, & naturâ suâ sic distinctum à re qualibet, ut nomine discretivo non egeat. Hinc Angelus Creator luctans cum Jacobo, huic *roganti* & *dicenti, Indica quæso nomen tuum, dixit, Quorsum verò rogas de nomine meo?* Gen. XXXII, 19. Sic Angelus idem Manoæ petenti *de suo nomine* respondit, *Ecquid interrogas de nomine meo?* Jud. XIII, 18. Et Salomon de Deo, *Quod est nomen hujus, & quod nomen filii ipsius, si noveris?* Prov. XXX, 4. Sed tamen præterquam quod nomen Dei in Scripturis sæpissimè supponit pro ipso Deo, ejusque voluntate, potentia, authoritate & gloria, varia insuper nomina assumit, tum *metaphorica*, tum *propria*, ut sese nobis accommodet, quia omnis nostra cognitio incipit à nomine.

VI. In homonymia removenda, non multum laborandum: Nam *Dei* nomen sumitur, vel *modificatè sive* θετικῶς, vel *substantivè* sive φυσικῶς: Priori sensu iterum, aut planè *abusivè* & merè *putativè*, cùm tribuitur falsis Numinibus & iis qui naturâ non sunt Dii; aut *nuncupativè* sive *participativè*, tum Angelis, tum Magistratibus, propter excellentiam & dignitatem quam à Deo acceperunt. De Angelis, nomen *Elohim* extat Psal. VIII, 6. *Minorem fecisti eum paulisper, Mielohim*, q. d. *à diis*: De Magistratibus, notum illud Davidis Psal. LXXXII, 6. *Dixi dii estis, & filii Excelsi vos omnes*; Unde Christus Joh. X, 34. 35. 36. *Nonne scriptum est in Lege vestra, Ego dixi Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est & non potest solvi Scriptura, me-ne quem Pater sanctificavit & misit in mundum vos dicitis blasphemare, quia dixi filius Dei sum?* Eo sensu debebat Anti-christus se *efferre supra quicquid dicitur Deus aut Numen* 2 Thessalon. II, 4. id est etiam superbo pede colla Cæsarum & Regum premere. At posteriori modo, proprium est naturæ supremæ, increatæ, & independenti, quâ majus aut perfectius nihil cogitari potest. Huc potissimum spectat illud Pauli 1 Cor. VIII, 5. 6. *Etiamsi sint qui dicantur Dii & in cœlo & in terra, sicut sunt Dii multi & Domini multi; Nobis tamen unus est Deus, Pater ille à quo sunt omnia & nos in ipso, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.*

VII. Per se igitur nomen *Dei*, licet Sociniani frustra negent, soli Creatori competit; aliis in alio planè significatu valdeque diminuto, & non nisi per respectum ad ipsum; quare cùm non dicatur *univocè* de Creatore & Creaturis, nomen est potiùs singulare & proprium, quam commune aut appellativum, qualia sunt nomina specierum & generum. Imò ut se distinguat *propriè* ab iis quibus id nomen competit *appellativè*, hoc suum nomen quibusdam proprietatibus circumscribit, quæ ipsi soli conveniunt, sive οὐσιωδῶς & essentialiter dicatur, sive ὑποστατικῶς & personaliter; Sic οὐσιωδῶς Exod. III, 6. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Isaaci,*

a Essentia. *b* Nomin.

& Deus Iacobi; & Deut. x, 17. *Iehova Deus vester, is est Deus Deorum & Dominus Dominorum:* Sic ὑποςαλικῶς de Patre Joh. xvii, 3. *Hæc est vita æterna ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*; & de Filio Rom. ix, 5. *Est supra omnes Deus benedictus in secula.*

VIII. Quoad synonymiam, quædam Nomina petita sunt ab *essendo*, ut (a) *Iehova, Iah, Eheje*, quibus in N. T. ex imitatione LXX. Interpretum Veteris, ferè respondet nomen κυρίȣ. Quædam à *fortitudine*, ut, *El*, *Elohim*. Quædam à *sufficientia*, aut, ut placet aliis, ab *omnipotentia*, ut *Scadai*; unde fortè & Latinorum *Deus*, quamvis de eo alii aliter: vel à Græco Θεός, & hoc aut à θεάομαι, quod omnia contempletur, aut à θέω, quod omnia faciat & penetret: vel ab Æolico, δεὺς, pro ζεὺς *Iupiter*, à ζάω vivo; vel à δέος timor, qui prior in orbe Deos fecisse dicitur. Quædam ab *excelsitate*, ut *Helion*. Horum præcipuum & maximè proprium est (b) *Iehova*, vel ut alii efferunt *Iova*; quod non est fictitium, ut volunt Arminiani, cum à Deo traditum sit & expressum, & quoad consonantes, & juxta plerosque saniùs ἑβραΐζοντας, quoad puncta vocalia, (quo pertinet & *Iah* per syncopen) etsi illud pronunti- J. andum superstitiosè negent Judæi.

IX. Ab hoc Latini, potiùs quam à *juvando*, suum *Iovem* fecêre, estque, quicquid garriant S. Sociniani & eorum asseclæ, creaturis planè incommunicabile; Hinc dicebat Deus Mosi Exod. vi, 2. *Nomine meo Iehova non cognitus sum illis*: & illi *soli nomen est Iehova*, inquit David Psal. LXXXIII, 19. *& Iehova est memoriale ejus*, teste Hoseâ xii, 6. Imò ipso Deo per Esaiam XLII, 8. *Ego sum Iehova, illud est nomen meum & gloriam meam alteri non dabo.* Hoc & videtur ostendere litera *Iod* præfixa, quæ à fronte sæpè nota est nominis proprii, ut in *Isaac*, *Iacob*, aliis; & agnoscunt Rabbini, qui illud nomen *magnum & separatum* appellant. Si id nominis Angelo quandoque tribuitur, is erit increatus; nec censeri debet tribui Creaturis simpliciter & absolutè, eo quod nonnunquam compositè ingrediatur earum titulos vel nomina.

X. Nomen (c) *Elohim*, cui plerumque respondet in Græcis nomen Θεȣ͂, quia plurale est, & sæpè cum adjectivo aut verbo plurali connectitur, & suum habet singulare, unde sequitur, quod in plurali pluralitatem denotet, non inconcinnè, & si id nolint Vorstius & Socinus, adhibetur pro- V.S. bandæ Sanctæ Trinitati, in qua tres Elohim constituunt aliqui è nostris, non quod sint tres Dii naturâ vel specificâ vel singulari distincti, sed quod sint tres personæ, quarum unaquæque Deus est: neque hic ad ἀλλειψιν est confugiendum, ut *Elohim* dicatur pro *Eloach Elohim*, id est DEUS Deorum. Idem statui potest de nomine alio (d) *Adonai*, quod plurale est, solique Deo competens ubi per *Kamets* scribitur. Porrò hæc varia nomina non sunt planè synonyma, quia idem quidem significant, sed non sub eadem ratione.

XI. Proprietates divinæ sunt (e) attributa Dei, quibus se nobis infirmis cognoscendum præbet, & distinguit à creaturis. Nec meræ qualitates sunt, nec accidentia, quali vulgò statuimus hominum aut angelorum: Nam *proprii* nomen hîc non sumitur pro quinto prædicabili, sed ut ipsam essentialem rationem subjecti denotat. Ideo ab essentia divina & inter se non distinguuntur *realiter*, licet Sociniani id velint post aliquos Scotistas S. & fortè Judæos in suis Sephiroth; sed *ratione* J. tantum, eaque non simpliciter *ratiocinante*, ut cùm intellectus pro arbitratu mero idem distinguit à seipso, sed *ratiocinatâ*, quia etsi hæc distinctio non sit ex parte rei, habet tamen suum fundamentum in re, nempe in effectis & objectis Dei.

XII. Etenim variis conceptibus nostris, reipsâ inter se distinctis, correspondent varii conceptus *objectivi* ex parte Dei, qui licet actu in Deo sint indivisi, (nam in Deo summè uno non dantur res & res, multò minus, quod Marcion somniabat, proprietates contrariæ) *eminenter* tamen & virtualiter sunt distincti; Unde & definitione differunt, prout unius ejusdemque rei diversæ sunt notiones, sive, ut alii loquuntur, *formalitates*, quæ illi non competunt ex parte rei, sed ex parte intellectus.

XIII. Quamvis igitur *velle* Dei & *posse* illius quoad nos diversa sint *ex modo significandi*, tamen ex *parte rei significatæ* eadem sunt: & tum de essentia divina, tum de se mutuò, prædicantur in sensu *identico*, non tamen in sensu *formali*, quia nostris conceptibus & suis objectis *formaliter* distinguuntur: Hinc una proprietatum divinarum, potest præcisè concipi absque aliis, præcisione *simplici* sive *negativâ*, ut de sola Potentia ejus cogitem,

a *eaque Hebraica.* b Iehova. c Elohim. d Adonai. e Attributa *in communi.*

gitem, nihil de Justitia vel Misericordia; non tamen præcisione *exclusivâ* sive *privativâ*, ut v. g. statuam Omnipotentem, qui nec Misericors sit, nec Justus.

XIV. Singulæ quoque illæ fœcundissimam & simplicissimam Dei perfectionem *inadæquatè* nobis repræsentant; nec tamen erroris est testimonium in intellectu, dum id quod in se unum est & simplex, concipit tanquam multa distincta attributa; sed tantum imperfectionis; quod cùm non possit uno conceptu *adæquato* apprehendere omnimodam Dei perfectionem, diversis conceptibus inadæquatis egeat, ut aliquo modo possit eò assurgere.

XV. Attributorum & proprietatum Dei, non una est distinctio: A nonnullis (a) distinguuntur in *Propria* & *Metaphorica*; Illis dicitur bonus, justus, sapiens; his rupes, leo, ignis consumens: Ab aliis in *Negativa*, ut quod sit Immensus, Infinitus, Invisibilis &c. *Positiva* juxta quæ Bonus, Sapiens, Justus &c. dicatur, & *Relativa*, unde dicitur prima Causa, Creator, Gubernator, Dominus &c. Relativa vix aliter quàm in concreto de Deo dicuntur; Absoluta utriusque ordinis, hoc est, tam positiva quàm negativa, sed positiva maximè, etiam in abstracto; Hæc Deo quadantenus tribuuntur per modum *facultatis*: illa per modum *actus*; adeoque videntur magis *intimè* exprimere ejus naturam, quæ actus est purissimus: Quin omne attributum relativum fundatur in aliquo absoluto, à quo ne ipsa quidem relatio, juxta plerosque, realiter distinguitur: Quod si nonnulli benè attenderent, non negarent Deum sub relativis illis attributis, & v. g. quà Creatorem, esse adorandum, dixerit licet Petrus ei *tanquam* (vel *quà*, Græcè ὡς) *fideli Creatori* esse commendandas nostras *animas benè agendo* 1 Petr. IV, 19. Has etiam relationes qui vel mutuas vel reales esse nolunt, cùm versentur inter terminos reales, (aliàs enim nulla relatio, in suo esse respectivo ad aliud, realis dici potest, quod pendeat semper ab operatione intellectus unum ad aliud referentis & cum eo comparantis) minus accuratè de relationibus philosophari videntur.

XVI. Nobis tamen perplacet Attributorum divinorum distinctio in (b) *Communicabilia* & *Incommunicabilia*. Communicabilia sunt ea, *quorum subobscura quædam vestigia*, & per *analogiam* tantum aliquam nominis & effectuum, *in creaturis reperiuntur*: Nec ultra debet trahi hæc communicabilitas; cùm aliàs nihil sit commune & univocum Deo & creaturis, & omnes proprietates, quicquid contra urgeant quidam Lutherani, sint L.
incommunicabiles subjectis specie & naturâ diversis. Adeoque hæc, ut v. g. bonitas, justitia, misericordia &c. prædicantur de Deo *essentialiter*, & modo planè singulari, & etiam in abstracto; de creaturis tantùm in concreto, *accidentaliter* & participativè; quò spectat dictum Christi Matth. XIX, 17. *Cur me dicis bonum? Nullus est bonus nisi unus, nempe Deus.*

XVII. (c) Incommunicabilia sunt ea *quæ ita Deo competunt, ut eorum contrarium, vel saltem carentia, omni insit creaturæ*: talia sunt, ut de his primò dicamus, *Independentia*, *Simplicitas* & *Infinitas*, Per independentiam *Deus à se ipso* (id est non ab alio) *est, existit & agit, sibique per se-ctissimè sufficit & nobis omnibus, ita ut cætera omnia ab illo pendeant, ceu primo Ente & supremo agente & in essendo & in agendo.* Hinc se vocat Gen. XVII, 1. *El Schadai, Deum sufficientem*, & Nehemias IX, 5. sic eum compellat, *Tu ille Iehova solus es; tu fecisti cælos, cælos cælorum, & omnem exercitum eorum, terram & quicquid est in ea, maria & quicquid est in eis, & tu conservas hæc omnia, etiam exercitus cælorum tibi se incurvant*, dependentiam suam agnoscentes. Ac sicut *absque eo factum est nihil quod factum sit* Joh. 1, 3. ita *sustinet omnia verbo illo suo potente* Hebr. 1, 3. adeoque *in ipso vivimus & movemus & sumus* Actor. XVII, 28.

XVIII. Per (d) Simplicitatem, quæ ei non competit tantùm *comparatè*, ut cœlo & elementis inter corpora physica, sed *simpliciter* & *absolutè*, etsi eam Vorstius & Sociniani minus agnoscant, *omnem compositionem respuit*; 1. *Logicam* V S.
ex genere & differentia; 2. *Physicam* ex materia & forma, cùm sit incorporeus; aut ex partibus quantitativis, quæ in Deum expertem planè materiæ non cadunt; aut ex subjecto & accidente; nam perfecto nihil accidit, & nihil in Deo est quod non sit Deus. Attributa enim absoluta Deo insunt essentialiter, non accidentaliter; & cùm de illo prædicantur in concreto, subjectum eorum statuitur *convenientiæ* & *attributionis*, non *inhæsionis*.

XIX. Relativa verò, quà talia, non arguunt in

a *Eorum* distributio, *varia*. b *Commodissima in* Incommunicabilia & Communicabilia. c *Incommunicabilia, sunt* 1. independentia. d 2. Simplicitas, *eaque absoluta*;

in Deo compositionem; cùm Relationum esse non sit *inesse*, sed *esse ad*, & ordinent ac distinguant, non componant. Creaturæ item omnes censentur esse in mente divina, non *inhæsivè* per compositionem, sed *objectivè* per cognitionem. Actiones item Dei quælibet, sive immanentes & internæ, sive transeuntes & externæ, sunt ab eo magis quàm in eo; & quatenus ad ipsum terminantur, earum est subjectum *operationis*, non *inhæsionis*. Nec agit Deus, ut creatura, per aliquid superadditum ad suam naturam, sed per suammet essentiam, seipsam per modum principii vitalis ad hoc vel illud determinantem; neque aliter quam ratione differunt hæc tria in Deo, *Esse*, *Posse*, *Operari*.

XX. Decreta quoque divina, si considerentur per modum *absoluti*, subjectivè & ex parte Dei, ad attributa Dei absoluta pertinebunt; sicque Decretum Dei est Deus decernens, ut ejus Omniscientia est Deus omnia sciens; Si verò considerentur per modum *respectivi*, terminativè, sive objectivè & ex parte Creaturarum, potiùs sunt à Deo, quàm in Deo; adeoque & Liberrima & Multiplicia in signo rationis.

XXI. 3. *Metaphysicam*, vel ex actu & potentia, sive quod idem est ex essentia & existentia, cùm sit actus purus & mutationis propriè dictæ nescius; vel ex natura & supposito, cùm personæ & essentia in Deo non se habeant tanquam extrema componentia realia ex quibus tertium quid exurgat, nec *re*, sed *ratione* tantùm distinguantur; & relationes personales, non arguant in Deo compositionem, sed distinctionem; quippe quæ non componunt, sed modificant.

XXII. Ut autem Deus suâ simplicitate omnem propriè dictam compositionem respuit, sic non venit in compositionem cum rebus creatis, ut rationem habeat partis alicujus, vel integralis, vel essentialis; vel materiæ, vel formæ; Est enim *pater Spirituum* Hebr. XII, 9. & nos illius γένος, sive *progenies*, ut ex Arato citat Paulus Act. XVII, 21. efficienter, non essentialiter: Forma mundi dici potest, non informans & componens, sed assistens, ut nauclerus in navi; Anima quoque nostra, *auræ divinæ particula* si dicatur, id non ὁμουσίως, ut nugabatur Servetus F. post Manichæos, sed ὁμοιουσίως est intelligendum. In persona Θεανθρώπου, non est compositio totius *essentialis*, sed *personalis*; non partium propriè dictarum, sed *numeri*; non *ex his*, ut homo componitur ex materia & forma, aut *cum his*, ut anima componitur cum corpore, accidens cum subjecto, sed *hujus ad hoc*, id est hujus naturæ ad hoc suppositum assumptæ: in qua compositione persona λόγου & natura humana sese habent, ut componentia inadæquata, vel potius tanquam terminans & terminatum, perficiens & perficiendum, sustentans & sustentatum.

XXIII. Ex simplicitate Dei, quæ nescit partes componentes, sequitur eum esse maximè (a) *unum*, & tali unitate cui par non reperitur: nempe non *præcisionis* sive indivisionis, quæ est universalium quà talium, ut non existunt contracta in suis inferioribus, sed tamen apta nata sunt illis inesse; nec *formali*, quæ competit naturæ alicui consideratæ secundum se, præcisè ab esse quod habet in individuis & in quibus multiplicatur; unde vulgò in genericam & specificam distinguitur; hæc in Scholis eò distinguitur à præcedenti, quod præscindat à communicabilitate, nec eam requirat ad conceptum suum formalem; illa vero eam communicabilitatem exigat in suo conceptu: sed omninò *numericâ*, eaque intrinsecâ & per se; nec *compositionis*, aut *aggregationis*, quæ iis convenit quæ fiunt ex pluribus rebus, sed absolutæ *simplicitatis*; juxta quam *essentiâ unicus est & singularis, indivisus in se ac indivisibilis in plures ejusdem nominis & naturæ*; quod tota docet Scriptura; *Audi Israel, Iehova Deus noster, Iehova unus est* Deut. VI, 4. Et *an est Deus præter me? utique nulla est rupes, nullam novi* Esaias XLIV, 3. Quin *scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi unum* 1 Cor. VIII, 4. *Unus enim est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum* 1 Tim. II, 5.

XXIV. Idem agnovit ab ævo Sapientia mundi, & ratio multiplex persuadet; nam cum ens & unum convertantur, debet ens perfectissimum, esse maximè unum: & ordo *intentionis* in uno desinit, ut *executionis* incipit ab uno: nec potest causa prima, infinita & omnipotens, esse nisi una: & mundi unius regimen tam concors unum tantùm rectorem profitetur, ut nusquam plurium Deorum signa possint deprehendi.

XXV. Unitati divinæ non obstant, 1. Varietas *nominum* divinorum, quæ unius Dei perfectioni faciliùs connotandæ inserviunt. 2. *Attributorum* divinorum multitudo, cùm ratione tan-

a *Et inde* Unitas;

tantùm ab essentia & inter se distinguantur. 3. *Trinitas* personarum; quia Deus non dividitur in tres personas, tanquam partes quasdam subjectivas; sed tres personæ inter se verè distinctæ, unicam numero & singularem ac indivisam essentiam, sed infinitam, ideoque communicabilem pluribus personis, indivisim etiam participant.

XXVI. Sed ei ex adverso repugnant. I. Polytheismus Ethnicorum, Atheismi frater germanus; unde Ethnici qui tantam multitudinem Deorum colebant, ut jam Hesiodi tempore, Græculi triginta eorum millia numerarent, dicuntur tamen fuisse *absque Deo in mundo* Eph. 11, 12. II. Quælibet idololatria, quæ plures Deos vel *theoretice* fingit, vel *practice* colendo facit. III. Manichæismus de duobus principiis, uno boni, altero mali; cùm tamen principium ut primum, sic unicum concipi debeat; & ex duobus inter se pugnantibus destructio tantùm, non ordinatio sequatur.

XXVII. Simplicitatem quoque Dei consequitur ejus (*a*) *Spiritualitas*, quæ ei longè perfectiùs quàm ulli creaturæ competit; cùm in Angelos, ut ut Spiritus immateriales & incorporeos, cadat multiplex compositio, nulla in Deum. Naturam hanc Spiritualem, Scriptura passim Deo tribuit, ac nominatim Johan. IV, 24. *Deus est Spiritus & qui adorant eum oportet ut spiritu ac veritate adorent*; etsi absurde post Ethnicos crassiores, eam negaverint Audiani & Anthropomorphitæ, (ad quos saltem practicè accedunt Pontificii, Dei simulachra facientes) aususque sit Vorstius Tertulliani abusus authoritate, (licet huic alia mens in eo fuerit, ut patet ex Augustino) corpus Deo adscribere. Quæ verò membra & organa corporea ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur, Θεοπρεπῶς debent intelligi, ut oculus Dei ejus notitiam, facies favorem aut iram, manus operationem & potentiam, auris exauditionem & misericordiam, denotet: ac pro eo quod Idola habent *oculos & non vident, aures & non audiunt* &c. Psal. cxv, 5. 6. Deo eminenter conveniat videre, audire, &c. absque oculis, auribus, aliis-ve organis corporeis.

P. V.

XXVIII. Sed & inde sequitur Deum esse simpliciter (*b*) *invisibilem*, quicquid Vorstius contra pertendat, etiam corporeis oculis Beatorum; Siquidem *Deum nemo vidit unquam* Joh. 1, 18. & absolutè *invisibilis* dicitur Paulo 1 Tim. 1, 17. & *lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest* ibid. VI, 16. Et quæcunque extant de Deo, vel viso à piis, vel videndo à beatis, ea referenda sunt vel ad *apparitiones extraordinarias*, quales sæpè Patriarchis & Mosi contigerunt; vel *ad visiones extaticas* & imaginarias Prophetarum; vel ad cognitionem *fidei*, quæ est oculus mentis; vel ad Dei notitiam *intellectualem* ac intuitum per lumen gloriæ; vel ad *corpoream* contemplationem ipsius Christi, in quo potissimum, & longè clariùs quam in suis creaturis, Deus se fecit conspicuum; unde Philippo dicebat Joh. XIV, 9. *Philippe, qui vidit me, vidit Patrem.*

V.

XXIX. Simplicitati jungimus (*c*) *Infinitatem* æqualiter per cætera alia Dei attributa fusam, quâ *omnis imperfectionis, termini & mensuræ expers, absolutè est infinitus*; *propriè* & in se, non *impropriè* tantùm & quoad nos; *positivè* ac perfectivè, non *privativè* aut negativè, per carentiam finitionis ac terminationis quæ possit aut debeat inesse; quo sensu infinitus appetitus materiæ primæ tribuitur; actu & *categorematicè*, sive planè interminatè, non potentiâ passivâ & *syncategorematicè*, quod vulgò dicitur *Non tot quin plura*, quo sensu quantitas continua dicitur divisibilis in infinitum, discreta in infinitum multiplicabilis; planè *metaphysicè*, non *mathematicè*, ut numerus mente conceptus, aut *physicè*, ut quantum continuum; non *secundum quid* & per *quantitatem* vel continuam vel discretam, sed *simpliciter* & per *essentiam*: unde Deus dicitur esse infinitum *vigoris, virtutis, & perfectionis*. Huc facit imprimis quod monet David Psal. CXLV, 3. *Magnum esse Iehovam & laudandum valde, imo magnitudinis ejus non esse pervestigationem*; cui & illud succinit Tzopharis apud Jobum XI, 7. 8. 9. *An profunditatem Dei invenias, aut ad perfectionem Omnipotentem reperias? Altior est altissimis cælis, quid agas? profundior abysso, quid cognoscas? longior terrâ mensura ejus & latior mari*: quod ad Dei non Sapientiam modò, sed etiam Potentiam & Essentiam pertinet.

XXX. Quamvis autem Deus sit *formaliter* hoc aliquid, est tamen eminenter omnia; nec pugnant esse actu hoc aliquid, & actu infinitum, hoc est complecti omnes perfectiones possibiles in genere Entis. Nec ideo censentur creaturæ omnes æquè perfectæ; quia mensura perfectionis creaturarum non sumitur à distantia perfectionis increatæ, à qua omnes distant in infinitum, infini-

a ac Spiritualitas. b necnon Invisibilitas. c 3. Infinitas.

finitate positiva (cum *Nihil* distet infinitè ab *Ente*, infinitate negativâ) ita ut inter illas & Deum nulla sit proportio *æqualitatis* & *commensurationis*; sed à pluribus vel paucioribus gradibus perfectionis, sibi convenientis, quos unaquæque res à Deo participat.

V. XXXI. Maximè autem Infinitas Dei, Vorstio ringente licet, ipsius spectat Durationem & Præsentiam, ut ab ipso removeat Creaturarum *Quando* per (a) Æternitatem, & *Vbi* per Immensitatem. *Quando*, cùm sonet modum quo res creatæ aliquando esse, fuisse, aut futuræ dicuntur, non competit Deo, sed *Semper*, hoc est absoluta Æternitas à priori & posteriori, juxta quam *expers est temporis* tam *secundum terminum*, carendo existentiæ principio & fine, quam secundum

S. *successionem*, (etsi id negent Sociniani) quod in eum non cadat potentia & actus, prius & posterius: nam vera æternitas est *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*: Unde necesse est Dei æternitatem totam coexistere omnibus temporis differentiis, dum illæ ordine suo existunt, etsi ea simul non existant; prout columna in foro defixa, coexistit tota omnibus signis Zodiaci, in quantum ista sibi mutuò succedunt in horizonte, & gnomon in sciroterico, coexistit omnibus horis diei, prout hæ notantur per umbram quam spargit successivè.

XXXII. *Vbi* similiter, vel *Vbietas*, Deo non convenit, sed absoluta *Vbiquitas*, sive perfecta *Immensitas*: quam frustra admordent juxta

V.R. Vorstium, Arminiani ac Sociniani, licet eam

S. agnoverint Ethnici, quibus *Iovis omnia plena*, & Deus circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam, & adstruant passim sacræ literæ; *Ecce* enim *cœli ipsi & cœli cœlorum non capiunt* ipsum, juxta Salomonem 1 Reg. VIII, 27. Et *quo irem* (inquit David) *à Spiritu tuo, quò à facie tua fugerem? Si scanderem cœlos illic es, aut stratum ponerem in sepulchro*, vel abysso, *ecce ades*; *Si assumerem alas auroræ habitaturus in extremitate maris, etiam illuc manus tua deduceret me & prehenderet me dextra tua* Psal. CXXXIX, 7. 8. 9. 10. Et *annon cœlos & terram ego impleo? dictum Iehovæ* Jer. XXIII, 24. Eoque pertinebat ὅραμα Esaiæ VI, 1. quo *vidit Dominum insidentem solio celso & elato, cujus fimbriæ complebant templum ipsum*; Quare teste Paulo *non longè abest ab unoquoque nostrum* Actor. XVII, 27. imò *omnia operatur in omnibus* 1 Cor. XII, 6. Per hanc proprietatem Deus est *totus in omnibus*, *totus extra omnia*; *nullo loco vel inclusus*, *vel exclusus*. Est autem ubique illocaliter, impartibiliter, efficaciter, per notitiam, potentiam & essentiam; non *definitivè* ut Spiritus, aut *circumscriptivè* ut corpora, sed *repletivè*; citra sui multiplicationem, extensionem, divisionem, vel cum aliis rebus confusionem, commixtionem aut personalem unionem; & denique omnia instar minutissimi puncti in se continendo. Est tamen speciatim in Christo per unionem hypostaticam, in Sanctis per gratiam, in cœlo per majestatem & gloriam.

XXXIII. Ut nihil Deo coæternum potest statui, quod non sit Deus; unde repugnat, quicquid statuant Jesuitæ plurimi & patroni Aristote- P.
lis, mundum fuisse ab æterno, neque potest infinitas durationis ab infinitate perfectionis ullo modo divelli; sic Ubiquitas nulli creaturæ vel spirituali vel corporeæ potest convenire, cùm Ubiquitas sive Omnipræsentia, ab Immensitate, quæ soli Deo competit, ne cogitatione quidem possit separari: nihilque illa sit aliud quam hujus respectus ad Creaturas, quæ finitæ cùm sint, Deo infinito præsenter & indistanter adsunt, quod adversus Pontificios & quosdam Lutheranos rigi- P.L.
diores, aliosque ex eorum lacunis parum cautè haurientes, est observandum. Porrò ut Deus per suam Ubiquitatem est totus in toto mundo & totus in qualibet mundi parte, sic per suam Immensitatem, ex qua illa enascitur, est totus extra mundum, non *positivè* replendo spatia quædam imaginaria, quæ fingi nequeunt citra evidentem ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας, sed potius *negativè*; quatenus mundus, quantum-libet magnus, quia in se finitus, licet nobis magnitudinis indefinitæ, adeo ut *non possint mensurari cœli supernè, aut pervestigari fundamenta terræ infernè* Jer. XXXI, 37. non est commensurabilis infinitati Divinæ, nec Deum includere aut comprehendere potest, ejus-ve Immensitatem exhaurire: Quare ttibui non potest Deo quod ante Creationem Mundi *alicubi* extra se fuerit, cùm fuerit ipse sibi & locus & mundus & omnia.

XXXIV. (c) Simplicitatem & Infinitatem Dei simul consequuntur, ejus *Perfectio* & *Immutabilitas*. Omnimodam Perfectionem Deo competere inde colligitur, quod quicquid est perfectio-

nis

a *qua complectitur*, Æternitatem: b *&* Immensitatem. c *Ad Simpl. & infinit. simul pertinent* Perfectio *&*

nis disperſæ in creaturis, eminenter Deo ceu primæ cauſæ & primo perfecto convenit, modo planè infinito. Quin verè ſtatuuntur in Deo eſſe omnes perfectiones; *Increatæ*, *formaliter*; *Creatæ* I. eminenter, ut in cauſa prima; II. objectivè, ut in intelligente; III. repræſentativè, ut in idea ſive exemplari: Unde Creaturis competit præter ſuum eſſe imperfectum quod habent in ſe, triplex eſſe longè perfectius quod habent in Deo, eminens, objectivum & ideale. Porrò *virtus* per modum habitus à facultate diſtincti non cadit in Deum; ſed poteſt ei tribui per modum perfectionis tum intellectus tum voluntatis, & prout notat promptitudinem agendi.

XXXV. (*a*) Immutabilitas *removet à Deo omnem poſſibilitatem mutationis*, juxta illud Prophetæ, *Ego Iehova & non mutor* Mal. III, 6. Nec ſanè apud eum eſt *tranſmutatio aut converſionis obumbratio* Jac. I, 17. Pater iſte luminum tropicos non agnoſcit. Deus autem factus eſt homo, non per ſuæ naturæ mutationem, ſed per aſſumptionem noſtræ; & creat nova ſine novitate voluntatis: Non mutatur ergo quoad I. *Exiſtentiam*, quia eſt æternus, immortalis, actus purus, neceſſariò exiſtens. II. *Accidentia*, quæ in eo nulla, cùm ſit juſtus, verax & bonus per ſuam eſſentiam; unde nec *mentiri* Hebr. VI, 18. nec *ſeipſum abnegare poteſt* 2 Tim. II, 13. III. *Cognitionem*, quæ ſemper eſt certa, etſi illius objecta mutentur. IV. *Locum*, quia eſt immenſus. V. *Voluntatem*, quæ licet libera, tamen conſtans eſt & æterna, nec quod ei ſemel placuit poſtea diſplicere poteſt. Pœnitentia quæ illi tribuitur, non aliter quàm ἀνθρωποπαθῶς & metaphoricè debet intelligi, ut mutatio ſit operum ipſius *extra ſe*, non voluntatis ſuæ *intra ſe*; prout nempe homines, agunt alia ab iis quæ priùs fecerant, cùm factorum ſuorum eos ſeriò pœnitet.

XXXVI. (*b*) Communicabilium Dei attributorum, quæ ſecundum priora debent intelligi, nempe *ſimpliter*, *infinitè*, *æternè*, *perfectè*, *immutabiliter*, primum eſt *Vita*; quæ perfectiſſimè Deo debet convenire, ut ſimul ſit ὁ ὢν καὶ ὁ ζῶν, cùm viventia ſint perfectiora non viventibus; Ea verò eſt 1. æterna; 2. immutabilis, cùm rerum creatarum vita in fluxu conſiſtat; 3. ſimpliciſſima, cùm Dei *vita* & *vivere* idem ſint; 4. beatiſſima; 5. ex ſe; 6. aliis omnibus & vivendi, & benè beatèque vivendi, cauſa & fons; Nam *penes eum eſt fons vitæ*, ut benè monet David Pſal. XXXVI, 10. & *in ipſo vivimus & movemur & ſumus* Act. XVII, 28. Hinc verbum Dei, verbum vitæ & vivificum dicitur; *Verba quæ ego loquor vobis ſpiritus & vita ſunt*; & *Domine ad quem abibimus? Verba vitæ æternæ habes* Joh. VI, 63. 68. eſtque *vivus & efficax ſermo Dei & penetrantior quovis gladio ancipiti* Hebr. VI. 12. Hinc Chriſtus de ſeipſo, *Ego ſum via, veritas & vita* Joh. XIV, 6.

XXXVII. Nec ſolùm Deus vivens eſt, ſed intelligens: quò reſpectu ei competit perfectiſſima Scientia, (Sapientia quoque dici poteſt, nomine ſumpto οὐσιωδῶς, non ὑποστατικῶς, ut ſumitur de ſecunda perſona Trinitatis Prov. VIII. per totum caput) non ſolum *approbationis* & dilectionis ſuorum, de qua Pſal. I, 6. *Novit Iehova viam juſtorum*, & 2 Tim. II, 19. *Novit Dominus qui ſui ſunt*; ac improbis dicetur Matth. VII, 23. *Certè nunquam novi vos*; ſed etiam (*d*) *cognitionis* omnium; quæ & *Omniſcientia* dicitur, quam Deo & recta ratio, cùm ipſe ſit ſummæ perfectionis, & Scriptura evidenter vendicat; Etenim *annon audiret plantator auris? aut formator oculi annon intueretur?* Pſal. XCIV, 9. Imò, inquit ad illum David, *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum, intelligis cogitationem meam è longinquo* Pſal. CXXXIX, 2. & *omnia ſunt nuda & intimè patentia oculis ejus quo cum nobis eſt negotium*, teſte Paulo Hebr. IV, 13. Quin abſque limitatione *novit omnia* 1 Joh. III, 20. Non eſt in Deo per (*e*) modum habitus ſuperadditi, ſed tanquam actus ſimpliciſſimus, quo uno quaſi intuitu omne ſcibile novit; Nec ergo eſt *dianoëtica*, ut noſtra; unde tamen perperam colligas Univerſalia in ſuo eſſe abſtracto & præciſo, non cognoſci à Deo; ſed *noëtica* & infinita ſimpliciter, tum *objectivè* quoad res cognitas, tum *ſubjectivè* quoad modum cognoſcendi; ita ut actu infinita ſit in Dei mente notitia poſſibilium, quæ tantùm potentiâ ſunt infinita.

XXXVIII. Deus itaque (*f*) novit 1. *Seipſum* in ſeipſo. 2. Omnia illa *poſſibilia* ad quæ ejus potentia extenditur. 3. Ex eorum oppoſitione & tanquam termino, omnia impoſſibilia & contradictoria: novit enim Deus quid repugnet eſſe, vel ex parte rei, vel ex perte ſui. 4. Non ſolùm genera ſingulorum, ſed & ſingula generum; unde David, *Tu vagationes meas in numerato habes, pone quamque lachrymam in utre tuo; annon eſſent in numerato tibi?*

a Immutabilitas. *b* Attributa communicabilia *ſunt* 1. Vita. *c* 2. Scientia. *cujus notatur.* d *Exiſtentia* e *Modus*, f *Objectum*

Psal. LVI, 9. Et ab eodem describitur tanquam *supputans numerum stellarum, quotquot sunt nominibus vocans* Psal. CXLVII, 4. & *vestri capilli capitis omnes numerati sunt*, inquit Christus Matth. X, 30. 5. Non solùm bona, sed etiam mala, cùm oppositorum eadem sit scientia. 6. Non solum dicta & facta, sed etiam *cogitata* & corda *omnium filiorum hominis*, quæ *solus* nosse eo potiori jure dicitur 1 Reg. VIII, 39. quod illis simul & semel percipiendis sit necessaria infinita scientia, quæ in nullam cadit creaturam.

XXXIX. Novit denique non solùm præterita & præsentia, sed & *futura* quælibet, tum necessaria, tum libera & contingentia, quorum non determinata quidem est veritas ex parte rei, sed talis est ex parte Dei. Nec repugnat aliquid quoad *futuritionis* suæ infallibilitatem necessariò evenire & futurum esse, adeoque & præsciri respectu causæ primæ, quod tamen quantum ad modum suæ *productionis*, liberè vel contingenter fiat respectu causarum secundarum, à quibus pendet actus denominatio & specificatio: Contingentiæ ac libertati repugnat necessitas *naturalis & absoluta*, ex parte agentis proximi ad unum suâ naturâ determinati; *antecedens* item *& consequentis*, quâ aliquid in se consideratum non potest non esse, & est vel fit modo planè necessario: non verò *consequens, hypothetica, consequentiæ & secundum quid*, ex suppositione decreti aut præscientiæ Dei de rei futuritione: Etenim necessitas *sequens* sive *consequens* ac *consequentis* est quam res facit, licet in se maximè contingens aut liberrima, vel hoc solo axiomate, Quicquid est, eo ipso quod est, necesse est ut sit; *Antecedens* verò ac *consequentis* est quæ facit rem ipsam necessariam in se. Et sanè hæc præscientia Dei, quam impudenter & cavillatoriè impugnant Sociniani, tot habet testes quot fecit Prophetas. S.

XL. Cum autem hæc Dei Scientia, non eodem modo ad varia hæc objecta se habeat, (*a*) meritò distinguitur, in *naturalem* sive simplicis intelligentiæ, & *liberam* sive intuitivam & visionis: illa præcedit Dei decreta in signo rationis, hæc eadem consequitur, in illis fundatur, vel cum illis colligata intelligitur; Scientiâ naturali Deus novit seipsum in seipso, & possibilia omnia, non propriè in ipsis rebus, quæ ante suum decretum nullam habent entitatem vel actualem vel potentialem, cùm ante illud necdum sint in suis causis; sed in absoluta sua potentia suisque æternis ideis, & prout se ipsum intelligit ut imitabilem ad extra per Creaturas, si eas libuerit producere.

XLI. Scientia visionis, si consideretur *conjunctim* cum Dei decreto, quod actus est non tantùm (*b*) voluntatis, sed etiam intellectus, est *practica* & rerum causa; Si *consequenter* ad illud, est tantum *theoretica*: adeoque minus commodè à nonnullis dicitur, res non præsciri à Deo quod ita sint, sed ita esse & fieri quod præsciantur. Hæc iterum angustior est naturali, quia sola actu futura, (unde & sola propriè *præscientia* dicitur,) illa autem ad extra omnia possibilia, respicit. Ei verò res obversantur etiam ab æterno, cum omnibus temporum quibus obnoxiæ sunt differentiis; nam ut Deus res novit in ipsis *præsenter*, in causis earum *antecedenter*, in seipso *supereminenter* & *idealiter*, ita earum *præsentia* cùm fiunt, *præteritio* cùm factæ sunt *futuritio* cùm adhuc faciendæ, sunt illi notissimæ; ut siquis ex vertice montis uno obtutu conspiciat rivuli alicujus scaturiginem, decursum & ostium quo mare subit.

XLII. Est insuper immutabilis, necessaria, certa & infallibilis, tùm propter ipsius Dei decretum de rerum futuritione, vel effectivum vel permissivum, nam ut *quicquid placet facit* Psal. CXV, 3. sic *nota sunt* illi *ab omni ævo omnia opera sua* Act. XV, 18. tùm propter idearum divinarum constantiam, tùm denique propter ipsiusmet omniscientiæ infinitam perspicacitatem. Quare ut in illa (*c*) Scientiæ divinæ dichotomia acquiescendum, ita non sunt audiendi Jesuitæ, aut ex illis Arminiani, Sociniani ac Lutheranorum nonnulli, & si qui sunt alii qui hoc commentum adoptant, præter scientiam naturalem & liberam, tertiam comminiscentes in Deo, quam *Mediam* vocant, quod præcedat Dei decretum ut naturalis, sit tamen de futuris ut libera. R.S.L.

XLIII. Nam hæc, si propiùs consideretur, non scientia est, sed opinio & mera conjectura, cujus certitudo nulla; cùm illa omnis ex libertate creaturæ, planè indifferentis, uti volunt, ad utrumque, pendeat; & hominem supponit independentem à Deo in suis actionibus; & tale sibi deposcit objectum quod non est scibile, nempe futura conditionata; de quibus cùm Deus nihil decreverit, sintne futura, nec ne, *futura* dici non possunt, quod futuritio rerum in Dei decreto fundetur. Si verò per futura conditionata intelligant, non actu futura, dependenter ab aliqua

a. *Distributio in* Naturalem & b. Liberam, *rejectâ Scientiâ Media*.

qua conditione simul etiam præordinata & præscita, (quæ cognoscuntur scientiâ liberâ,) sed tantum *possibilia* ex aliqua conditione supposita, quæ tamen non sit futura & nihil ponat in esse, eorum cognitio pertinebit ad scientiam naturalem.

XLIV. Nec scientiæ illi mediæ statuminandæ inserviunt quæ loca adferuntur ex 1 Samuel. XXIII, 11. 12. Jerem. XXVI, 2. 3. Ezech. 11, 16. Matth. XI, 21. iisque analoga; Nam illic, Vel occulta panduntur hominum actualia consilia, ut primo: etenim Davidi dubio de consiliis Saulis & Kehilæorum animo erga se, & interroganti num Saul esset *descensurus* contra Kehilam & Kehilæi ipsum essent *dedituri in manum* Saulis, supple si inter eos maneret, respondit Deus, quò David arriperet fugam, & Saulem descensurum, & Kehilæos eum tradituros si isthic subsisteret; quod revera & Saul se accingeret ad iter, & Kehilæi de Davide illi tradendo, clancularia jam agitarent consilia, quæ sic Deus præsciebat & decreverat permittere, ut simul etiam decrevisset illa frustrari tempestivâ eorum retectione ad Davidem. Vel homines sui monentur officii, etsi dubii sint de eventu, qui tamen Deo notus, ut secundò, quo Jeremiæ edicitur ut apud Israëlitas enunciet *omnia verba* quæ ipsi præceperat Dominus, *si forte*, inquit Deus, *auscultantes revertantur quisque à via sua mala.* Vel ingratus eorum animus, stupor & obfirmata mens in malo, odiosâ illis comparatione exaggerantur, ut tertio & quarto, quibus dicitur Ezechieli illum potiùs audituros fuisse populos ignoti sermonis *si ad illos missus fuisset* quam Israëlitas; & Chorazinitis ac Bethsaiditis exprobratur à Christo, quod *si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes* quæ editæ fuerant apud eos, *olim cum sacco & cinere resipuissent.* P.S. L.

XLV. Non solum autem scire & intelligere Deo tribuitur, sed etiam (a) *velle*; & voluntas competit Deo ut liberrimo agenti, & tanquam operationum suarum principium imperans, quo vult seipsum per se, & extra se omnia propter se; Vult autem seipsum necessariò ut finem, ad quem cætera ordinantur; reliqua liberè ut media ad ipsum ordinata; nam *omnia operatus est Iehova propter se* Prov. XVI, 4. & *ex eo & per eum & in ipsum sunt omnia* Rom. XI, 36. non quò ex illis perficiatur, sed potiùs quò illa perficiat. Et licet velit aliquando creaturam ut finem alterius creaturæ, hoc est unam rem esse propter aliam, tamen non vult ipsam unam rem propter aliam, quia cùm ipse sit sibi finis, saltem juxta nostrum concipiendi modum, nullam creaturam vult ut finem suum.

XLVI. Voluntas in Deo unica est & simplicissima sui respectu; at ex parte (b) *objecti* variæ illius distinctiones sunt admittendæ; non quod plures sint & contrariæ in Deo voluntates, sed quod Deus non omnia velit pariter & eodem modo. Quædam sunt quæ Deus vult mandando & approbando ceu justa, bona & naturæ suæ convenientia, quæ tamen non vult in omnibus operari; ut cùm dicitur *nolle mortem improbi*, sive potius eâ non delectari, *sed ut convertatur & vivat* Ezech. XVIII, 23. Quædam sunt quæ prohibet & improbat, & tamen vult & sinit fieri, cujusmodi sunt peccata, quæ præter illius voluntatem non eveniunt, licet fiant contra ipsius voluntatem. Quædam verò sic vult approbativè & imperativè, ut etiam ea velit decretivè & operativè, efficiendo in suis *& ipsum velle & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia* Phil. II, 13.

XLVII. Non possumus verò probare distinctionem Jesuiticam, Pelagianam & Remonstranticam, voluntatis divinæ in *Antecedentem* & *Consequentem*, aut, quod eodem redit, in *Conditionatam*, quæ velleitas potiùs dicatur, & *Absolutam*; ut Deus conditionatè & antecedenter ad actus creaturæ aliquid velit, quod nolit absolutè & consequenter ad eosdem, ita ut debeat velle quod possit, quandoquidem non potuit consequi quod voluerat; Licet enim in Decretis divinis quædam naturâ & ordine concipiantur aliis priora, tamen non convenit naturæ omnipotenti, omniscienti & immutabili, talis velleitas; & si quando vel desiderare vel pœnitere Deo tribuitur, id debet sumi figuratè & ἀνθρωποπαθῶς. P.R. L.

XLVIII. Distinctiones aliis usurpatæ, in voluntatem *signi* & *beneplaciti*, item *revelatam* & *occultam* (ex Deut. XXIX, 29. *Quæ occulta sunt, penes Iehovam Deum nostrum sunto; at quæ revelata, nobis & filiis nostris usque in seculum revelata sunt, ut faciamus omnia verba hujus legis*) commodiùs videntur exponi si distribuatur in *Iubentem* sive *Præceptivam*, quæ ad ipsius Justitiam & Potestatem pertinet, quò revocamus promissiones & minas, nec non adhortationes & increpationes, Dei mandatis annexas; & *Ordinantem* sive

a 3 Voluntas; b *Estque sic unica, ut variè distinguatur.* c *male in* Antecedentem *&* Consequentem;

sive *Decretivam*, quæ ad ipsius Providentiam vel *effectivè*, vel *permissivè* spectat; Hæc verò, quæ speciatim Dei *consilium* & *beneplacitum* censetur, est æterna, immutabilis, efficacissima, independens, causa prima rerum, statuens sine ulla exceptione de omnibus rebus, ita ut non fiat Deo simpliciter & omninò nolente, quod fit tamen ipso prohibente, & liberrima. Sed de his agemus fusiùs postea.

XLIX. Porrò voluntas Dei varia sortitur in Scripturis nomina, quæ proprietatum eminenter distinctarum conceptus diversos nobis indigitant: Possunt autem revocari ad duo summa genera, (*a*) *Bonitatem* & *Iustitiam*; Bonitas Dei est quæ ipsum summè bonum designat & omnis boni datorem, adeo ut *nullus* sit *bonus nisi unus, nempe Deus* Matth. XIX, 17. à quo descendit *superne omnis donatio bona & omne integrum donum* Jac. I. 17. ut meritò dicat Paulus *Quid habes quod non receperis?* 1 Cor. IV, 7. & David *Benignitate Iehovæ plena est terra* Psal. XXXIII, 5. (*b*) Complectitur autem hæc Bonitas Dei illius Amorem, Gratiam, Misericordiam & Patientiam.

L. (*c*) *Amor* Dei potest considerari vel *affectivè*, quo sensu omnes creaturas Deus amat æqualiter, cùm in ipsum non cadat plus & minus; vel *effectivè*, quo sensu inæqualiter eas diligit, non eadem aut paria beneficia illis tribuendo. Item alius est *benevolentiæ*, quo dilexit eos quos elegit; *Sic enim dilexit mundum ut Filium suum unigenitum dederit* in illius salutem Joh. III, 16. alius *complacentiæ*, quo in Christo eique insitos electos ac fideles diligit. Huc spectat illud Pauli Hebr. XI, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* (*d*) *Gratia* similiter
P. potest distingui, alio tamen sensu quàm Pontificio, in *gratis datam*, ut significet charismata nobis collata per Spiritum Sanctum; *prout sunt distinctiones donorum, sed idem Spiritus distribuit illa singulis sicuti vult* 1 Cor. XII. 4. 11. & *gratos facientem*, ut notet benevolentiam Dei erga nos, ex qua, non ex nostris meritis, sumus ei grati & accepti; *Gratiâ estis servati per fidem, (& hoc non ex vobis, sed Dei donum est) non ex operibus ut nequis glorietur* Eph. II, 8. 9. *Quod si per gratiam non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia; Sin ex operibus jam non ex gratia; alioquin opus jam non est opus* Rom. XI, 6. Ad illam nos habemus *subjectivè*, ad hanc potiùs *objectivè*: illa enim est in nobis, hæc extra nos.

P.R. L. LI. Perperam verò Jesuitæ, Remonstrantes & alii distinguunt Gratiam in *Sufficientem*, quæ sit universalis, *& Efficacem*, eorum qui actu servantur; licet nequeant rotundè definire quid ex parte Dei addat auxilium efficax ad sufficiens, quod si tale foret, efficaci superaddito non egeret, & absurdè statueretur sufficientis efficaciam ex hominis seipsum discriminantis arbitrio pendere: Igitur hæc distinctio repugnat rectæ rationi, liberrimæ Dei electioni ac vocationi, & variis Scripturæ locis, ut nominatim Psal. CXLVII, 19. 20. *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua & jura sua Israëli; Non fecit ita ulli genti, ideoque jura ista non noverunt;* & Matth. XI, 21. 23. 25. 26. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, nam si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere resipuissent. Et tu Capernaum quæ es usque ad cælum sublata, usque ad inferos deprimeris; nam si Sodomis editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud te, mansissent usque ad hodiernum diem;* & *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus & ea retexeris infantibus: Etiam Pater quia ita placuit tibi.*

LII. (*e*) *Misericordia* Dei, illi tribuenda propriè, ut habet rationem virtutis, non ἀνθρωποπαθῶς sub ratione affectus & perturbationis, vel *generalior* dici potest, quâ Deus omnibus creaturis in aliqua miseria constitutis succurrere promptus est, *Homines & Iumenta conservas Iehova* Psal. XXXVI, 7. Vel *specialis*, quæ maximè hoc nomine exprimitur atque ex solo Dei Verbo cognoscitur, quâ ex omnibus hominibus lapsis quosdam elegit, redemit & servat per Christum; qui inde dicuntur *vasa misericordiæ præparata ad gloriam* Rom. IX, 23. (*f*) *Patientiam* verò suam luculenter commendat dum iræ suæ sic moderatur, ut vel pœnas differat, vel iram non momento effundat; unde non modò *misericors & gratiosus*, sed etiam *longanimis* dicitur Exod. XXXIV, 6. Et *an divitias* (inquit Paulus) *benignitatis ejus & tolerantiæ ac iræ cohibitæ contemnis, ignorans benignitatem Dei ad resipiscentiam te ducere?* Rom. II, 4.

LIII. (*g*) Justitia Dei ad Aristotelis placita non debet exigi; cùm nullo modo cadat in eum Justitia *commutativa*, quæ proportionem servat Arithmeticam; *Quis enim prior dedit illi & reddetur ei?* Rom. XI, 25. *& quid habes quod non receperis*, 1 Cor. IV, 7. Vix etiam, saltem circa præmia piorum in quibus sua potiùs dona coronat

quam

a *Ad Voluntatem pertinent* 1. Bonitas. b *sub qua* c Amor d Gratia, e Misericordia. f Patientia. g 2. Iustitia *qua*

quam ipſorum merita, *diſtributiva* illa quæ in Geometrica proportione verſatur; Sed triplicem eam facere poſſumus, Divinam, Dominicam & Judiciariam: (*a*) *Divina*, quæ illi quà Deus eſt competit, & juſtitia univerſalis utcunque dici poteſt, omnimodam in ipſo puritatem, rectitudinem & ſanctitatem arguit; *Sancti eſtote quia ſanctus ſum* Levitic. XIX, 2. Speciatim verò notat I. Ejus Benignitatem & Beneficentiam. II. Conſtantiam, Veracitatem & Fidem, quæ fiduciæ noſtræ columna eſt & firmamentum, dum noſtræ ſtultitiæ in ipſius juſtitia tantum eſt præſidii.

LIV. (*b*) *Dominica*, quæ ei competit quà Domino, in regimine creaturarum ita facit de ſuo quod vult, ut nnnquam Dominio ſuo abſoluto utatur, contra quam requirit exactiſſima illius æquitas & juſtitia; Hinc leges quidem poſuit hominibus quales voluit, ceu *unicus Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere* Jacob. IV, 12. ſed tamen naturæ & juſtitiæ ſuæ convenientiſſimas, in iis præſertim quæ ſunt juris immutabilis & abſolutè naturalis: Juſtitia quidem noſtra in Dei Legem & voluntatem refunditur; ſed illa Dei Lex & voluntas, ejus puriſſimæ & ſanctiſſimæ naturæ innititur, eamque nobis graphicè exprimit. Quod leges ſuas nobis Deus dederit, ut & quod nos creaverit, fuit ſitum in ejus libertate; ſed quod has tulerit; non contrarias, in eſſentiali ipſius & intrinſeca juſtitia; & cùm natura rationalis exlex eſſe nequeat, his demum non aliis ſubeſſe potuit.

LV. (*c*) *Iudiciaria* eſt quà Deus ut judex exigit pœnas peccatorum: *Vltrix* & vindicativa alias
S. dicitur: Eſtque, negent licet Sociniani, eouſque Deo naturalis; ut ei repugnet peccatum remanere inultum, aut abſque prævià ſatisfactione remitti; nec magis poteſt Deus eam abjicere, quam ſuum dominium in creaturas, & earum conſtans ex illo regimen: Illam verò, peccatorum conſcientia; lex Dei, totum Sacerdotium Leviticum, noſtra per Chriſtum redemtio, & univerſa Scriptura deprædicant; *An judex totius terræ non exerceret jus?* Gen. XVIII, 25. Imò *anima quæ peccaverit morietur* Ezech. XVIII, 4. Et *patet ira Dei è cœlo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum*, qui & hoc eſſe *jus Dei* agnoſcunt, *nempe eos qui talia faciunt dignos eſſe morte* Rom. I, 18. 32. ac *juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt vos afflictionem* 2 Theſſ. I, 6.

LVI. Ad illam pertinent quæ ἀνθρωποπαθῶς de *ira* & *odio* Dei in peccatores, ideſt conſtante ejus voluntate puniendi ſeveriſſimè peccatum, leguntur in Scripturis; Sed cum ea non pugnat, aut ſumma Dei Miſericordia, quia objectis in ſuo formali differunt; illa enim verſatur circa Creaturæ malum quà *turpe* eſt, hæc verò malum Creaturæ reſpicit quà *triſte* eſt: Aut ſubſtitutio alterius in peccatorum locum, cùm perinde ſit quomodo ei ſatisfiat, modò Dei δικαίωμα obtineat, nec peccato ſit impune: Aut quorundam reprobatio, cùm per & propter peccatum fuerint juſtè reprobabiles: Aut imputatio juſtitiæ Chriſti, quia etiam in foro humano ad fidejuſſoris ſolutionem debitor relaxatur; *Et ſi unus pro omnibus mortuus fuit, iſti omnes mortui cenſentur* 2 Cor. V, 15.

LVII. Supereſt ex attributis divinis principium exſequens, ſcilicet (*d*) *Omnipotentia*; Græcè παντοδύναμις, non confundenda cum ἐξουσίᾳ, quæ non vim & facultatem ſive potentiam agendi, ſed jus & poteſtatem denotat; quo ſenſu dicit Chriſtus, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra* Matth. XXVIII, 18. Siquidem *Pater authoritatem ei dedit etiam judicium exercendi quatenus eſt Filius hominis* Joh. V, 27. Potentia quoque Deo (*e*) non debet tribu *paſſiva*, ut ſomniavit Vorſtius, ſive receptiva alicujus formæ, vel eſſentialis vel accidentalis: quod ab ejus ſimplicitate & immutabilitate eſt alienum: Novæ equidem relationes poſſunt accedere Deo in tempore, ut dicatur creator, redemtor, punitor hominum, cultus, dilectus, blaſphematus ab illis; ſed nullam intrinſecam mutationem ponunt in Deo. Potuiſſe generari in Filio, & ſpirari in Spiritu Sancto, activam potiùs ſonat potentiam, quàm paſſivam; aut meram σχέσιν ad perſonas generantem & ſpirantes dicit: & cùm Filii Generatio, ac Spiratio Spiritus, ſit æterna & naturalis, fingi nequit ulla ſpirabilitas vel generabilitas, quæ ordine naturæ aut temporis, generationem Filii & proceſſionem Spiritus Sancti præceſſerit.

LVIII. (*f*) *Activa* ergo intelligitur, juxta quam Deus eſt omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: Eſtque duplex, *Actualis* & *Abſoluta*, Illâ facit irreſiſtibiliter quæcunque vult facere, eo modo & ordine quo vult; *Deus noſter in ipſis cœlis eſt, quicquid placet facit* Pſal. CXV.

a *Divina*. b *Dominica*. c *& Iudiciaria*. d 4. Omnipotentia. e *qua non* paſſiva f *ſed* activa.

cxv, 3. & *agit omnia ex consilio voluntatis suæ* Ephes. I,II. nihilque est aliud quàm efficacissima Dei voluntas se exerens ad extra, prout hanc Apostoli, manum & consilium Dei vocant; *Ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum priùs prædestinavit ut fierent* Act, IV,28. Hâc verò multo plura potest facere quam facit, etiam *ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo* Matth. III,9. quò & illud Christi spectat, *An putas me non posse nunc precari Patrem meum qui huc sistat mihi plures quam duodecim legiones Angelorum?* Matth.XXVI,54. imò quodcunque suæ naturæ non repugnat aut non implicat contradictionem, etsi vires aut captum creaturæ longè superet; *Abba Pater omnia fieri à te possunt* Marc. XIV,36. & *apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* Matth. XIX,26. sive *quæ fieri non possunt apud homines, fieri possunt apud Deum* Luc.XVIII,27. Ita ut non sit tantùm multipotentia, sed revera *omnipotentia*, quia se extendit ad omne possibile. Nec ideo restringitur, quod ad impossibilia non extendatur, quia impossibile non est potentiæ objectum, ut nec scientiæ nescibile; Quare Consubstantiationis & Transsubstantiationis patroni, nequicquam sua monstra propugnant citra Dei voluntatem, ex ipsius omnipotentia, cùm ea fingant quæ possibilibus non sunt annumeranda, utpote evidenter contradictoria. P.L.

LIX. Est verò potentia Dei infinita, contra quam asserit Vorstius, respectu 1. Essentiæ Divinæ, cum qua convertitur. 2. Operum ejus, quæ licet in se finita, cùm repugnet actu infinitum fieri à Deo, operatione tamen infinitâ quoad modum agendi producuntur. 3. Objectorum, quia possibilia sunt infinita, nec unquam agit tam intensè quin intensiùs possit agere, si id ferret rerum natura; quæ etiam pleræque possent meliores fieri *accidentaliter*, non tamen *essentialiter*, quoniam essentiæ non suscipiunt magis & minus. Nec minus infinita potentia Dei, quod latiùs pateat omniscientiæ objectum; quia illa ad omnia possibilia, non minus quam hæc ad omnia scibilia extenditur ac refertur: Qui verò ut quidam crassiores Lutherani, omnipotentiam deputant naturæ Christi humanæ, attributum infinitum tribuunt subjecto finito, & oppositum in apposito statuunt. V. L.

LOCUS TERTIUS; DE SACRO-SANCTA Trinitate.

POstquam de Dei natura egimus, de tribus in illa personis est agendum, atque augustum illud (*a*) S. Trinitatis Mysterium, rationi inaccessum, Philosophis ignotum, Judæis & Mahumetanis invisum, Scholasticorum tricis implicitum, multorum Hæreticorum veterum & recentiorum, ac nominatim hodiernorum Socinianorum, blasphemiis impetitum, juxta normam verbi divini asseri & explicari debet. Hìc veritas est propugnanda & curiositas cohibenda, & τὸ ὅτι ex Scripturis demonstrandum, τὸ διότι non investigandum. *An enim profunditatem Dei invenias, aut ad perfectionem Omnipotentem reperias? Altior est altissimis cœlis, quid agas? profundior abysso, quid cognoscas? Longior terrâ mensura ejus & latior mari* Job.XI,7.8.9.

II. Orthodoxæ doctrinæ summa est, (*b*) unicam esse divinam naturam & essentiam communem tribus personis, per incommunicabiles proprietates inter se distinctis, nempe Patri ingenito, Filio à Patre genito, & Spiritui S. à Patre & Filio ab æterno procedenti, quod *Triadis* & *Trinitatis* voce exprimitur: sic tamen, ut numerus ille ternarius nullum accidens ponat in Deo, cùm sit numeratus non numerans, & numerus ipse propria species quantita-

a TRINITATIS *Excellentia*, b *Summa veritatis*.

titatis categoricæ dici nequeat, eoque cadat etiam in Angelos materiæ & quantitatis expertes.

III. Sed quò meliùs hoc mysterium proponi & intelligi queat, præmitti debet nonnullorum terminorum explicatio: (*a*) *Natura* siveEssentia, est rei *quidditas*; unde hæc duo, ὀυσία & φύσις, hîc pro eodem sumuntur. *Existentia*, non modus, sed actus rei est. Et cum illa in communi sit duplex, substantialis una, altera accidentalis, (ex eorum hypothesi qui *Ens* analogicè saltem distribuunt in substantiam & accidens, quamvis hoc non tam sit Ens quam Entis,) ut hæc barbarè quidem sed significativè *Ineitas* dicitur, quia accidentis esse est inesse, sic illa pariter *Perseitas* appellatur, prout substantia definitur *Ens per se existens*; Per se autem existere, finitore Aristotele, est nec de subjecto dici, quod est universalium, nec in subjecto aliquo esse, scilicet ad modum accidentis.

IV. Ut verò accidentibus sui sunt modi *inessendi*, cùm alia insint mediatè, alia immediatè, ita substantiis singularibus sui sunt modi *per se existendi*. Quædam enim existunt incompletè & communicabiliter, uti quælibet partes substantiales, sive extra totum, sive in illo: habent enim actualem entitatem, eamque substantialem, non accidentalem; ita anima separata per se existit & operatur, licet sit quid incompletum & communicabile, ut forma subjecto, & pars toti. Quædam verò existunt completè & incommunicabiliter; atque ea propriè *subsistere* dicuntur, si velimus ἀκριβῶς loqui, nec subsistentiam cum existentia confundere.

V. Hinc(*b*) *Subsistentia* nobis est modus entitativus ultimò terminans & complens naturam substantialem, & ei dans incommunicabilitatem; per quam negatur rei subsistenti non solùm communicatio *attributiva*, quâ ut superior inferiori; sed etiam *constitutiva*, quâ ut pars toti, & *informans* quâ ut forma subjecto, communicaretur. Quare ut per se existere est cujuslibet naturæ singularis & individuæ, quæ non potest dividi in plura ejusdem nominis & naturæ, ita subsistere demum est naturæ singularis ultimò completæ & incommunicabilis.

VI. Subsistentiæ isti significandæ duo vocabula Græci adhibent, nempe ὀυσίωσιν & ὑπόστασιν. Utrique respondent Latinorum (*c*) *suppositum* & *persona*. Quamvis enim suppositum quandoque idem sit quod *Hoc aliquid*, hoc est Individuum in genere substantiæ, abstractè ab esse completo vel incompleto; quo sensu obtinet tritum illud in Scholis, *Actiones sunt suppositorum*: tamen strictè & propriè significat substantiam individuam, completam & subsistentem, id est existentem incommunicabiliter; cui si accedat Intelligentia, (*d*) *persona* dicetur, quæ inde dici solet suppositum intellectuale.

VII. Hæc igitur sic dicta quasi *per se una*, definitur (*e*) *substantia individua, intelligens, completa & per se subsistens, sive incommunicabilis*. Personæ autem divinæ sunt in essentia divina, si in abstracto loquamur, subsistentiæ quædam distinctæ proprietatibus incommunicabilibus; si in concreto, supposita incommunicabiliter distincta; quæ Græcis πρόσωπα & ὑφιστάμενα, & ὑποστάσεις dicuntur. Licet enim nonnulli olim scrupulosiùs voluerint abstinere voce ὑπόστασις in isto Mysterio, extat tamen hoc sensu Heb. 1, 3. ubi Filius dicitur *effulgentia gloriæ & character personæ Patris*, τῆς ὑποστάσεως αὐτῦ.

VIII. Neminem vero moveat quod personas Trinitatis, subsistentias esse dicamus in essentia divina, quamvis aliqui Pontificiorum hanc phrasim apud nostros improbarint: Non solùm enim hoc dici potest de subsistentiis in abstracto, sed etiam personæ in concreto dici possunt esse in natura divina per modum participantium ac determinantium; quo sensu Christus dicitur fuisse in *forma Dei* Phil. 11, 6. sicut natura divina est in personis per modum communicati & determinati. Imò sic debuere nostri loqui contra Servetum & alios, falsò statuentes personas esse diversas formas & ideas *extra* essentiam divinam.

IX. Cùm autem tres sint personæ & unica natura vel essentia, unitati essentiæ & tribus in illa personis exprimendis, commodius nomen non poterat adhiberi quàm (*f*) *Trinitas*; nec enim Triplicitas dicitur, aut dici debet, quod ea essentiæ multiplicationem significaret: Illud verò non esse simpliciter (*g*) ἄγραφον, constat ex loco celebri, *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt* 1 Joh. v, 7. Sed & quamvis non sit ἀυτολεξεὶ ἔγγρα-

a *Præmittitur vocum quarundam explicatio*: Natura; Existentia; b Subsistentia; c Suppositum; d Persona. *Persona Trinitatis*. e, Trinitatis *nomen legitimum*, f *nec penitus*. g. ἄγραφον.

ἔγγραφον, optimo tamen jure cum aliis vocabulis eodem spectantibus ὑφισαμένου, τρόπ ὑπάρξεως, ὁμοουσίου, ἐμπεριχωρήσεως &c. admittitur in Ecclesia.

X. Nam res significata continetur in Scripturis; & prudentiæ Christianæ fuit talia vocabula huic mysterio explicando adhibere quibus fides orthodoxa distinctiùs proponeretur, & Filii ac Spiritus S. coæterna cum Patre divinitas, ac Hæreticorum eam impugnantium strophis vindicaretur. Et certè cùm aliquando Pontificii Trinitatis mysterium ex traditione ἀγράφῳ suspendunt, eo quod ipsum nomen ἔγγραφον non putent, Dei causam produnt illius adversariis, & quæcunque ex Scriptura ad illam statuminandam solidissima argumenta sunt à Veteribus allata, tam periculoso & impio asserto evertunt.

XI. Itaque (*a*) hisce tribus personis unica numero essentia communicatur, non tanquam species universalis individuis; aut substantia secunda primis; ipsa enim essentia Dei est individua & singularis, & cui, cùm sit οὐσία ὑπερούσιος, ne quidem strictè loquendo *substantiæ* nomen conveniat, sed potius *superstantiæ* si fas esset ita loqui; ne dicam quod in vulgata distributione substantiæ in *primam* & *secundam*, id nominis sumitur concretè, cùm abstractè veniat sumendum si pro Dei essentia oppositè ad personas divinas usurpetur: Nec tanquam *totum* aliquod suis partibus; est namque infinita & prorsus impartibilis. Sed tanquam *natura* singularis suis suppositis, in quibus varios subsistendi modos consequitur.

XII. Quod sit communicabilis ex eo habet quod est essentia aut natura, non suppositum. Sic enim cùm homo generat hominem, naturam & essentiam suam ei communicat, non verò suam personalitatem. Sed singularis cùm sit, habet ex infinitate sua quod pluribus simul personis communicetur citra ullam sui multiplicationem. Nam cùm natura quælibet singularis finita unicâ subsistentiâ terminetur, hæc, quia infinita, plures potest admittere: atque sic potest essentia divina dici natura singularis per se existens, & subsistens non unâ tamen subsistentiâ, sed tribus.

XIII. Ex (*b*) tribus verò Personis non sunt colligendæ in Deo vel tres *substantiæ*, si substantia sumatur absolutè & abstractè pro essentia, cùm hæc una sit; vel tres existentiæ; quia existentia Dei, per quam actu est, imò actus purissimus, est unica & communis tribus personis. Et si darentur tres existentiæ quoquo modo vel absolutè, vel relativè, ut fingunt quidam Pontificii, tres darentur durationes, adeoquè & tres æternitates. Nec etiam præter tres subsistentias relativas datur in Deo una absoluta, ut docent aliqui è Pontificiis; quia cùm subsistentia propriè dicta constituat personam, tunc in Deo esset non Trinitas, sed Quaternitas.

XIV. Personæ ab essentia non distinguuntur *realiter*, nec etiam *modaliter*, prout à se invicem personæ distingui debent, sed *ratione ratiocinatâ*, hoc est eâ distinctione quæ licet non sit ex parte rei, habet tamen aliquod fundamentum in re. Nam quamvis essentia sit adæquata tribus personis simul sumtis, unaquâque tamen earum latior est: habet enim unaquæque persona totam divinitatem, sed non totaliter, sive exclusivè ad alias. Quare essentia & persona habent se in divinis ut latius & augustius.

XV. Tum naturæ divinæ convenit communicabilitas, incommunicabilitas personæ, quæ duo licet abstractè & in actu signato specificè differant, concretè tamen & in actu exercito faciunt tantùm discrimen rationis; Nam humanitas V. G. quæ communicatur Petro non differt realiter ab ipso Petro, qui est incommunicabilis; Eadem ergo essentia oppositè ad personam se habet ut communicabile quid, in persona autem ut communicatum; quare eadem absolutè considerata habet communicabilitatem, sed jam communicata & characterizata certo subsistendi modo, incommunicabilis est.

XVI. Distinguuntur quoque natura & persona, ut terminatum & terminans, vel si mavis, ne terminandi vocabulum videatur obesse infinitati divinæ, (cùm tamen hîc sumatur *metaphysicè*, non *physicè*) ut determinatum ac completum, determinans ac complens. Quamvis enim natura divina non debeat dici aut concipi incompleta, quia non est separabilis à personis, & tres illas subsistentias sive modos subsistendi necessariò habuit ab æterno, tamen conceptus noster de Deo est incompletus, quamdiu illum concipimus citra tres illas subsistentias, aut sine illis.

XVII.

a *Vnica & singularis* essentia *divina, tribus* communis b *Non tres sunt in Deo* substantiæ *vel* existentiæ, *sed tres* personæ. c *Personæ ab essentiâ* ratione *distinguuntur, quadrifariam.*

XVII. Denique natura oppositè ad personas exprimitur in abstracto & præscindit ab illis; sed persona, sive suppositum, exprimitur in concreto & connotat essentiam. Quare cùm dicuntur in Deo esse tres personæ, vel Dei nomen quasi abstractè supponit pro natura divina, vel persona tunc debet sumi in abstracto pro eo modo existendi incommunicabiliter qui personalitas dicitur: Nec tamen persona componitur propriè ex natura & supposito, quia modi munus est modificare non componere, & suppositum, ut sic, connotat naturam & essentiam modificatam.

XVIII. (*a*) Inter ipsas Personas distinctio est longè major quam essentiæ ab illis; sed in illa assignanda duplex scopulus est vitandus. 1. *Sabellianismus* (quem nobis falsò affingunt Sociniani) unicam tantùm statuens personam divinam, quæ propter diversos effectus modò Pater, modò Filius, modò Spiritus S. dicatur. Is fuit error
S. Praxeæ, Hermogenis, Noetianorum, Patripas-
F. sianorum, ipsius Serveti. 2. Tritheismus Pera-
F. tarum, Philoponi, Valentini Gentilis, tres fingens Spiritus æternos & inæquales, numero essentiali differentes. Quapropter nec essentialiter aut specificè distinguuntur, cùm non sint aliud & aliud substantivè; nec solâ ratione, cùm sint alius & alius, vel adjectivè, aliud & aliud suppositum.

XIX. Quod ergo dicunt Theologi plurimi, verè & realiter distingui personas inter se, quia relativè opponuntur & incommunicabiliter differunt, non est quasi in Deo sint res & res, sive entia quædam absoluta ex parte rei inter se distincta; id enim à simplicitate divina est alienum; sed quoniam personarum distinctio non pendet ex nostro conceptu, neque est solum rationis.

XX. Ideo alii putant commodiùs se loquuturos, si rejectâ distinctione *rationis* Sabellii, eam non statuant *realem* sensu Tritheitarum, sed potiùs (*b*) *modalem*; prout calidum ut duo & calidum ut quatuor in eodem subjecto, non tam realiter (id est essentialiter & specificè, sumendo hoc adverbium in nativa sua significatione) quàm modaliter, actu tamen & verè, ac etiam nemine cogitante, distinguuntur. Et cùm personæ in divinis per modos existendi incommunicabiles constituantur, illas per eosdem inter se distingui convenit.

XXI. De eo quicquid sit, (*c*) personæ in divinis trifariàm distinguuntur; (*d*) Primò *Proprietatibus* personalibus; quia Pater non essentiæ tantùm sed & personæ ratione est à seipso; unde & αὐτοφυὴς, & αὐτογέννητος dicitur aliquando Veteribus, non tam affirmativè quam negativè; Filius à Patre per generationem, Spiriuts S. à Patre & Filio per spirationem sive processionem: quia generatio & spiratio est communicatio essentiæ ad terminum personalitatis. Nec tamen ideo Filius est minus αὐτόθεος, quicquid cavillentur quidam Pontificii; quod personam habet à Patre; nam essentia quæ illi in generatione communicatur per se existit, estque αὐτοθεότης, & nullum habet sui principium. P.

XXII. Quamvis autem (*e*) proprietates istæ personales exprimantur nominibus relativis, Patris, Filii & Spiritus S. illæ tamen relationes Paternitatis, Filiationis, & spirationis activæ & passivæ, perperam dicuntur Scholasticis esse entia realia, imò, substantiæ per se subsistentes. Unde tam multa operosè disputant de relationibus divinis. Nam relatio quælibet præcisè & abstractè considerata, merum dicit respectum unius ad alium; qui respectus etsi habeat fundamentum in reipsa & duorum illorum habitudine inter se, tamen in actu exercito pendet semper ab operatione intellectus, unum alteri juxta nativam eorum dispositionem opponentis, aut quoquomodo referentis. P.

XXIII. Et cùm ne quidem, juxta Metaphysicos, Entis proprietates absolutæ, sint entia realia, multo minus entibus realibus proprietates relativæ personarum erunt accensendæ. Constituuntur sanè personæ in divinis per relationes, consideratas nempe in suo fundamento, quod ratio fundandi aliis dicitur; neutiquam verò si considerentur in esse suo externo, denominativo & respectivo: Paternitas ut est relatio Patris ad Filium, non facit Patrem, sed dicit tantùm eum Patrem esse per generationem Filii.

XXIV. Sunto ergo (*f*) istæ relationes hoc sensu indices distinctionis inter personas divinas: Unde etiã *notiones* divinæ appellantur, quod sint notæ quædam quibus cognoscitur unam personam ab alia distingui quoad originem: Plus enim habet subtilitatis quam soliditatis, distinctio Scholasticorum inter *Relationes* & *Notiones*: cùm in Deo ponunt unam essentiam, duas processiones, generatio-

 nem

a *Personæ distinguuntur* inter se, non essentialiter, *nec* solâ ratione. b *sed* modaliter c *idque trifariam* ; d 1. Proprietatibus personalibus; e *Hæ per* relationes *exprimuntur.* f *quarum fundamentum* Opera Trinitatis ad intra.

nem & spirationem, tres personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, quatuor relationes, Paternitatem, Filiationem, Spirationem & Processionem: quinque vero notiones, Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, communem Spirationem, & Processionem. Sed relationum ipsarum & distinctionis quam indicant fundamentum, statui debet in operibus Trinitatis *ad intra*, juxta quæ Pater ἀγέννητος genuit Filium ab æterno, & ex Patre & Filio processit Spiritus Sanctus.

XXV. Hoc respectu Pater statuitur principium (sic malumus dicere quam causam, quamvis & hoc nomine, sed in latiori significatione, utantur Græci) Filii & Spiritus S. (unde ex Patre Domini nostri Iesu Christi, πᾶσα πατριὰ dicitur nominari *in cœlis & in terra* Eph. III, 15.) non quidem essentiæ & durationis, sed consubstantiale ordinis & originis: Essentia enim nec generat nec generatur, nec spirat nec spiratur, sed persona. Attamen in generatione & spiratione, ipsamet essentia tota, utpote indivisibilis, communicatur personæ genitæ & procedenti; & verum est Filium esse genitum de Patris essentia; est enim Deus de Deo, lumen de lumine; & Pater unigenito suo dedit omnia quæ Patris sunt præterquam esse Patrem; juxta illud Christi, *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso* Joh. v, 26.

XXVI. Ut ergo semper (*a*) genitus est alius à generante, ita alium esse Filium à Patre oportet, eo ipso quod ab illo est genitus: quod evidenter docet nomen Filii proprii ac μονογενοῦς illi sæpissimè tributum in Scripturis; Nam *spectavimus gloriam ejus, gloriam inquam ut unigeniti à Patre*; & *Unigenitus ille filius qui est in sinu Patris nobis exposuit* Joh. I, 14. 18. *Ita* etiam *Deus dilexit mundum ut filium suum illum unigenitum dederit* Joh. III, 16. Et *qui proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* Rom. VIII, 32. Multa alia Scripturæ loca idem luculenter comprobant; ut Psal. II, 7. *Filius meus es, ego hodie genui te*; Prov. VIII, 22. 23. 24. *Iehova possidebat me principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus; ante sæculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ; cùm nullæ essent abyssi edita eram*, Mich. v, 2. *Ex te mihi prodibit futurus dominator in Israele, cujus exortus inde à principio, à diebus seculi*; Joh. VIII, 42. & 58. *Ego à Deo prodii & adsum*, & *priusquam Abramus existeret ego sum.* Hujusque generationis respectu Filius dicitur *imago Dei invisibilis & primogenitus omnis creaturæ* Col. I, 15. item *effulgentia gloriæ & character personæ* Patris Heb. I, 3. Est autem generatio hæc, (nequicquam lancinata à Socinianis) planè hyperphysica, neque exigenda ad generationes physicas; cùm in illa, nulla mutatio, nulla imperfectio, nulla transitio à potentia ad actum, concipi debeat; nec generans quicquam hic perdat de sua substantia; nec diversa, aut eadem tantum specie, sed eadem numero & tota essentia Patris, Filio genito communicetur.

XXVII. Idem (*b*) de Spiritus S. processione statuimus, quæ similiter satis arguit eum esse alium à Patre & Filio à quibus promanat. Porrò procedere Spiritum non à Patre tantùm, ut Græci statuere dicuntur, sed à Patre & Filio, docet tota Scriptura: Joh. XIV, 26. *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*; & Johan. XV, 26. *Quùm venerit advocatus ille quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus inquam ille veritatis qui à Patre emanat, ille testabitur de me*; Joh. XVI, 7. *Nisi abiero advocatus ille non veniet ad vos, sin autem profectus fuero mittam eum ad vos.* Hinc Christus ostensurus non minus à se quam à Patre procedere Spiritum Sanctum Joh. XX, 22. *afflavit* suos discipulos, *& dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum*; qui & inde *Spiritus Christi* dicitur Rom. VIII, 9. Si tamen nihil aliud sibi velint Græci quam Spiritum procedere à Patre per Filium, uti videntur, nullam graviorem censuram mererentur, saltem non eam hæreseôs quam Pontificii stringunt in illos, ad animum revocantes quod Sedi Romanæ se nolint submittere.

XXVIII. Quid verò sit (*c*) discriminis inter Generationem Filii & Processionem Spiritus S. haud ita facile est definire. Id certum, principium originis Filii esse solum Patrem, à quo eo respectu dependet; Patrem cum Filio, utpote ὁμοουσίους, Spiritus Sancti. Certum quoque Filio utrumque tribui; & quod genitus sit, & quod procedat à Patre; Spiritui Sancto solum ultimum, qui proinde nec genitus, nec Filius dici potest. Tum etiam plerique statuunt Generationem Filii per intellectum fieri, unde is Patris Imago, Sapientia; & λόγος dicitur; Processionem Spiritus per voluntatem; unde volunt

a *nempe* Generatio *Filii à Patre* b *& Processio Sp. Sti à Patre & Filio.* c *Discrimen utrinsque;*

ſunt illum *Amorem* Dei ſpeciatim appellari. Sed iſtud ſi obtineat, tunc intelligere Patris, & velle Patris & Filii, prout ſonant generare ac ſpirare, non notabunt actus eſſentiales, ſed notionales, ſive perſonales.

XXIX. Ii tamen naturales ſunt & neceſſarii, adeoque ſimpliciter æterni; ac nihilominus voluntarii voluntate divinâ, non ſimpliciter ut libera, ſed potiùs & magis ut naturalis eſt. Nec tamen ſunt eodem modo voluntarii: Spiratio enim eſt à voluntate, 1. ut principio; 2. ut concomitante; ſed Generatio voluntati ſecundo demum ſenſu tribui debet, quatenus Pater Filium genuit naturaliter quidem, non liberè libertate indifferentiæ, ſed tamen, quia non invitus, voluntariè & quadantenus liberè, ſaltem libertate ſpontaneitatis.

XXX. Potentia verò generandi eſt ab ipſamet eſſentia divina, (nec aliter quam ratione ab ipſa diſtincta) non abſolutè & in ſua latitudine conſiderata, ſed quatenus eſt modificata & reſtricta ad perſonam Patris; Idem dico de potentia ſpirandi in Patre & Filio, qui concurrunt ut duo ſuppoſita ad ſpirationem tertiæ perſonæ, non tamen ut duo principia; quia virtus ſpirativa, cùm ſit ab eſſentia, eſt tantùm una, prout & ipſi unum ſunt.

XXXI. Diſtinguuntur ſecundò Perſonæ Trinitatis *(a) ordine*: nam Pater eſt prima, Filius ſecunda, Spiritus S. tertia. Hujus ordinis reſpectu ſua ὑπεροχὴ competit Patri, qui ſic eſt primus ut nullum habeat principium vel originis, vel ordinis; unde etiam ipſe dici poteſt origo & fons totius Deitatis, non abſolutè quoad ejus exiſtentiam, ſed reſpectivè quoad illius communicationem ad intra.

XXXII. Nec tamen ideo Pater eſſentiator, F. cæteri duo eſſentiati dici debent, ut Gentilis perperam loquebatur, quò Tritheiſmum ſuum propugnaret, & eſſentialem perſonarum differentiam adſtrueret; cùm eadem numuro ſit eſſentia trium. Sed neque illa ὑπεροχὴ Patris perfectionem aliquam entitativam ei tribuit quæ aliis duobus non conveniat, ſed tantùm diſtinctionem relativam & perſonalem.

XXXIII. Tertiò diſtinguuntur *(b) modo operandi*: quia Pater à ſe, Filius à Patre, Spiritus S ob utroque agit. Ideo *mittitur* Filius à Patre Gal. IV, 4. Spiritus à Patre & Filio Joh. XIV, 26. XV, 26. Pater ſolus nunquam miſſus legitur. Miſſio hæc non fit per imperium, vel per conſilium; ſupponeret enim in miſſo vel ſubjectionem, vel ignorantiam; ſed fit partim per originem & proceſſionem, partim etiam per œconomiam & ſapientem diſpenſationem, juxta quam perſona ſic mittitur, ut ultrò etiam veniat; unde Chriſtus, *Propterea Pater me diligit quia ego depono animam meam ut eam rurſum aſſumam; nemo tollit eam à me, ſed ego depono eam per meipſum, auctoritatem habeo deponendi eam, & authoritatem habeo rurſus eam aſſumendi* Joh. X, 17. 18.

XXXIV. Quin imò *(c)* hoc perſonarum diſcrimen intrinſecum, ſpectatur etiam ſuo modo in operibus *ad extra*, cùm Patri Creatio, Filio Redemtio, Spiritui Sanctificatio tribuitur. Licet enim opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa inchoativè & operativè, tamen quoad modum operandi, denominativè, appropriativè, ut ſæpè Veteres loquuntur, vel ut alii, œconomicè, & terminativè, diſtincta ſunt.

XXXV. Illa porrò diſtinctio perſonarum *(d)* non tollit eſſentiæ divinæ unitatem: tres enim ſunt perſonæ quarum unaquæque habet ſuam unitatem perſonalem, cùm numero diſtinguantur: ſed unus tamen numero Deus, unitate eſſentiali & naturæ. *(e)* Quare in Deo non dantur tria infinita, vel tria entia, vel tres res (niſi nomen *rei* valde tranſcendentaliter uſurpetur, & ad ipſos *modos* extendatur) cùm tribus perſonis unica ſit eſſentia, non ſpecie, ſed numero: Et cùm perſonæ ab eſſentia non diſtinguantur realiter, propter unam eſſentiam & tres perſonas, quaternitas nullo modo ſtatuitur. Natura quoque ipſa præciſè ſumpta, perſona dici nequit (licet ſingularitatem, exiſtentiam & perſeitatem concipiatur habere) cùm incommunicabilitatem non habeat. Et quamvis unaquæque perſona in concreto dicat eſſentiam divinam characteriſatam, ſive cum modo ſubſiſtendi, tres tamen perſonæ non dicunt tres eſſentias; ſed propter eſſentiæ infinitatem & communicabilitatem, unius ejuſdemque eſſentiæ tres ſubſiſtendi modos incommunicabiles.

XXXVI. Quod ergo tres perſonæ in divinis non ſint tres Dii, ſicut tres homines dicuntur eſſe Petrus, Jacobus & Johannes, inde fit quod perſonæ in divinis eandem participant numero eſſentiam, eamque infinitam & per conſequens earum quoque totam; at in humanis tres illi eſſentiam participant eandem ſpecie tantùm non numero,

a 2. Ordine. b 3 Modo. operandi. c *Diſtinctio hæc ſpectatur etiam* in operibus ad extra. d *Unitas eſſentiæ non evertitur.* e *Trinitate perſonarum.*

ac illis anteriorem & exteriorem; fuit enim ante illos tres, nec sic est tota in illis tribus, ut alii ab ejus communione arceantur.

XXXVII. Illorum etiam trium quisque dicitur homo prædicatione directâ, quâ superius de inferiori prædicatur; sed persona quæque divina Deus dicitur prædicatione potiùs identicâ quàm directâ; saltem extraordinariâ, nec simpliciter ac logicè naturali: Nam essentia divina non se habet ad personas ut superius & universale, sed tantùm ut quid communius, licet singulare, quod totum & indivisim singulis personis communicatur: sic tamen ut in prædicationibus de personis, Universalis sive Prædicabilis genium quadantenus induat.

XXXVIII. Quæ etiam formaliter una est humana natura præcisa à suis inferioribus, illis communicatur, quicquid Scotus contra nitatur, per sui multiplicationem, & numericam unitatem in unaquaque demum persona nanciscitur: sed ad unius numero essentiæ divinæ communicationem tribus personis, non opus est illius multiplicatione numericâ, quia est infinita, & sic unica ut non sit incommuuicabilis. Denique illi tres homines habent quisque suam essentiam & existentiam distinctam numero; sed tribus personis in divinis unica est tum essentia, tum existentia, & per solas subsistentias sive subsistendi modos distinguuntur.

XXXIX. Quare Pater, Filius, & Spiritus S. sunt idem essentiâ, sed non iidem personis; Nam quæ conveniunt in uno tertio, conveniunt quidem inter se, sed demum illius tertii respectu; nec convenient in idem suppositum, nisi tertium illud in quo conveniunt incommunicabile fuerit: quod non competit essentiæ divi-
S. næ. Et quæ sophisinata hîc nectunt Hæretici & venditant pro syllogismis expositoriis, facilè reteguntur ex hac regula, quod Syllogismi expositorii terminus medius debeat esse non solum singularis, sed etiam incommunicabilis; nam si communicabilis fuerit, venit pro quasi universali & prædicabili: nec debet terminus particulariter & non distributè sumptus in antecedente, distribui completè in consequente; quod neutrum isti in suis fallaciis servant. V.g. cùm sic argutantur, *Essentia divina est Pater; sed essentia divina est Filius; Ergo Filius est* Pater; medium terminum habent communicabilem, nempe essentiam divinam. Et cùm dicunt; *Pater est verus Deus; Filius non est Pater; ergo non est verus Deus*; vel *Verus & unus Deus est Pater Christi; sed tres personæ non sunt Pater Christi; Ergo tres personæ non sunt unus verus Deus*; nomen Dei usurpant particulariter & distinctè de una persona in majori, in conclusione vero sumunt latiùs & universaliter: Uno verbo, Essentia Divina est Pater, sed non tantum Pater est; nec solus Pater est verus Deus exclusivè ad Filium & Spiriritum Sanctum. Nemo sanus ex eo quod Jacobus sit homo, nec Petrus sit Jacobus, colligere potest Petrum non esse hominem.

XL. (*a*) Unitas verò trium personarum in S. Trinitate consistit I. in *Consubstantialitate*, quia non sunt diversæ naturæ nec similis tantùm, ut Ariani subdolè videbantur confiteri, sed planè ejusdem, non solùm specie sed numero; quod voce ὁμοουσίᾳ Veteres expressere. II. In *Æqualitate* essentiæ, durationis, majestatis, cæterarumque proprietatum & perfectionum essentialium; nec non honoris & gloriæ; *Quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit*, & *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit Filio habere vitam in seipso* Johan. v,19.26. Quare dicebat suis discipulis Joh. XIV,1. *Ne turbator cor vestrum, creditis in Deum?* (Patrem scilicet qui me misit) *etiam in me credite.* Et *cùm esset in forma Dei, non duxit esse rapinam parem esse cum Deo* Phil. II,6. Ordo naturalis personarum non obstat isti æqualitati, cùm ille in relativa distinctione, hæc in essentiæ numerica identitate fundetur. III. In *Circumincessione*, περιχωρήσει & inexistentia, quâ personæ tam arctè unitæ sunt, ut Pater sit in Filio, Filius in Patre; *Philippe qui me vidit, vidit Patrem; Quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis me in Patre & Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor; sed Pater qui in me manet ipse facit opera. Credite mihi me in Patre & Patrem in me esse* Joh. XIV,9 10. 11. Ideo Pater & Filius unum sunt non consensu tantum, ut volunt Sociniani, sed naturâ.

XLI. Hoc est itaque illud Trinitatis mysterium, cujus & (*b*) confessio & cognitio, etsi id negent Remonstrantes, est absolutè ad salutem necessa- R.
ria, & talis etiam fuit sub V.T. quomodo tum revelabatur, quamvis nunc longè majori luce nobis affulserit; *Etenim nemo Filium novit nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi Filius &* cui-

a Unitas *trium personarum in quibus sita.* b *Trinitatis fides* neccssaria.

cuicunque voluerit Filius retegere Matth. XI, 27. & *qui non honorat Filium non honorat Patrem* Joh. V, 25 imò *quisquis negat Filium nec Patrem habet* 1 Joh. II, 23. & qui erant *absque Christo* dicuntur eo ipso fuisse *absque Deo in mundo* Eph. II. 12. Constat autem ex iis quæ diximus hoc salutare & necessarium dogma nulli veritati naturali repugnare, nullam-ve contradictionem involvere.

XLII. Longè tamen (*a*) superat rationis humanæ captum; & in sola revelatione fundatur Quod si quæ illi probando ex solo rationis discursu proferrentur argumenta, non possent convincere: attamen suppositâ revelatione, posset utcunque illustrari, ut factum à plurimis, & probabilibus quibusdam rationibus, & non planè inconcinnis similibus; illis à boni communicabilitate; his à sole, anima, iride, arbore, triangulo, &c. desumtis; quanquam hæc similia si ad vivum resecentur plus quam uno pede claudicabunt; & audaciores sunt nonnulli Chymistæ, spondentes ex suis operationibus & Hermeticis principiis, sale, sulphure & mercurio, S. Trinitatis demonstrationem; cum inde tantum ad summum ejus credibilitas, probabiliter confirmetur.

XLIII. Non inficiamur etiam subobscura quædam Mysterii ejusdem vestigia reperiri in Ethnicorum, Platonicorum præsertim, monumentis (quibus annumerari non debent Pseudo-Trismegistus & Libri Sybillini suppositîtii) sed hæc potiùs traditioni ex revelatione, quàm rationi ex solo lumine naturæ adscribenda sunt: Illa tamen Philosophis possunt opponi ad hominem; ut Iudæis quæ eò spectantia habent in
J. Thalmude, & docent etiam hodierni eorum doctores de Middoth, Sephiroth & emanationibus
M. divinis; & Mahumetanis, si quæ haud dissimilia habeat Alcoranus.

XLIV. Sed directa & certissima probatio petenda est (*b*) ex Scripturis. In Veteri Testamento occurrunt I Ea loca in quibus Jehova singulare cum Elohim, quod plurale est, ut Gen. 11, 4 7 & sæpiùs tum ibi, tum alibi, aut hoc nomen aliter cum verbo singulari, conjungitur, ad significandam unitatem essentiæ & pluralitatem personarum, ut Gen. I, 1. *in principio creavit Elohim cœlum & terram*: Nec alia commodior reddi posset ratio, cur tam sæpè exprimatur Deus hoc nomine *Elohim*, quod, ut & illud *Adonai*, plurale est, cùm utrumque, illud maximè, suum habeat singulare. Quod si nomen Elohim uni personæ aliquando tribuitur, ut Psal. XLV, 7. *Solium tuum, ô Deus, in seculum & sempiternum*, id synecdochicè propter ἐμπεριχώρησιν sumi debet. II. Ea loca in quibus Deus de semetipso in plurali loquitur; cùm sit alienum à Scripturæ usu, quicquid Judæi ganniant, aut garriant Soci- I. S.
niani, unicam personam ita de se loqui: *Postea dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram* Gen. 1, 26. *Et dixit Iehova Deus, Ecce homo est sicut unus ex nobis cognoscens bonum & malum* Gen. III, 22. *Agedum, descendamus & confundamus ibi sermonem eorum* Gen. XI, 7.

XLV. III. Ea loca in quibus vel nomen Jehovæ ter repetitur, vel Deus tribus sibi propriis appellationibus ornatur; Prioris exemplum extat in formula benedictionis Sacerdotalis, quam ipse Deus his verbis præscripsit: *Sic benedicitote filiis Israelis dicendo eis, Benedicat tibi Iehova & custodiat te; Faciat Iehova ut luceat facies sua tibi & gratiam faciat tibi; Attollat Iehova faciem suam erga te & apponat tibi pacem* Num. VI, 23. 24. 25. 26. Posterioris exemplum prostat in τρισαγίῳ Seraphico Esa. VI, 2. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehova exercituum.* IV. Ea in quibus Dominus de Domino loquitur, aut à Domino distinguitur; *Iehova dimisit super Sodomam & super Gomorrham pluviam sulphuris & ignis à Iehova è cœlis* Genes. XIX, 24. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis* Psal. CX, 1. Sic apud Hos. 1, 7. Deus ipse ita loquitur, *Domus Iudæ miserebor servaboque eos per Iehovam Deum ipsorum*; & Daniel IX, 17. Deum *propter Dominum* deprecatur. V. Ea denique in quibus plures personæ distinctè proponuntur & variis nominibus appellantur; Ita Jacob benedicens filiis Josephi; *Deus ille ante cujus conspectum indesinenter ambularunt patres mei Abraham & Isaac, Deus ille qui pascit me ex quo die sum usque in diem hunc, Angelus ille qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis* Gen. XLVIII. 15. 16. Sic David, *Verbo Iehovæ cœli facti sunt & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum* Psal. XXXIII, 6. Sic Prophetæ; *Nunc enim Dominus Iehovæ mittit me & Spiritus ejus* Esa. XLVIII, 16. & *In omni angustia eorum non affecit eos angustiâ, sed Angelus faciei suæ servavit eos; dilectione suâ & clementiâ ipse vindicavit eos, & imponens eos sibi bajulavit eos omnibus diebus seculi; nam ipsis rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum Sanctitatis ejus* &c. Esa.

a *Est supra, non contra rationem.* b *Demonstratur ex Scripturis. I. in communi, Ex V.T.*

Esa. LXIII, 9. 10. & *Sum vobiscum dictum Iehovæ exercituum, cum Verbo quo pepigeram vobiscum, & Spiritu meo stante in vobis* Agg. II, 4. 5.

XLVI. Clariora tamen adhuc sunt quæ habet (*a*) N. T. & eò spectant potissimùm tum ipsius Christi Baptismus, in quo palàm S. Trinitas se revelavit, Patre clamante è cœlo, & Spiritu super Filio visibiliter descendente; *Et baptizatus Iesus ascendit statim ex aqua & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam & venientem super ipsum; Et ecce vox adfuit è cœlis dicens, Hic est filius ille meus dilectus in quo acquiesco* Matth. III, 16. 17. tum nostri formula, in qua Pater, Filius & Spiritus Sanctus, tanquam ejusdem autoritatis & naturæ, conjunguntur; ac illis tribus non *nomina*, sed nomen unum assignatur; *Profecti, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti* Matth. XXVIII, 19. Quibus adde plurima alia loca valdè luculenta: *Ego rogabo Patrem & alium advocatum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum*; & *Cùm venerit advocatus ille quem ego vobis mittam à Patre, Spiritus ille veritatis qui à Patre emanat, ille testabitur de me* Johan. XIV, 16. XV, 26. *Gratia Domini Iesu Christi & charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis* 2 Cor. XIII, 13. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt* 1 Joh. V, 7. *Gratia vobis & pax, à Qui est Qui erat & Qui venturus est, & à septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, & à Iesu Christo qui est fidus ille testis* Apoc. I. 4. 5. Quæ
S. omnia Sociniani frustra conantur in sensum alium contorquere.

XLVII. Imò desperatæ causæ argumentum est quod velint in suspicionem vocare fidem duorum locorum primariorum, Matth. XXVIII, 19. & Joh. V, 7. cùm & primum omnes omninò Codices semper habuerint, & secundum vetustissimi plures, imò ante Arium ac Athanasium quidam Ecclesiæ Scriptores, ut nominatim Cyprianus. Quare ut de primo consentiunt in hunc diem omnes Codices & omnes Versiones, sic fraudi Arianorum debet adscribi quod posterior in quibusdam exemplaribus non extet; unde & à Syro interprete & à Luthero in sua versione perperam omissus fuit, cùm vel ipsa textus connexio eum satis evidenter exigat.

XLVIII. Quæ verò adferuntur pro unitate personæ divinæ, Vel ad unitatem essentiæ spectant, exclusis scilicet ab illius participio falsis diis, non personis ὁμοουσίοις, ut patet conferenti loca sequentia; *Audi Israël, Iehova Deus Iehova unus est* Deut. VI, 4. item, *Qui extendit cœlos solus & calcat excelsa maris* Job. IX, 8. item, *An est Deus præter me* Esa. XLIV, 3. item, *Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam* 1 Tim. VI, 16. cum iis quæ extant de Filio in sacris literis his planè supparia; Nam Joh. I, 3. & Col. I, 16. ei omnium rerum tribuitur creatio (adeo ut *omnia per ipsum facta sint*, nempe *quæ in cœlis sunt & in terra, visibilia & invisibilia*) quæ tamen soli Jehovæ Deo Israëlis adscribitur; Sic in epistola Judæ com. 4. Jesus Christus dicitur *solus herus Deus ac Dominus noster*, & femori suo inscriptum habet hoc nomen Apoc. XIX, 16. *Rex Regum & Dominus Dominantium*, ad exclusionem falsorum Numinum, non Patris vel Spiritus Sancti. Vel distinguunt objecta cognitionis salutiferæ, personas verò non segregant, sed coæquant potiùs; ut in illo Christi dicto celebri, *Hæc est vita æterna ut te cognoscant esse illum solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum* Joh. XVII, 3. Cui par videtur esse quod extat 1 Cor. VIII, 16. *Nobis unus est Deus, Pater ille à quo omnia & nos in ipso, & unus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum*: Sic enim Filius in unitate Divinitatis quæ tribuitur Patri est includendus, ut Pater in unitate Dominii quod tribuitur Christo. Vel Patris nomen sumunt οὐσιωδῶς non ὑποστατικῶς, ut Eph. IV, 6. *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & per omnes & in omnibus vobis.*

XLIX. Præsertim (*b*) veritas Trinitatis inde constat, quod non solum Pater Domini nostri Jesu Christi (de quo nemo dubitat, nisi quod olim Marcionitæ negabant Creatorem, & conditorem V. T. eundem esse cum Patre Christi & autore N. contra quam docet ipse Christus Matth. XI, 25. ubi Patrem suum salutat *Dominum cœli & terræ*, & Joh. VIII, 51. ubi sic loquitur, *Pater ille meus, is est qui glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum esse.*) sed cum eo Filius & Spiritus Sanctus, etsi personis distincti, sint unus ille & verus Deus Israëlis, benedictus in secula. Id de utroque patet invictis argumentis, ad quorum sedes generales digitum intendemus.

L. Petuntur ergo. I. (*c*) A *Nominibus* divinis:

Nam

a *Ex* N. T. b 2. *In particulari de* Filio & Spiritu Sancto, *argumentis petitis.* c *a* Nominibus.

Nam quæ Jehovæ in V. T. ea Christo in N. tribuuntur; ut, Quod *tentatus* sit & *irritatus* ab Israëlitis murmuratoribus in deserto Num. XIV, 22. XXI, 5. 6. Psal. XCV, 9. Esa. LXIII, 10. Nam Paulus in hanc sententiam ita habet, *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt* (supple *ipsum*) *& à serpentibus perierunt* 1 Cor. X, 9. Quod omnia condiderit; Nam quod Jehovæ tribuitur Psal. CII, 26. à Paulo Christo vindicatur, ceu dictum ad ipsum, *Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli; Ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes ut vestimentum veterascent, ac velut amictum circumvolues eos & immutabuntur; tu autem idem es & anni tui non deficient* Hebr. I, 10. Quod Esaiæ apparuerit Esa. VI, 1. Etenim eum qui apud Prophetam com. 5. *Iehova exercituum* appellatur, fuisse Christum docemur Joh. XII, 40. 41. ubi Euangelista citato dicto Esaiæ, *Excæcavit oculos eorum* &c. subdit, *Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus*, nempe Christi; *& loquutus est de eo. Iehova* etiam dicitur expressè Jerem. XXIII, 6. *Hoc nomen ejus est quo vocabit eum* (scilicet Israël) ὁ *Iehova justitia nostra*. Et *Deus* sæpè, non solùm attributivè, ὁ λόγος ἦν ὁ θεὸς, *erat ille sermo Deus* Joh. I, 1. sed etiam subjectivè, ut cum dicuntur Episcopi constituti ad *pascendam Ecclesiam Dei, quam suo illo proprio sanguine acquisivit* Act. XX, 28. & cum ejusmodi emphasi quæ ipsum verum Deum demonstret, non officio tantum & dignitate participatâ, ut cavillantur Sociniani, sed essentiâ & naturâ, ut Joh. XX, 28. *Domine mi & Deus mi*: Rom. IX, 5. *Supra omnes Deus benedictus in sæcula*; Tit. II, 13. *Magnus ille Deus & servator noster Iesus Christus*; Joh. V, 20. *Verus Deus & vita æterna*. Sic & *forma Dei* illi tribuitur & cum Patre justa æqualitas; *Qui cum esset in forma Dei non duxit esse rapinam parem esse cum Deo* Phil. II, 6. & *Dominus* etiam κατ᾽ ἐξοχὴν sæpè dicitur; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* Psal. CX, 1. Ex quo loco Christus ipse colligit Messiam aliquid ampliùs futurum quam filium Davidis: siquidem *David per Spiritum vocat eum Dominum* Matth. XXII, 43. 44. *Quin Dominus gloriæ* dicitur 1 Cor. II, 8. & *Dominus Dominantium* Apoc. XIX, 16.

LI. Idem de Spiritu Sancto statuendum. Nam 2 Sam. XXIII, 2. 3. Spiritus Domini est etiam Deus Israëlis. *Spiritus Iehovæ loquutus est in me, & sermo ejus per linguam meam; Dixit Deus Israëlis, mihi loquuta est rupes Israëlis*; Et quæ sunt *Iehovæ exercituum* Esa. VI, 9. Spiritui Sancto tribuuntur Act. XXVIII, 25. 26. *Benè loquutus est Spiritus Sanctus per Esaiam dicens, Vade ad populum istum, & dic, auditu audietis* &c. Et Ananias mentiendo Spiritui Sancto mentitus est Deo Act. V, 3. 4. *Cur implevit Satanas cor tuum ut mentireris in Spiritum Sanctum?* &c. *Non es mentitus hominibus sed Deo.* Fidelis etiam quilibet Templum Dei & Spiritus Sancti promiscuè dicitur; *An nescitis corpus vestrum esse templum Dei & Spiritum Dei habitare in vobis?* 1 Cor. III, 16. & 1 Cor. VI, 19. *An nescitis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti?* Sic etiam *Dominus* appellatur 2 Cor. III, 17. 18. *Dominus verò Spiritus ille est; Vbi autem Spiritus ille Domini, illic libertas: Nos autem omnes retectâ facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, sicut à Domino Spiritu.*

LII. 2. (a) Ab *Attributis*. Sic *Æternitas* tribuitur Filio Mich. V, 2. *Ejus enim exortus inde à principio à diebus sæculi sunt*: & Joh. VIII, 58. *Priusquam Abrahamus existeret*, (inquit ipse) *ego sum*: Quare Joh. XVII, 5. sic compellat Patrem, *Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum eâ gloriâ quam habui apud te priùs quam mundus esset.* Hinc dicitur *primogenitus omnis rei conditæ*, qui *est ante omnia, & per* quem *omnia consistunt* Col. I, 15. 17. & *sunt* Hebr. II, 10. qui semper *idem est* & *anni* ejus *non deficient* Hebr. I, 12. *α & ω, principium & finis, primus & ultimus* Apoc. I, 8. XXII, 13. Item Spiritui Sancto, eò quod in prima creatione *incubabat superficiei aquarum* Gen. I, 2. Sic *infinitas* & omnipræsentia tribuitur Filio; *Vbi enim* (inquit ipse) *sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum* Matth. XVIII, 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Ita Joh. III, 13. *Nullus ascendit in cœlum nisi qui descendit è cœlo, nempe filius hominis qui est in cœlo.* Spiritui Sancto pariter Psal. CXXXIX, 7. *Quo irem à Spiritu tuo, aut quo à facie tua fugerem?* Sic *omnipotentia* tribuitur Filio Joh. V, 19. *Quæcunque* enim Pater *facit, Filius pariter facit*, & *transfigurabit corpus nostrum humile ut conforme fiat suo corpori glorioso, pro vi illa efficaci quâ potest etiam subjicere sibi omnia* Phil. III, 21. quippe qui *sustinet omnia verbo suo* potenti

a *Ab* Attributis.

potenti Hebr. I, 3. Spiritui Sancto itidem, cujus sunt *distinctionis donorum*, quæ ut ut varia in Ecclesia, *tamen omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis sicuti vult* I Cor. XII, 4. 11. Sic *omniscientia* Filio assignatur Joh. II, 25. *Nec opus erat ut quisquam ei testaretur de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine:* Quod agnoscens Petrus illi dicebat, *Domine tu omnia nosti* Joh. XXI, 17. & *scrutatorem renum & cordium* ipse se vocat Apocalyp. II, 23. Spiritui Sancto quoque Joh. XVI, 13. *Quum venerit Spiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem;* *Omnia* enim *scrutatur, etiam profunditates Dei* I Cor. II, 10.

LIII. 3 (*a*) Ab *Operibus divinis*. Nam *Creatio* tribuitur non soli Patri, sed etiam Filio, & Spiritui Sancto: *Verbo Iehovæ cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum* Psal. XXXIII, 6. *Spiritu suo cœlos ornavit* Job. XXVI, 13. *Spiritus Dei fortis fecit me, & afflatus Omnipotentis vitam indidit mihi* Job. XXXIII, 4. *Omnia per hunc sermonem facta sunt & absque eo factum est nihil quod factum est* Joh. I, 3. *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive imperia, sive dominia, sive potestates; omnia per eum & ejus respectu condita sunt, estque ipse ante omnia & omnia per eum consistunt* Col. I, 16. 17. & Pater per *eum etiam mundum condidit* Hebr. I, 2. *Miracula* similiter fecit Christus propriâ virtute; *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat* Joh. V, 21. Ut meritò dixerit *propter ipsa opera credite mihi* Joh. XIV, 11. Fecerunt & miracula illius discipuli in ejus nomine per Spiritum Sanctum: *Donum* enim *sanationum* & *operationum virtutum* per Spiritum acceperant I Cor. XII, 9. *Redemtionis* etiam & salutis opus Filium habet autorem, non merum ministrum; *Vocabis nomen ejus Iesum; Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius* Matth. I, 21. Et *in ipso vita erat* Joh. I, 4. Sicut *Sanctificatio* & unctio Christi & Fidelium est à Spiritu Sancto: Esa. LXI, I *Spiritus Domini Iehovæ est super me, eo quod unxit Iehova me ad euangelizandum mansuetis;* Et *nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei* Joh. III, 5. At *si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis* Rom. VIII, 11. Nam per illum Spiritum eundem *obsignati* sumus *in diem redemtionis* Eph. IV, 30. Et *vos*, inquit Johannes ad pios, *unctionem habetis à Sancto illo & nostis omnia* I Joh. II, 20.

LIV. 4 (*b*) Ab *Honoribus divinis* soli vero & æterno Deo debitis, cujusmodi sunt Fiducia & Adoratio ac religiosus Cultus; Nam *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine* Jer. XVII, 5. & *Dominum Deum tuum adorabis ac illi soli servies* Matth IV, 10. Hi tamen honores sunt deferendi non soli Patri, sed Filio quoque & Spiritui Sancto, etiam juxta commune Symbolum Christianorum, in quo credere nos profitemur in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; & in nostro Baptismate invocatur super nos nomen Filii & Spiritus Sancti, non minus quam Patris, ex ipsiusmet Christi præscripto Matth. XXVIII, 19. Uterque etiam cum Patre invocatur 2 Cor. XIII, 13 *Gratia Domini Iesu Christi & charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* Johannes similiter Ecclesiis gratiam & pacem precatur non solum à Patre, sed etiam à Spiritu septiformi & à Jesu Christo Apocolyp. I, 4. 5. Et sicut Stephanus conceptis verbis Christum invocabat Act. VII, 59. 60. *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, item *Domine ne statuas eis hoc peccatum*, sic eo ipso quod pius quilibet sit *templum Spiritus Sancti* 2 Cor VI, 19. ejus invocatio religiosa constabilitur; cùm templum *domus precationis* debeat esse Matth XXI, 13. Ut verò prætereamus tot Scripturæ loca quæ fiduciam in Christo reponendam esse docent, inter quæ insigne est ipsius dictum Joh. XIV, I. *Ne turbator cor vestrum; creditis in Deum, credite etiam in me;* necnon varia Adorationis religiosæ illi exhibitæ exempla, adeo ut nec ab eo cultu Angeli eximantur, *Et adorent eum omnes Angeli Dei* Hebr. I, 9. satis esto observasse quod eum cultum, quem sibi Jehova deberi profitebatur Esa. XLV, 22. 23. *Respicite ad me & servemini omnes fines terræ, nam ego sum Deus fortis, & nullus præterea; Per me juravi, prodiit ex ore meo iuste verbum quod non revocabitur, mihi incurvabitur omne genu;* necessario Christo deferre debeamus, *intuentes in fidei ducem & consummatorem Iesum* Hebr. XII, 2. cui datum est *nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum* Phil. II, 9. 10. Unde illud Esaiæ, dictum expressè de Christo interpretatur Apostolus

a ab Operibus. b ab Honoribus.

Rom. XIV, 11. Quid quod ſpeciale peccatum *in Spiritum Sanctum non remittetur neque in hoc ſæculo* P.S. *neque in futuro*? Matth. XII, 32. Pontificii tamen hoc argumentum à cultu religioſo, non poſſunt præſtare contra Socinianos, Photinianos, Arianos, alios-ve Antitrinitarios, quandoquidem eundem iis deferunt qui naturâ Dii non ſunt. Sed neque Sociniani poſſunt Pontificios idololatriæ reos peragere in cultu religioſo creaturarum, cùm illum exhibeant aut ſaltem exhiberi poſſe ſtatuant Chriſto, quem tamen naturâ Deum eſſe negant.

LV. Quod verò Chriſtus homo aliquando dicitur, non infert negationem naturæ divinæ, ſed eam ſupponit; quoniam Dei Filius naturam humanam aſſumſit in unitatem perſonæ; nam *ſermo caro factus eſt* Joh. I, 14. & ita *Deus conſpicuus factus eſt in carne* I Tim. III, 16. Filius item omnia habet à Patre, ſed ut quædam in tempore & per gratiam unionis & quà θεάνθρωπος, ut quod profitetur *datam* ſibi omnem *poteſtatem in cælo & in terra* Matth. XXVIII, 18. & *authoritatem judicium exercendi etiam quatenus Filius hominis eſt* Joh. V, 27. ſic quædam ab æterno & per generationem, præciſè ut λόγος; *Sicut enim Pater vitam habet in ſeipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſeipſo* Joh. V, 26.

LVI. Ita propter Oeconomiam exinanitionis, officium Legati, & reſpectu naturæ humanæ quam aſſumſit in tempore, Patrem ſe majorem agnoſcit ſuumque Deum ſæpè vocat, & illi opera ſua plerumque adſcribit; ſe tamen non excludit, ut pote qui *quæcunque* Pater *facit pariter* faciat, & etiam *quos vult vivificet*, non ſecus *ac Pater ſuſcitat mortuos ac vivificat* Joh. V. 19. 21 Quare non minus in ſui quam Patris cognitione ſalutari vitam collocat Joh. XVII, 3. Solus Pater fuit Deus Iudæorum excluſis falſis Diis, ſed incluſis Filio & Spiritu Sancto, ſicut & Chriſtus *ſolus verus Herus & Deus* vocatur Iud. com. 4. non ad excludendum Patrem & Spiritum Sanctum, ſed falſos Deos.

LVII. (*a*)Ne autem poſſint cavillari Sociniani cùm Macedonianis & aliis Pneumatomachis, Spiritum eſſe virtutem Dei, non diſtinctam à Patre perſonam, obſervetur, non ſolùm à Patre & Filio diſtingui tanquam *alium* qui veniat ab ipſis *miſſus*, *Ego rogabo Patrem & alium advocatum dabit vobis* Ioh. XIV, 16. & *cùm venerit advocatus ille quem ego vobis mittam à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre emanat, ille teſtabitur de me* Ioh. XV, 26. ſed & omnia perſonalia illi tribui; Ut creare & vivificare; *Spiritus Dei fortis fecit me* Iob. XXXIII, 4. Intelligere & ſcrutari corda; *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunditates Dei* I Cor. II, 10. Velle & operari ac ſua chariſmata diſtribuere; nam *omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, diſtribuens privatim illa ſingulis ſicuti vult* I Cor. XII, 11. De Chriſto *teſtari*, *docere* Apoſtolos, eos *ducere in omnem veritatem*, fideles *conſolari*, *obſignare*, *regenerare*, *inhabitare* &c. Conjungitur itaque Patri & Filio in baptiſmate non ut res, ſed ut perſona, perſonis, quarum nomine conſignamur.

LVIII. Quid quod apparuit formâ ac *ſpecie corporeâ columbæ* in baptiſmate Chriſti Luc. III, 22. & *diſpertitarum linguarum inſtar ignis* in die Pentecoſtes Act. II, 3. 4. In ipſum peccatur graviſſimè & irremiſſibiliter, nam *quiſquis loquutus fuerit in Spiritum Sanctum non remittetur ei* Matth. XII, 32. Et peccatis exacerbatur ac offenditur, ut Iſraëlitæ in deſerto dicuntur *dolore affeciſſe Spiritum Sanctitatis* Domini Eſa. LXIII, 10. & prohibet Paulus ne eum *contriſtemus* Eph. IV, 30. Quo minus verò in his & ſimilibus proſopopœæ ſit locus, obſtat non ſolùm quod tot diverſarum proſopopœarum in uno ſubjecto exemplum aliud nullum proferri poſſit, ſed etiam quod Scriptura conſultò uſa eſt enallage generis cùm agit de Spiritu Sancto, relativum maſculinum adjiciens neutro πνεῦμα, ut perſona intelligatur, non ſolum Ioh. XVI, 13. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ſed etiam Eph. I, 13. 14. *Poſtquam credidiſtis obſignati eſtis* τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν *hæreditatis noſtræ*.

LIX. Quod ſi nonnulla videntur tribui Spiritui Sancto minus convenientia perſonæ, ut quod effundatur à Patre, eo ungamur, repleamur, baptizemur, illi communicemus, & ſi quæ ſunt ejuſmodi, illa de donis Spiritus in nobis debent intelligi, ſic tamen ut perſonæ ejus veritatem præſupponant. Tum ipſe Chriſtus dicitur eſſe in Patre, & Pater in ipſo, à Patre exiiſſe, à nobis indui, recipi, manducari, participari &c. citra perſonalitatis ſuæ præjudicium, Non ſemper quidem conjungitur expreſſe hæc perſona duabus aliis, ſed ſatis eſt id aliquando fieri. Virtus denique eſt altiſſimi & Spiritus Dei nobis datus;

(*a*) 3. *Specialiſſimè* Perſonalitas Sp. S. *adſtruitur*.

tus; non accidentalis, sed essentialis & personalis; Sanè Filius non ideo non est persona, quod Filius Dei & Dei donum appelletur.

LX. Hæc (a) doctrina tandem habet quoque suos usus practicos; Commendat enim Dei benignitatem, quâ ea de se nobis revelavit, ad quæ nullo rationis acumine poteramus pervenire. Nos ad modestiam & humilitatem invitat, cùm videmus tantum inter ipsum & nos esse discriminis, non solum quoad essentiam & majestatem, sed etiam quoad personalitatem & subsistentiam. Docet communicationi studendum pro nostro modulo, juxta illud Pauli, *Beneficientiæ & communicationis ne obliviscimini* Hebr. XIII, 16. cùm etiam processiones divinæ, bonum esse sui communicativum ostendant. Monet humanam beatitudinem non consistere in solitudine & vita anachoretica, cùm plures personæ ad divinam fœlicitatem requirantur, & huc facit quod dicit ipse Deus, *Non est bonum hominem esse solum* Gen. II, 18. Unde Salomon, *Meliores sunt duo quam unus, quia est ipsis præmium bonum ex labore suo; nam si cadant eorum unus erigit socium suum; væ autem illi unico qui ceciderit, cùm non adsit secundus ad erigendum illum; Etiam sive cubent duo concalescunt illi, unicus autem quomodo incalesceret?* Eccl. IV, 9. 6. 7. 8. Denique indicat ad quod fastigium caro nostra, à λόγῳ assumta in unitatem persona, evecta sit, & quam certò salus æterna nobis per eum acquiratur qui est Patri ὁμοούσιος & æqualis.

a *Dogmatis hujus* Usus practici.

LOCUS QUARTUS;

De

DEI DECRETIS,

Providentia & Prædestinatione.



HActenus de Deo; (a) Opera Dei deinceps veniunt consideranda, non quidem Personalia *ad intra*, de quibus in loco præcedenti, sed Essentialia & *ad extra*, quorum terminus est Creatura; Ea vero non incommodè in (b) Immanentia vel interna, & Transeuntia vel externa distribuuntur: Illa sunt absolutè æterna, hæc fiunt in tempore vel cum tempore: Illa sunt Dei de Creaturis consilia; hæc ejus operationes in illis vel circa illas: Illa minus propriè opera Dei dicuntur (utpote non realiter distincta ab ipso operante,) quam hæc, quæ effecta ab eo realiter distincta sonant.

II. Quoniam tamen illa (c) priora sunt ordine temporis & naturæ, ad quæ cœtera se habent ut Tabernaculum ad suum exemplar, de quo dictum Mosi, *Vide igitur & fac ex structura istorum quæ tibi exhibita est videnda in hoc monte* Exod. XXV, 40. priùs quoque de illis agendum. *Decreta* Dei vulgò dicuntur; quæ illi competunt non ἀνθρωποπαθῶς, sed propriè, quia propriè Deo conveniunt Consilium, Beneplacitum, Voluntas, quibus Decretum ejus exprimitur, remotâ tamen omni illâ imperfectione quæ in humanis consiliis reperitur. Ei itaque *consilium* tribuitur (prout *agit omnia ex consilio voluntatis suæ* Eph. I, 11. *fecerunt*que hostes Christi *quæcunque manus Dei & consilium* ejus *priùs prædestinavit ut fierent* Act. IV, 28.) respectu judicii perfecti, quo omnia facit consultò, id est sciens & volens, non respectu inquisitionis deliberationis-ve alicujus, quâ non est opus ei cujus *oculis omnia sunt nuda & intimè patentia* Hebr. IV, 13.

III. (d) Decreta vero Dei sunt *illius æterna & sapientissima consilia quibus liberè & certò statuit de iis omnibus quæ futura erant in tempore*; Unde patet ea esse tanquam ideas, sive exemplaria præexistentia in mente Divina operationum suarum, ad

a Opera DEI *ad extra*. b *Immanentia & Transeuntia*. c *Priora* DECRETA DEI *sunt*. d *Quæ sunt quasi futurorum Ideæ*.

ad quæ illæ in tempore exiguntur: nam omne agens liberè & ex conſilio agit ad ideam: Sed ideæ humanæ colliguntur ex rebus ipſis per *analyſin*; Divinæ rebus præexiſtunt per *geneſin*; nec imprimuntur aut accedunt aliunde, ut humanæ; ſed tantum exprimuntur in rebus ipſis, ſuntque ipſiuſmet Dei eſſentia, prout ab ipſo Deo intelligitur ceu imitabilis vel imitanda ab & in Creaturis; ad quarum reſpectum ideæ divinæ ſunt multæ, ita ut unius creaturæ idea non ſit idea alterius.

IV. Tum Ideæ ſunt in Deo omnium perfectionum quæ obtingunt Creaturis, non verò imperfectionum quà talium, quarum cognitio pendet à negatione perfectionum quibus privativè opponuntur. (*a*) Sed cùm ideę in mente divinâ pertineant vel ad ſcientiam naturalem ſive ſimplicis intelligentiæ, vel ad liberam ſive viſionis, priori reſpectu ſolam rerum poſſibilitatem denotant, & ſunt duntaxat rerum factibilium; poſteriori verò cùm ſint rerum factibilium & faciendarum ſimul, repræſentant quoque illarum futuritionem certam & exiſtentiam actualem, quæ etiam illis reſpondet exactiſſimè ſuo tempore. Illæ autem ideæ nullâ ratione favent imaginario ſpeculo
P. Trinitatis Pontificiorum, in quo Angeli & Beati omnia videant; Illi enim nequeunt conſilia Dei penetrare, nec poteſt fieri ut ſcire eorum materialiter & formaliter non ſit diſtinctum à ſcire Dei; quod tamen dici non poteſt ſi in ideis divinis & per illas omnia cognoſcant.

V. Sed quamvis (*b*) Decreta Divina ſtatuantur ideæ rerum omnium de quibus facta ſunt, Decretorum tamen nomen latiùs patet, cùm idea ſuo formali conceptu, ac prout non notat generaliter quamlibet notionem, dicat tantum ſpeciem intelligibilem in mente opificis & cauſam exemplarem rerum; Decretum verò ſonet earum cauſam efficientem principalem, & complectatur in Deo, præter mentis divinæ conceptum, tùm finem propoſitum, qui eſt ipſius gloria, nam *omnia operatur Iehova propter ſe* Prov. XVI, 4. *ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ qua nos gratis ſibi acceptos effecit in illo dilecto* Eph. I, 6. tùm etiam intentionem voluntatis, quæ εὐδοκία dicitur Matth. XI, 26. *Etiam Pater* ὅτι οὕτως ἐγενέτο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Deo tribuitur
S. non *inhæſivè*, inſtar accidentis, ut Socinus &
V. Vorſtius ſomniant, ſed *attributivè & denominativè*, nec reale diſcrimen inter Deum & ipſius decretum fingi debet.

VI. Igitur (*c*) in Dei decreto concipitur 1. Eſſentia divina, per modum actus vitalis ſignificata, quatenus neceſſariò terminatur ad ipſum Deum, tanquam objectum primarium, & adhuc in ſigno rationis indifferens eſt ad objecta creata; 2. Ejuſdem eſſentiæ terminatio ad creaturas producendas ac regendas, ſine ulla ſui mutatione vel reali additione: Poſteriori reſpectu, nempe *terminativè*, liberum eſt & reſpectivum; Priori, *ſubjectivè* & quoad exiſtentiam, reale ac neceſſarium. Eſt item *actu* unum, quatenus uno & ſimplici actu voluntatis ſuæ omnia ab æterno decrevit, ſed multiplex *objectivè*.

VII. Nec (*d*) decretum tamen Dei ita debet refundi in ejus voluntatem, ut hæc ab illo non diſtinguatur; nam voluntas Dei conſideratur à Theologo ut ejus attributum; Decretum, tanquam illius operatio, immanens quidem & interna, ſed tamen ad extra: Illa per modum facultatis, hoc per modum actus vitalis ab ea facultate manantis. Voluntas etiam Dei diſtinguitur ab ejus Scientia & Potentia; ſed utraque cùm voluntate ſtatuente concurrit ad Decretum; illa ut Principium intelligens, hæc ut exſequens: Denique voluntas habet rationem attributi ſimplicis & abſoluti, Decretum complexi & relativi.

VIII. (*e*) Decretorum verò divinorum quinque veluti proprietates ſunt annotandę. (*f*) 1. *Æternitas*; Hinc dicuntur *nota Deo ab omni ævo omnia opera ſua* Act. XV, 18. & Sapientiam Euangelicam *præfinit ante ſæcula ad gloriam noſtram* 1 Cor. II, 7. imò *nos elegit in Chriſto ante jactum mundi fundamentum* Epheſ. I, 4. & *ſervavit nos ex ſuo propoſito & gratia quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæculorum* 2 Tim. I, 9. Fruſtra autem Vorſtius eam conatur negare; cùm Deus dici nequeat præceſſiſſe ſua decreta tempore aliquo finito, quia non eſſet infinitus; vel infinito, quaſi nihil potuerit decernere niſi poſt infinitum tempus; Tùm nihil accidit Deo in tempore, nec inſtar hominum conſilium ſumit in arena; *Deus fortis non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat* Num. XXIII, 23. & *qui eſt æternitas Iſraëlis non committet mendaciter, neque pænitebit eum; non enim homo eſt ut pæniteat eum* 1 Sam. XV, 29. *neque ſunt cogitationes meæ ut cogitationes veſtræ, neque ut viæ veſtræ,* V.

a *diſtinguendæ ab* Ideis *poſſibilium*. b *Imo* Decreta *&* Ideæ *diſtinguuntur* c Decretum *quo ſenſu in Deo concipi debet*. d *Qui differat ab ejus* voluntate. e *Ejus* proprietates. *f* 1. Æternitas.

viæ meæ, dictum Iehovæ Esa. LV, 8. Datur in decretis divinis pro nostro concipiendi modo prioritas ordinis, non durationis: Præcedit quoque causa libera suum effectum ordine naturæ, non necessariò temporis, ut patet in Angelis; quamvis nec Deus Decreti sui causa, sed principium potiùs statui debeat. Et licet Creatura nihil possit statuere absque prævia deliberatione ordine temporis, tamen Deus perfectissimus, ad illas angustias non est redigendus: Et cùm sit absolutè æternus, talia erunt ejus decreta, quæ revera nihil aliud sunt quam ipsemet decernens.

IX. (*a*) 2. *Sapientia*; Nihil enim Deus decernit ἀλόγως & cujus ipsi ratio non constet certissima, etsi consilia ejus nobis sint inscrutabilia; juxta illud Pauli, *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! Quam inscrutabilia sunt ejus judicia & ejus viæ impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, atque quis ei fuit à consilio?* Rom. XI, 33. 34. Et quamvis Deus hominum more non discurrat ab uno ad aliud, sed uno & simplicissimo actu decreverit ab æterno de omnibus futuris in æternum, neque sit in illo prius & posterius, tamen Decreta Dei considerata, non *formaliter* & *subjectivè* ratione actus Divini, qui simplex est & indivisus, sed *objectivè* & *termitativè* ad Creaturas, nobis proponuntur in Scripturis tanquam ordine suavissimo & sapientissimo inter se cohærentia, quod etiam ex ordine executionis colligitur; quò pertinet armilla aurea Pauli Rom. VIII, 29. 30. *Quos præscivit etiam prædestinavit conformandos imagini filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres; Quos verò prædestinavit eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam justificavit, quos autem justificavit eos etiam glorificavit.* Sic Eph. I, 11. *In quo etiam in sortem adsciti sumus quùm essemus prædestinati secundum præstitutum ejus qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ.*

X. (*b*) 3. *Libertas*; quoniam solo Dei beneplacito nituntur: *Etiam Pater quia ita placuit tibi* Matth. XI, 26. *Annon* enim *licet* ipsi *de suo facere quod vult?* Matth. XX, 15. Et *An sicut figulus iste non possem facere vobis, ô domus Israëlis? dictum Iehovæ; ecce ut argilla in manu figuli, ita vos estis in manu mea* Jer. XVIII, 6. quod repetit Paulus Rom. IX, 21. *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?* Quamvis Deus semper agat quod est optimum, prout convenit optimo & sapientissimo agenti, semper tamen agit ad extra liberrimè, non tantum libertate *spontaneitatis* & lubentiæ, sed etiam & *contradictionis* sive exercitii, quia ut potuisset mundum non creare, sic potuisset nihil de Creaturis producendis & regendis decernere; & *contrarietatis* sive specificationis, quia de multis potuisset aliter, si ita ipsi libuisset, decernere.

XI. Si quæ tamen sunt ex illis, ut certè plurima sunt, quæ apertè in Dei Bonitatem, Misericordiam, vel Justitiam rejici debeant, non ideo minùs libera sunt, quandoquidem Deo visum est hoc modo Bonitatem, Misericordiam, vel Justitiam suam declarare. Sed & semper cavendum ne Libertatis Divinæ prætextu Dei Justitia & Sanctitas violetur, vel aliquid tyrannicum ei affingatur; ut fit ab illis qui negant virtutes ideo velle Deum quia bonæ sunt; & pertendunt in ejus libertate situm esse præcipere contrarium ut omnibus præceptis Decalogi, sic potissimum primo, secundo & tertio: ac statuunt, salvâ suâ Justitiâ posse planè innocentem Creaturam rationalem plectere & affligere; nec non hominem simpliciter ad impossibile obligare, & peccatum absque prævia satisfactione remittere; & facere contrarium ejus quod ipse prohibuerit.

XII. Horum enim & similium Paradoxorum πρῶτον ψεῦδος est quod veram & justam ac sapientissimam libertatem tribuendam Deo, qui sibi omnium actionum suarum lex est certissima, metiuntur ad licentiam ejus cui dicebatur, *Si lubet licet*; Cùm tamen vel ipsi Ethnici etiam maximæ libertati suas metas præfixerint. Quid quod Lex Dei in iis quæ sunt juris naturalis & immutabilis, nobis est viva imago naturæ & perfectionis Divinæ, quam ut non potest exuere, sic non potest non exprimere suis legibus, quibus vult Creaturas intelligentes obstringere, & sic eas in sui notitiam deducere.

XIII. Ut autem libertas decretorum divinorum non obest eorum æternitati, sic ex illorum libertate benè colligitur nullam illis extra Deum causam posse assignari, vel efficientem, vel meritoriam, vel finalem; scilicet ut sonant vel actus Divinæ voluntatis secundum suam entitatem increatam, qui sunt ab æterno, cùm ita sint ipse Deus; vel æternam terminationem divinorum actuum ad effectus eos qui destinantur Creaturis;

cùm

a 2. Sapientia. *b* 3. Libertas.

cùm illa ſit liberrima, & Deus tale ſit primum movens quod & omnia movet & à nemine movetur.

XIV. Si tamen conſiderentur effectus illi Decretorum Divinorum in Creaturis, eorum cauſa efficiens, meritoria, & finalis poterit aſſignari. Nam ſic Deus decrevit conferre electis ſalutem & gloriam per & propter Chriſtum, reprobos verò præterire & plectere propter ipſa peccata; utrumque ad laudem Gratiæ & Juſtitiæ ſuæ. Atque inde fit quod plurima Dei Decreta conſiderent Creaturas ſub quibuſdam circumſtantiis & conditionibus, quæ antecedenter ſe habent tùm ad ipſa Decreta ſpecialia, ſaltem quoad exiſtentiam objectivam, tùm maximè ad effectus per ea Decreta talibus Creaturis deſtinatos & conferendos.

XV. (*a*) 4. *Amplitudo*; Nihil enim accidit in mundo, de quo Deus non decreverit, vel efficienter ſi res ſit bona, vel permiſſivè ſi mala. Etſi autem id quod Deus decrevit permittere malum ſit, tamen illius permiſſio bona eſt, per quam lucem ſuam educit ex tenebris; potentiam ac ſapientiam ſuam magis commendat; indicat Creaturæ quid poſſit ſibi relicta, nempe in illud nihilum ex quo deſumta eſt redire; juſtitiam & miſericordiam ſuam patefacit; & naturam boni Creaturis intelligentibus meliùs aperit; cùm oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant.

XVI. (*b*) 5. *Immutabilitas & Efficacia*; Deus enim cùm ſit in ſe *immutabilis*, ut aliàs vidimus ex Malach. III, 6. Jac. I, 17. ita nec mutat ſententiam, quod modò confirmavimus ex Num XXIII, 23. & I Sam. XV, 29. & fiunt infallibiliter quæcunque decreverit, juxta illud Eſa XLVI, 10 *Conſilium meum ſtabit & omnem delectationem meam facturus ſum*; Item cap. LV, 10. 11 *Cum deſcendit pluvia aut nix de cœlo rurſus illuc non revertitur, ſed inebriat terram ipſam, facitque ut pariat ipſa & producat, ut edat ſemen ſatori & panem comedenti; Sic erit verbum meum quod egreſſum fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum; ſed faciet id quo delector & proſperabitur id quod emiſero:* Unde *Manus* & *Conſilium* Dei per quandam hendiadym junguntur Act. IV, 28 *Neceſſariò* itaque fit, quicquid Deus fieri decrevit, ſi rei futuritionem & eventus infallibilitatem ſpectemus, quia Deus propoſito ſuo nequit excidere; Sæpè tamen fit modo non neceſſario, ſed vel liberè, vel contingenter peragitur, prout decreta ſua vult exequi per cauſas non neceſſarias, ſed contingentes aut liberas.

XVII. (*c*) Reſpuimus ergo diſtributionem Decretorum divinorum à Neopelagianis Jeſuitis, P. Socinianis, Remonſtrantibus & ſimilibus excogi- S R. tatam, in *Abſoluta* & *Conditionata*; quia hæc nec efficacia, nec immutabilia forent; quanquam negari non poteſt decerni aliquando talem effectum, qui pendeat ex conditione aliqua antecedanea, quæ tamen ipſamet abſolutè ex aliquo Dei decreto ſive efficiente ſive permittente futura ſit. Huc trahere promiſſiones aut comminationes Dei conditionatas, eſt ejus mandata cum decretis perperam confundere: Quod & faciunt qui cum Lutheranis quibuſdam, Decreta faciunt L. alia *Legalia* alia *Euangelica*: licet enim doctrina Legis & Euangelii promulgetur ex Dei decreto, potiùs tamen exprimit quid Deus præcipiat hominibus, quam quid decreverit de ſingulis ab æterno.

XVIII. Optimè vero (*d*) diſtinguitur in *Efficiens* & *Permittens*. Illud Bonum ſpectat, quod non eſt niſi à Deo inceptore, adjutore, continuatore & conſummatore; prout dicebat Chriſtus, *Seorſim à me nihil poteſtis facere* Joh. XV, 5. *Deus enim is eſt qui efficit in vobis & ipſum velle & ipſum agere pro gratuita ſua benevolentia*, inquit Paulus Phil. II. 13. Hoc vero Malum & vitium, quod eſt propriè Creaturæ: Permiſſio hæc, (quo ſenſu iſta vox uſurpatur Actor. XIV, 16. ubi dicitur quod *Deus præteritis ætatibus ſivit* ſive *permiſit*, *omnes gentes ſuis ipſarum viis ambulare*) non otioſa eſt & iners, ſed actuoſa, decernens, ordinans adeoque ponens, quicquid contra negent Armi- R.S. niani & Sociani, futuritionem rei permiſſæ, nempe peccati; quâque decrevit quoddam malum, ſeriò alias ſibi exoſum ac improbatum, & à ſe prohibitum (*Non eſt* enim *Deus fortis qui delectetur improbitate* Pſal. V, 5. & de malis in proximum cogitationibus, falſis juramentis & ſimilibus, *omnia hæc ſunt quæ odi, dictum Iehovæ* Zach. VIII, 17. & ſicut *tentari malis non poteſt, ſic nec quemquam tentat*, eum pelliciendo ad malum Jac. I, 13.) non cohibere aut impedire, cùm ad id non teneatur, ſed ita ſinere fieri à Creatura, ut tamen modum illi ponat, illudque ordinet & dirigat ad bonum finem; cùm ſummæ ſit artis etiam ex venenis parare medicinam: Ita decretum permiſſivè lapſum Adami, ſive decretam permiſſionem & ſic futuritionem illius, contra Arminianos aliaſque Pelagii reliquias aſſerimus. P.R.

XIX. Præ-

a 4 Amplitudo. b 5. Immutabilitas & Efficacia. c *Rejectis vitioſis* diſtinctionibus *Decreti divini*, d *diſtribuitur* 1, *In* Efficiens & Permittens.

XIX. Præterea Decretum Dei vel est(*a*)*Generale*, vel *Speciale*. Generale est, *quo Deus in universis & singulis creandis, conservandis, gubernandis, gloriam sapientiæ, bonitatis & potentis suæ declarare constituit.* Æterna Dei *Providentiæ* dicitur; quam negare, Deum ipsum est abnegare; Hoc enim maximè respectu *dicit stultus cum animo suo, non est Deus* Psal. XIV, 1. Juxta illius Decreta, omnia actualiter regi, saniores ex Ethnicis agnoverunt, & variis comprobarunt argumentis, cujusmodi sunt ordo universi, Rerump. revolutiones, extraordinariæ pœnæ impiorum, proborum protectio singularis, futurorum prædictiones, morsus conscientiæ; cursus naturæ firmus, tendentia rerum quarumlibet, licet omni notitiâ destitutarum, ad certum finem, & cœtera quibus Deus se non *passus est esse expertem testimonii* Act. XIV, 17.

XX. (*b*) Fatum itaque, quod perperam Epicurei negabant, Pythagorici ad sola naturalia, necessaria & universalia restringebant, Aristoteles in sublunaribus non agnoscebat, Genethliaci, Mathematici & Chaldæi ex siderum situ & cursu vitiosè suspendebant, Stoici, juxta quosdam, quamvis aliud ex ipsis & Seneca maximè colligi posse videatur, causarum secundarum nexui sempiterno vi siderum ex sublunaribus cunctis provenienti, cui Deus ipse subjiceretur, alligabant, Christiana Theologia meritò suspicit, prout sonat, vel Divinum Decretum & quasi effatum de rebus creatis, vel causarum omnium complexum & dispositionem ad suos effectus, prout à Dei Providentia constanti & immutabili dependet.

XXI. (*c*) Providentiæ verò Divinæ regimini actuali, ut & illius Decretis, omnia subjici par est; cœlestia & terrestria, universalia & singularia, maxima & minima, necessaria & contingentia; Nec audiendi qui blasphemant Deum magna curare, parva negligere; nam ita Deus magnus artifex est in magnis, ut minor non sit in parvis. Eò ducit Scriptura, subjiciens Providentiæ divinæ *omnia*, juxta illud Davidis, *Quam ampla sunt opera tua ô Iehova, quam ea omnia sapienter fecisti!* Psal. CIV, 24. Nec immeritò dicitur *agere omnia ex consilio voluntatis suæ* Eph. I, 11. adeo ut *omnia per eum consistant* Col. I, 17. *sustineatque omnia verbo suo potente* Hebr. I, 3. Etiam *infima* quæque, nequidem *pullis* corvorum, *herbis* agri, *passerculis* quibuslibet & *capillis* nostris exceptis: Nam *dat jumentis cibum suum, pullis corvorum qui crocitant* Psal. CXLVII, 9. *Alit volucres cœli, quæ neque serunt neque metunt neque cogunt in horrea*, & *herbam agri quæ hodie extat & cras in clibanum conjicitur ita circumvestit, ut ne Salomon quidem cum universa sua gloria sic amictus fuerit* Matth. VI, 26. 29. 30. Et *nonne duo passerculi assario væneunt? & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro: Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt* Matth. X, 29. Et quæ aliàs maximè (*d*) *contingentia*, ut homicidia fortuita, *Deo ipso objiciente cæsum manui alterius id non quærentis*, ut habet lex Exod. XXI, 13. & Sortes; nam *in gremium conjicitur sors, à Iehova autem est tota ratio ejus* Prov. XVI, 33. unde sortes regis Babyloniæ Deus dirigit in Jerosolymas Ezech. XXI, 26. 27. Qui verò futura contingentia certò præsciri à Deo negant, ut Sociniani S.R.
& Novatores non pauci, etiam ea actuali Providentiæ consequenter subducunt.

XXII. Eidem Providentiæ Dei subjicimus, non modò ortum & occasum Solis & siderum, sed (*e*) nativitatem & mortem unius cujusque nostri, cujus terminum immobilem fixumque cum omnibus suis circumstantiis, contra Arminianos, P.R.
Lutheranos & Semipelagianos quoslibet, ex in- L.
victis Scripturæ locis asserimus; Etenim *præcisi sunt dies hominis; numerus mensium ejus penes te est, determinationes ejus fecisti quas non transgredietur* Job. XIV, 6. Et David, de sua generatione & conformatione in utero ejusque circumstantiis, *Hæc omnia in libro tuo scripta sunt* Psal. CXXXIX, 16. Sic tempus morti Christi præstitutum, *hora* illius dicitur: & cùm *studerent* ipsius adversarii *eum prehendere, tamen nemo injecit in eum manum quia nondum venerat hora illa ipsius* Joh. VII, 30. Neque dubium quin æquè sint dies nostri numerati ac *capilli* nostri Matth. X, 30. Nec tam prolongatio ultra metam, quam longævitas absoluta, piis promittitur Exod. XX, 11. *ut sis longævus super terram:* Ezechiæque dies non ultra terminum à Divina Providentia fixum prorogati fuerunt Esa. XXXVIII, 5. sed tantum ultra illud tempus, quo ex causarum secundarum dispositionibus & comminatione Dei, quæ licet conditionata, absolutè tamen efferebatur, jam morti proximus videbatur.

XXIII. Providentiæ quoque subsunt(*f*) actiones humanæ & voluntariæ; Inde Scriptura corda & voluntates hominum in Dei manu & dispositione

a 2. *In* Generale & Speciale: *quorum illud* Providentia *dicitur*. b *item sano sensu* Fatum. c *Cui* omnia *subsunt*. d *Etiam* contingentia: e *Ae vitæ nostræ* terminus. f Actiones *humanæ & liberæ*.

tione ponit; omnia nostra bona opera Deo asscribit; & eventus ac successum omnium nostrarum actionum ab ipso pendere docet; sicut Iosephus ad fratres suos dicebat, *Nequaquam vos estis qui misistis me huc, sed Deus ipse* Genes. XLV, 8. Et Deus ad Mosem Exod. IV, 11. *Quis statuit os homini, aut qui statuere potest mutum aut surdum, aut sensibus valentem, aut cæcum? nonne ego Iehova?* Qui sanè, ut est Psal. XXXIII, 14. 15. *è loco habitationis suæ prospicit in omnes habitatores terræ, formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.* Hinc Salomon. Prov. XVI, 9. *Animus hominis excogitat viam suam, sed Iehova statuit gressum ejus*, & Prov. XX, 24. *A Iehova sunt gressus viri; Homo autem quid intelligit viæ illius?* & Prov. XXI, 1. *Vt rivi aquarum, sic animus regis est in manu Iehovæ, quocunque vult inclinat eum.* Huc pertinet & illud Ier. X, 23. *Novi Iehova non esse penes hominem viam ipsius, non esse penes virum ambulantem vel dirigere gressum:* Et præsertim in genere boni ipse est qui *operatur omnia in omnibus* 1 Cor. XII, 6. & *velle & agere* Phil. II, 13. Ad ista attendens Apostolus sic nos compellabat; *Age nunc qui dicitis, Hodie vel cras proficiscemur in illam urbem & agemus ibi annum unum & mercabimur & lucrabimur; Qui ignoratis quid futurum sit postero die; quæ est enim vita vestra? vapor enim est ad exiguum tempus apparens & deinde disparens; pro eo quod dicere debuistis, Si Deus voluerit & vivamus, faciemus hoc aut illud* Jac. IV, 13. 14. 15. Nec enim libertas Creaturæ est
PS. simpliciter αὐτεξούσιος & independens, ut
R. vellent Pelagiani Veteres & novi, negantes Deum agere in liberum arbitrium, aut illud ad suos actus determinare.

XXIV. Quinimò(*a*) ipsa peccata nequeunt subduci Providentiæ divinæ, quæ non modò eorum pœnas justissimè exigit, sed etiam 1. Sustentat agens naturale, (nam *in ipso sumus, vivimus & movemur* Act. XVII, 28.) etiam cum malè agit. 2. Cùm actio mala *in genere moris* sit bona *in genere entis*, quin hoc sensu materiale actionis vitiosæ Deo sit tribuendum, ipsum verò formale vitium Creaturæ, dubitari nequit; prout claudicatio inter incedendum organo læso tribuitur, incessus verò ipse animæ. 3. Vario modo eam intervenire peccatis ipsis formaliter consideratis, non quidem efficiendis vel operandis, sed dirigendis, limitandis, ordinandis præter eorum naturam ex sua potentia ad bonum finem, varia loca Scripturæ luculenter comprobant; Sic Joseph fratribus suis dicebat, *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum, ut faceret sicut est die hoc, conservando in vita populum multum* Gen. L, 20. Sic Deus profitetur quod *aggravaverit cor* Pharaonis *& cor servorum ejus ut ederet signa sua in medio Ægypti*, enarranda postea ab Israëlitis Exod. X, 1. Sic Davidi per Nathanem dira interminabatur his verbis; *Ecce ego suscitaturus sum contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo, qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto Sole; Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israële & coram Sole* 2 Sam. XII, 11. 12. Et in visione Micæ, cùm quærenti quis pelliceret Achabum ut ascenderet in Ramoth Galaad & ibi corrueret, ad id obtulisset operam suam Spiritus quidam dicens, *Egressus ero Spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum ejus*, respondit ei, *Pellicies etiamque prævalebis, exi & fac ita; Quare nunc*, inquiebat Mica ad regem, *ecce indidit Iehova Spiritum mendacii ori omnium istorum Prophetarum tuorum; Interea loquutus est Iehova contra te malum* 1 Reg. XXII, 20. 21. 22. 23. Et annon pariter Esaiæ id dabat in mandatis? *I, ut dicas populo isti, Audite indesinenter at ne intelligatis, videte indesinenter neque cognoscatis; Fac ut pinguescat cor populi istius, & aures ejus fac ingravescant, oculique ejus fac conniveant, ne videat oculis suis & auribus suis audiat & corde suo intelligat, seque convertat & sanitas obveniat ei* Es. VI, 9. 10. Et fecisse adversarios Christi, sæviendo in ipsum, quæcunque *manus & consilium* Dei prædestinaverant futura, liquet ex Act. IV, 28. Imò ex Rom. I, 24. & 2 Thess. II, 10. 11. Deum improbos *tradere cupiditatibus cordium suorum ad impuritatem*, ac ipsis *immittere efficaciam erroris ut credant mendacio*, quod veritatis dilectionem abjecerint.

XXV. Manet(*b*) tamen Providentia Dei ordinata & incontaminata, etiam circa inordinata & peccata, ut radii Solares non commaculantur etsi in lutum aut cadaver influant. Et si quando idem opus Deo, Diabolo, & impiis adscribitur, ut Jobi calamitas & Christi passio, Deo tamen peccatum ipsum non debet tribui: Sed contra ejus sapientissimum agnosci consilium, quo etiam Creaturarum propriâ perversitate, ut Medicus hi-

a *Nequidem* peccatis *exceptis.* b *Tamen planè juste & sanctè;*

hirudinibus, præter earum intentionem, ad bonum finem utitur.

XXVI. (*a*)Impii quidem seipsos indurant abusu eorum quibus maximè debuissent emolliri; nempe *Longanimitatis* & *Beneficentiæ* Dei, cujus dum *divitias* contemnunt corde obdurato & impœnitenti, sibi ipsis *thesaurizant iram in diem iræ* Rom. II, 4. 5. Verbi itidem Divini quod est *odor mortis ad mortem iis qui pereunt* 2 Cor. II, 15. 16. Ferulæ & castigationum Divinarum; quò spectat querela Prophetæ; *ô Iehova annon oculi tui spectarent ad fidem? percutis eos, sed non dolent; consumis eos, renuunt accipere eruditionem; reddunt faciem suam obfirmatiorem petrâ, renuunt converti* Jer. V, 3. Sed & indurantur à Deo, justè negando auxilia indebitæ gratiæ per quæ emollirentur; permittendo, in pœnam præcedentium peccatorum, ut ea media contemnant quibus si eorum naturam spectemus fuissent emolliendi; scotomate eos percutiendo, ablato & extincto lumine mentis quo non benè utebantur; laxando frœnum quo cupiditates eorum impuras antea cohibebat; eos suis cupiditatibus malis & Satanæ tanquam tortoribus tradendo & mancipando; ea quoque illis suppeditando, quæ licet naturâ suâ aliò ordinentur, novit tamen aliorsum ipsorum corruptelâ esse trahenda.

XXVII. Peccata quoque præcedentia peccatis subsequentibus justissimè puniri, Deo ad supplicium alicujus dirigente & ordinante peccata vel propria vel aliena, ita tamen ut ex illis solum ipsi adscribatur quod pœnale & triste fuerit, non verò quod culpabile & turpe, constat ex Scriptura: Nam ita *Deus immisit affectum malum inter Abimelechum & Sichemitas* in pœnam fratricidii quod ille his annitentibus commiserat Judic. IX, 23. 24. Ita Jeroboamum suscitavit contra Salomonem, ut hunc illius defectione & perduellione puniret 1 Reg. XI, 26. Ita Spiritus deceptoris mendacium ordinabat in pœnam Achabi 2 Chron. XVIII, 21. Atque hinc facilè est intelligere quo sensu peccatum originale sit etiam pœna peccatis; quatenus videlicet justo Dei judicio propter Adami peccatum, quod commune fuit omnium in ipsius persona, tristi illi subsumus conditioni ut nascamur destituti justitiâ originali, & generationis nostræ lege leprâ illâ spirituali infecti quæ ad singulos propagatur.

XXVIII. In hac autem doctrina de Providentia Dei circa malum; (*b*) ut vitandus est Epicureismus & Pelagianismus, ex homine faciens Ens independens, sic declinanda impietas Manichæorum, Florinianorum ac Libertinorum, in Deum originem & causam peccatorum transcribentium; Mala quidem pœnæ ei sunt tribuenda, ceu justissimo judici, adeo *ut nullum sit malum in civitate quod Iehova non efficiat* Amos III, 6. quippe *cum ex ore Excelsi prodeat malum & bonum* Lam. III, 38. Sed mala culpæ soli Creaturæ ab officio suo sponte deficienti & aberranti. Dum verò Pontificii, Arminiani, Lutherani quidam, clamitant nos Deum facere authorem, fautorem & causam peccati, contra quam Confessiones nostræ publicæ palam testantur, & contorquent in sequiorem sensum dicta quorundam è nostris contra eorum mentem & doctrinam, non tam disputandi æstu abripiuntur, quam calumniandi œstro percelluntur. P.R. L.

XXIX. Porrò (*c*) Divina Providentia complectitur rerum I. *Conservationem*, quæ est continuata Creatio & ipsa Lex naturæ; quò spectat illud Davidis, *Tuus dies est, etiam tua nox, tu parasti lumen & solem, tu statuisti omnes terminos terræ, ipsam æstatem & hyemem, tu formasti*, Ps. LXXIV, 16. 17. nec non quod monet Christus Matth. V, 45. Patrem nostrum cœlestem *facere oriri solem suum super malos & bonos, & pluere super justos & injustos*. Hinc Deo suum influxum creaturis subtrahente statim concidunt; *Abscondente illo faciem suam conturbantur & recipiente Spiritum eorum, exspirant & in pulverem suum revertuntur* Psal. CIV, 20. II. *Gubernationem*, de qua Es. XLVI, 9. 10. *Recordamini priorum inde à sæculo esse Deum fortem, & nullum præterea, & neminem parem mihi, indicantem à principio finem, & ab antiquitate quæ nondum facta sunt, dicentem, Consilium meum stabit & omnem delectationem meam facturus sum.* Ad eam (*d*) *Concursus* pertinet, quo Deus non solum dat vim agendi causis secundis, & eam conservat, (in quo solo dum Durandus & aliquot è Pontificiis, quibus se jungunt non inviti Remonstrantes, omnem Dei concursum collocant, palam πελαγιανίζουσι.) sed & easdem, nequidem ipso libero arbitrio creaturæ intelligentis excepto, movet & applicat ad agendum, *Præcursus* nonnullis dicitur: nam causæ secundæ non movent nisi motæ, & pendent à Deo, tùm in essendo, tùm in agendo: & in-

a Induratio *peccatorum*, ipsis *&* Deo, *sed diverso sensu tribuitur.* b *Scopuli hic vitandi.* c *Providentia res* conservat *&* gubernat. d Concursus DEI.

& insuper immediatione tam *virtutis* quam *suppositi*, immediatè in earum effectum & actionem influit; unde Deo non concurrente illarum cessat actio, ut in igne Babylonico apparuit.

XXX. Sic tamen attemperatur (*a*) Dei Providentia *Ordinaria*, rerum circa quas versatur naturæ & conditioni, ut non rarò etiam agat *extraordinariè*; quod patet in Miraculis. Quædam etiam ipsa agit simpliciter per se, non adhibito ministerio causarum secundarum; alia verò per causas secundas, quas adhibet non ex defectu suæ virtutis, sed ex bonitatis suæ abundantia; quâ aliquid suæ causalitatis, dignatur Creaturis communicare: Ita nempe in ordinario cursu naturæ, *Deus exaudit cælos, & ipsi exaudiunt terram, & terra exaudit frumentum & mustum & oleum, & ista exaudiunt Iizrehelem* Os. II, 21. 22. Sic tamen ut semper proximè & immediatè in illis operetur; Etenim non ex solo pane vivit homo, sed ex adjuncta illi benedictione Divinâ, quæ *baculus panis* dicitur Ezech. IV, 16. quo subtracto, vel confracto, omnis efficacia nutritiva ei perit; *Quum fregero vobis scipionem panis, & coquentes decem mulieres panem vestrum in furno uno, retulerint panem vestrum cum suo pondere, tamen si comederitis non saturabimini* Levit. XXVI, 26. Quin etsi hæ non semper assequantur finem suum naturalem, ad quem videbantur ordinatæ, uti patet in Monstris, Providentia tamen fine suo non excidit; Arbores sylvæ cæduæ excidunt suo fine naturali dum cæduntur; sed suum assequitur Pater familiâs qui eas severat. Nec Deus sic æquè omnia curat, ut æqualiter ipsis prospiciat; quod constat ex Matth. VI, 26. ubi monet Christus nos *multò præstare* volucribus cœli quas alit Deus, qui ergo multo potiùs necessitatibus nostris sit provisurus: Sic Paulus monet non tam boum quam hominum causâ id sancitum à Lege, *Non obligabis os bovi trituranti* 1 Cor. IX, 9. Quapropter Deus dicitur *conservator omnium hominum, maximè vero fidelium* 1 Tim. IV, 10.

XXXI. Ut autem (*b*) doctrina hæc multum inservit confirmandæ fidei piorum, suum onus in Jehovam rejicientium, & illud Abrahami in suis perplexitatibus usurpantium, *Dominus providebit* Genes. XXII, 8. sic eâ perversè abutuntur qui eam suæ vel supinitati ac securitati carnali, vel temeritati, obtendunt. Qui causas secundas negligit, cùm præstò sunt, tentat Deum: ut si nudus vel inermis procedat in prælium; fortissimos quosque Homerus solet studiosè armatos describere. Qui in illis confidit, peccat in eum. Qui iisdem deficientibus animum despondet, ejus Providentiam ac Potentiam non satis agnoscit; Nec enim ad media externa alligatur.

XXXII. (*c*) Speciale Dei Decretum est *Prædestinatio*, quo in Creaturis rationalibus eligendis aut reprobandis gloriam gratiæ & justitiæ suæ voluit patefieri. Dari ejusmodi Prædestinationem, (cujus doctrina prudenter proposita Ecclesiæ, ejus ædificationi & instructioni plurimum inservit, utpote humilitatis & fiduciæ veræ Magistra;) tùm ratio suadet; cùm Creaturis salus & perditio non obtingat in tempore, absque aliquo prævio Dei Decreto, prout *nota sunt Deo ab ævo omnia opera sua* Act. XV, 18. tum Scriptura persuadet, quæ hoc Decretum πρόθεσιν, πρόγνωσιν, προορισμὸν, appellat. Sic dicuntur *omnia adjumento esse ad bonum* τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν, ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε *conformandos imagini Filii sui* Rom. VIII, 28. 29. Et *nondum natis pueris cùm nihil fecissent boni vel mali* ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ, *non ex operibus sed ex vocante, dictum est ei, Major serviet minori* Rom. IX, 11. 12. Sic dicimur *prædestinati secundum præstitutum Dei*, προορισθέντες κατὰ τὴν πρόθεσιν Eph. I, 11. & ab ipso κατὰ τὴν ἰδίαν πρόθεσιν 2 Tim. I. 9. item electi κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ 1 Pet. I, 2.

XXXIII. De (*d*) Angelorum Prædestinatione, pauca extant in sacris litteris: Meminerunt tamen & Angelorum *Electorum*; *Obtestor in conspectu Dei & Domini Iesu Christi & electorum Angelorum ut hæc observes* 1 Tim. V, 12. & *Reproborum* ex illis, qui videlicet *non conservarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, ac judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservantur* Jud. com. 6. Illa verò non potest censeri ejusdem generis & ordinis cum Prædestinatione hominum: cùm hi obversati Deo fuerint in communi quodam statu; nam ex *eadem massa* factum est *aliud vas ad decus aliud ad dedecus* Rom. IX, 21. illi in dispari & diverso; nam qui electi fuerunt ex Angelis, considerati sunt ut stantes Dei gratiâ; qui rejecti,

a *Providentia* Ordinaria *&* Extraordinaria. Immediata *item &* Mediata. b *ejus* Usus *practicus*. c *Specialis Prov. Decretum* PRÆDESTINATIO. *quæ est*. d Angelorum,

cti, ut lapsi propriâ culpâ: Equidem labilitas fuit communis omnium, quippe qui labiles fuerunt pariter conditi, instructi tamen auxilio sufficienti ad permanendum & sine quo permanere non potuissent; veruntamen sola labilitas non fecit eos qui exciderunt illo statu reprobabiles, sed ipse lapsus. Adhæc in signo rationis reprobatio & abdicatio malorum Angelorum præcessit retentionem & confirmationem bonorum: At in hominum Prædestinatione, Electio certa quorundam, quâ communi miseriæ eximuntur, concipi debet prior ordine reprobatione aliorum, qui prætereuntur & in sua corruptione relinquuntur. Prædestinamur quoque ad gloriam obtinendam redemptione & merito Christi; Sed Christus nec Angelos redemit, nec pro illis mortuus est; *Neque* enim *Angelos assumsit sed semen Abrahæ* Heb. II, 16.

XXXIV. (*a*)Hominum ergo Prædestinatio, quam fusè prosequitur Scriptura, *est æternum, certum, efficax & immutabile Decretum, quo Deus juxta merum suum beneplacitum, ex toto humano genere per Adamum lapso & exitium æternum promerito, alios per Christum servare decrevit, alios in miseria sua relinquere: æternum tandem propter peccata sua puniendos, ad laudem Gloriæ suæ, per Misericordiæ & Iustitiæ patefactionem illustrandæ*: Suspenditur jure ex mero beneplacito Dei, juxta illud Matth. XI, 26. *Etiam Pater quia ita placuit tibi*, & Luc. XII, 23. *Ne metue parve grex, nam libuit Patri vestro dare vobis regnum illud.* Partem utramque, Electionem scilicet & Reprobationem, Paulus paucis complexus est I Thess. V, 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Finem quoque benè assignavimus Dei Gloriam; quia *omnia fecit propter seipsum* Prov. XVI, 4. & *prædestinavit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ quâ nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto* Eph. I, 5. 6. Itaque nec habent Electi quod glorientur, cùm gratiam indebitam consequantur; *Quis enim te ab aliis discernit? Quid autem habes quod non receperis? quod si etiam acceperis, quid gloriaris quasi non acceperis?* I Corinth. IV, 7. nec quod querantur qui præteriti sunt, cùm debitam referant pœnam, *habeatque potestatem figulus in lutum ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus* Rom. IX, 21. Non est ergo hoc decretum Dei simpliciter Euangelicum, sensu Remonstrantium & Lutheranorum, cum de singulis statuat ex solo suo beneplacito, & reprobos pœnæ subjiciat juxta Legis effatum. R. L.

XXXV. (*b*)Prædestinationi divinæ subjacent omnes omninò Adami posteri, iique non morientes: sive potiùs mortui, ut fingunt Remonstrantes, sed in Adamo lapsi, & originaliter peccatores, ut sapientissimè à Synodo Nationali Dordracena definitum est; Nec aliter enim possent ex hominibus fieri vasa misericordiæ & iræ; erantque in utero matris & in peccato originali concepti gemelli illi quos in typum & exemplum Prædestinationis, antequam actu quidpiam *boni vel mali fecissent*, adduxit Paulus Rom. IX, II. Nec potuerunt aliter quam perditi in Adamo considerari; *qui in Christo* Ephes. I. 4. id est servandi per Christum, sunt electi; Et tales objiciebantur Divinæ Prædestinationi, quales nos Divina Vocatio reperit, nempe demersos per peccatum in mundo, ex quo dicimur electi Joh. XV, 19. *Ego elegi vos ex mundo.* R.

XXXVI. Homo creabilis & labilis, non potest statui objectum Prædestinationis, cùm creabile nihil ponat in esse: Etenim nec actu est, cùm nondum existat; nec potentiâ in suis causis, cùm prima causa rerum creatarum, sit Dei decretum. Homo quoque creabilis antecedenter ad Dei decretum de illo creando, labilis dici nequit, cùm non entis non sit accidens; ac potuerit etiam creari nec labilis nec lapsurus; & inter creabilitatem & labilitatem hominis debeat intercedere illius creatio, aut actualis aut decreta. Nec creabilis potest actu esse prædestinatus, sed tantum prædestinabilis; & cùm plures homines creabiles concipi debeant, quam revera unquam creantur, multo plures essent prædestinati, quam revera servantur aut damnantur, si creabiles omnes essent objectum Prædestinationis; nec creabilis aut labilis erigitur per Misericordiam, sed qui creatus, lapsus & miser est, saltem objectivè, & quà talis obversatur menti Divinæ; Nec quisquam apud justissimum Deum est reprobabilis, nisi eodem sensu lapsus & peccator.

XXXVII. Creatio itaque & lapsus hominis non ordinatur instar medii ad Prædestinationis finem, sed præsupponitur per modum conditionis in objecto; ut existentia & ductilitas in luto, non est medium quod figulus substernit suo consilio de vasis ad decus & ad dedecus parandis, sed conditio in ipso prærequisita, quando ad tam varias

a & Hominum. b Objectum *ejus homines omnes in* Massa peccati.

rias operas ab artifice destinatur. Finis propter quem decrevit Deus permittere lapsum hominis, non fuit directè manifestatio Justitiæ & Misericordiæ suæ ex Prædestinationis decreto, quod ordine naturæ & in signo rationis est eo posterius; sed partim ut constaret homini quid possit liberum arbitrium sibi relictum, partim ut in communi gloriam suam ex illius lapsu illustraret; unde lapsu jam facto, vel ut existente considerato, placuit Deo distinctè in hominibus lapsis suam Misericordiam & Justitiam commendare.

XXXVIII. Quia autem(*a*) Prædestinatio consistit in discretione salvandorum à damnandis (*Non de omnibus loquor, ego scio quos elegerim* Joh. XIII, 18. & *quis te ab aliis discernit?* 1. Corinth. IV, 7.) adeo ut illi ad vitam ordinentur, hi in morte & peccato relinquantur, *sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui*; nam *cujus vult miseretur* Deus, *quem autem vult indurat*, & alia sunt *vasa iræ compacta ad interitum*, alia *vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam* Rom. IX, 13. 18. 22. 23. illis positis *ad iram, his ad acquisitionem salutis* 1 Thess. v, 9. illis ad *dedecus*, his *ad decus* 2 Tim II, 20. (unde patet
P. Prædestinationem non esse actum intellectus tantum, ut male nonnulli, sed etiam voluntatis & consilii;) ejus duæ species, non tamen simpliciter univocæ, debent agnosci, Electio & Reprobatio; Nam licet quidam, præsertim inter
P. Pontificios, Prædestinationem solis Electis convenire statuant, & velint reprobos *præscitos* potiùs esse dicendos, tamen ex analogia loci Actor IV, 28. ubi etiam illa quæ facta sunt contra Christum ab ipsius hostibus dicuntur manu & consilio Dei fuisse *prædestinata ut fierent*, & quod electio quorundam sit aliorum præteritio, Theologis Orthodoxis, cum plurimis Veterum, solemne est Prædestinationem generaliùs, tanquam utramque complectentem, usurpare, licet per prius & pleniùs conveniat Electioni quam Reprobationi. Nam in illa ordinatur Creatura ad verum suum finem; in hac ab eo justè excluditur: Ad illius executionem Deus se habet efficienter; ad hujus nonnisi ut plurimum permissivè.

XXXIX. (*b*) Electionis nomine non intelligimus, aut selectionem ad munus aliquod civile vel sacrum, ut de Saule dicitur, *Videtis-ne quem eligit Iehova? non esse ei similem in toto populo?* 1 Sam. x, 24. & Christus Joh. VI, 70. *Nonne ego vos duodecim elegi & unus ex vobis est diabolus*; Aut populi alicujus ad Dei fœdus specialem segregationem; quo sensu dicebat Moses ad populum, *Propterea quod dilexit majores tuos, elegitque semen eorum post eum, ideo eduxit te ex Ægypto* Deut. IV, 37. Aut externam ad fidem evocationem, ut Deus dicitur quæ *stulta sunt in mundo elegisse ut pudefaciat sapientes* 1 Cor. 1, 27. habito respectu ad externam conditionem eorum ex quibus constabat tunc Ecclesia; Sed personalem, definitam & immutabilem singulorum quorundam hominum à cœteris separationem & præordinationem ad salutem, per ea media quæ eodem sapientissimo decreto placuit Deo ordinare; quomodo *multi vocati sunt, pauci electi* Matth. XX, 16. seducique miraculis Pseudoprophetarum *electi* nequeunt ibid. XXIV. 24. & *propter electos quos elegit Deus decurtavit dies illos* Marc. XIII, 20. indeque factum ut *quod requirit Israël id non sit adeptus, sed electi assequuti sunt, reliqui verò occaluerunt* Rom. XI, 7.

XL. (*c*) Media verò Electionis illius æternæ sunt Redemptio per Christum; Vocatio efficax, Fidei in illa collatio, Justificatio per fidem, Adoptio in Dei Filios, & Sanctificatio cum perseverantiâ conjuncta; Nam *quos præscivit etiam prædestinavit confirmandos imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres; Quos verò prædestinavit eos etiam vocavit; & quos vocavit eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit* Rom. VIII, 29. 30. Ubi sub Glorificatione Sanctificatio quoque venit intelligenda; nam hac illa inchoatur, ut illâ hæc perficitur. Hinc dicimur *electi* in Christo Eph. 1, 4. idest per ipsum servandi, & *constituti ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Iesum Christum* 1. Thessal. v, 2. ac *electi ex præcognitione Dei Patris ad Sanctificationem Spiritus, per obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi* 1 Petr. 1, 2. Hinc & dicuntur credidisse *quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. XIII, 48. prout & fides speciatim *Electorum* dicitur Tit. 1, 1. Hinc & persuasum hoc habebat Paulus de piis *fore ut qui inceperat in illis bonum opus, perficiat usque ad diem Iesu Christi* Philip. 1, 6. Cùm autem Media hæc eodem Decreto de fine, simplicissimo actu consilii divini sint constituta, frustra sunt qui ex finis certitudine mediorum neglectum colligere, aut ex Decreto de fine, mediorum ordinationem evertere, conantur.

XLI. (*d*) Electionis hujus basis est Christus, in quo

a *Species sive partes duæ.* b I. Electio. c *Ejus Media.* d *Christus ut se ad illam habeat.*

quo Pater *elegit nos ante jacta mundi fundamenta ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate, nosque prædestinavit quos adoptaret in filios per Iesum Christum* Eph. 1, 4 5. Tùm quod illius decreto Christus destinatus est electis in Redemptorem; unde dicitur Deus *reconciliasse nos sibi per Iesum Christum* 2 Cor. v. 18. qui sic *fuit nobis saluti* Es. xii, 2. Tùm quod eodem Decreto ipsi dati sunt Christo ejus sanguine redimendi & ad gloriam adducendi; *Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi è mundo; tui erant & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servarunt* Joh. xvii, 6. Quapropter *princeps salutis ipsorum* vocatur Heb. ii, 10. & *Populus* ac *Oves* Christi dicuntur, etiam priusquam verâ fide ei sint insiti; *Ipse enim liberabit populum suum à peccatis ipsius* Matth. 1, 20. & *alias* (inquit) *etiam oves habeo quæ non sunt ex hac caula; illas quoque oportet me adducere, nam vocem meam audient, fietque unus grex & unus Pastor* Joh. x, 16. Ingreditur itaque Christus Decretum Electionis,
L. non ut volunt Lutherani, quo sit causa meritoria Electionis ipsius, quæ non est magis quærenda in Christo, quam suæmet missionis & incarnationis ad redemptionem nostram, quæ ex mera Patris benevolentia processit; multo minùs ut sit fundamentum, tùm Electionis tùm Reprobationis, prout ipse vel per fidem admittitur, vel
R. per incredulitatem rejicitur, ut ajunt Remonstrantes, nec abludunt patroni gratiæ universalis; sed ut sit Electionis executor, & fundamentum ac causa meritoria gratiæ & gloriæ nobis juxta Electionem divinam conferendæ.

XLII. (a)Fides quoque, Sanctificatio, bona opera & Perseverantia in illis, eodem modo subeunt decretum Electionis *consequenter*, ut media per illud ordinata ad finem, non verò *antecedenter*, ut ipsiusmet Electionis vel fundamenta, vel causæ, ex quibus prævisis pendeat & facta sit, ut olim falsò docuêre Pelagiani ac Semipelagiani (qui etiam Orthodoxos sub Prædestinatorum sive Prædestinianorum nomine hæreseôs insimulabant) ad quos hodie accedunt
S P Sociniani, inter Pontificios Scotistæ & Jesuitæ
R L. plerique omnes contra Thomistas, Dominicanos & Jansenitas, Arminiani item, & ex parte Lutherani; qui tamen eo molliùs & minus malè loquuntur, quod rejiciunt eorum Pontificiorum doctrinam qui prædestinationem suspendunt ex bonis operibus prævisis, & adversus Arminianos certitudinem fidelium de salute & electione sua benè tuentur; ex quibus duobus facile esset ostendere eos ἀσύςατα loqui.

XLIII. Si autem (b) ex præscientia nostræ fidei, sanctificationis, aut perseverantiæ, pendeat nostra Electio, necessum est illa præsciri in nobis, vel tanquam à nobis, vel tanquam à Deo: Si illud; nos ipsos discernimus contra Paulum; *Quis enim tè ab aliis discernit? Quid autem habes quod non receperis? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1 Cor. iv, 7. Si istud; ergo Deus decrevit nobis illa dare, quæ cùm sint media infallibilia ad salutem, ex infallibili Electione quâ nobis decreta est salus, erunt arcessenda. Sed jugulum hujus causæ petit Scriptura. I. Iis locis quæ in solum Dei beneplacitum ejusque gratiam rejiciunt Electionem nostram; *Gloriam tibi tribuo Pater Domine cæli & terræ quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus; Etiam Pater quia ita tibi placuit* Matth. xi. 25. 26. *Ne metue, pusille grex, nam libuit Patri vestro dare vobis regnum illud* Luc. xii, 32. *Servavit nos & vocavit vocatione sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia quæ data nobis est in Christo Iesu ante tempora sæculorum* 2 Tim. 1, 9. *Nondùm enim natis pueris, cùm nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei quod est secundum ipsius electionem, id est non ex operibus sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, Major serviet minori* Rom. ix, 11, 12. Quare etiam Electio *gratiæ* & *gratuita* dicitur Rom. xi, 5. *Ita & hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est.* II. Iis locis quæ nos non ex fide vel ex operibus, sed ad fidem & sanctificationem electos testantur; *Sicut elegit nos in ipso* (nempe Christo) *ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate* Eph. 1, 4. & *nos prædestinavit conformandos imagini Filii sui* Rom. viii, 29. Unde Christus, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos ut abeuntes fructum feratis & fructus vester maneat* Joh. xv, 17. III. Iis locis quæ fidem, sanctificationem, perseverantiam, ab ipsa Electione arcessunt; Hinc crediderunt *quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. xiii, 48. & Paulus de se testatur quod *misericordiam* fuerit *consequutus ut esset fidelis* 1 Corinth. vii, 25. Et *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet*, inquit Christus Johan. vi, 37. Et ad Judæos Joh. viii, 47. *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* Ac sicut perseve-

ran-

a *Item Fides & bona opera.* b *Non facta ex prævisione eorum.*

rantia bonorum rejicitur in ipsorum Electionem, quod *firmum stet Dei fundamentum* 2 Timoth. II, 19. nec Electos *seduci* sit *possibile* Matth. XXIV, 24. ita apostasiæ aliorum causa deficiens sive negativa, est eorum non Electio 1 Ioh. III, 9. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum.*

XLIV. Aliud tamen est nolle Electionem Dei suspendere ex fide, sanctificatione, dispositionibus præviis, meritis de congruo & perseverantia prævisis, quod jure nolumus; aliud est statuere salutem nobis decretam esse citra ullum respectum obedientiæ & fidei, quod nobis per calumniam affingunt Adversarii; Decretum quidem de salute in tali respectu non fundatur, sed tamen ipsa salus decreta ex obedientia fidei pendet, quam Deus in suis ideo operatur. Præcurrit fides & obedientia vitæ æternæ nobis decretæ per Electionem divinam; sed ipsamet Electio præcurrit obedientiæ & fidei. Et quamvis soli fideles jam Christo insiti & per ipsum redempti, à Deo amentur amore *complacentiæ*, prout *sine fide impossibile est placere Deo* Heb. XI, 6. eos tamen jam adamavit amore *benevolentiæ* antequam crederent & redempti essent, eos secernendo à cœteris, & ipsis Christum in Redemptorem destinando. Πρόγνωσις ea quæ Electioni tribuitur Rom. VIII, 29. *Quos præscivit prædestinavit*; sic dicimur Electi *ex præcognitione Dei* 1 Pet. 1, 2.) non *speculativè* meram prænotionem, sed *practice* gratuitam prædilectionem significat, unde & metonymicè per eam tota Electio exprimitur: *Non abjecit Deus populum suum quem præcognovit* Rom. XI, 2.

XLV. Est igitur (*a*) Electio hæc, I. *Æterna*; facta quippe *ante jactum mundi fundamentum* Ephes. 1, 4. unde dicitur Deus *nos elegisse ab initio* (nempe *variarum suarum* ut Prov. VIII, 22. Mich. V, 2.) *ad salutem* 2 Thess. II, 13. quod

R. malè negant Remonstrantes, ut Electionem suspendant ex dubia perseverantia credentium. II. *Gratuita* & (*b*) *Efficax*, ita ut complectatur ordinationem omnium mediorum, quibus finis obtineatur, Deo efficiente in suis & *velle & perficere pro gratuita sua benevolentia* Phil. II, 13.

P.R. Unde liquet perperam opponi à Jesuitis, Remonstrantibus & aliis, Electionem ad gratiam Electioni ad gloriam; cùm eadem Electio sit ad *salutem* ut finem, ad fidem ut medium.

XLVI. III. (*c*) *Certa* & *peremptoria* certarum personarum, quarum numerus est definitus, qui nec augeri potest nec minui; Nam *solidum Dei fundamentum stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui* 2 Tim. II, 19. Unde rejicimus Arminianos statuentes Electionem Dei R. non tam esse personarum, quam conditionum sub quibus salus ab ipso proponeretur hominibus; voluntate Dei de servandis credituris & in fide perseveraturis, (cùm qui sint illi futuri dubium sit & incertum) integrum Electionis Decretum contineri; Electionem distribuendam in incompletam & completam sive peremptoriam; absolutam & conditionatam; specialem & generalem; cùm tamen Electio sit completa & absoluta, & ipsi Lutherani, Huberi & Puccii Electionem universalem benè repudient; Is sanè qui omnes sumit, nullos eligit.

XLVII. Habet autem Electio certitudinem I. *Objectivam*; nam *Pastor ille bonus, qui animam suam deponit pro ovibus suis* Joh. X, 11. eas *vocat nominatim* ibid. 3. *Suasque agnoscit & agnoscitur à suis* ibid. 14. Imò *ego*, inquit, *eas agnosco & sequuntur me, & ego do vitam æternam eis, nec peribunt in æternum, neque eas rapiet quisquam è manu mea; Pater ille meus qui mihi dedit eas major omnibus est, neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei* ibid. 27. 28. 29. Hinc monet Christus Electos *seduci* non posse, ad totalem nempe & finalem defectionem Matth. XXIV, 24. *Quos enim Deus prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit hos & justificavit, quos justificavit hos & glorificavit* Rom. VIII, 30. Unde ibid. com. 31. & seqq. usque ad finem capitis, multis ostendit Apostolus, nec accusationem, nec condemnationem ullam Electis metuendam, nihilque eos separaturum à Dei dilectione. Adeoque numerus Electorum est certò definitus, nuncque incapax incrementi vel decrementi, cùm *firmum stet Dei fundamentum* 2 Tim. II, 19. nec libet vitæ ullam lituram admittat, sicut Deus nulli mutationi obnoxius est; quare etiam Electorum *nomina scripta in cœlis* dicuntur Luc. X, 20. II. *Subjectivam*, juxta quam Electi & veri fideles certi sint de sua Electione & perseverantia, non certitudine tantum conjecturali & morali, ut aliqui Pontificii P. loquuntur, sed etiam infallibili & fidei; quod jure merito cum Lutheranis contra Remonstrantes & Pontificios defendimus, ut variis rationi- R. bus, de quibus aliàs, sic argumento desumpto

ab

a *Ejus proprietates*; Æternitas. *b* Efficacia. *c* Certitudo.

ab Electionis divinæ immutabilitate, ex qua fit ut *omnia cooperentur in bonum iis qui ex præstituto Dei vocati sunt* Rom. VIII, 28. sintque *dona illa & illa vocatio ejusmodi ut eorum ipsum pœnitere non possit* Rom XI, 29. Quomodo verò hanc certitudinem Electionis in stadio possint defendere
L. rē Lutherani eam suspendentes ex finali perseverantia, docentes insuper posse numerum Electorum augeri & minui, ipsi viderint.

XLVIII. III. (*a*) *Immutabilis* & *irrevocabilis*, Inde fit I. ut Electi à Christo, qui propter eos tantum missus est, sint certissimè redemti; nam *populum suum redemit ab ipsius peccatis* Matth. I, 20. *Ecclesiamque* suam *proprio suo sanguine* Act. XX, 28. Inde dicitur *corpori suo salutem dare* Eph. V, 23. & *custodivisse eos quos* Pater *ipsi dederat*, adeo ut *nemo perierit nisi filius perditionis* Joh. XVII, 12. Ubi τὸ *nisi* non tam exceptivam, quam adversativam habet significationem: II. ut iidem suo tempore efficaciter vocentur, vocati justificentur, justificati sanctificentur, & ita perseverent in fide, per medias tentationes & infirmitates quibus sunt obnoxii, ut totaliter & finaliter nunquam ab illa deficiant, uti liquet ex iis quæ suprà citavimus; Æquè *magnus* est *hiatus* inter electos & relictos, ac inter Lazarum & Epulonem Luc. XVI, 26. ut hinc ad illos, vel istinc ad hos, transitus non concedatur.

XLIX. Electione quorundam sic propositâ, aliorum (*b*) *Reprobatio* ultrò sequitur, quam non minus inculcat Scriptura; Etenim *cujus vult miseretur* Deus *& quem vult indurat* Rom. IX, 18. & ex eodem luto ex quo facta sunt *vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam*, fiunt *vasa ad dedecus* & *iræ*, *compacta ad interitum* ibid. 21. 22. 23. 2 Tim. II, 20. Atque ut electi sunt *constituti ad salutem* sic cœteri *ad iram* 1 Th. V, 9. Ut illi sunt inscripti *libro vitæ Agni* Apocalip. XIII, 8. sic reliqui *jam olim præscripti* sunt, sive προγεγραμμένοι, εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα Jud. com. 4. Reprobatio hæc quatenus infert justam peccatricis Creaturæ præteritionem, abdicationem & derelictionem in peccato, (*c*) Dei est ut liberrimi Domini & Iudicis justissimi; sic tamen ut nec peccatum, quod eam justè reprobabilem fecit, nec ultronea deinceps ejus in peccatis obfirmatio, (*d*) Deo adscribi possit. Ad eam pertinent non tantum homines positivâ incredulitate Christum rejicientes, aut ab ejus fide deficientes, ut vellent Remonstrantes, sed quilibet ex R.
adultis *negativè* ac perseveranter increduli, etiam qui nihil unquam de Christo audiverint; cùm vel illud ipsum sit nota certissima à posteriori eos reprobos esse, hoc est justo Dei judicio in nativa sua miseria relictos; quandoquidem qui *non credit jam condemnatus est: manetque ira Dei super eum* Ioh. III, 18. 36.

L. De (*e*) infantibus Fidelium ac fœderatorum benè debemus ominari, cùm eorum *liberi sancti sint* 1 Cor. VII, 14. *Vobis enim facta est promissio* (inquit Petrus ad eos) *& liberis vestris & omnibus longè post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster* Act. II, 39. De infidelium non item; nam quamvis nostrum non sit definire qui sint reprobi, qui electi, id tamen certum, eos nasci extra Dei fœdus, & ex peccato originali ita reprobabiles esse, ut citra injustitiæ labem à Deo potuerint hoc respectu reprobari & in exitio æterno relinqui. Nec alia de causa id negant Remonstrantes cum Pelagianis, nisi quod R.
cum iisdem peccatum originale revera non agnoscunt, ut neque ii qui peccatum originale nemini amplius obesse falsò pertendunt.

LI. Reprobationis autem (*f*) actus duplex est, *negativus* unus, quem præteritionem benè dixeris, alter verò *affirmativus*, qui prædamnatio, vel adjudicatio ad pœnam dici potest. Quamvis enim uterque suo sensu sit *positivus*, cùm eos quos Deus præterit, sic relinquat in perditionis massâ, ut illos non solum non velit eligere, sed & decernat præterire, tamen cùm priorem sub modum *non electionis* sive negationis concipere debeamus, solet posterior speciatim *positivus* appellari. Affirmativa reprobatio debet tribui hominis reprobati peccatis quibuslibet, tum originali, tum actualibus. Negativa vero potest considerari vel *absolutè*, vel *comparatè*. Si absolutè expendatur, est adscribenda corruptioni hominum nativæ quæ eos effecit justè reprobabiles; si comparatè solius Dei beneplacito, albo vitæ inscribentis quos voluerit, & ita cœteros pro libitu prætereuntis: Cur igitur hunc potiùs reprobaverit quam illum, cùm essent æquè reprobabiles, non magis ratio reddi potest quam cur hunc potiùs quam illum elegerit; cùm hic illo eligibilior, aut dignior qui assumeretur, non fuerit.

LII. (*g*) Media quoque ex parte Dei in Reprobationis Decreto sunt negativa; ut Quod beneficio

a Immutabilitas. b 2. Reprobatio. *Ejus* c *Author*. d *Objectum*. e *Sub quo veniunt etiam infantes non fœderatorum*; f *Actus duplex*, g *Media executiva*.

cio Redemptionis & reconciliationis in Christo arceantur; *Vos non creditis, non enim estis ex ovibus illis meis* Joh. x, 26. *pro* quibus scilicet *animam meam depono* ibid. 15. & *ego veni ut vitam habeant* ibid. 10. Unde reprobis dicet Christus in die Iudicii, *Certè nunquam novi vos* Matth. VII, 23. Quod vel planè non vocentur, vel non vocentur efficaciter; juxta illud, *Multi quidem vocati, pauci vero electi* Matth. xx, 16. XXII, 14. Quod salutiferâ fide non donentur, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excœcavit oculos eorum & obduravit corda eorum ne videant oculis & fiat intelligentes corde & sese convertant & sanem eos* Joh. XII, 39. 40. Est enim fides salvifica ita speciale *Dei donum* Ephes. II, 8. ut non sit *omnium* 2 Thess. III, 2. sed tantum *Electorum Dei* Tit. I, I. Quod eorum peccata non remittantur, sed retineantur, ut incredulis denunciant præcones Euangelii: Nam *quæcunque illi ligaverint in terra ligata erunt in cœlo* Matth. XVI, 19. XVIII, 18. & *quorum retinuerint peccata retenta sunt* Joh. xx, 24. Nemo quoque est Electorum, si ad ætatem adultam pervenerit, qui in hac vita non assequatur sensum & certitudinem suæ Electionis; secùs se res habet in reprobatione, ne reprobi hanc causam possint prætexere suæ vel desperationi vel impietati: Non arcentur quoque reprobi ab omni gratia, materialiter saltem sic dicta, idest ab omni ejusmodi Dei beneficio quod ex rei natura ordinatur ad salutem: nam interdum externè inter fœderatos cooptantur, atque etiam internè illuminantur, & fide historicâ & temporariâ, imò & quandocunque miraculorum donantur, variisque benedictionibus *ad resipiscentiam invitantur* Rom. II, 4. sicque Deus *perfert multa cum iræ cohibitione vasa iræ* Rom. IX, 22. tùm ut sint magis *inexcusabiles* Rom. I, 20. tum ut frænum injiciatur eorum corruptioni, ne sibi planè relicti societatis humanæ mores in feritatem absolutam degenerent; tùm etiam ut à gravioribus sceleribus absterriti, in quæ aliàs erant ruituri, eorum saltem pœnas vitent; Sed gratia formaliter regenerans & salvifica specialis est Electorum.

LIII. Ex his igitur facilè est colligere, quis (*a*) ordo sit concipiendus in Decretis divinis; planè diversus ab eo quem procuderunt Remonstrantes: Nam I. Deus decrevit hominem condere ad imaginem suam, sed labilem: II. Voluit permittere ejus lapsum, quo pertraxit in exitium & ruinam omnem suam posteritatem: III. Ut in hominibus lapsis & miseris ostenderet Misericordiam & Iustitiam suam, quosdam nominatim elegit ad salutem, aliis relictis in nativa sua miseria & corruptione: IV. Ne misereretur Electorum cum præjudicio suæ Iustitiæ, destinavit ipsis Christum in vadem & redemptorem, qui ipsis quoque solis solidam salutem impetravit: V. Eos solos quos elegerat servandos in Christo, nec alios, decrevit efficaciter vocare, fide donare, justificare, obsignare per Spiritum Sanctum, & deducere ad gloriam; Quæ omnia potenter, leniter, efficaciter, peragit in tempore. R.

LIV. Quæ verò argumenta nectunt Remonstrantes, Iesuitæ & similes Adversarii Gratiæ, contra doctrinam hanc sanam & sanctam, suscipientes patrocinium Reproborum adversus Deum, ut liberum arbitrium stabiliant, & Apostasiam Sanctorum ac Electorum protervè defendentes, & modò desperationem, modò profanitatem enasci ex Orthodoxa sententia criminantes, & nostris falsò adscribentes quod Deum statuant Tyrannum & injustum, facilè ex iis quæ satis superque explicata sunt refutantur; Solum danda opera ut *sapientia à suis liberis justificetur* Luc. VII, 35. R. P. S.

a Ordo *Decretorum divinorum in Prædestinatione.*

LOCUS QUIUTUS;

De

CREATIONE MUNDI,

Angelorum & Hominum.



Perum Dei transeuntium, quibus se communicat ad extra, primum est universi (*a*) Creatio, hoc est, *ex nihilo productio*; Nec aliud potest sonare vocabulum *creandi* Genes. 1, 1. Sic namque Deus *vocat quæ non sunt tanquam sint* Rom. IV, 17. Quare *dixit ut è tenebris lux splendesceret* 2 Cor. IV, 6. adeo ut illa *quæ cernimus non sint ex apparentibus* aut præexistentibus *facta* Hebr. XI, 3. Quamvis enim ex nihilo nihil fiat naturaliter, vel tanquam ex subjecto; vel sic ut ejus quod sit nihil aut nullum sit efficiens, vel per generationem; tamen omnia facta sunt ex nihilo supernaturaliter, tanquam à termino & per creationem: Universi verò nomine *Mundum* intelligimus, hoc est, *ordinatam illam compagem ex cœlo & terra, adeoque cœteris rebus quæ his continentur, coagmentatam.*

II. (*b*) Mundus autem cùm nec sit ipse Deus, ut impiè asserit Plinius, confundens opus cum opifice: Nec sit aut potuerit esse ab æterno, licet Zabii olim, quos Aristoteles sequitur & ejus asseclæ, inter quos de possibili saltem haud pauci Iesuitæ, id statuerint; cùm æternitas, idest infinitas, non perfectionis modò, sed etiam durationis, soli Deo competat; *Per generationem æternam sunt anni tui, antequam terram fundasses, & opus manuum tuarum essent cœli; ista peritura sunt, tu autem permanes* Psal. CII, 25. 26. 27. & debeat concipi primum instans quo motus cœperit; & novitas tum historiarum, tum artium vitæ humanæ necessariarum, mundum incœpisse ostendat: Nec fortuito atomorum concursui, ut voluerunt Epicuræi, possit deputari; cùm ejus structura eximia τεχνὴν non τυχὴν arguat: Nec denique sit vel esse possit à seipso: Deo sanè debet tribui, non per *emanationem*, neque per *generationem*, sed per *creationem*.

P.

III. (*c*) Creationis itaque auctor est Deus, quem ideo Plato vocat δημιουργὸν, qui nulla adactus necessitate naturali, sed ex liberrima sua voluntate, juxta quam *quicquid placet facit* Psal. CXV, 3. neque ex indigentia, sed ex mera plenitudine bonitatis sui communicativæ, ad gloriæ suæ laudem, quam *cœli enarrant* Psal. XIX, 1. (quo sensu *omnia fecit propter seipsum* Prov. XVI, 4.) Mundum condere dignatus est. Hæc creatio passim Deo tribuitur in Scripturis. Siquidem *in principio creavit Deus cœlum & terram* Gen. 1, 1. & *Auxilium nostrum in nomine Iehovæ qui fecit cœlos & terram* Psal. CXXIV, 8. Quin illâ notâ distinguitur à falsis Numinibus; *Dii isti qui cœlos & terram non fecerunt perituri sunt è terra* Jer. X, 11. Neque solum Patri ordinis & distinctionis ergo, ut in Symbolo, sed etiam Filio & Spiritui Sancto, prout loca eò facientia protulimus suprà *loco* 3. §. 53.

IV. Nec Creatio alteri quàm Deo potest tribui, cùm sit opus Potentiæ infinitæ, quandoquidem à nihilo ad aliquid infinita distantia est. Angelos non adhibuit συνεργοὺς ad hoc opus, ut hodierni Judæi & Antitrinitarii volunt post Gnosticos: nam homo non dicitur conditus ad Angelorum imaginem: nec Angeli ejus pedibus omnia subjecerunt, sed Deus: neque potentia creandi sive vis creativa, quicquid cum Socinianis statuant quidam Novatores, est communicabilis Creaturæ; & nulla creatura, nequidem per modum instrumenti physicè & propriè dicti, ita ut pertingat ipsum effectum & in illud influat, potest ad Creationem concurrere; Viderint ergo quò abeant Pontificii Sacrificuli qui se Creatoris sui Creatores audent appellare. J.S. S.R.

V. (*d*) Verbo autem Dei omnia creata dicuntur, non per modum instrumenti & causæ ministerialis, sed efficienter & principaliter, sive *Verbum* Dei hîc notet omnipotens Dei jussum, sive potius P.

a CREATIO, *definitur.* *b* Mundus *est necessario per creationem in tempore.* *c* *Creationis* Authòr *solus Deus.* d *Verbo suo*

tiùs ipsum Patris λόγον ἐκδιάθετον Filiumque æternum ejusdem, cum illo essentiæ & naturæ: Personæ ergo Trinitatis si suppositaliter considerentur, concausæ dici possunt Creationis; sed tamen quia essentia unum sunt, & una vis ἐνεργητικὴ earum est, præstat eas simul statuere Creationis causam unicam, servato tamen ordine agendi qui illis competit: nam causæ simpliciter sociæ agunt quæque per suam particularem virtutem, quod hîc non obtinet.

VI. (*a*)Creationis materia præexistens nulla fuit; nam omnia ex nihilo facta sunt; & materiam facere Deo coæternam cum Platone, quasi Deus eâ indiguerit, æquè absurdum est ac ipsum mundum æternum arbitrari: Implicat etiam contradictionem materiam planè informem actu existere: & Deus ita independens est, tum in suo esse, tum in suo operari, ut non necessariò præsupponat aliunde acceptam materiam, quam variis vestiat formis, sed eam sibi ponat: Et cùm negari non possit Deum esse Mundi causam efficientem, debuit eum ex nihilo produxisse, quia præter Deum & mundum nihil concipi potest ex quo hic produci potuerit.

VII. Nec obest quod Moses describit hominem ex luto formatum, bestias & plantas ex terra, aves & pisces ex aquis, nam juxta quosdam hæc potiùs notant *terminum à quo*, quam *subjectum ex quo* productionis illarum rerum, si hominem excipias; Tum earum productio Creatio fuit secundaria & mediata, ex materia inhabili & inepta, quæ *nihil secundum quid* dici potest; sed primaria & immediata quâ Cœlum, Angeli, terra, aqua, lux, & illud ipsum quod antiqui Chaos dixere, omnium rerum semina complectens, producta sunt, fuit Creatio ex nihilo simpliciter.

VIII. (*b*) Creationis modus & forma partim in potentissima rerum productione, partim in earundem sapientissima dispositione & exornatione consistit. Atque ita Creatio potest considerari bifariàm, *Active* & *Passivè*. Activè competit Deo; Sic verò non est formaliter volitio divina, cùm illa sit Creationis principium, non ipsa Creatio; nec mera relatio Creatoris ad Creaturam; sed actio Dei transiens per quam rebus creatis confert esse, & cujus immediatum principium est volitio Dei practica; nec tamen præsupponit subjectum in quo recipitur, sed illud constituit.

IX. Passivè convenit Creaturæ, à non esse ad esse transeunti, non per mutationem propriè dictam, quæ est transitus subjecti præexistentis ab uno termino ad alium, sed per mutationem generalem & communem, uti sonat quamcunque rei incœptionem. Creatio itaque non importat mutationem in Deo, sed tantum in rebus creatis, inter quas & Deum nihilominùs vera & mutua est relatio, eaque realis; cùm versetur inter extrema realia: Nam Deo per Creaturam competit ut sit & dicatur Creator, & Creaturæ per Dei actionem ut sit & dicatur formaliter Creatura: Sed tamen hoc discrimine, quod res Creatæ in suo esse absoluto pendeant à Deo, non viceversa Deus in suo à Creaturis.

X. Ad Creationis modum pertinet, I. Quod fuerit momentanea per solius Dei imperium, non successiva per motum; non quod eorum probemus sententiam, qui cum Philone, Augustino, Cajetano & aliis, in meras allegorias transformant narrationem Mosaicam de sex diebus; sed quod pertendamus uniuscujusque diei opera momento non successivè peracta fuisse. Nam dixit & factum est, ut patet ex Mosis narratione; ac *ipso dicente, est quicquid est; ipso præcipiente existit*, inquit David Psal. XXXIII, 9. Nec aliàs inter creationem & generationem certum discrimen posset assignari: Ad potentiam quoque Dei pertinet, ut *vocet ea quæ non sunt tanquam sint* Rom. IV, 17. & illa vocando faciat illicò existere. II. Quod habuerit Dei *Iussionem* quæ potenter efficeret; *Approbationem* quæ per Bonitatem benediceret; *Ordinationem* quæ sapienter omnia dirigeret; *Sanctionem* quæ constanter legi positæ illa subjiceret. III. Quod ita omnia sint constituta per Creationem, ut nullus vel Momus vel Aristarchus in operibus Dei quicquam possit carpere aut reprehendere.

XI. Quin in ipso opere Deus semper sapientissimè processit; potentissimè demonstravit se non alligari causis secundis, cùm plantis ornavit terram ante sydera condita, & lucem intulit mundo, dierumque ac noctium vicissitudines priusquam Sol extaret; & pro infinita sua bonitate priùs domicilia creavit quam incolas, pabulum ante animalia, ante hominem ipsum quæ illi usui futura erant.

XII. Nec tamen credendus est Deus, qui esse & (*c*) formam mundo dedit per Creationem, ipsiusmet mundi forma informans, hoc est in-

a *Ex nulla præjacente* materia. b Modus *Creationis*. c *Mundi* Forma.

ternum principium, ut falsò asseverant quidam Platonici; quia Deus non venit in compositionem cum rebus creatis: Nec etiam præter Deum, quædam debet mundo anima propriè dicta tribui, quæ omnia in omnibus, quasi in ipsius Dei levamen, operetur; Nam cùm mundus sit *unum* per aggregationem, ejusque partes sint potiùs contiguæ quam continuæ, & pleræque antipathias maximas inter se exerceant, ab una aliqua anima communi & universali informari nequit. Imò si daretur anima vel intelligentia aliqua mundi, singulis ejus partibus intimè & indivisibiliter conjuncta, fingeretur Creatura hæc esse ubique, quod tamen soli Deo competit. Tum si mundus totus esset animatus, non posset distingui inter naturas animatas & inanimatas: Ne dicam quod Scriptura nullam aliam naturam spiritualem creatam agnoscat, nisi quæ sit vel intelligentiarum separatarum sive Angelorum, vel animarum humanarum. Quare mundi forma essentialis in ordinata tantum dispositione & serie rerum creatarum est collocanda.

XIII. Circa(*a*) tempus Creationis observetur, Deum omnia condidisse *in principio*, tum rerum, tum temporis ipsius, quod est mensura durationis earum; nec enim erat tempus antequam cœpisset rerum origo, sed abyssus æternitatis. Hoc verò principium & Temporis & Rerum omnium, nondum à nobis distat spatio sex mille annorum; & si qui populi, ut olim Ægyptii, & juxta quosdam hodie Chinenses, Annales suos altiùs repetere videntur, aut mera sunt hominum otiosorum somnia, aut anni debent intelligi, quod etiam monuit Diodorus Siculus de Ægyptiis, vel trimestres, vel menstrui, non solares.

XIV. Nec prophani audiendi, qui quærunt cur citiùs Deus mundum non condiderit; cùm nihil majus voluntate Dei quærere hîc liceat, neque nostrum sit *nosse tempora sive opportunitates quas Pater in sua ipsius authoritate statuit* Actor. 1, 7. Voluit etiam ultimorum temporum homines non procul abesse ab orbe condito, ne illius origo & dependentia à Deo traderetur oblivioni, & quo semper illis constaret non necessitate, sed libertate divinâ creatum esse: Nec tenetur Deus semper efficere quicquid boni efficere potest; ut enim benè fiat debet fieri opportunè; sed nemo meliùs novit quàm Deus quæ sint opportunitates agendi. Imò cum tempus non exstiterit ante creationem, & hæc adverbia, *ante*, *citius*, *serius*, &c. sint adverbia temporis, stultè quæras potuerit ne mundus *ante*, aut *citius*, aut *seriùs* creari, quam creatus est.

XV. Et prout Deus cùm mundum condidit non transiit ab otio ad negotium, à potentia ad actum, sed magis ipse mundus à potentia obedientiali, & potiùs negativa aut privativa quam positiva, transiit in actum; ita non putandus est Deus ante Creationem otio torpuisse, cùm nec perfectior nec occupatior factus fuerit creatione rerum, & sibi semper plenissimè ad perfectissimam beatitudinem suffecerit: Itaque ante mundi Creationem, ut scitè Augustinus, Inferos parabat aut talia de ipso putantibus, aut curiosè inquirentibus quid faceret.

XVI. Quoad(*b*) anni tempestatem quâ creatio facta est, arbitramur Solem in Libra, sive æquinoctio autumnali, conditum fuisse, præcipuè quia annus Israëlitarum Civilis, qui fuit quoque Patriarcharum, incipiebat à mense Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet. (*c*) Sex item diebus voluit Deus operari, non quod momento mundus perfici non potuisset, aut tantæ molis fuerit Deo condere humanam gentem, contra dictum Esa. XL, 28. *Nonne audivisti Deum æternum Iehovam, creatorem extremitatum terræ, non defatisci neque defatigari?* sed quo rerum connexionem, dependentiam, ordinem indicaret; nos exemplo suo & à nimia festinatione, quæ noverca est prudentiæ, abduceret, & ad sedulitatem in opere deduceret; ac simul moneret septimanam vitæ nostræ operum suorum contemplationi esse dicandam: Qui inde colligunt Mundi durationem fore annorum sex mille, eò quod *mille anni sint ut dies unus apud Dominum* Psal. XC, 4. 2 Petr. III, 8. non omninò apodicticè loquuntur.

XVII. (*d*) Res per Creationem producta, fuit Universus Mundus, qui Unicus nobis proponitur in Scriptura; nec temerè plures sunt excogitandi, vel successivè, ut Rabbini delirant, qui ex littera *Beth* initio Geneseôs, ridiculè colligunt hanc secundam semitam esse; vel simul, ut nonnulli Veteres Philosophi, ad quos satis temerè accedunt hodie illi qui suis tubis opticis decepti, in Luna, Sole, Sideribus, Systemata huic nostro elementari similia comminiscuntur; Uni Deo unus mundus sufficit gloriæ suæ illustrandæ; Imò & τὸ πᾶν dici deberet, nisi omnia creata complecteretur; nec perfectus credendus esset, si om-

a Tempus *Creationis*. *b* Tempestas *anni*. *c* *Sex* dies. *d* Res Creatæ; 1. *In genere*.

ſi omnia ambitu ſuo non contineret: Quin plures à ſe invicem mundos diſcretos imaginari, nemo poteſt abſque contradictione; nam vel nihil interjacebit inter eos, & ſic non erunt diſcreti; quia neceſſe eſt conjungi ea corpora, inter quæ nihil eſt; vel aliquo vero & reali ſpatio diſcriminabuntur, & ſic revera deſinent eſſe diſcreti, ſiquidem per illud continuabuntur inter ſe. Fingere verò inane vacuum, vel ſpatium imaginarium inter duos terminos reales, eſſet oppoſitum in appoſito ſtatuere. Nec per id limites figimus omnipotentiæ divinæ; cui tam repugnat quod contradictionem involuit, quam convenit hunc mundum, cujus magnitudo eſt nobis indefinita, centuplo ampliorem poſſe facere, ſi ita luberet.

XVIII. Res tamen omnes creatæ non ſunt eodem modo: Nam quarundam ſpecierum omnia individua perpetuò manſura ſunt creata; aliarum nonnulla individua duntaxat, ſpecies per propagationem conſervatura: Quædam ſunt in ſe ipſis creata, quædam in ſuis cauſis, ut Meteora, Inſecta plurima quæ nonniſi ex putredine fiunt, Animalia quæ ex commixtione ſpecierum, ut muli, leopardi &c. naſcuntur: Quędam potiùs concreata dici debent quam creata, ut Materia prima, Accidentia in ſuis ſubjectis, Univerſalia, Tempus & Locus, ſive ſpatium illud quo Creaturæ recipiuntur; quod mundo præexiſtens, aut latius patens, imaginari nemo poteſt, qui Marcionis deliriis in totum renunciaverit.

XIX. (a) Prima dies incepit à nocte, unde mos Judæis diem ſuum civilem occaſu Solis auſpicandi, & nox ut antiquiſſima veteribus celebrata. (b) Eâ die creata ſunt, I. Cœlum ſupremum ſive Empyræum ac Beatorum, (prout dicitur Matth. xxv, 34. piis eſſe *paratum regnum* cœlorum *à jacto mundi fundamento*,) quod perperam
L. Eugubinus ſtatuit ipſum Deum, & Ubiquitiſtæ, ab eo errore haud abludentes, ultra ſphæras cœleſtes, aut corporeum eſſe negant; cùm tamen *tertium cœlum* Paulo dicatur 2 Corinth. xii, 2. II Angeli, ejus cœli primi incolæ, quos meritò annumeres *exercitibus cœlorum* commemoratis Geneſ. ii, 1. *Quis jecit lapidem angularem terræ, quùm canerent ſimul ſtellæ matutinæ, & cui vociferati ſunt omnes filii Dei?* Job xxxviii, 6. 7. III. Terra informis & vacua & quaſi intra denſiſſimas tenebras ſepulta & aquis immerſa.

IV. Lux primigenia accenſa in hemiſphærio, quæ ſui converſione noctem & diem ſucceſſivè partiretur. Fuiſſe autem hanc lucem accidens ſine ſubjecto tam falsò quidam è Pontificiis ſtatue- P.
re annituntur, quam certum quod omne accidentis eſſe ſit ineſſe.

XX. (c) Die ſecundâ creatum eſt Expanſum ſive firmamentum, quo aquæ ſuperiores, id eſt nubes, ab aquis inferioribus, mari, fontibus & fluviis qui terram alluunt, fuerunt ſegregatæ. Vitioſè aquas iſtas Ubiquitarii ſupra cœlos viſibiles collocant, ut reddant Chriſto difficiliorem aſcenſionem ſuam in tertium cœlum: cùm tamen tralatitium ſit in Scripturis, nubes, aquas ſupremas appellare: *Ligat aquas in denſis nubibus ſuis, adeo ut non findatur nubes ſub eis* Job. xxvi, 8. *Quo vocem ſuam edente fremitus aquarum eſt in cœlis* Ier. x. 13. *Qui contignat in aquis cœnacula ſua, qui diſponit denſas nubes in vehiculum* Pſal. civ, 3. Caruit hæc dies ſolemni benedictione, non quod numerus binarius ſit infamis, ut voluit Hieronymus in odium conjugii, aut quod infernus tunc fuerit factus, ut fingunt Kabbali-
ſtæ, aut quod Angeli tunc lapſi ſint, ut placet J.
aliis; ſed potiùs quod terra quidem tunc cœperit ſublevari illo onere aquarum ſub quo demerſa erat, ſed eo penitùs nonniſi poſtridie quo arida apparuit, liberata fuerit.

XXI. (d) Die tertiâ Deus permiſtas terris aquas ſecrevit in unum locum, nempe mare, non tam ſucceſſivo quodam earum fluxu ex una orbis parte in aliam, quam momentaneâ illarum ſubſidentiâ, in eas ſpecus & cavernas terræ quæ illi evenêre ubi derepentè pluribus in locis eminere cœpit; atque terram ipſam in centro mundi collocavit immobilem; quicquid Coperniciani ſtatuant de illius motu continuo & Solis conſiſtentia; reclamantibus non ſolum omnium ſenſu, ſed etiam tùm Scripturâ, *Fundavit enim Deus terram ſuper baſes ſuas ne moveatur* Pſal. civ, 5. & *conſtabilivit orbem ne dimoveatur* Pſal. xciii, 1. quibus adde & miraculoſam ſtationem Solis & Lunæ Joſ. x, 12. 13. 14. quâ *Sol ſtetit in medio cœlo nec feſtinavit ad occaſum quaſi diem integrum*; & Solis retrogradationem, cùm *retroceſſit umbra per decem gradus* 2 Reg. xx, 10. tùm ratione, juxta quam quod Univerſi meditullium & centrum occupet, ſtare eam potiùs convenit quam moveri. Hanc autem terram in infima Orbis parte collocatam, ac deſtinatam habita-

a 2. *In ſpecie*, b Primo die, c Secundo, d Tertio.

bitationi hominum & bestiarum, omni genere holerum, herbarum & plantarum Deus vestivit, ejusque viscera metallis ac mineralibus quibuslibet dotavit ac ditavit; Nec opus fuit Mosi specialem horum facere mentionem, cùm terræ creatio, secretio ab aquis & ornatus, illla necessariò ponat.

XXII. (a) Quartâ die sydera & luminaria cœlo indita sunt: quorum motus continuus & æquabilis per regionem æthercam, naturæ, ut videtur, fluidæ & subtilissimæ, (& in qua nihil attinet imaginari concamerationes illas orbium & sphærarum, sibi succenturiatas, quas fingunt Astronomi, ad phænomena sua commodiùs explicanda) non pendet ab intelligentiis assistentibus aut informantibus, ut quidam Philosophi fabulantur, sed à vi divina quæ hunc impetum illis impressit ab initio: Huc facit illa Solis descriptio; *Est tanquam sponsus prodiens è thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam; Ab extremitate cœlorum exortus ejus & revolutio ejus ad extremitates eorum est* Psal. XIX, 6. 7. Eorum usus est diem à nocte distinguere; anni tempestates & vices signare; suo lumine, calore, motu, in hæc inferiora influere, ut *cœlis exaudientibus terram, ipsa exaudiat frumentum & mustum & oleum* in usum hominum Os. II, 21. Qui verò Astrologiam judiciariam hîc sectantur, & ex syderibus suspendunt fatum mortalium, in Dei Providentiam sunt injurii, & ejus Verbo damnantur; *Ne invenitor in te qui traducat filium suum aut filiam suam per ignem, utens divinationibus, planetarius, aut conjector*, &c. Deut. XVIII, 10.

XXIII. (b) Quinta dies ortum dedit avibus & piscibus, quos decuit simul creari propter affinitatem quæ est inter aërem & aquam, natatum & volatum, pinnas & pennas, & quo essent in illa libri naturæ pagina, instar literarum vocalium & mutarum, ex quarum conjunctione dictiones fierent. Hinc factum ut quidam ex Veteribus non minùs vescerentur avibus quam piscibus tempore jejunii, quod eandem haberent ex aquis originem. (c) Sextâ vero die colophonem imposuit Deus suis operibus, tùm animalium quorumlibet terrestrium, tùm præsertim ipsius *Hominis* sive microcosmi productione, quem ultimum creari decuit, quod omnia sint propter hominem, ipse verò propter Deum: nam quod est ultimum in executione primum est in intentione. Quæ insuper decem alia eo die creata fingunt Rabbini, tanquam febricitantium deliria rejicimus.

XXIV. (d) Quies quæ Deo tribuitur *die septimo* quo *quievit ab omni opere suo quod fecerat* Gen. II, 2. Exod. XX, II. nec motum nec lassitudinem præcedentem præsupponit; quia solius voluntatis nutu omnia creavit; nec desitionem ab omni operatione, contra dictum Christi, *Pater meus usque adhuc operatur & ego operor* Joh. V, 17. Sed (quod etiam verbum *scabath* significare videtur) cessationem ab opere Creationis, utpote jam completo & absoluto: Desiit enim Deus à novis speciebus creandis, & si earum conservationi, vel in suis primis individuis, vel per individuorum propagationem, semper invigilet: Hunc verò diem septimum ab orbe condito addixit per *sanctificationem* specialem cultui suo: *Et benedixit Deus diei septimo & sanctificavit ipsum, quum in eo quievisset ab omni opere suo quod creaverat faciendo* Gen. II, 3. Id enim prolepticè hîc dici à Mose: respectu ejus quod bis mille annis post fuit sancitum Legis promulgatione, verosimile non est.

XXV. (e) Creaturarum adjuncta sunt, I. *Finitudo* loci & temporis, adeo ut nec extiterint ab æterno, & ipsum extimum cœlum, cùm sit corpus, idque solidius aëreâ vel ætereâ regione nobis conspicuis, quò universi partes quadantenus inter se constringat, suo loco & spatio sibi commensurato finiatur & terminetur; nec enim in infinito mundus est conditus, ut olim Metrodorus volebat, sed spatium quod occupat est locato adæquatum. Et quamvis mundus sit nobis indefinitæ magnitudinis, juxta Jer. XXXI, 37. statuentem *non posse cœlos mensurari supernè, nec investigari fundamenta terræ infernè*, tamen in se eo ipso est finitus, quod præter Deum non detur infinitum actu; quod partibus finitis constet; quod cœlum tempore finito moveatur & in sphæram circumagatur. II. *Mutabilitas* quam licet negent nonnulli è Judæis, tamen Scriptura manifestè docet, eò quod dicat David, *Ista peritura sunt, tu autem permanes, ista inquam omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea*, (non per totalem abolitionem, sed per renovationem in melius) *& mutabuntur* Psal. CII, 27. & in die Domini *cœli conflagrantes solventur & elementa æstuantia liquescent, sed cœlos novos ac terram novam secundum promissum ejus expectamus, in quibus justitia inhabitat* 2 Petr. III, 12. 13. III. Denique *Bonitas* communicata convenienter unicuique rei; *Tùm inspexit* quic-

a Quarto. b Quinto. c Sexto. d Sabbatthum. e *Creaturarum* Adjuncta.

quicquid fecerat, ecce autem bonum erat valdè Gen. I, 31. nullis videlicet mali positivis seminibus ei insitis, W. ut Weigeliani somniant. Sic tamen ut essentialis bonitas partium, non excludat graduum inæqualitatem, quæ ad totius perfectionem multum confert.

XXVI. Inter Creaturas verò, cùm quædam incurrant in sensus, ut corpora elementaria & Physica quælibet, aliæ à sensibus sint remotæ ut Angeli, quædam mediæ inter utrosque conditionis, ut Homo, nunc sensibilibus omissis de (*a*) Angelis & Homine dicendum: Angeli nomen, quod est potiùs officii quam naturæ (unde etiam tribuitur Dei Filio, qui *Angelus fœderis* appellatur Malach. III, 1. ac Ecclesiæ Ministris, juxta id quod Apoc. I, 20. *septem stellæ, Angeli septem Ecclesiarum dicuntur*) hîc nobis denotat *naturam spiritualem, incorpoream, intellectu & voluntate præditam.*

XXVII. (*b*) Esse Angelos qui negant cum Sadducæis, & experientiæ multiplici, & Sapientum placitis, & toti Scripturæ adversantur. Imò ratio sanior dictare id videtur, quod cùm dentur Creaturæ solo sensu præditæ, ut bruta, quædam intellectu & sensu, ut homines, debeant dari aliæ solo constantes intellectu. Eos verò esse corporeæ molis expertes, & frustra illis J. subtilia corpora assignari à Judæis, Tritthemio, S.V. Veteribus non paucis & Socino ac Vorstio, ipsum Spirituum nomen evidenter indicat; nec ideo aut finiti desinunt esse, quia essentialiter terminantur & intrinsecè, etsi non extrinsecè, circumscriptivè & quantitativè, aut ejusdem simplicitatis cum Deo constituuntur, quia multiplex in eos cadit compositio generis & differentiæ; potentiæ & actus, essentiæ & existentiæ, subjecti & accidentis.

XXVIII. (*c*) Conditos esse à Deo, cùm à seipsis esse nequeant, est certissimum, prout *Angeli ejus* dicuntur Psal. CIII, 20. expresseque rebus conditis à Christo annumerantur Col. I. 16. ipseque *Angelos suos facit ventos & administros suos ignis flammam* Hebr I, 7. quod juris in eos non haberet nisi essent opera manuum suarum. Nec extiterunt ante illud rerum omnium *principium* quod Mosi describitur Gen. I, 1. contra quam S. pertendunt Sociniani, ut à Photinianismo depulsi se ad Arianismum possint recipere: Nam hoc fuit principium omnium rerum, ante quod quicquid fuit, æternum fuit: Nec potuerunt ante Angeli habuisse suum Ubi, in quo essent moverentur & agerent, adeoquè nec esse.

XXIX. Quamvis autem Moses non faciat tam expressam mentionem originis Angelorum, sensibilium descriptioni magis inhærens, tamen & eos esse à Deo, satis passim indicat cùm illos Deo subjicit, & non obscurè eorum Creationem perfectione *exercituum* Cœli exprimit, cùm ait, *Itaque perfecti sunt cæli & terra omnisque exercitus illorum* Genes. II, 1. Nam etiam Angelos exercitus esse cœlestes passim insinuat Scriptura; Sic enim Michæas vidit *Iehovam insidentem solio suo & totum exercitum cæli*, (idest Angelos) *adstantem ei à dextra ejus & à sinistra ejus* 1 Reg. XXII, 19. Sic *Angelo* annuncianti Pastoribus nativitatem Christi, *derepente adfuit multitudo exercituum cælestium laudantium Deum* Luc. II, 13. Nec alienum omninò est quod statuunt Viri Doctissimi, etiam *Lucis* primigeniæ voce Angelos posse intelligi, maximè cum 2 Corinth. XI, 14. Paulo commemorentur *Angeli Lucis.*

XXX. Angelis convenit (*d*) *Intellectus* eximiâ præditus cognitione & sapientiâ, *Vt Angelus Dei, ita est Dominus meus rex cognoscens bonum & malum*, inquiebat Thekoita ad Davidem 2 Sam. XIV, 18. Ea tamen est finita (cùm *de die & hora* ultimi judicii *nemo sciat, ne Angeli quidem cælorum* Matth. XXIV, 36.) & incrementi capax, eo quod *nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus quæ in cælis sunt multiformis sapientia Dei* Ephes. III, 10. quæ potissimum in Christi incarnatione apparuit; unde in pietatis mysterio conjungit hæc Paulus, quod *Deus sit conspicuus factus in carne, justificatus in Spiritu & conspectus ab Angelis* 1 Timoth. III, 16. Finita verò cùm sit, nec ad futurorum præscientiam, nisi Deo revelante, unde Dæmonum oracula tam falsa, tam fallacia, nec ad cordium recessus extenditur. (*e*) *Appetitus* item & *voluntas*, quâ liberrimè feruntur in Dei amorem & obsequium. *Robur* quoque & *potentia* maxima; unde *valentissimi robore* dicuntur Psal. CIII, 20. & contradistinctè à *carne* & *sanguine*, ut infirmitatem notat, *imperia & potestates* appellari videntur Eph. VI, 12. statuiturque futura *revelatio Domini Iesu de cælo cum Angelis suis potentibus* 2 Thess. I, 7. Ut minus mirum sit quod unâ *nocte Angelus Iehovæ* percutere potuerit *in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* hominum 2 Reg. XIX, 35. Nec dubium quin in corpora elementaria, subluna-

a ANGELI. b *Eorum* existentia. c *Conditi sunt ab initio.* d *Eorum* Intellectus ac Sapientia. e Appetitus & voluntas Potentia.

lunaria quælibet, ipsosque sensus tam externos quam internos excitandos ligandos-ve, plurimum possint. Nihil tamen possunt immediatè in facultates animi principes, nihil ad Creationem alicujus substantiæ, nihil per seipsos ad generationem hominis vel alicujus animalis perfecti. Qui ergo Angelos sexu discretos, & Gigantes alios-ve ab Angelis genitos, & Dæmonas alios incubos alios succubos ad generationem cum aliquot Pontificiis somniant, refelluntur auctoritate Christi, dicentis quod *in resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptui dantur, sed sunt ut Angeli Dei in cœlo* Matth. XXII, 30. P.

XXXI. (*a*) *Ubi* convenit etiam Angelo, non circumscriptivum quod est corporum, sed definitivum, ita ut ejus *substantialis*, nec solum *virtualis* præsentia, aliquo spatio definiatur, neque simul in duobus spatiis distinctis esse possit, & de *loco in locum* transeat & moveatur. Ille Angeli locus est semper determinatus quoad magnitudinem, ut non possit esse in majori, qui sphæra activitatis Angelicæ dicitur, nec audiendi quidam Jesuitæ statuentes posse dari Angelum tantæ perfectionis, ut esset ubique, quod soli Deo competit: Non tamen est determinatus quoad parvitatem; unde plures Angeli in loco minimo esse possunt, imò, contra quam censet Thomas, possunt partialiter operari; quia videlicet sunt inextensi & indivisibiles. P. P.

XXXII. Neque tamen Angelus potest esse in puncto indivisibili, ut fingit Becanus, tùm quia in puncto non posset operari, saltem ad extra; tùm quia Ubietas sive Locatio non potest aut concipi aut esse sine spatio, quod nullum in puncto indivisibili, mathematico ac indefinibili, consistit. Nam etsi ad locationem ex parte rei locatæ sufficeret relatio distantiæ vel propinquitatis ad alias res, quam possumus metiri à puncto ad punctum, tamen ex parte locantis reale spatium requiritur. P.

XXXIII. (*b*) *Motus* quoque Angeli est celerrimus, ut *ventorum* & *flammæ ignis* Psal. CIV, 4. Tamen novum locum primo deserto non acquirit in instanti, sed cum aliqua mora; quia licet ipsum mobile sit indivisibile, tamen spatium in quo movetur extensum est & continuum, quod nulla Creatura in instanti potest transire; ut ridiculi sint Pontificii qui volunt vel *naturaliter*, vel saltem *supernaturaliter*, posse Angelum moveri ab extremo ad extremum intacto medio, cùm extrema opposita ne quidem absque illo concipi possint. P.

a Ubi. *b* Motus. *c* Quando. *d* Numerus.

XXXIV. Angelicum (*c*) *Quando*, Ævum dicitur Scholasticis, circa quod fabulas Valentinianas Æonum tantum non revocant. Negamus verò illis durationem Angeli indivisibilem esse, aut in successione non consistere; cùm cras & perendie sit Angelus acquisiturus eam continuationem & extensionem durationis suæ quam hodie non habuit: Convenit ergo cum tempore quod habeat principium & subcessionem; adeo ut temporis differentiæ propriè conveniant Angelo, in cujus duratione discrimen est inter multos annos & unum diem: cum æternitate tantum à *parte post* & quod finem non habeat. Sunt enim Angeli immateriales, adeoque etiam essentiâ incorruptibiles; mutabiles tamen tum ad *Ubi*, tum ad *Quando*. P.

XXXV. Angelorum ingens (*d*) *numerus* ab initio fuit creatus, ut frustrà Aristoteles eum coarctarit ad numerum sphærarum cœlestium, quibus rotandis indesinenter eos perperam alligavit: Deo Optimo Maximo *millies mille ministrant, & coram eo myrias myriadum stat.* Dan. VII, 10. & *curruum Dei duæ sunt myriades, millia multiplicia* Psal. LXVIII, 18. ac *cum Sanctis millibus suis* venturus est ad judicium Jud. 14. Quantus tamen is sit numerus definiri non potest. Quare mittimus eorum conjecturas qui Angelorum lapsorum numerum æquant numero Electorum hominum, quasi hi in illorum supplementum delecti fuerint; aut bonos Angelos Electorum ex hominibus numerum nonagies novies superare suspicantur, ob parabolam quæ extat Matth. XVIII, 12.

XXXVI. Dari inter Angelos aliquam *Ordinis* distinctionem, ut non gravatè agnoscimus ex Scripturis, commemorantibus *Beelzebulem principem dæmoniorum* Matth. XII, 24. & *Diabolum cum Angelis suis* Matth. XXV, 41. tamen non assentimur Pseudo-Areopagitæ & Scholasticis ex illo, tam multa audacter de novem Angelorum ordinibus garrientibus, horumque omnium discrimina superciliosè assignantibus, & sese *ingerentibus in ea quæ non viderunt*, ut loquar cum Paulo Col. II, 18. Quod Angelis tribuantur, *Imperia, Dominia, Virtutes, Potestates, Throni* Col. I, 16. Eph. I, 21. VI, 12. non tam pertinet ad distinctionem quam ad encomia eorum, ex stylo Platonicorum & Angelicorum. Unius tantum *Archangeli*, qui dubio procul Christus est, meminit Scriptura I Thess. IV, 16. Jud. 9. Tacetque de discrimine inter Cherubinos com- P.

commemoratos Gen. III, 24. & Seraphinos apud
P. Esa. VI, 2. Nec probamus dogma Thomista-
rum, statuentium omnes Angelos non numero
tantum, sed etiam specie differre: nam animæ
humanæ, quæ sunt æquè immateriales, nonnisi
numero differunt. An singulis sua sint (a) *nomina*
distincta, haud facilè dixerim; unius tantum è
Sanctis Angelis legitur nomen in Scripturis Ca-
nonicis, nempe Gabrielis: nam aliud Michaelis
J. videtur esse speciale Christi: Alia nomina quæ
Kabbalistæ finxerunt, tanquam ad magiæ teter-
rima sacra pertinentia & Apocrypha respuimus.

XXXVII. (*b*) Ut Angelorum alii ab æterno
fuerunt Electi alii Reprobi, sic cum omnes
creati quidem fuerint suo sensu ad imaginem Dei,
(licet Scriptura id honoris uni homini vindicare
expressè videatur) unde ejus *Filii* dicuntur Job.
I, 6. (*c*) sed tamen labiles, nonnulli, quorum
Deus & præscivit & permittere decrevit lapsum,
liberè defecerunt, aliis non sine Dei auxilio per-
severantibus in officio; in quo deinceps statu ex
sola Dei indebita gratia fuerunt potenter confir-
mati; Unde exsurgit necessaria distinctio Ange-
lorum in bonos & malos: Horum autem caput
Beelzebub, Satan, Diabolus, Malus κατ' ἐξοχήν,
nominibus magis appellativis quam propriis, si
prius fortè excipias, quod fuit Idoli Accaronita-
rum, appellatur.

XXXVIII. Mali ergo sunt non naturâ &
primitivâ suâ conditione; sed lapsu & voluntariâ
sui corruptione; quippe conditi ab initio in statu
perfectionis *privativè* sumptæ, ut dicit caren-
tiam culpæ & pœnæ, & præsentiam auxilii quo
eum statum possent retinere; licet non in statu
perfectionis *positivæ* & immutabilis, quem An-
geli perseverantes in officio Dei gratiâ, suâ *confir-
matione* sunt consequuti per Dei Filium ceu Ca-
put & Dominum suum, non verò tanquam
suum Mediatorem & Redemptorem; Nec *enim
assumsit Angelos sed semen Abrahæ* Hebr. II, 16.

XXXIX. (*d*) Extra dubium est posse Angelos suos
affectus vel conceptus sibi invicem manifestare,
speciem aliquam intelligibilem, vel in se ipsis exci-
tando, vel imprimendo in aliis, modò sint in eadem
sphæra activitatis: non posse enim Angelum absen-
tem cum absente loqui, ipsi Jesuitæ agnoscunt, qui
tamen volunt nos in precibus nostris Sanctos cœ-
P. lites, certò absentes, & Angelos, de quorum
præsentia nihil habemus certi, diligenter com-
pellare. Sed tamen quomodo Angeli inter se lo-
quantur, tam nobis impossibile est ulteriùs ex-
primere, quam bestiis assequi quomodo nos lo-
quamur: Et quæ de *linguis Angelorum* dicit Apo-
stolus I Cor. XIII, I. non aliò spectant quam
significandis linguis excellentissimis, quibus vel
ipsi Angeli essent usuri, si articulatis vocibus lo-
querentur. Non potest saltem talis collocutio in-
ter Angelum & hominem intercedere qualis in-
ter duos Angelos, quia nec potest homo in se spe-
ciem intelligibilem elicere quam imprimat An-
gelo, nec Angelus immediatè speciem aliquam
intelligibilem intellectui humano imprimere.

XL. (*e*) Angelici officii, à quo Angeli Apostatæ
defecerunt, norma est in genere Dei gloria, in
specie lex Dei æterna & mandata quæcunque po-
sitiva, quibus capessendis perpetuò sunt intenti;
*Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis; dico
enim vobis Angelos eorum in cœlis per omne tempus
intueri faciem Patris mei qui in cœlis est* Matth.
XVIII, 10. Hoc suo officio defunguntur liber-
rimè; eos tamen non mereri agnoscit Bellarmi-
nus; Quamvis Drexelius Jesuita impiè & absur- P.
dè precetur Deum per merita Angeli sui custo-
dis, quasi Angeli boni dum erant adhuc Viato-
res, non tantum sibi, sed etiam hominibus me-
reri potuerint.

XLI. Speciatim utitur Deus Angelis in ho-
minibus regendis vel *extraordinariè*, si nempe
fuerint aut impii puniendi, aut pii liberandi in-
stituendi-ve: vel *ordinariè*, idque protectione
quadam & curâ invisibili, tam communi quo-
rumlibet, quam speciali potissimum fidelium:
*Castrametantur Angeli Iehovæ circa timentes ejus
& eripit eos* Psal. XXXIV, 8. *Angelis suis præcipiet
de te ut conservent te in omnibus viis tuis* Psal. XCI,
II. *Nonne omnes sunt ministerii munere fungentes
Spiritus, qui ministerii causâ emittuntur propter
hæredes salutis futuros?* Hebr. I, 14. Unde li-
quet inanem esse Scholasticorum distinctionem, P.
quâ Angelos distribuunt in *Assistentes* & *Ministran-
tes*, cùm omnium ministerio Deus utatur ad li-
bitum. Nequicquam etiam Pontificii iidem, P.
cuique homini suum Angelum custodem perpe-
tuum (Ethnici duos Genios, unum bonum,
alterum malum, dabant singulis) assignant;
nam & plurimis unus Angelus destinatur; siqui-
dem textus originalis Psal. XXXIV, 8. meminit
tantum in singulari Angeli Jehovæ castrametantis
circa timentes se; licet Junius reddiderit in plu-
rali,) & uni plures; nam Gen. XXVIII, 12.

H *An-*

a Nomina. *b* Prædestinatio. *c* *Ex qua distinctio in* Bonos & Malos. *d* Loquela. *e* Officium.

Angeli descendentes per scalam Jacobi, significabant eum fore in illorum tutela tam eundo quam redeundo; ac revera eos magno numero *obviam* habuit in *Mahanajim*, ut videns eos dixerit, *Acies Dei hæc est* Gen. XXXII, 1. 2. & unius Lazari anima post ipsius obitum *asportatur ab Angelis in sinum Abrahami* Luc. XVI, 22. Nunquam quidem subtrahuntur homines Providentiæ Divinæ; sed tamen eam necessariò semper agere per Angelos affirmari non debet.

XLII. Sufficit ad piorum, I. *Consolationem*, quod Deus eos commiserit Angelicæ custodiæ, quam debent semper revereri, adeo ut ipsa *mulier* pia teneatur *habere potestatem*, idest symbolum quod sit sub aliena potestate, *in capite propter Angelos* 1 Cor. XI, 10. II. *Institutionem:* quod *sobrii* debeant esse & *vigilare*, quoniam *adversarius ille* noster *Diabolus ut leo rugiens obambulat quærens quem absorbeat* 1 Petr. V, 8. Impingunt autem in Angelorum officium, I. Qui singulos destinant singulis Planetis, signis Zodiaci, Elementis, plagis mundi, ut Tritthe-
J. mius, Judæi & alii. II. Qui custodiam & opem Angelorum non precibus ad solum Deum, sed magicis carminibus se consequuturos arbitran-
P. tur. III. Qui cum Platonicis & Pontificiis Angelos constituunt μεσίτας & intercessores inter Deum & homines, cùm is honos soli Christo competat; *Unus enim est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus* 1 Tim. II, 5. & *si quis peccavit Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum* 1 Ioh. II, 1.

XLIII. *(a) Cultus* quoque religiosus Angelis
P. non est deferendus, ut fit in communione Pontificia, reclamante totâ Scripturâ, quæ expressè damnat θρησκείαν, id est, *(b) cultum religiosum Angelorum* Col. II, 19. & regulam proponit universalem, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies* Matth. IV, 10. & in genere reos peragit Idololatriæ servientes *iis qui naturâ non sunt Dii* Gal. IV, 8. Unde & Angelici veteres damnati in Ecclesia: Speciatim verò non sunt adorandi, eum honorem Angelo expressè respuente; *Vide ne feceris, conservus tuus sum & fratrum tuorum, Deum adora* Apoc. XIX, 10. XXII, 9. Nec invocandi, *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt?* Rom. X, 14. Neque vota illis nuncupanda; *Sacrifica Deo laudem & redde Excelso vota tua* Psal. L, 14. Aut per illos jurandum, etsi ut testes & conscii eorum quæ fiunt in Ecclesia possint adhiberi, ut factum à Paulo dicente, *Obtestor in conspectu Dei & Domini Iesu Christi & Electorum Angelorum ut hæc observes* 1 Tim. V, 21. Nec templis vel festis sunt honorandi, quia etiam soli Deo debentur: Quæ omnia, non licita magis sub V. T. quanquam id vitiose statuunt quandoque Sociniani, quam sub S.
Novo, cùm fiant à Papistis eos Angelolatræ reos P.
peragunt.

XLIV. *(c)* Idololatria tamen adhuc tetrior est eorum qui cum Dæmonibus colunt ullum commercium, & artes illicitas exercent, ad mira potiùs & præstigias quam vera miracula patranda, ex pacto aliquo vel tacito vel expresso cum Diabolo: *(d)* adversus cujus insidias pietate, oratione & fide, nos debemus præmunire; & si quid adversi per ipsum patiamur, solius Dei opem & subsidia implorare; non verò magica amuleta & periapta conquirere. Imò si qui non solum *obsessi* sed etiam *possessi* fuerint à malis Spiritibus & verè Energumeni, illi non sunt curandi *Exorcismis* Pontificiis, quibus Satan vel non cedit, P.
vel cedit per meram collusionem, sed precibus sanctis ad Deum, cui vel invitus obsequitur, & absque cujus permissu nemini nocere potest, ejus gratiæ & curæ sunt committendi & commendandi.

XLV. *(e)* Sed cum Angeli, utut naturâ incorporei & invisibiles, sæpiùs tamen legantur hominibus apparuisse (& quæcunque tales apparitiones contigerunt, eæ Angelorum fuêre bonorum aut malorum, non manium aut animarum à suis corporibus separatarum; nam *quocunque loco ceciderit arbor ibi futura* est Eccl. XI, 3. *cùm abit homo in locum sæculi sui, spiritu redeunte ad Deum qui dederat illum* ibid. XII, 79. unde liquet phantasma non verum Samuelem jam ante mortuum, apparuisse Sauli 1. Sam. XXVIII, 14. 15.) id factum non solum *in effectu aliquo extraordinario*, sed etiam sæpè *specie aliqua sensibili*; tùm dormientibus per ὅραμα & χρηματισμὸν, etsi plerumque citra formæ determinationem; ut cùm Jacob vidit *Angelos Dei ascendentes & descendentes per scalam* Gen. XXVIII, 12. aut cùm *Angelus Domini apparuit* Josepho *in somnio* Matth. I, 20. & Paulo *adstitit noctu* Act. XXVII, 23. tùm vigilantibus; idque aut visione merè *exstaticâ*

a Cultus. b Religiosus *semper vitiosus*. c *Sed* Magicus *execrabilis*. d *Dæmones enim fugiendi ac fugandi*. e Apparitiones.

câ & imaginariâ, quales obtigerunt sæpè Prophetis & Johanni in Apocalypsi, aut visione *sensitivâ* & ejusmodi specie quæ etiam in oculos incurreret.

XLVI. (*a*) Hæc verò, vel corpora duntaxat *apparentia* exhibebat oculis spectantium, ex aëre forte condensato, & quæ œconomiâ peractâ tenues abirent in auras; ut cùm Angelus qui Gedeoni apparuerat derepentè *abiit à conspectu ejus* Judic.VI,21. & is qui Manoæ visus erat, sive creatus ille sive increatus fuerit, *ascendit in flamma* holocausti ibid. XIII, 20. Sic cùm ex improviso Gabriel *ingressus* esset ad B. Mariam, illa *perturbata* fuit *super ejus sermone & cogitabat qualis esset salutatio ista* Luc. I, 28. 29. Sic Angelus *supervenit* Petro in carcere, & cùm eum eduxisset *statim abscessit ab eo* Actor. XII, 7. 10. Talia sibi quandoque ex aëre condensato, Spiritus impuri formant corpora, ut spectris homines territent; sed & non rarò per meras præstigias sensibus illudunt. Vel corpora etiam *vera*, quæ assumserant, unione non personali sed accidentali; ita tamen ut existentes Angeli in ejusmodi corporibus, illis uterentur tanquam instrumentis & ceu motores mobili, per modum formæ assistentis, ad se manifestandos: Inde patet potiùs latuisse Satanam in Serpente quam illum assumpsisse ut se manifestaret; & abreptitiorum corpora non tam assumi, quam invadi à Dæmonibus.

XLVII. Vera autem corpora interdum assumpsisse Angelos, quæ tangerent & tangerentur, dubitari nequit, cùm etiam à Sanctis pro veris hominibus sumerentur: Et quamvis non negem impuros Spiritus sæpè cadavera hominum recens mortuorum assumere, in quibus vivis illudant, tamen quæ boni sibi uniisse leguntur, aut ad id fuere à Deo immediatè *condita*, aut etiam potuerunt esse corpora hominum *viventium*, in quæ Angeli delapsi operationes quasdam œconomicas peregerunt, aversâ tantisper eorum, quorum erant, phantasiâ, ut ipsi nescirent quid in se vel per se fieret. Non immeritò enim *Viri* vel *Homines* dicuntur; & actiones ediderunt vitales & animales, ambulando, loquendo, comedendo; quæ licet non fuerint formaliter Angelorum, fuerunt tamen formaliter & subjectivè suppositorum illorum in quibus apparebant.

XLVIII. (*b*) Verùm cùm juxta illud γνῶθι σεαυτὸν, debeamus potissimum in hominis Creationem inquirere, quæ etiam fusiùs & distinctiùs à Mose recitatur, ad eam veniendum. Non est de nihilo quod circa formationem primi hominis videtur S. Trinitas in deliberationem venisse; *Postea dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram* Genes. I, 26. Id enim hominis præstantiam speciatim commendat. Primi verò hominis (*c*) corpus è terra formatum fuit: unde *Homo* ab *Humo* tam Hebræis quam Latinis; ut semper primæ nostræ originis memores; humilitati studeamus.

XLIX. Ejus corpori *insufflavit* Deus spiraculum (*d*) sive *halitum vitæ* vel *vitarum* Genes. II, 7. id est animam rationalem intellectu & voluntate præditam, substantiâ spiritualem ac immaterialem & conditione immortalem, quæ forma hominis est non tantum assistens, sed etiam informans; & quia indivisibilis, tota in toto corpore & tota in qualibet ejus parte; & quæ ut ἔξωθεν & extrinsecùs venit, ita existit extra corpus & remanet post animal, ac nobilissimarum quoque operationum suarum tum capax est; quicquid contra Sociniani negent, non tantum revocantes Psychopannychitarum errores, sed etiam animarum immortalitatem evertentes; quamvis & rationibus multis Philosophicis comprobari possit, (*e*) & ipsa anima, si super seipsam reflectat, suæ immortalitatis sibi probè conscia sit, quæ ideo ab omnibus populis creditur, & plurimis Scripturæ testimoniis confirmatur; Nam *redeunte pulvere in terram quemadmodum fuerat, Spiritus redit ad Deum qui dederat illum* Eccl. XII. 9. Hinc homines qui *trucidant corpus, animam non possunt trucidare* Matth. X, 28. Hinc Lazaro & epuloni post obitum utriusque, sors obtigit longè diversa Luc. XVI, 22. 23. ac promissum à Christo Latroni eo ipso die fore illum secum *in paradyso* Luc. XXIII, 43. Hinc Christus ipse expiraturus, in *manus* Patris sui *Spiritum* suum deponebat ibid. 49. Hinc *gratum est nobis* (inquit Paulus omnium fidelium nomine) *potiùs abesse è corpore & adesse apud Dominum* 2 Cor. V, 8. ipseque cupiebat *dissolvi* & esse *cum Christo* Phil. I, 23.

L. An verò sicut prima illa anima immediatè prodiit à Deo *Patre Spirituum* Heb. XII, 9. etiam sin-

a *Quibus in corporibus?* b HOMINIS *Creatio, Cujus considerantur*; c Corpus. d Anima. e *Quasi immortalis.*

ſingulorum animæ immediatè creentur ab illo, ut hodie placet plurimis, non fuit ſemper certum; cùm illa origo animæ per increationem, potiùs rationibus Philoſophicis, nec iis apodicticis, quam Scripturæ evidentibus teſtimoniis comprobetur. Equidem tradux ſeminalis, juxta quam è potentia materiæ educeretur, vix defendi poteſt, quia ſic videretur diviſibilis & mortalis futura; ſed non defuerunt olim & nunc, qui ut formas in communi ſeſe promovere, ſic animam ab anima accendi, ut lumen ex lumine, ſtatuerent, idque per & propter generalem Dei benedictionem, *Fœtificate & augeſcite & replete terram* Geneſ. I, 28. Nec dubium quin faciliùs ex illa hypotheſi, quæ ſatis conſtanter Auguſtiniana eſt, propagatio peccati originalis defendi poſſit; eamque Scripturæ videantur quandoque adſtruere, maximè cùm *animas*, ideſt perſonas liberorum, utique integras, ex parentum ſuorum *femore* prodiiſſe referunt, nominatim Gen. XLVI, 26. *Omnes animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Iacobo in Ægyptum egreſſæ ex femore ejus ſexaginta ſex erant.* Prolixiùs de animæ natura, origine, facultatibus diſputare, non eſt hujus inſtituti; Hæc enim potiùs ſupponit quam tractat Theologus, Adamo cui non bonum eſſet ſoli eſſe, adjecta fuit (*a*) Eva uxor, exſtructa ex illius *coſta*, dum dormiret ſomno divinitùs immiſſo Geneſ. II, 18. 20. 21. 22. ut ipſe origo totius generis humani, ſic ex *uno ſanguine* facti Act. XVII, 26. *caputque* uxoris ſuæ, ſpeciatim conſtitueretur, (*Caput* enim *mulieris virum eſſe* docet Paulus 1 Cor. XI, 3.) eam arctiùs diligeret, nec pro domina, nec pro ancilla, ſed pro ſocia & collaterali individuaque comite haberet, & ſic præexiſteret in matrimonio carnali typus unionis quâ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ conjungitur; quæ inde deſcripta ſub conjugii imagine, *myſterium magnum* eſſe dicitur Eph. V, 32. Coſta ex qua factum eſt corpus Evæ, nec ſimpliciter fuit de Adami integritate, cùm eâ ſublatâ mutilus non fuerit, nec etiam abſolutè ſuperabundavit, cùm deſtinaretur divinitùs ad illud opus, ut reſervatur ultimæ coctionis ſuperfluum ad generationem. Ridicula autem Rabbinorum ſententia de primo homine androgyno & bicorporeo, ſeipſam ſatis refutat.

LI. (*b*) Fuerunt verò conditi ad imaginem & ſimilitudinem Dei; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram* Geneſ. I, 26. Inter hæc duo ſcrupuloſè diſtinguunt Pontificii, imaginem ad *Naturam*, ſimilitudinem ad *Virtutes* referendo, cùm tamen nihil aliud exegeticè notent quam imaginem ſimillimam: Sic enim dicitur Adam genuiſſe *filium ad imaginem ſuam, ad ſimilitudinem ſuam* Geneſ. V, 3. & quod de *imagine* & *ſimilitudine* diſtinctè videbatur dictum Gen. I, 26. ſtatim com. ſeq. his verbis explicatur, *Itaque creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit eum; marem & fœminam creavit eos.* Hæc imago Dei non ſita fuit in corporis figura externa, ut finxerunt olim Anthropomorphitæ, cùm Deus ſit Spiritus inviſibilis, uti ſuo loco demonſtratum; Nec etiam imago ad quam Deus condendo hominem, reſpexit, fuit natura humana Chriſti incarnandi, etſi homo non peccaſſet, ut Andreas Oſiander, quem hac in parte ſequuntur Anabaptiſtæ, olim docuit; cùm tamen decretum Dei de Filio mittendo in mundum non niſi reſpectu lapſus & redemtionis à lapſu factum ſit; *Venit* enim *non ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret, detque animam ſuam in redemptionis pretium pro multis* Matth. XX, 28.

LII. Magis inſaniunt Sociniani, qui poſt Judæos volunt hominem non ad ſolius Dei, ſed etiam Angelorum imaginem conditum fuiſſe, contra expreſſa Scripturæ teſtimonia, quæ nos ad *imaginem Dei* conditos paſſim aſſerunt, ut nominatim loco modò citato Gen. I, 26. 27. Sic Gen. IX, 6. *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effunditor, quoniam hominem ad imaginem ſuam fecit Deus.* Sic *homines ad ſimilitudinem Dei factos* dicit Jac. III, 9. Uniuſque Dei imago venit reparanda in nobis per regenerationem; *Induti ſitis novo illo homine qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipſum condidit* Col. III, 10. (*c*) Sed illa imago Dei in homine, I. Spectavit Animæ eſſentiam & conditionem ſpiritualem, immortalem, intelligentem, volentem, quod contra Lutheranos meritò pertendimus; cùm etiam poſt hominis lapſum, qui dotes præcipuas animæ abſtulit, rudera imaginis divinæ ſuperſint, uti patet ex duobus locis Gen. IX, 6. Jacob. III, 9. modò citatis: illa verò nuſquam expreſſiùs quam partim in conſcientiæ & ſyntereſeôs reliquiis, partim in natura & eſſentia animæ, reperienda veniunt.

LIII. (*d*) Eluxit II. In animæ dotibus & accidentali illius perfectione, hoc eſt, mentis lumine ac rectitudine, voluntatis ſanctitate & juſtitia,

a *Evæ fabrica.* b Imago Dei in homine. c *Spectavit* 1. *Animæ eſſentiam.* d 2. *Animæ dotes.*

ſtitia, ſenſuum & affectuum harmoniâ atque ad
bonum promptitudine; Quare ad illius repara-
tionem pertinent, tum *agnitio congruens imagini
conditoris* Col. III, 10. tum ſanctitas & juſti-
tia; debemus enim *induere novum illum homi-
nem qui ſecundum Deum conditus eſt ad juſtitiam &
ſanctimoniam veram* Epheſ. IV, 24. (*a*) Hæc perfe-
ctio in genere *Iuſtitia Originalis* dicitur, quam
P. Pontificii perperam faciunt ſupernaturalem, ex-
ternam & ſuperadditam ad curandum languorem
concupiſcentiæ, & carnis rebellionem coërcen-
dam. Nam cùm homo eam acceperit & omninò
accipere debuerit, eò quod abſque illa creari non
poterat, per ſui Creationem, naturalis dici de-
bet, quia I. Naturæ humanæ per ipſam crea-
tionem, ut vis & proprietas illius naturalis inhæ-
ſit. II. Eandem intrinſecè perfecit & ad com-
plementum naturale ſubjecti concurrit. III. Per
generationem naturalem ad poſteros fuiſſet pro-
pagata, ut ejus contrarium, nempe Peccatum
originale; eâ lege naturæ, quâ quodlibet gene-
rans univocè, ſibi ſimile producere debet.

P. LIV. Ideo autem hunc errorem tuentur Pon-
tificii, tùm ut Concupiſcentiam, cujus juſtitia
originalis actum primum non ſubſtulerit, ſed
tantum ſecundum impediverit; ex eorum placi-
tis, faciant naturalem, nec peccatum per ſe;
contra expreſſam Dei legem, *Non concupiſces*
Exod. XX, 17. & dictum Pauli Rom. VII, 7.
*Ipſam concupiſcentiam non noſſem eſſe peccatum,
niſi lex dixiſſet, Non concupiſces*, ac Jacob. I,
14. 15. *Vnuſquiſque tentatur dum à propria cupi-
ditate abſtrahitur & ineſcatur; deinde cupiditas
poſtea quam concepit parit peccatum, peccatum ve-
rò peractum gignit mortem*; Tùm ut propudioſum
& pluſquam Pelagianum dogma de ſtatu *puræ na-
turæ* comminiſcantur, in quo tamen homo nun-
quam extitit, nec eſt, nec erit, nec eſſe poteſt:
cùm debeat vel innocens ac juſtus concipi, vel
reus & peccator; neque detur inter hæc duo,
reſpectu creaturæ intelligentis, medium nega-
tionis extremorum; Tùm denique ut defendant
naturalia in homine manſiſſe integra, quò libero
arbitrio patrocinentur; cùm tamen *naturâ* ſi-
mus *filii iræ, mortui in lapſibus & peccatis* Epheſ.
II, 1. 3. non tantum ſpoliati tegumento quo-
dam externo, ſed reverâ ſauciati, vulnerati,
omnibus viribus deſtituti, ac mortui.

LV. Hanc etiam partem imaginis divinæ in
S. homine impudenter negant Sociniani, dum A-
damo craſſum ſtuporem affingunt & puerilem
ignorantiam; cùm tamen & nomina ſapientiſſi-
mè indiderit animalibus ſingulis; nam *quùm
omnes beſtias agri omneſque volucres cœli* Deus
*adduxiſſet ad Adamum ut videret quî vocaret ſin-
gulas*, is *animantem quamque vocavit* ſuo conve-
nienti *nomine* Gen. II, 19. 20. & Evæ ortum mi-
raculoſum illicò cognoverit; nam, ubi eam Deus
illi ſtitit, *tum dixit Adam, hac demum vice adeſt
os ex oſſibus meis & caro ex carne mea; hæc voca-
bitur Vira eo quod ex viro deſumpta eſt* Gen. II, 23.
Noverunt equidem primi parentes ſe eſſe *nudos*
poſt peccatum Gen. III, 7. non quod antea pu-
tarent ſe veſtitos, ſed quod demum pudibundam
ſuam nuditatem per peccatum invectam cogno-
verint; *ſiquidem antea erant ambo nudi ac non eru-
beſcèbant* Gen. II. 25.

LIV. (*b*) Hæc eadem Imago III. conſpicua fuit
in Dominio hominibus conceſſo in omnia anima-
lia; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecun-
dum ſimilitudinem noſtram, qui dominentur in piſces
maris & volucres cœli & in pecudes & univerſam
terram, atque in omnia reptilia reptantia ſuper ter-
ram* Geneſ. I, 26. Quod ut non ab imagine Dei
eſt excludendum, ſic fruſtra Sociniani & ex illis S.
Remonſtrantes, eam volunt in hoc ſolo conſti- R.
tuendam eſſe; contrarium docente Scripturâ,
cùm alibi, ut Eccl. VII, 29. *Hoc inveni Deum
ipſum feciſſe hominem rectum*, tùm ex ejuſdem
imaginis in nobis reparatione, juxta loca ante ci-
tata Col. III, 10. Epheſ. IV. 24. Quinimò hoc
Dominium cœtera requirit & præſupponit;
nempe ut ſimpliciter exerceatur, Rationem; ut
æquè & placidè, Sapientiam, Sanctitatem &
Iuſtitiam; ut perpetuò & conſtanter, Immorta-
litatem.

LVII. Itaque (*c*) ad eandem Imaginem IV. per-
tinuiſſe aſſerimus, non animæ modò ex intrinſe-
ca ſua natura, in quam ut expers eſt compoſitionis
corporeæ, ſic reſolutio non cadit, ſed & corporis
ſive totius hominis immortalitatem: Nec enim
per naturam, ſed *per peccatum mors introiit in
mundum* Rom. V, 12. eſtque *ſtipendium peccati
mors* Rom. VI. 23. Hanc immortalitatem ut
meritò aſſerimus contra Pelagianos & Socinianos, S.
qui primos homines naturâ & conditione mor-
tales, nec per peccatum demum mortalitati ſubje-
ctos fuiſſe pertendunt; ſic contra Pontificios P.
eandem homini naturalem, non ſimpliciter ſu-
pernaturalem, fuiſſe defendimus: ut æquè pa-

a *Quæ dicuntur* Juſtitia Originalis, b 3. *Dominium in alias Creaturas*. c 4. *Immortalitatem*.

rum ad puræ naturæ ſtatum imaginarium, in quo homo nec juſtus foret nec peccator, pertineant morbi & languores corporis, ac concupiſcentiæ motus inordinati & carnis adverſus ſpiritum rebellio.

LVIII. Hanc tamen Adami immortalitatem volumus intelligi non *abſolutè*, quaſi in illo ſtatu non habuerit principia ut compoſitionis ſic reſolutionis, ac non potuerit mori, ſed *ſecundum quid*, & quia poterat non mori, & quia revera abſque peccato non moriturus fuiſſet; quandoquidem mors in pœnam tranſgreſſionis illi denuntiata & propoſita fuit; *Quo die comederis de eo, utique moriturus es* Geneſ. II, 17. Habuit itaque mortalitatem *potentialem*, quia poterat fieri ut moreretur; *actualem* non, quia nunquam erat moriturus actu ſi non peccaſſet; ſiquidem *aculeus mortis peccatum eſt* 1 Cor. XV, 56. Neque tamen hæc immortalitas ejuſdem planè generis cenſenda eſt cum ea quâ fruentur beati poſt reſurrectionem; quia illa *Viæ* fuit ſuo modo; quapropter Adam in illo ſtatu & liberis operam fuiſſet daturus ad ſpeciei propagationem, & alimentis convenientibus vitam ſuam ſuſtentaſſet: hæc autem erit *Patriæ*, in quâ nec ſpecies erit propaganda, nec vita cibis ſuſtentanda, quoniam erit *Deus omnia in omnibus* 1 Cor. XV, 28.

LIX. (*a*) Eodem debet referri quod abſque labore & moleſtia terra ipſi ſua bona protuliſſet, & mulier ſine dolore liberos ſuos editura fuiſſet: Etenim hæc fuit pœna denunciata Adamo propter peccatum; *Maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ; eaque ſpinam & carduum proferto tibi; tu verò comedito herbam agri; in ſudore vultus tui veſcitor cibo, donec revertaris in humum* Gen. III, 17. 18. 19. Mulieri verò Deus dixit; *Admodum multiplico dolorem tuum, etiam conceptus tui; in dolore paries liberos* Geneſ. III, 16. Quomodo tamen ἀνώδυνος futurus fuiſſet partus mulieris in ſtatu Innocentiæ, capere vix poſſumus, quia ex ordine præſenti naturæ naturalia illius ſtatus non benè æſtimantur; Satis eſto ſuaviter delirare eos

P. è Pontificiis, qui illæſam hîc matrum virginitatem in coitu, & in partu penetrationem dimenſionum, imaginari ſibi volunt. (*b*) Sed & ipſe Hedenis ſive Paradyſi locus in quo homo fuerat collocatus poſt ſui creationem, ut ſe inquilinum magis agnoſceret, maximum addebat momentum ejus fœlicitati; Erat enim hortus amœniſſimus; clauſus ſepto, quod quale fuerit, non conſtat, ſed tamen contra ferarum irruptiones tuto; nobiliſſimis fluviis irrigatus; excellentiſſimis arboribus conſitus; & quem colendum & cuſtodiendum homo acceperat, non ad moleſtiam corporis, ſed ad exercitium & fugam otii.

LX. Qui Hedenem, ut Joſephus, confundunt cum Orbe terrarum, aut eum, ut Ephrem extra hunc orbem collocant, aut proximum Lunæ & æthereæ regioni faciunt, ut Judæi ac J.
Veterum & Pontificiorum non pauci, aut totam P.
Moſis narrationem ad allegorias meras transferunt, ut Philo, debuiſſent agnoſcere iis circumſtantiis deſcribi eum locum, quæ Meſopotamiæ aut ejus viciniæ certiſſimè competant; Collocatur enim *ab Oriente*, & *fluvius* ille *ex Hedene procedens & inde ſeſe dividens in quatuor capita*, eſt *Euphrates*, ut etiam Moſi dicitur Gen. II, 8. 10. 14. qui cum Tigri cœteriſque duobus aliis alveis ſuis, Piſotigri & Naharſare, Meſopotamiam, Chaldæam, Aſſyriam, Suſianem alluit. *Charan, Canne & Heden, mercatores Schebæ* dicuntur Ezech. XXVII, 23. Quare locus ſive ſpatium in quo fuit iſte hortus adhuc ſupereſt, & manet illud ſolum feraciſſimum & fœliciſſimum, etſi ipſe hortus aquis diluvii everſus, ut eſt veroſimile, cùm invaluerint quam plurimum *ſuper terram, ac operti fuerint omnes montes altiſſimi qui ſunt ſub univerſo cœlo* Gen. VII, 19. non amplius inveniatur; multo minus Enocho & Eliæ præbeat hoſpitium, ut fingunt Pontificii, P.
redituris ſub finem mundi pugnatum cum Antichriſto.

LXI. Ut Baſilii paradoxon non probamus, bruta in Paradiſo habuiſſe & rationem & loquelam hominum, quod implicat contradictionem, ſic non acquieſcimus Damaſceno & Thomæ putantibus nulla animalia rationis expertia P.
Paradiſum inhabitatura fuiſſe; cùm illius aquæ piſces, & arbores aviculas habere debuerint. (*c*) Præter alias autem arbores, quarum fructus ſaluberrimi & ſupra modum ſucculenti, ut alio ſolidiore alimento non egerent, conceſſi ſunt in cibum primis hominibus, duæ fuerunt Sacramentales, ſcilicet Arbor *ſcientiæ boni & mali*, & Arbor *vitæ*.

LXII. (*d*) Prior, in qua obedientia eorum probaretur, ab eventu ſic dicta fuit, quod nempe tum conſtiterit ipſis quæ bona amiſiſſent & in quæ mala incidiſſent ſuâ tranſgreſſione, non verò,

a *Eò pertinet* vita ſine labore & partus ſine dolore. b *Item* Locus *in quo hæc fœlicitas obtinebat.* c *In hoc orto* Arbores *duæ*. d I. Scientiæ boni & mali.

rò, ut fabulantur Judæi, à quibus nec in eo abhorrent Socini sequaces, quod vim habuerit naturalem accelerandi usum rationis & hominem ad illam boni & mali notitiam de facto deducendi. (*a*) Posterior verò hoc nomen est consequuta, non quod virtutem haberet physicam morbos senium & ipsam mortem arcendi, & radicale humidum reparandi, ut plurimis placet in Papatu, ac ipsis Socinianis & Lutheranis; cùm tamen contra vim mortis non sit medicamen in hortis; sed quod ipsis esset pignus & Sacramentum immortalitatis suæ & fœlicis illius vitæ continuandæ, donec completam beatitudinem Dei beneficio consequerentur in cœlis, per lætissimum absque morte transitum ad superos.

LXIII. Quare cùm jam re significatâ excidissent suâ culpâ, etiam signo & Sacramento fuerunt justè privati; & ne adderent siti ebrietatem, ac tentarent frustra irritam reddere Dei comminationem: Imò Cherubim, id est Angelorum aliquis, cum framea ignea (quam Thomas & alii perperam ad Zonam torridam, nonnulli è Pontificiis insulsiùs ad Purgatorium traducunt) custos fuit appositus ad portam Paradisi, quo eos procul arceret tum ab horto, tum ab arbore.

LXIV. (*b*) Ex iis autem quæ hactenus de imagine Dei diximus, constat malè Socinianos mulierem illo honore privare, & non procul abesse ab eorum malè sanorum sententia quibus mulier monstrum est & ἀμαρτήμα naturæ; Eam tamen consortem fuisse cum Viro imaginis divinæ evidenter docet Scriptura; nam sic asserit hominem conditum *ad imaginem* Dei, ut statim subjiciat, *marem & fœminam* creatos eos fuisse Gen. 1, 27. 28. Neque hæc imago, uti jam suprà visum, in solo dominio sita fuit; & mulier, utut viro obnoxia, tamen juxta veterem formulam, *Ubi tu Cajus, ego Caja*, ipsâ lege connubii communionem omnium bonorum marito collatorum uxori conferente, consors fuit cum viro dominii & imperii in cœtera animantia; Utrique enim tam mari quam fœminæ dicitur, *Dominamini in pisces maris & in volucres cœli & in omnes bestias reptantes super terram* Gen. 1, 28. Licet negari nequeat ὑπεροχὴν quandam Viro, ceu Capiti, præ muliere in his dotibus convenisse; quo sensu dixit Apostolus 1 Cor. XI, 7. 8. quod *vir non debet operire caput, cùm is imago sit & gloria Dei; at mulier gloria viri. Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro*, quamvis ut subjungitur ibid. com. 11. *neque vir absque muliere, neque mulier absque viro sit in Domino.*

a 2. Arbor Vitæ. *b* Mulier *etiam particeps imaginis divinæ.*

LOCUS SEXTUS;

DE PECCATO ET POENA Peccati.

VIdimus originem Mundi & hominis Creationem: (*a*) nunc de Creaturarum corruptione per peccatum agendum est. Peccatum Græcis ἁμαρτία, Hebraicè *Chatta*, quorum utrumque aberrationem à via scopoque denotat, propriè est ἀνομία, ut definitur 1 Joh. III, 4. hoc est, *quicquid alienum est ab officio quod nobis Lege præscribitur:* Etenim *peccatum non cognovi nisi per legem*, inquit Paulus, & *absque lege peccatum est mortuum* Rom. VII, 7. 9. Nec solum *per legem est cognitio peccati* Rom. III, 20. sed etiam *ubi non est lex ibi nec est transgressio* Rom. IV, 15.

II. (*b*) Legem hic intelligimus Dei, solius *Legislatoris qui potest servare & perdere* Jacob. IV. 12. qui

a PECCATUM *quid.* b *Committitur propriè in* Legem *Dei.*

quique solus figere nobis potest eas leges, quarum neglectu vel transgressione fiamus coram se directè peccatores: Involat igitur in authorita-
P. tem Dei Papa Romanus, dum tribuit sibi jus aliquid sanciendi *sub peccato mortali*, uti loquuntur ejus Gnathones, & ex non peccato peccatum, ac viceversa ex peccato non peccatum, faciendi.

III. (*a*) Non negem etiam peccari transgrediendo leges humanas & Magistratuum legitimorum sanctiones, etiam duriores; nisi rem planè turpem, injustam & lege Dei vetitam, præcipiant; quo casu *obedire oportet Deo potius quam hominibus* Actor. v, 29. Sed leges humanæ conscientias non obligant, quicquid contra afferant
P. Pontificii, primariò, directè, immediatè & per se; sed tantum secundariò, indirectè, mediatè & per Legem Dei, quâ tenemur obsequi Superioribus; *Omnis anima potestatibus superemi nentibus subjecta esto* Rom. XIII, 1. *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum*; & *Deum timete, Regem honorate* 1 Pet. II, 13. 17.

IV. Si quid ad εὐταξίαν constituunt Ministri Ecclesiæ, ejus quoque habenda est ratio; & peccati reum se facit apud Deum, qui constitutionibus Ecclesiasticis, nisi planè vitiosæ, susuperstitiosæ & intolerabiles fuerint, pervicaciter obsistit; non quod illæ naturâ suâ ac directè obligent conscientias; aut etiam potestas νομοθετικὴ æquè competat Ecclesiæ Ministris in Spiritualibus, ac Magistratui in Civilibus, ut nu-
P. gantur Pontificii; sed quod earum apertus contemptus conjungatur cum Ecclesiæ scandalo & contemptu Pastorum, quos illi regendæ Deus perfecerat; *Obedite*, inquit Paulus, *ductoribus vestris & obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestris tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio id faciant & non suspirantes; id esset enim vobis inutile* Heb. XIII, 17. Leges Civiles obligant etiam seposito scandalo aut illius periculo: at Canones Ecclesiastici possunt negligi citra peccatum, si scandali periculum abfuerit.

V. Id equidem verum est, quod sepositâ Lege Dei, non possit dari peccatum; sed & illud certum, quod positâ Creaturâ intellectuali, ponatur aliqua Lex Dei cui illa obsequi teneatur. Eam enim esse nec Deo subesse, aut Deo subesse nec ab ipso regi, aut regi sine lege sancita sub præmiis & pœnis, est contradictorium: Atque hinc lex illa æterna, naturalis, conscientiæ, immutabilis, de qua aliàs erit dicendum.

VI. (*b*) Peccatum autem coram Deo, cujus norma & mensura est Lex ipsius, non est quid *substantiale*, ut Flaccus Illyricus, haud procul F.
à Manichæismo, saltem de Originali labe statuebat; nam sic peccatum haberet Deum authorem, qui author est omnis substantiæ: Non est etiam Ens aliquod *positivum*, quod cum bono convertitur; nec simpliciter *negativum*, sive nihil; nam nihil agere, nisi ubi moraliter sumitur pro indulgere turpi otio atque ab officio cessare, & malè agere differunt; nec apud æquissimum judicem quisquam punitur pro merè nihilo, licet puniatur meritò, ut olim apud Athenienses, pro cessatione otiosa, à qua sæpè in Scripturis revocamur, consequenter ad illud effatum Gen. III, 19. *In sudore vultus tui, vescitor cibo, donec revertaris in humum, cum ex ea desumptus fueris.*

VII. Sed peccatum est Ens *privativum*, sive privatio rectitudinis debitæ inesse: cùm enim nec relativè opponatur bono, nec contrariè, nec merè contradictoriè, superest ut privativa oppositio intelligatur. Est ergo accidens non entitativum & positivum, sed corruptivum & privativum, quod subjecto non denominativè & attributivè tantum, sed inhæsivè convenit, ut cœcitas oculo, aëri tenebræ, morbus corpori. (*c*) Subjectum ejus commune est creatura intelligens, sive Angelus, sive homo peccator: Bruta enim, nec juris nec injuriæ, nec virtutis nec vitii, capacia sunt; quare pauperiem facere dicuntur, idest damnum sine injuria. Speciale, tum facultates & potentiæ illæ naturales quibus insunt habitus vitiosi, tum actiones quælibet, dicta, facta, cogitata, quibus accidit ἀνομία.

VIII. (*d*) Materia peccati proxima est ipsamet vel ἕξις vel actio vitiosa. (*e*) Forma ejus, si rei tam deformis forma sit aliqua absoluta, est deformitas & turpitudo, sive privatio rectitudinis quæ inesse debuisset; Unde colligitur jure peccatum plecti per justitiam divinam: Nec tamen ideo non differunt peccata omissionis & commissionis; illa enim in præcepta affirmantia, hæc in negantia incurrunt: in omissione privatio tollit totam substantiam actus & bonitatem illius objectivam; in commissione substantia actus non tollitur, sed ejus bonitas actualis: privatio omis-

a *Indirectè est in leges humanas.* b *Peccati* Natura. c Subjectum. d Materia. e Forma.

omiſſionis immediatè exiſtit in potentia per quam homo debuiſſet operari, mediatè vero in illius actionibus communiter conſideratis; ſed altera eſt immediatè in actione, quæ caret debitâ honeſtate.

IX. (*a*) Habet peccatum cauſas externas non unius generis; nempè I. Satanam qui per ſerpentem & in illo primos homines *ſeduxit* Gen. III, 13. unde dicitur *homicida à principio* Joh. VIII, 44. Illius autem ſuggeſtiones modò externæ, modò internæ ſunt; modò immediatè ab ipſo, modò mediatè per noſtrorum affectuum inordinatam commotionem. II. Homines, ſuis perſuaſionibus, mandatis, exemplis; Ita blanditiis *animum* Salomonis *inclinaverunt fœminæ ejus* I Reg. XI, 3. Ita ad Nebucadnezaris mandatum *procidentes omnes populi, nationes & linguæ, adorarunt imaginem auream quam erexerat* Dan. III, 7. Ita in Eccleſia Pergamenſi nonnulli inſiſtebant veſtigiis Balaami *qui docebat Balacum objicere offendiculum coram filiis Iſraëlis, ut ederent ex iis quæ ſimulachris erant immolata & ut ſcortarentur* Ap. II, 14. III. Otium & mollitiem animi, quod eſt pulvinar Diaboli; unde illud apud Prophetam; *Ecce hæc fuit iniquitas Sedomi ſororis tuæ; excellentia, & ſaturitas cibi, & tranquillitas quieta, fuit ipſi & filiabus ejus; & manum pauperis & egentis non confirmavit* Ezech. XVI, 49. IV. Legem Dei occaſionaliter, quatenus omnibus innatum eſt niti in vetitum & cupere negata; Ita calx affuſâ aquâ ſolet incendi, licet aqua naturâ ſua ad incendium reſtinguendum deſtinetur. Hinc Paulus, *Præcepti adventu peccatum revixit, & inventum eſt illud præceptum quod erat ad vitam mihi cedere ad mortem; Nam peccatum occaſione per illud præceptum ſumptâ ſeduxit me & per illud occidit* Rom. VII, 9. 10. 11. Qui Deum ulla ratione cauſam vel authorem peccati ſtatuunt, illi nec peccatum, nec Deum ipſum rectè norunt. Permittitur quidem & regitur à Deo, ſed ab ipſo nec efficitur, nec approbatur, imò & lege ejus ſanctiſſima prohibetur ſeriò, & juſtè ac ſeverè ab ipſo punitur.

X. (*b*) Cauſæ peccati internæ ſunt, Propria cujuſque προαίρεσις ac voluntaria electio, qua homines ultrò ſe ſiſtunt *ſervos ad obediendum peccato ad mortem* Rom. VI, 16. Ipſa naturæ corruptio; nec enim poteſt *arbor mala fructus bonos ferre* Matth. VII, 18. Ignorantia; unde dicuntur gentes ambulare *in vanitate mentis ſuæ, tenebris obſcuratam mentem habentes & alienati à vita Dei propter ignorantiam quæ eſt in ipſis per obdurationem cordis ipſorum* Epheſ. IV, 17. 18. Et *ignorans*, inquit Paulus, *id faciebam fidei expers* I Tim. I. 13. Concupiſcentia prava, quæ *ubi concepit parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem* Jacob. I, 15. Mali habitus per quos homines *vani facti in ratiocinationibus ſuis, quùm ſe dictitent ſapientes ſtulteſcunt, & mutant gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis & volucrium & quadrupedum & reptilium* Rom. I, 21. 22. 23. Hinc etiam *amor pecuniæ radix omnium malorum* ſtatuitur I. Tim. VI, 10. Infirmitas carnis & fidei imbecillitas: *Spiritus* enim *promptus eſt, ſed caro infirma* Matth. XXVI, 31. Hic verò non eſt admittendus error craſſiſſimus Pontificiorum & Socinianorum, P.S. nihil habere rationem peccati propriè dicti, quod non ſit voluntarium, prout voluntariè is dicitur agere, qui ſcienter & prudenter & cum omnium circumſtantiarum examine ac notitia, aliquid facit.

XI. (*c*) Nam ut taceamus de peccato originali, quod actu & formaliter voluntarium dici nequit, quatenus tale id eſt quod quis ſciens & prudens facit; etſi voluntarium ſit ſuo ſenſu, nempè *antecedenter* in Adamo, *ſubjectivè* in infantibus, *conſequenter* in ſingulis, qui ea mala volunt quæ à labe originali prodeunt; quam multa actualiter peccent homines ex ignorantia, ſubreptione, infirmitate, inadvertentia, ira, ebrietate, impotentia animi, & ut proteſtetur inſuper Paulus Rom. VII, 14. 15. ſe facere id *malum* quod *nollet*, ex Scriptura eſt notiſſimum: Imò ipſa delectatio, quæ ſuggeſtionem ſequitur, quamquam juxta Pontificios præcedat conſenſum, peccaminoſa eſt coram Domino. Involuntarium quidem per nolitionem poſitivam, cùm quis per coactionem & vim aliquid facit quod omninò non vult & planè invitus, non poteſt dici peccatum; ſed involuntarium poteſt eſſe peccatum per nolitionem negativam, voluntate ceſſante cùm agere debuiſſet.

XII. Ipſi primi motus concupiſcentiæ, quos in hominum poteſtate eſſe negant, peccatis annumerantur Lege Dei, quæ illos prohibuit; unde Paulus, *Peccatum non cognovi niſi per Legem; Nam ipſam quoque cupiditatem non noſſem eſſe peccatum, niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces* Rom.

I VII,

a *Cauſa* Externæ. b Internæ. c *no ſenſu peccatum omne* voluntarium.

VII, 7. (*a*) Ignorantia verò quæ excusat utcunque à tanto, ut cùm dicebat Petrus Judæis, *Scio vos per ignorantiam ista fecisse sicut & primores vestros* Act. III, 17. & Paulus, *Priùs eram blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed mei misertus est, nam ignorans id faciebam, nempe fidei expers* 1 Tim, 1, 13. non tamen excusat à toto; magisque excusat à pœna apud homines, quam ab omni culpa apud Deum: Hæcque non *legis*, sive juris, saltem communis & publici, sed *facti*, non *vincibilis* & affectata, sed *invincibilis* & involuntaria; non *pravæ dispositionis*, quæ ipsa culpabilis est & *error* dicitur: sed *puræ negationis*, quæ *nescientia* appellatur. Quæ homines irati vel ebrii committunt, ignorantes quidem illa faciunt, sed non per ignorantiam excusabilem, ut
P. vulgò Casuistæ Pontificii malè statuunt; quia fuit adscititia & vincibilis: quod & statui potest de nativa mentium nostrarum ignorantia, quæ saltem antecedenter in primis nostris parentibus voluntaria fuit.

XIII. (*b*) Finis peccati propriè dictus statui non potest, cùm sit deviatio à fine, etsi bonum aliquod apparens, vero relicto, sibi proponant peccatores; *Veniet tempus*, inquiebat Christus ad suos, *quùm quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo* Ioh. XVI, 2. Per accidens tamen præter ipsius naturam, inservit gloriæ Dei ac saluti Electorum; *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret sicut est die hoc, conservando in vita populum multum* Gen. L, 20. Sed pro fine directo veniunt considerandi Effectus peccati, qui vel Remoti, vel Proximi: (*c*) Ad illos pertinent in communi omnes illæ miseriæ quibus hæc vita subjicitur: quin sæpè ex peccato peccatum nascitur; & mali corvi malum est ovum.

XIV. (*d*) Ad hos verò pertinent speciatim *Macula* & *Reatus*. (*e*) Macula sive Turpitudo peccati, est *pollutio illa spiritualis, quâ peccator in se ipso ac inhæsivè sordidatus, destituitur honore & nitore coram Domino*, qui *purior est oculis quam ut aspiciat malum* Hab. I, 13. Hæc Macula venit considerandа potissimum; imò propriè loquendo solùm (quod nunc re accuratiùs pensiculatâ statuimus) in pravis & vitiosis habitibus, tum originali & connato, tum acquisitis & confirmatis continuatione peccati, qui invehunt ἀταξίαν quandam deformem in creatura, & perturbationem ac lacerationem ordinis illius quo omnes ejus vires & facultates regi oportebat; nec aliter in actibus ipsius peccaminosis, quam efficienter; dum nempe illi subjectivæ inordinationi & maculationi animæ, vel confirmandæ vel promovendæ inserviunt.

XV. Macula hæc itaque non est, uti volunt P.
aliqui Scholastici, aut sola privatio gratiæ, quæ potius habet rationem pœnæ; aut merus respectus ad actum peccati præteritum moraliter permanentem, qui respectus potiùs reatum sonat & meritum pœnæ; sed absoluta & inhærens ipsius creaturæ intelligentis deformitas & pollutio, quæ tamdiu manet, donec sublato jam reatu per remissionem, & ipsa paulatim per regenerationem auferatur. Ut enim pannus purpureus oleo commaculatus, turpis fit aspectu donec eluatur, sic anima his maculis imbuta, loco justitiæ originalis quâ priùs ornata fuerat, deturpatur in sese, donec per gratiæ sanctificantis operationem primo suo & nativo nitori paulatim restituatur.

XVI. (*f*) Reatus, qui dicitur Jurisconsultis status & conditio in qua sunt rei donec vel absolvantur vel condemnentur, Theologis est *obligatio ad pœnam ex peccato vel delicto*; quæ minùs commodè à nonnullis forma peccati statuitur, cùm formale peccati sit ipsa ἀνομία, quæ parit & maculam & reatum. Hic autem sequitur peccatum partim virtute Legis divinæ pœnam denunciantis suis transgressoribus, partim ex intrinseca natura peccati, quod propter suam deformitatem & aberrationem à fine ultimo semper pœnam apud justissimum Deum commeretur. Oritur itaque ex culpa & pœnam antecedit; ex parte *termini* pertinet ad pœnam, *radicis* ad culpam. Reatus est *directè* à peccato, sed pœna cùm sit justa, nonnisi *dispositive* est ab eodem.

XVII. (*g*) Hæc distinctio inter Maculam & Reatum, multos habet usus in Theologia: Sic I. Percipitur ratio variarum loquutionum Scripturæ; quæ interdum de peccatis loquitur ceu sordibus, vulneribus, morbis &c. habito respectu ad maculam; interdum respiciendo ad reatum, ea vocat injurias, offensas, debita, crimina. II. Sanctificationis & Justificationis, adeoque duplicis justitiæ inhærentis & imputatæ, discrimen, non agnitum à Socinianis, Anabaptistis & S. A.
Pontificiis, meliùs intelligitur; Illa enim pro- P.
priè

a *Quæ ignorantia excusat & quomodo?* b Finis. c Effectus Remoti. d Proximi duo, e 1. Macula. f 2. Reatus. g *Usus illius distinctionis.*

priè maculam eluit, hæc tollit reatum. III. Con-
P. cipitur quam benè ſtatuamus contra Pontificios labis originalis reatum tolli Baptiſmo maculâ manente, ſive, quod idem eſt, eam quidem in baptizatis & fidelibus tranſire reatu, manere actu.

P. XVIII. Sed quam malè diſtinguunt Pontificii inter (*a*) reatum culpæ & pœnæ, quia ſi culpa pro offenſa ſumatur; reatus eſt quoddam medium inter culpam & pœnam, ſi pro macula, ei reatus per contradiſtinctionem opponitur, tam verè reatus vel eſt tantum *potentalis*, ſive in actu primo, ut ſonat meritum intrinſecum pœnæ, quod culpæ & maculæ, quamdiu illa remanet, inſeparabiliter inhæret, etſi peccatum remiſſum ſit Dei miſericordiâ, vel *actualis* ſive in actu ſecundo, qui tollitur & ſeperatur à peccato remiſſione illius, quæ propriè eſt reatus actualis ablatio, ſive Dei propoſitum, de pœna quam peccatum aliàs commeritum erat, eo quod pro illa jam ſatisfactum ſit, non exigenda: Quæ duo inter ſe differunt ut gravitas & gravitatio; hæc enim eſt ſeparabilis à corpore compactiori, illa
P. non. Unde patet fruſtrà Pontificios diſtinguere inter remiſſionem pœnæ & culpæ, ut Purgatorio ſuo utcunque patrocinentur.

XIX. Nec ſibi ullâ ratione conſtant, dum aliquando volunt reatum eſſe inſeparabilem à culpa, ut evincant nihil remanere de peccato originali in baptizatis, neſcii diſtinguere reatum potentialem ab actuali; aliquando ita reatum à culpa ſeparabilem faciunt, ut hac condonatâ, illum & obligationem ad pœnam, ſaltem temporalem, remanere pertendant. Sanè culpa quadantenus eſt reatus non cauſa tantum, ſed etiam ſubjectum recipiens; non poteſt ergo accidens remanere ſubjecto ſublato: ſed accidente ſublato ſubjectum remanere poteſt.

XX. Quò autem meliùs peccati natura intelligatur, ejus variæ ſpecies veniunt conſiderandæ. Reſpectu ſubjecti communioris, vel *Angelorum* eſt, vel *Hominum*. (*b*) Peccatum Angelorum (eorum ſcilicet, qui ἀρχὴν & οἰκητήριον ſuum deſeruerunt) fuit *libera & voluntaria eorum rebellio adverſus Deum, per quam à nativa ſua integritate ultrò prolapſi, ex Angelis ejus bonis, mali, ex filiis Dei, hoſtes illius perpetui, facti ſunt*: Hinc de diabolo dicitur quod *fuerit homicida à principio & in veritate non perſtiterit* Joh. VIII, 44. & quod *peccet à principio* 1 Joh. III, 8. & de malorum angelorum multitudine quod *non conſervarint ſuam originem, ſed reliquerint ſuum domicilium* Iud. 6. idque irreparabiliter & in æternum; Iuſtitiæ namque divinæ conveniebat, ut tam voluntaria protervia æterno exitio mulctaretur, & eò magis inſanabile eſſet vulnus, quò ſublimior is erat gradus quo exciderunt, & rerum optimarum corruptio ſemper peſſima eſt.

XXI. An omnes Angeli Apoſtatæ ſimul peccàrint, an ſucceſſivè, quando etiam præciſè exciderint ex ſtatu fœlici in quo fuerant conſtituti, haud facile definitur: Id certum, habuiſſe eos ἀρχηγὸν & anteſignanum ſuæ rebellionis, qui Princeps Diabolorum dicitur in Scriptura, nec diu illos perſtitiſſe in primæva ſua conditione; quandoquidem eorum lapſus præceſſit primorum noſtrorum parentum defectionem, quæ haud multo poſt eorum creationem accidit; nec tamen exciderunt ante Creationem mundi, uti Sociniani pertendunt, cùm ne tunc quidem S.
fuerint; neque veroſimile eſt eos defeciſſe ante Creationis opus ad umbilicum perductum, quia tunc erant adhuc *omnia valdè bona* quæ fecerat Altiſſimus Gen. I, 31.

XXII. Nihil quoque in ſpecie docet Scriptura de illo primo peccato Angelorum, qui ſimpliciter deſertionis ultroneæ à Juda accuſantur. Quare nec in hac parte curioſitati nimiæ eſt indulgendum, ut definiatur an contumacia & ſuperbia in Deum fuerit prima eorum labes, an verò livor & invidia in hominem, quem indignati ſunt ita participem fieri gloriæ & imaginis divinæ; Illum tamen fuiſſe ipſis propoſitum à Deo in adorationis objectum, quod ægrè tulerint, nemo ſanus cum Mahumete ſuſpicabitur. Id quoque eſt fal- M.
ſum, quod plerique Veteres videntur nimis conſtanter ſtatuiſſe, ex loco Geneſ. VI, 2. male intellecto, ubi dicuntur *filii Dei videntes filias hominum bonâ formâ eſſe, accepiſſe ſibi à quibuſvis mulieres quas eligebant*) Angelos concubitu cum mulieribus Gigantes progenuiſſe, & ita cœlo excidiſſe: nam & jam antea Angeli reprobi lapſi erant, nec ſpirituales naturæ corporearum voluptatum & illecebrarum capaces ſunt.

XXIII. Ex quo autem ſemel irreparabili lapſu in hanc rebellionem inciderunt, (nec enim per Mediatorem θεάνθρωπον poſſent liberari, nec Angelica natura eſt aſſumptibilis à Dei Filio ad eorum redemptionem;) peccata cumulant peccatis, & nihil habent antiquius quam

a *Reatus duplex.* b *Peccatum eſt* Angelorum.

omni ſtudio Dei gloriam convellere & homines ſeducere ac in idem perditionis barathrum abducere: ut non immeritò prima origo omnium peccatorum quibus homines ſunt obnoxii, in Tentatorem illum veteremque Serpentem, exteriorem cauſam quod attinet, tranſcribatur; cùm eo authore, primi noſtri parentes à Deo defecerint & fœlicitate quâ fruebantur exciderint.

XXIV. (*a*) Sed quia noſtrum potiùs debemus cognoſcere peccatum quam Angelorum, hoc in genere duplex ſtatui debet, *Primum* & *Ortum* à primo: Illud fuit *tranſgreſſio mandati divini, de non guſtando arboris ſcientiæ boni ac mali fructu, admiſſa liberâ voluntate hominis à Satana in Serpente, decepti, ex infœlici deſiderio ſimilitudinis ulterioris cum Deo conſequendæ*, uti liquet ex Gen. III, I. & ſeq. Paulo ſpeciatim non ſolum ἁμαρτία & παράπτωμα & παράβασις generalioribus vocibus, ſed etiam παρακοὴ ſive *inobedientia* appellatur Rom. v, 12. 14. 15. 19. & ad ſolum Adamum, ut totius generis humani principium & caput refertur; nam *per unum hominem peccatum in mundum introiit & per peccatum mors* Rom. v, 12.

XXV. (*b*) Quamvis mandatum illud merè poſitivum fuerit, nec alio fine datum quam ut probaretur hominis obedientia, tamen ejus tranſgreſſio ſecum videtur involviſſe totius legis naturalis, ipſi à Deo inditæ, violationem; Qui ſpecificè eam reſtringunt, ut Pontificii haud pauci, P. vel ad ſuperbiam vel ad gulam, non ſatis illam explicant; nam morbus fuit complicatus ex contumacia, ingratitudine, incredulitate adverſus Deum, ambitione, cupiditate gradus altioris, præpoſtera ſciendi curioſitate, rei alienæ contrectatione, intemperantia, aſſenſu falſo teſtimonio, & ἀστοργία in poſteros quos ſecum Adam in idem exitium rapuit.

XXVI. Hujus peccati gravitatem, contra eos qui illud leviuſculum & veniale tantum fuiſſe volunt, facile eſſet exaggerare ab omnibus circumſtantiis; *perſonæ* quæ deliquit, tot dotibus à Deo ornatæ; *objecti* circa quod peccavit, à quo facilè abſtinere potuit, in tanta aliorum fructuum copia; *finis* præpoſteri quem homo peccans intendit, non contentus eo gradu quem à Domino fuerat conſecutus; *loci*, nempe paradyſi, in quo fuit admiſſum, & *effectorum* quæ illud ſunt conſequuta; Ut non ſolum *ſecundum quid* graviſſimum omnium peccatorum dici debuerit Pontificiis, ſed *abſolutè* tale, quandoquidem odium Dei, cujus mandatum ſcienter & ultrò violabatur, etiam ſatis expreſſè involvebat. P.

XXVII. (*c*) Initium atque primus gradus illius fuit, mentis error, ſive incredula dubitatio de veritate comminationis divinæ, quæ ad primam tentationem facilè ſubrepſit, ex inadvertentia & neglectu auxilii divini, quo potuiſſet ei reſiſti: Hanc dubitationem excepit affectatio divinitatis, quam plures motus & affectus inordinati catervatim ſequuti ſunt. Igitur peccati iſtius cauſa interna fuit libera ipſius hominis voluntas, primò ceſſans uti gratiâ quâ potuiſſet ſuggeſtioni malæ reſiſtere, tùm Tentatoris perſuaſioni per incredulitatem auſcultans.

XXVIII. (*d*) Libertatem hîc tribuimus homini primo, non ſolum *ſpontaneitatis*, quod nempè ultrò & abſque coactione ruerit in peccatum, ſed etiam *indifferentiæ*, juxta quam potuiſſet abſtinere à peccato, & in illo ſtatu permanere; Licet enim non haberet auxilium *quo* infallibiliter perſeveraret, habebat tamen auxilium *ſine quo non* perſeverare poterat, & quo potuiſſet perſeverare ſi eo uti voluiſſet. Præſcientia verò Dei & Decretum de lapſu permittendo, nullam ei intulit neceſſitatem phyſicam, internam & conſequentis; etſi verum ſit hoc etiam, contra Jeſuitas, P. Lutheranos & Remonſtrantes, quod illius præ- L. ſcientiæ & decreti reſpectu, *neceſſariò* Adam R. peccaverit, neceſſitate ſcilicet infallibilitatis eventus, hypotheticâ & conſequentiæ: Unde patet Dei præſcientiam & decretum *antecedenter* quidem ſe habere ad lapſum hominis, *efficienter* nullo modo.

XXIX. Nec eſt quod putetur Adam fuiſſe impeccabilis eò quod habitualiter eſſet juſtus; nam habitualis illius juſtitia integra erat, ſed non immutabilis: Decuit autem mutabilem & labilem creari, quo quantum intereſſet inter Creaturam & Creatorem ipſi conſtaret: Multò minus dicendum eſt, Deum poſitivè ſubtraxiſſe homini gratiam ſuam ante peccati actum, quia Deus tunc ſtatueretur illius author, ſed homo liberè peccans abjecit atque repudiavit auxilium illud cujus beneficio eouſque ſteterat, & porrò ſtare potuiſſet, ſi voluiſſet, ejus enim auxilii uſus & efficacia illius arbitrio permiſſa quodammodo fuerat.

XXX.

a *Vel* Hominis, *idque duplex.* 1. Primum. b *Ejus gravitas &* c *Initium ac progreſſus.* d *Libertas item & neceſſitas.*

XXX. Et nisi facultatem homo habuisset non peccandi ac tentatione resistendi, obligatus fuisset à Deo ad impossibile absolutum, quod ab illius justitia & æquitate est longè alienum; Nam conditio impossibilis pro nulla habetur; Quamvis non datum fuit ei velle & perficere ad quod tenebatur, tamen ei datum fuit posse utrumque, adeò ut velle & perficere non fuerit illi impossibile: Alia est ratio hominum peccatorum, qui obligantur ad obedientiam Legis, quæ tamen ipsis non est ampliùs possibilis: obligantur enim non quà peccatores, sed quà homines, qui cum eam impossibilitatem & impotentiam moralem & vitiosam, sibi ultrò accersiverint lapsu primi parentis, per eam non possunt excusari.

XXXI. (a) Causa ejusdem peccati externa fuit seductio Diaboli, qui vero Serpente usus est ad hoc opus, ut liquet ex Genes. III, 1. ceu instrumento, propter innatam *astutiam*, fini suo convenientem; ut nec textum expendisse videantur, qui putant rationem non posse reddi cur serpentem potius delegerit Satan ad hoc opus quam ovem aut asinum: Quinetiam suo modo in detestationem peccati, ipse Serpens pœnæ subjicitur Genes. III, 14. *Maledictus esto præ omni jumento & præ omni bestiâ agri; super ventrem tuum ito & pulverem comedito omnibus diebus vitæ tuæ.* Sic enim hæc pertinent allegoricè & primariò ad ipsum serpentem antiquum, Diabolum scilicet, ut secundariò instrumentum quoque spectent quo usus erat. Nec dubium esse potest quin sicut inservierat dejiciendo homini ad statum bestiarum, ipse quoque dejectus fuerit à statu quadrupedum, inter quæ antea fuerat, ad reptilium conditionem, ablato illi usu pedum quibus P. priùs insistebat; ut non debuerit Jesuita Cottonus hujus difficultatis, ceu aliàs insuperabilis, solutionem ab ipso Diabolo, ut destinaverat, expetere, cùm ex Scripturis satis luculenter effloresсat. Usum autem fuisse Diabolum Serpente, ceu organo calliditati suæ conveniente, non solum Judæi agnoscunt, qui hunc tentatorem Serpentem inequitantem, *Samaëlem* vocant, sed tota Scriptura, quæ Diabolo *Draconis rufi* ac *Serpentis* nomen Apoc. XII, 3. XX, 2. & seductionem hominis ideo tribuit; *Ille fuit homicida à principio*, inquit Christus Joh. VIII, 44. & Paulus, *Metuo ne quomodo sicut serpens ille Evam seduxit calliditate suâ, ita corruptæ cogitationes vestræ degenerent à simplicitate quæ est in Christo* 2 Cor. XI, 3.

XXXII. (b) Quod verò videtur Paulus negare virum fuisse seductum, cùm dicit 1 Tim. II, 14. *Et Adamus non fuit seductus, sed mulier seducta causa transgressionis fuit*, non absolutè est intelligendum, ut pertendit Bellarminus, sed secundum quid, quatenus nec prior seductus est, nec immediatè à Serpente, sed mediatè per uxorem; *Mulier ista quam posuisti mecum, ipsa mihi dedit de fructu illius arboris, & comedi* Genes. III, 12. Nam hoc fuit astutiæ Serpentis, hanc solam aggredi ut infirmiorem, & eam veneno suo inficere ut per ipsam maritum corrumperet; Ipsa tamen, quicquid contra nugentur Rabbini, (volentes J. ridiculè non verba tantum sed verbera Evam adhibuisse, ut virum in culpæ & miseriæ consortium pertraheret,) non videtur sensisse vim peccati, priusquam illud Adami lapsu, complementum suum consecutum fuisset. Uter amborum graviùs peccarit, num mulier, ut vult Chrysostomus, num vir, ut placet Ambrosio, difficile quidem est definire; omnibus tamen ponderatis, videtur viri jam ante dati in caput ipsi mulieri, & quam regere ac corrigere potiùs debuit quam imitari, gravior culpa fuisse.

XXXIII. (c) Effecta illius peccati *Intensivè* considerata, fuere *in communi*, I. Amissio Iustitiæ Originalis, non tantum meritoriè, ut volunt Arminiani ex Pontificiis, sed efficienter; quan- R. P. quam eam negent Sociniani: S. Sat habuit ille unus actus malitiæ ad suffocandam justitiam originalem, ut cùm homines uno actu feritatis humanitatem exuunt; aut uno intemperantiæ, omnem ἐυεξίαν suam disturbant & evertunt. Amissam etiam in illa facultatem credendi Euangelio, contra Remonstrantes statuendum, R. quod eam Adamus habuerit, non quidem *specificè*, sed *genericè*, quatenus potuisset verâ fide suscipere omnem revelationem divinam. II. Nuditatis sensus qui ex pudore, ut ille ex peccato; & quem cum voluêre Adamitæ & Anabaptistarum A. quidam deponere, ipsi naturæ bellum intulisse visi sunt.

XXXIV. III. Terror conscientiæ, peccati comes. IV. Ejectio è Paradiso. V. Omnis generis laborum & cruciatuum congeries; *Nonne militiæ dies mortali in terra; & ut dies mercena-*

a *Causa quoque externa principalis & instrumentalis, idque tum in* communi.

b *Subjectum recipiens.*

c *Effecta ejus* intensivè.

rii ſunt dies ejus? Iob. VII, 1. Adeo ex hac Pandoræ pixide, ex infœlici hac Ate, omne malum. VI. Mors ipſa & quicquid mortis nomine fuerat comprehenſum in comminatione divina, non tam ut ſit mera pœna *damni* abſoluti (quod S.R pesſimè cum Socinianis aſſerere videntur Remonſtrantes) ideſt totius compoſiti perpetua annihilatio & deſtructio, quam ut ſit acerbiſſima pœna *ſenſus* & cruciatuum æternorum, primùm in anima ſola, dein in corpore & anima ſimul, ſuſtinendorum in gehenna.

XXXV. (*a*) In *ſpecie* autem ut Vir per peccatum ſingulari cuipiam ſollicitudini rerum toto vitæ ſuæ curriculo gerendarum, factus eſt obnoxius, ita Mulier ſubjectionem duriorem quam antea, nec non ſummam partus & prolis educandæ difficultatem, incurrit; *Mulieri dixit, Admodum multiplico dolorem tuum, etiam conceptus tui; In dolore paries liberos; quin erga virum tuum appetitus tuus eſto, & ipſe præeſto tibi: Adamo verò dixit; Quia auſcultaviſti voci uxoris tuæ & comediſti de fructu arboris illius quo interdixeram tibi dicendo, Ne comedas ex iſto; Maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ; eaque ſpinam & carduum proferto tibi, tu verò comedito herbam agri: In ſudore vultus tui veſcitor cibo donec revertaris in humum, cùm ex ea deſumptus fueris; nam pulvis es & in pulverem reverteris* Geneſ. III, 16. 17. 18. Hæc tamen omnia ſic conſideramus tanquam peccati ipſius conſequentia reſpectu primorum noſtrorum parentum, ut nihilominus utriuſque reconciliationem cum Deo per fidem in ſemen promiſſum, & ex illa ſalutem æternam, piè credamus.

XXXVI. (*b*) Idem peccatum *Extenſivè* conſideratum, æquè noxium & grave fuit: Nam reatui & condemnationi æternæ apud Deum ſubjecit univerſum genus humanum, idque ex ordine R.S. divinæ juſtitiæ, etſi id Sociniani & Arminiani in ſolam Dei libertatem transſcriptum velint. Etenim ſicut Adam non ſibi tantum ſed ſuis poſteris acceperat imaginem Dei, ita non ſibi tantum ſed nobis omnibus peccavit; quia etiam nos omnes in illo, ut rami in radice, maſſa in primitiis, membra in capite; Adeoque hîc valet etiam viceverſâ Pauli axioma, *Quod ſi primitiæ ſanctæ, ſancta etiam maſſa, & ſi radix ſancta eſt, etiam rami* Rom. XI, 16. Quare *omnes in Adamo mori* dicuntur 1 Cor. XV, 20. Et ſanè quod habet Apoſtolus, Rom. V, 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introiiſſe ac per peccatum mortem & ita in omnes homines mortem pervaſiſſe,* ἐφ᾽ ᾧ *omnes peccarunt*, eò nos rectà ducit: ſive ſumatur *cauſaliter*, ut illud ἐφὶ ᾧ ſit *eò quod*; nec enim poteſt peccatum & mors omnes pervaſiſſe per unius hominis peccatum, niſi ipſius culpa etiam omnium ſuo ſenſu fuerit, ſive potiùs ſumatur *ſubjectivè*, pro *in quo*, ſupple homine; cùm nec inſolens ſit ἐπὶ ſumi pro ἐν, ut patet ex Marc. II, 4. Heb. IX, 17. (quæ eſt etiam, aliâ rejectâ, frequentiſſima interpretatio Auguſtini contra Pelagianos, qui quærebant latebras in priori) & quatenus hæc tranſgreſſio non fuit merè perſonalis, ut quæ illam ſunt conſecutæ, ſed communis & quadantenus naturalis; Unde patet Pelagianorum & Remonſtrantium dogma eſſe rejiciendum, ita alienum eſſe peccatum Adami, ut noſtrum non poſſit dici; R. Nam à Deo nobis juſtè non imputaretur, niſi etiam noſtrum aliquo modo eſſet, cùm *anima quæ peccat ipſa moritura ſit* Ezech. XVIII, 4.

XXXVII. (*c*) Neque ideo Chriſtus eidem reatui debet ſubjici; non quod nunquam fuerit in Adamo, ut Anabaptiſtæ Weigelianique ſomniant; A.W. ſiquidem expreſſè ejus genealogia in *Adamo* terminatur Luc. III, 38. Sed I. Quia non ex Adamo fuit propagatus ſecundum perſonæ ſuæ totalitatem, (ſunt tamen, ut vulgò dicimus, peccata perſonalia) ſed tantum ſecundum humanitatem, idque planè extraordinariâ & ſupernaturali nativitate; quapropter etiam non fuit *decimatus in lumbis Abrahæ*, ut *Levi* Heb. VII, 8. 9. II. Non fuit etiam propriè in Adamo cum peccaret; quia venit in mundum, non vi benedictionis illius ante lapſum datæ, *Fœtificate & augeſcite & implete terram* Gen. I, 28. ſed promiſſionis ſpecialis lapſum ſequutæ de ſemine mulieris quod erat contriturum caput Serpentis Gen. III, 15.

XXXVIII. Hæc de primo peccato; (*d*) Ortum ab illo duplex eſt, (*e*) *Originale* & *Actuale*. Illud ſic dicitur non tantum quod ſit origo cæterorum, ſed etiam quod propagatione hæreditariâ noſtram maculet nativitatem, & naturæ ac originis lege in nos derivetur; quo reſpectu diſtinguitur ab Actuali, non quod actu, revera & propriè non ſit peccatum, ſed quod habeat rationem habitus innati ex quo alia peccata fluunt & fiunt.

a *Tum in* ſpecie. b *Effecta ejusdem* extenſivè. c *Ab his exemptus* Chriſtus. d 2. Ortum *idque duplex*: e Originale; *cujus*

fiunt. Eſtque,(*a*) *Hæreditaria naturæ corruptio, per lapſum Adami introducta, quâ omnes ab illo naturaliter derivati, toti quanti, ſunt ab omni bono averſi, ad omne malum proni & propenſi, ac propterea naturâ iræ filii & morti æternæ obnoxii.*

XXXIX. (*b*) De naturæ obliquitate & depravatione aliquando queſti ſunt Philoſophi, ſed mali cauſam & fontem nobis indicat Scriptura in labe
S. hac originali, quam dum Pelagiani, Sociniani,
A R Anabaptiſtæ, Remonſtrantes, Weigeliani, apertè
W. negant, Scripturæ evidenter contradicunt; Ea enim docet *omne figmentum ac cogitationes cordis* humani *tantummodo malum eſſe omni tempore* Geneſ. VI, 5. imò ab ipſa *pueritia* Geneſ. VIII, 21. *Ecquis* enim (Jobo teſte) *edat mundum de immundo? Ne unus quidem* Job. XIV, 5. Unde David, *En*, inquit, *in iniquitate formatus ſum & in peccato fovit me mater mea* Pſal. LI, 7. Nec potuit aliter; Siquidem *quod genitum eſt ex carne caro eſt* Joh. III, 6. ac *per unum hominem (in quo omnes peccarunt) peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors*, quæ ita *regnavit etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*, ideſt actualiter, Rom. V, 12. 14. eò quod ſint omnes *naturâ filii iræ* & *in offenſis mortui* Epheſ. II, 3. 5. Eò ducebat olim Circumciſio, ut hodie Baptiſmus, etiam infantibus conferendus, quod redemtione Chriſti & regeneratione egeant ad ſalutem, ex generali axiomate Domini, *Niſi quis genitus ſit iterum, non poteſt videre regnum Dei* Joh. III, 3. Nec aliàs infantes recens nati eſſent obnoxii morti, quæ *peccati ſtipendium* eſt Rom. IV, 23. Nec fruſtra imago Adami poſt peccatum gignentis *filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, Gen. V, 3. commemoratur, opponenda imagini Dei per peccatum obliteratæ.

XL. Quamvis voluntarium non ſit de peccati eſſentia, tamen quo ſenſu hoc voluntarium poſſit dici, ſuprà monuimus. Et licet Lex nemini prohibeat naſci cum hac labe, tamen ipſa hæc labes repugnat ſanctitati & juſtitiæ quam Lex in omnibus requirit, ac ſatis apertè damnatur ultimo Decalogi præcepto, *Non concupiſces*. Si quandoque infantes, ceu innocentes deſcribuntur, ut cùm dicuntur Iſraëlitæ effudiſſe *ſanguinem innoxium* liberorum ſuorum, quos ſacrificabant Idolis, Pſal. CVI, 38. ac ipſi infantes Ninivitarum qui erant maximo numero, non *noviſſe diſcrimen inter dextram ſuam & ſiniſtram ſuam* Jon. III, 11. & gemelli in utero Rebeccæ *nihil dum feciſſe boni vel mali cum dictum eſt ei, Major ſerviet minori* Rom. IX, 11. 12. id intelligendum eſt ſecundum quid & comparatè ad adultos, qui peccant actualiter, non ſimpliciter & abſolutè, ad excluſionem peccati originalis. Ipſimet quoque filii fidelium ac fœdaratorum, qui *ſancti* dicuntur 1 Cor. VII, 14. quatenus ſub fœdere naſcuntur, nihilominus eidem corruptioni nativæ ſunt obnoxii; cùm etiam homo circumciſus generet filium præputiatum, nec granum quod purum ſeritur abſque palea renaſcatur.

XLI. (*c*) Quid autem illud peccatum ſit, non æquè benè ab omnibus explicatur: Non conſiſtit in ſola Juſtitiæ originalis negatione & carentia, ſed etiam in morbida quadam & habituali animæ qualitate, prava deſideria perpetuò excitante, ac illam inſtar ſuperadditi ponderis ad terrena jugiter inclinante; quæ licet non ſit quid per ſe & *phyſicè* poſitivum, tamen *logicè* tale & ſuo modo affirmativum dici poteſt. Unde & *peccatum regnans* in irregenitis, & *concupiſcentia* dicitur; *Ne regnato peccatum in mortali veſtro corpore ut auſcultetis ei in cupiditatibus corporis* Rom. VI, 12. Item, *Peccatum occaſione per illud præceptum ſumptâ effecit in me omnem cupiditatem*, actualem nempe ab originali promanantem, Rom. VII, 8. Nec ϛηρητικῶς tantum & privativè, ſed etiam θετικῶς ac poſitivè, deſcribitur in Scripturis, cùm appellatur *caro, lex membrorum, corpus mortis, peccatum inhabitans, lex peccati*, Rom. VII, 18. 20. 23. 24. 25. item *vetus homo* Epheſ. IV, 22. cujus *membra terreſtria ſunt* mortificanda Col. III, 5. Sic morbus non dicit meram carentiam & negationem ſanitatis, ſed etiam temperamenti & humorum turbationem & inordinationem.

XLII. Ejus (*d*) Subjectum *Inhæſionis* eſt homo totus quantus, ſecundum ſe totum & totum ſui; Anima tamen præcipuè, ut principium actus, corpus ut inſtrumentum quo agit: Ideo deſcribitur per *cæcitatem* mentis, *malitiam* cordis, ἀχρηϛίαν corporis & omnium membrorum; Etenim *Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei; ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur* 1 Corinth. II, 14. eſtque *fraudulentum cor ipſius ſupra omnia & mortiferum* Ierem. XVII, 9. & *Gentes quæ ambulant in vanitate mentis ſuæ, tene-*

bris

a *Definitio.* b *Exiſtentia.* c *Quidditas.* d *Subjectum* Inhæſionis.

ris obscuratam mentem habent & alienatæ sunt à
vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, per
obdurationem cordis ipsorum Eph. IV, 17. 18. a-
deoque nihil aliud quam *sistant membra* sua *arma*
injustitiæ peccato Rom. VI, 13. Quare errant
P. Pontificii eam corruptionem soli sensualitati vin-
dicantes. (*a*) Subjectum vero *Attributionis* sunt om-
nes omninò Adami posteri, generatione natura-
li (unde Christo hæc labes non potuit compete-
re) ab ipso prognati; ita ut nec Ieremias, nec
Iohannes Baptista, alii-ve ulli fuerint ab ea labe
sanctificati in utero & priusquam nascerentur;
nec B. Virgo, quicquid de illa Minoritæ & Jesui-
P. tæ ac ferè omnes Pontificii, contra Dominicanos
clamitent, præservata & immunis præstita ab
illius contractione, ipso momento suæ concep-
tionis; cujus etiam conceptionis immaculatæ
festum publicè celebratur in Papatu, etsi ipsa
P. quæstio hactenus maneat indecisa à Pontifice.
Neminem sanè excipit Scriptura, dicens quod in
Adamo *omnes peccarint* Rom. v, 12. & in eodem
omnes moriantur 1 Cor. XV, 22.

XLIII. (*b*) Non ergo solâ imitatione, ut vo-
luêre Pelagiani, derivatur hoc peccatum in Adæ
posteros, nec etiam solius Dei imputione, ut
P. voluêre Catharinus & Pighius, à quo nec abhor-
R. rebant Remonstrantes, quamdiu hanc Origina-
lem labem, quam postea penitùs irriserunt, vi-
debantur agnoscere. Imputatio enim divina, cùm
sit actus justitiæ & ordinetur ad pœnam, non
potest esse formalis ratio alicujus peccati, quæ
peccatum est; Nec in sola imputatione externa
potest consistere, quod unicuique intrinsecùs in-
hæret, imò cessante imputatione divinâ, ut in
fidelibus regenitis, remanet adhuc. (*c*) Libenter
tamen agnoscimus, nobis justissimè à Deo im-
putari ipsum Adami peccatum, quod suo modo
nostrum fuit, quia nostras sustinuit personas,
& in ipso ex seminali ratione censebamur; ut
hîc non obsit nobis locus Ezech. XVIII, 20.
Anima quæ peccaverit morietur; filius non feret
propter iniquitatem patris; hoc enim dictum ad
peccata merè personalia restringendum est.

XLIV. Imputationis autem illius effectus
proximus est non solum adjudicatio ad pœnam
in communi, ex illo reatu de quo egimus suprà
§. 36. sed in specie Justitiæ originalis denegatio
& carentia, ut habet rationem pœnæ, & ad dig-
nitatis nostræ nativæ depressionem ac imminu-
tionem pertinet. Res verò imputata, est illa ipsa
singularis trangressio actualis protoplastarum,
ut habuit rationem actionis transeuntis, quæ
hoc respectu peccatum originale *originans* dici
potest. At cùm insuper primi nostri parentes
hac suâ transgressione contraxerint habitualem
maculam & distorsionem, quæ Justitiæ origina-
li per peccatum extinctæ successit, ut tenebræ
luci, morbus sanitati, hæc demum vitiositas &
distorsio, (quam haud incommodè dixeris pec-
catum originale *originatum*,) non per imitatio-
nem, neque per imputationem, sed per actua-
lem propagationem transit ad eorum posteros;
non *numericè*, sed *specificè*; sicut lepra, calcu-
lus, alii-ve morbi hæreditarii, à parentibus in
liberos derivantur.

XLV. (*d*) Hanc autem propagationem non ali-
ter quam naturali generatione fieri, docet con-
stanter Scriptura: Sic Adam dicitur *genuisse fi-*
lium ad imaginem suam Genes. v, 3. & David
confitetur se *in iniquitate formatum* esse & *in*
peccato fotum à matre sua Psal. LI, 7. & *quod na-*
tum est ex carne caro est; inquit Christus Ioh. III.
6. Ideo Christus ut ab ea corruptione esset im-
munis, concipi & nasci debuit alio modo quam
vulgus hominum. Illa verò non fit per corpus,
vel per animam, quæ potiùs sunt istius labis sub-
jectum recipiens, sed per generationem, quæ
est totius suppositi, & quâ genitus generantis
filius constituitur: Id malim, quam statuere
animam infici ab impuro corpore, aut ipsam,
ut volunt multi Lutherani, è potentia seminis L.
educi; Quod si eorum obtineret sententia, qui
animam ex anima, ut lumen de lumine, propa-
gari statuunt, omnis hic videretur exhausta diffi-
cultas.

XLVI. Neque nuptiæ, contra dictum Pau-
li, *Honorabile est inter quosvis conjugium & cubile*
impollutum Hebr. XIII, 4. eò sunt damnandæ,
ut volebat Pelagius, quod accidentaliter per eas
peccatum hoc propagetur; nam ex instituto di-
vino & per se sunt destinatæ propagationi homi-
num, non peccati: Quod verò homo usus ad
speciei conservationem medio illo solo legitimo
quod Deus præscripsit nunc generet hominem
peccatorem; id non nuptiis, sed corruptioni
conjugum nativæ, debet imputari: Et præstat
homines tales nasci, cùm sit Dei beneficio me-
dicabile vulnus, quam nullos. Hæc porrò sola
primæva vitiositas propriè propagatur, non cœ-
tera parentum peccata, quia illa sola est suo sensu
natu-

a *Subjectum* Attributionis. b *Convenit hominibus non solâ* Imputatione. c *Quæ tamen agnoscenda*; d *Sed etiam & maximè* Propagatione *per generationem*.

naturalis, alia vitia perſonalia ſunt. Ita videmus hominem à nativitate vel cœcum vel claudum, tales liberos plerumque gignere; non verò ſi in bello vel crus vel oculos amiſerit.

XLVII. (*a*) Cum autem mas & fœmina activè concurrant ad generationem, non aſſentimur P. Bellarmino ſtatuenti à ſolo Adamo, non etiam ab Eva, trahi peccatum Originis, contra dictum expreſſum Davidis, ſe in peccato *fotum* à matre ſua fuiſſe Pſal. L I, 7. Hæc autem vitioſitas, quæ hominem ineptum reddit ad omne bonum & ſalutare opus, ejuſque arbitrium planè & plenè mancipat peccato & morti, (ſiquidem *quiſquis operam dat peccato ſervus eſt peccati* Joh. VIII, 34. ac inde dicimur *nullis viribus* fuiſſe cum Chriſtus mortem pro nobis oppetiit Rom. V, 6. eſtque *quod ſapit caro* eo uſque *inimicitia adverſus Deum*, ut *Legi Dei non ſubjiciatur*, imò *nequidem poſſit* Rom. VIII, 7. *nec idonei ſumus per nos ipſos ad cogitandum quicquam* boni *velut ex nobis ipſis* 2 Cor. III, 5.) tollitur in electis, quoad reatum, ut non amplius imputetur ad condemnationem; (*b*) Infringitur quoque quoad efficaciam, regenerationis beneficio, ne regnet ac dominetur; Sed tamen remanet etiam in illis poſt Baptiſmum inhæſivè & habitualiter ac quoad maculam, donec tandem morte ipſâ ab ea liberentur, ut illam in ſui prima generatione contraxerant: Et fruſtrà in contrarium nituntur P. Pontificii adverſus expreſſum Pauli exemplum, qui regenitus erat, nec tamen immunis ab illa innata vitioſitate, ex qua ſe *carnalem* profitetur & *mancipatum peccato*; unde nec faciebat *bonum* quod vellet, & *malum* quod nollet faciebat, ex *lege in membris ſuis belligerante adverſus legem mentis ſuæ* Rom. VII, 14. 19. 23. Negare quoque concupiſcentiam in regenitis eſſe propriè peccatum, quam tamen Apoſtolus ibi com. 7. eſſe peccatum lege Dei vetitum palam teſtatur, *Ipſam cupeditatem non noſſem eſſe peccatum, niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces*, ſummæ fuit in Pa- P. tribus Tridentinis impudentiæ.

XLVIII. (*c*) Hoc inſuper peccatum ſtatuimus ſufficere juſtiſſimæ condemnationi eorum, qui nondum actualiter peccarunt, ſive, ut loquitur Apoſtolus, *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami* Rom. V, 14. ut illo reſpectu ſint juſtè reprobabiles apud Deum, & meritò incurrant mortem utramque, temporalem & æternam; Neque ſolam pœnam damni, in neſcio quo Limbo imaginario à Pelagianis primùm excogitato & à Pontificiis mordicùs defenſo, ſed etiam pœ- P. nam ſenſus, quamvis cœteris mitiorem; Nam *ſervus qui novit voluntatem Domini ſui, & neque ſe comparavit neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis, qui verò non novit & fecit digna plagis, cædetur paucis* Luc. XII, 47. 48. non tamen erit ei omninò impune. Nolumus tamen ei pœnæ ſubjicere, uti Pontificii; fœderatorum P. infantes qui ſine Baptiſmo externo decedunt, cùm gratia Dei Sacramentis non ſit alligata, & ſolus eorum contemptus, qui in hos infantes cadere non poteſt, non mera privatio, damnet.

XLIX. (*d*) Peccata Actualia, quæ ſe habent ad Originale, ut *actus qui* ad *actum quo*, vel ut actus ad habitum, vel ut fructus pravi ad arborem malam quæ *fructus bonos ferre nequit* Matth. VII, 18. unde *opera carnis* & *tenebrarum* dicta ſunt Gal. V, 19. Eph. V, 11. perpetrantur vel (*e*) *omittendo* facienda, vel *comittendo* prohibita, corde cogitando, ore dicendo, manu operando: Aliquando in eo etiã quod præcipitur aliàs aut permittitur à Deo, peccatur actualiter; Vel ob principium actus vitioſum; nam *finis mandati eſt charitas ex mundo corde & conſcientia bona & fide non ficta* 1 Tim. 1, 5. adeo ut *quicquid ex fide non eſt, peccatum ſit* Rom. XIV, 23. eo quod *ſine fide impoſſibile ſit placere Deo* Hebr. XI, 6. Vel ob finem minus bonum, qualem ſibi præſtituunt hypocritæ contra Chriſti mandatum, *Attendite ne juſtitiam veſtram exerceatis coram hominibus ut ſpectemini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui eſt in cœlis* Matth. VI, 1. Vel ob alias aliquas circumſtantias; ut cùm Nadab & Abihu voluerunt *offerre coram Iehova ignem alienum, quod eis non præceperat* Levit. X, 1. & *Huzza extenſâ ad arcam Dei manu prehendit eam, quia dimoverant eam boves* 2 Sam. VI, 6. Nam & illi & hic præcipitis ſuæ temeritatis pœnas dederunt in continenti: Huc pertinet quoque Pauli adhortatio circa prudentem uſum rerum aliàs indifferentium; *Ne cibi cauſâ diſtrue opus Dei; omnia quidem munda, ſed malum eſt homini qui edens impingit* Rom. XIV, 20.

L. Dividitur item Actuale peccatum in (*f*) *Internum* quod latet; nam *quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo* Matth. V, 28. (*g*) & *Externum* quod foris

K ſe

a *Ad quam concurrunt mas & fœmina.* b *Manet adhue in* regenitis *poſt baptiſmum* c *Meritum & Gravitas.* d Actuale; *quod multipliciter dividitur; nam eſt,* e 1. Omiſſionis *vel* Commiſſionis. *f* 2. Internum. g *vel* Externum.

ſe oſtendit; ſiquidem *cupiditas poſteaquam concepit, parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem* Jac. I, 15. Item in (a) *Voluntarium*, quod ſit deſtinato animi conſilio, conſcientiâ reclamante & per contumaciam, ſive ut loquitur Moſes *elatâ manu* Num. XV, 30. Huc ſpectabat Davidis votum, A *contumaciis ſubtrahe ſervum tuum, ne dominentur in me, tunc integer & inſons ero à defectione magna* Pſal. XIX, 14. & (b) *Involuntarium*, quod ex ignorantia, ſubreptione, vel infirmitate admittitur; Moſi *error* appellatur Num. XV, 25. Atque hinc Petrus dicebat Judæis, *Scio vos per ignorantiam iſta feciſſe, ſicut & primores veſtros* Act. III, 17. & Paulus de ſeipſo, *Sed mei miſertus eſt, nam ignorans id faciebam, nempe fidei expers* I Tim. I, 13. Item in (c) *Regnans*, cui homo irregenitus plenâ voluntate indulget & ſervit, à quo nos deterret Apoſtolus, *Ne regnato peccatum in mortali veſtro corpore, & peccatum vobis non dominabitur* Rom. VI, 12. 14. (d) & *Non regnans*, ſive *inhabitans*, ut Paulo dicitur Rom. VII, 17. cui fidelis & regenitus reſiſtit per gratiam Spiritus Sancti, vel in continenti, ut non committat lugenda obſequutus pravis ſuis cupiditatibus, vel ex poſt facto; ut ſicubi ſuccubuit, malè commiſſa per veram pœnitentiam lugeat & emendet; adeo ut repugnet, quicquid
L. R.
Lutherani & Remonſtrantes velint, Sanctos & fideles obnoxios fieri peccato regnanti, cùm *quiſquis natus eſt ex Deo, peccato non det operam, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poſſit peccare eo quod ex Deo natus eſt* I Joh. III, 9. Hic verò cavendum ne pugna rationis cum affectibus, quæ etiam in irregenitos cadit, cum pugna Spiritus & Carnis in fidelibus, temerè confundatur.

LI. Mittimus alias diviſiones peccatorum Actualium, quorum alia ſunt (e) *Clamantia*, quomodo *clamor Sodomæ & Gomorrhæ multus fuiſſe* dicitur Gen. XVIII, 20. Deum provocans ad præſentem & exemplarem vindictam; alia *Tolerantiæ*, quæ Deus pro *ſua benignitate & tolerantia* Rom. II, 4. quaſi diſſimulat, ac *perfert multa cum iræ cohibitione* Rom. IX, 22. Alia (f) *Carnis*, quæ voluptatum corporearum illecebras ſpectant, veneris maximè & gulæ; alia *Spiritus* cujuſmodi ſunt hæreſis, ambitio, ſtudium vindictæ vel vanæ gloriæ &c. Alia (g) *extra corpus*, alia *intra illlud*, juxta id Apoſtoli I Cor. VI, 18. *Fugite ſcortationem, omne peccatum quod fecerit homo extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat*, directè illud deturpando & debilitando. Sufficit hîc quod aliud peccatum ſit (h) *Remiſſibile*, aliud *Irremiſſibile*. Hoc verò eſt ſolum peccatum in Spiritum Sanctum, *quo malitioſe & perſeveranter contemnitur ac oppugnatur veritas Dei cognita, ipſius averſione ac odio*. Ideo autem hoc peccatum eſt irremiſſibile naturâ ſuâ, non moraliter tantum & ſecundum quid, ut vellent Pontificii, ſed ſimpliciter & abſolu- P.
tè, cùm *non ſit remittendum neque in hoc ſæculo neque in futuro* Matth. XII, 32. quia reſpuit & odit gratiam ſalvificam, & ipſum ſalutis poculum conculcat ac evertit: Unde nec pro ſic peccantibus, ubi tales cognoſcuntur per illud chariſma quod dicitur *diſcretio Spirituum* I Cor. XIV, 9. precari licet; *Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato quod non eſt ad mortem petet, & dabit ei vitam: peccantibus dico non ad mortem: eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget* I Joh. V, 16. Impœnitentia etiam finalis non remittitur, ſed ex *accidenti*; non quod reliqua peccata de quibus pœnitentia non agitur ſint irremiſſibilia in ſe, ſed quia eorum curſus per fidem & pœnitentiam non interrumpitur.

LII. (i) Remiſſibilia peccata perperam diſtinguunt Pontificii in Mortalia & Venialia, non ex P.
miſericordia Dei, ſed ex natura rei: Cui vitioſæ diſtinctioni, & cujus nequidem apud ipſos fundamentum ullum certum eſt, dum alii volunt Mortalia in Legem, Venialia in Conſilia Euangelica committi, alii illa eſſe contra Legem, hæc præter eam, alii ſuſpendenda eſſe ex gravitate vel levitate rei, multa alia portenta inædificant, Impeccabilitatis, Confeſſionis auricularis, Purgatorii, Sacramentalium. Sed quamvis cum Stoicis & Joviniano, ſi modò hæc fuit mens illius, nolimus æqualitatem peccatorum defendere, & inæqualibus culpis inæquales pœnas deberi agnoſcamus, tamen cujuſlibet *peccati* mortem eſſe *ſtipendium*, ut Paulus loquitur Rom. VI, 23. ex Legis ſanctione propoſita Deut. XXVII, 26. & repetita Galat. III, 10. *Exſecrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea*, meritò aſſerimus. Unde etiam liquet, malè Socinianos ſtatuere, non quemlibet actum S.
vitioſum, ſed ſolum peccandi habitum inveteratum, hominem excludere regno cœlorum; contra Jacobum dicentem quod *quiſquis totam legem*

a 3. Voluntarium. b *vel* Involuntarium. c 4. Regnans d & non regnans e 5. Clamans & Tolerantiæ. f 6 Carnis & Spiritus g 7. Exera & intra corpus. h 8. Remiſſibile & Irremiſſibile. i *Non tamen in* Mortale & Veniale.

legem ſervaverit, impegerit autem in uno, damnas factus eſt omnium Jac. II, 10. & Chriſtum monentem quod *quiſquis ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* Matth. V, 19.

LIII. (*a*) Quando autem homines incipiant actualiter peccare, haud facile eſt definire; nam in ipſis pueris etiam ante uſum rationis, multa nequitiæ & corruptionis ſemina apparent, nominatim Idololatriæ in ſuis pupis, appetitus vindictæ ſi ſe læſos ſentiant, & inanis gloriæ in ſuis ornamentis, & mendacitatis, &c. & plerumque malitia ſupplet ætatem. (*b*) Id certo certius actualia peccata cadere etiam in renatos, & neminem ſine crimine vivere, vel ullum reperiri poſſe qui
S. non peccet, quicquid contra nitantur Sociniani,
P. Pontificii, cœteraque Pelagiana proles, ut tota docet Scriptura. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vel unus* Pſal. XIV, 2. & *nemo eſt qui non peccet* 1 Reg. VIII, 46. & *ſi dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus & veritas in nobis non eſt* 1 Joh. I, 8. 10. Sed tamen peccato regnanti, etſi graviſſimè quandoque labantur, neutiquam ſunt obnoxii, quippe aſſerti in veram libertatem per Chriſtum; *Scimus quod quiſquis natus eſt ex Deo non peccat, ſed quod qui genitus eſt ex Deo conſervat ſeipſum & improbus ille non attingit eum* 1 Joh. V, 28.

LIV. (*c*) Sed quoniam pœna *pede claudo*, ut ille ait, peccatum ſequitur, de ea quoque aliquid dicendum: Omne enim malum quod rerum conſtitutionem primævam perturbat, vel eſt culpæ, vel pœnæ; Hæc tamen *malum* dici non debet niſi ſecundum quid, nempè non inferentis, ſed perferentis reſpectu; illa vero ſimpliciter & abſolutè. Eſt itaque Pœna, *Malum vel incommodum aliquod, naturæ vel voluntati contrarium, propter peccatum & ex illo divinitus inflictum.* (*d*) A Deo eſt ceu juſtiſſimo judice, primariò in Creaturas intelligentes & peccatrices, *anima enim quæ peccat ipſa morietur* Ezech. XVIII, 4. ſecundariò verò & in Creaturarum intelligentium ſupplicium acerbius ac ipſius peccati majorem deteſtationem, etiam in alias; *Maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ, eaque ſpinam & cardunm proferto tibi, tu verò comedito herbam agri* Gen. III, 17. Et *vanitati mundus hic conditus ſubjectus eſt, non ſua ſponte, ſed propter eum qui ſubjecit eum iſti vanitati* Rom. VIII, 20.

LV. (*e*) Quicquid igitur homines patiuntur doloris, incommodi, laboris, morborum &c. in ærumnoſa hac vita, ad pœnam peccati *per ſe* & ex *rei natura* pertinet; etſi *per accidens* & perſonarum reſpectu, piorum calamitates, utcunque in ſe pœnales ac fructus peccati inhabitantis, abſque quo illis non ampliùs eſſent obnoxii, non ſint ipſis *ἀμοιβαὶ* & pœnæ *ſatisfactoriæ*, quæ aliàs *τιμωρίαι* dicùntur, (ut hîc proprias ſatisfactiones fidelium, vel in hac vita, vel in Purgatorio, fruſtrà Pontificii comminiſcantur) ſed pœnæ tantum *medicinales*, ſive *κολάσεις*, *παιδεῖαι καὶ νουθεσίαι*, ad eorum emendationem & correctionem ordinatæ: quod etiam convenit illis ipſis tribulationibus, quæ vel probationes & *δοκιμασίαι* videntur, prout per *varias tentationes, exploratio fidei noſtræ tolerantiam efficere* dicitur Jac. I, 2. 3. vel etiam *μαρτυρία* & teſtificationes, ſub quibus pii illud poſſunt ad Deum uſurpare, *Propter te occidimur quotidie, æſtimamur ut pecudes mactandæ* Pſal. XLIV, 13. Nam licet *objectivè* aliò ſpectent, imò & hæ poſtremæ ex cauſa propter quam infliguntur ſint glorioſæ; ſiquidem *etiam gloriamur de afflictionibus, ſcientes quod afflictio tolerantiam efficiat, tolerantia verò experientiam, experientia autem ſpem, porrò ſpes non pudefacit* Rom. V, 3. 4. 5. tamen Heb. X, 1 7. 8. 10. continentur communi nomine *παιδείας*, ideſt paternæ caſtigationis & *Diſciplinæ*, cujus radix amara & fructus dulces. *Omnis enim caſtigatio in præſens quidem non videtur eſſe gaudii, ſed triſtitiæ, at poſtea fructum tranquillum juſtitiæ reddit iis qui per eam fuerint exercitati*, ibid. com. 11.

LVI. Etenim non poſſit eorum probari paradoxon, qui ſtatuunt Deum creaturas planè innocentes & immerentes, & revera affligere ſæpiùs & ſemper poſſe, contra teſtimonia ea Scripturæ quæ ejus juſtitiam tantopere celebrant; *Abſit tibi ut facias tale quippiam* (inquiebat Deo Pater credentium) *morti tradendo juſtum cum injuſto, ut ita ſit juſto ſicut injuſto; abſit tibi; an judex totius terræ non exerceret jus?* Gen. XVIII, 25. Et qui *in ſtatutis meis fideliter ambulaverit, juraque mea obſervaverit colendo veritatem, juſtus hic omninò vivet, dictum Domini Iehovæ* Ezech. XVIII, 9. Cœcitas nativa illius de

a *Tempus quo homo actualiter peccat.* b *Regeniti non immunes ab actualibus pecatis.* c PœNA *peccati.* d *Ejus* Author. e Amplindo.

quo Joh. IX, 2. 3. etsi ad majus bonum ordinabatur speciali Dei providentiâ, & *ut opera Dei manifesta fierent in eo*, malum tamen erat pœnale & ortum ex peccato; non quidem actuali præcedenti, vel suo vel parentum suorum, uti videbantur sibi imaginari Christi discipuli, dicentes *Rabbi quis peccavit, iste, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* sed nativo & originali, quod Dominus potiùs supponit quam negat, cùm ait ad mentem discipulorum, actuale hic peccatum quod natalia ejus præcessisset, fortè per metem-
J. psychosim, vulgò tunc ut & hodie creditam Judæis, perperam concipientium, nec ipsum nec parentes ejus peccasse ut cœcus nasceretur. Neque dubitanter, sed asseveranter loqui Jac. V, 15. cùm ait, *Quod si commiserit peccata remittentur ei*, constat ex Matth. VIII, 17. ubi morbi quilibet satis apertè peccato asscribuntur, translato ad morbos corporeos, quos Christus sanabat, Esaiæ dicto de peccatis nostris, *Ipse invaletudines nostras accepis & morbos portavit*; quia corporei morbi sunt pœnæ & sequelæ peccati; unde Dominus paralyticum à suo morbo liberaturus, dicebat ei Matth. IX, 2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua*. Quòd si aliquis propter alterius peccatum puniatur & castigetur, id maximè probat nullam afflictionem vel pœnam esse nisi ex aliqua culpa, vel propria, vel imputata: Talis verò imputatio nunquam habet locum nisi erga eos qui propter aliquam communionem cum primariis peccatoribus, affines sunt aut fiunt aliquo modo culpæ eorum, uti apparet in ipso Christo, *facto peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso* 2 Cor. V, 21.

LVII. (a) Si verò peccatum ipsum directè & propriè consideretur, quùm ejus gravitas sit infinita, non quidem *subjectivè* ex parte peccantis, sed *objectivè* ex parte Dei in quem peccatur; neque tamen *absolutè* & in genere entis, sed tantum *secundum quid* & in genere moris & malitiæ, quod nulla detur major eâ quæ Deum Opt. Max. offendit; dubio procul pœna peccati (vindicandi scilicet, non simpliciter emendandi) debet esse infinita secundum quid, tam *objectivè* ut inferat privationem boni infiniti, quam *extensivè* (nam intensivè ex parte sui nullum peccatum est infinitum, & in pœna gradus esse debent, ut in peccatis;) quia (b) actus peccati præteriti *moraliter* permanet quoad reatum & meritum pœnæ apud justissimum vindicem luendæ, quamdiu peccator non fuit reconciliatus Deo; & mors animæ, aliàs immortalis, nequit alia esse quam æterna abdicatio à Deo qui illius vita est; unde dicitur *vermis* ille *non interire & ignis non extingui* Marc. IX, 44.

LVIII. In pœnis illis æternis non satisfaciunt peccatores justitiæ divinæ, etsi ut illi satisfiat, id est ex illius ordine, eas subeant; quia pœnas sibi debitas exhaurire nequeunt; & peccata peccatis cumulant desperatione & blasphemiis in Creatorem; & potiùs satispatiuntur quam satisfaciunt; & cùm non finiatur æternitas, nunquam erit ut satisfecisse, semper verò ut satisfacere, sive potiùs satispati, dicantur; *Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc donec reddideris ultimum quadrantem* Matth. V, 26. Luc. XII, 59.

LIX. (c) Quamvis illa pœna, tum *objectivè* tum *extensivè* & secundum quid infinita, peccato debita, varia sortiatur nomina in Scripturis, *Maledictionis*, *Abyssi*, *Gehennæ*, *Ignis æterni* &c. uno tamen nomine (d) *Mortis* primùm fuit denunciata Gen. II, 17. *Quo die comederis de fructu arboris scientiæ boni & mali, utique moriturus es*, & eodem sæpiùs deinceps exprimitur; *Per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors* Rom. V, 12. & *stipendia peccati mors* Rom. VI, 23. & *mors per hominem* primum in quo *omnes moriuntur* 1 Corinth. XV, 21. 22. Quo nomine Mors triplex intelligitur; I. (e) *Spiritualis*, ut habet rationem, non mali turpis, & moralis coram Deo corruptionis, (sic enim culpa est, quamvis & interdum peccata peccatis, ita Deo dispensante & permittente, puniuntur,) sed mali tristis, nos à primæva nostra dignitate dejicientis & separantis à Deo; prout dicuntur Gentiles sub peccato *alienati à vita Dei* Eph. IV, 18. ut qui exilio mulctatur, capite diminutus & civiliter mortuus censetur. II. (f) *Corporea*, & quæcunque illam ærumnæ, ceu illius *προδρόμοι*, antecedunt; licet perperam Sociniani post Pela- S.
gianos, eam subducant pœnis peccati. III. (g) *Æterna*.

LX. Etsi autem Corporea, quâ anima separatur à corpore & compositum resolvitur, non statim à peccato inflicta fuerit homini, ejus tamen reatum habuit illicò; imò & incœpit in ipsius tum morte spirituali, tum vitæ ærumnis, per quas se mori sentit; & immortalitatem pertinuisse ad statum primi hominis suo loco ostensum.

a Infinitas b *Maximè* Durationis. c *Variè nominatur sed præsertim.* d Mors e Spiritualis. f Corporea. g Æterna.

ſum. Fit quidem illa *per accidens* ſalutaris animæ in piis, juxta votum Pauli cupientis *diſſolvi & eſſe cum Chriſto* Phil. 1,23. *Scimus enim nos ſi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium non manufactum, æternum in cœlis* 2 Corin. v, 1. Sed *per ſe pœnalis* eſſe non deſinit. Hinc *ultimus hoſtis* ſtatuitur 1 Corin. xv, 26. debellandus à Chriſto per ſuſcitationem ſuorum. Eſt ergo fideli mors corporea pœna *naturæ*, etſi deſinat per Chriſtum illi eſſe pœna *perſonæ*.

LXI. Tres verò illæ Mortes, ratione peccati (*a*) non ſunt tres pœnæ diſtinctæ, ſed unius ejuſdemque pœnitionis gradus varii; ſic tamen attemperati, ut etiam priores duo ſuas moderationes habeant, ex Dei Providentia & Benignitate, tum externas, tum internas, in vitæ continuatione & quibuſdam illius deliciis, imaginis divinæ reliquiis, & mediis illis politicis ac œconomicis quibus peccati ac miſeriæ curſus aliquatenus impeditur vel retardatur. (*b*) Hæc autem pœna ex ordine Juſtitiæ, Veritatis & Conſtantiæ Divinæ, ita debetur omni peccato, ut impoſſibile ſit peccatum eâ non puniri, vel in ipſo peccatore, vel, ſi ſit ei condonandum, in illius exſponſore; adeo ut nullâ ratione, quicquid Sociniani dicant, ſit diſpenſabilis. *Quo die comederis morte morieris* Gen. 11, 17. *Maledictus qui non præſtiterit verba legis hujus faciendo ea* Deut. xxvii, 26. *Anima quæ peccat, ipſa morietur* Ezech. xviii, 4. Hoc eſt *jus* ſive δικαίωμα Dei *eos qui talia faciunt dignos eſſe morte* Rom. 1, 32. *Et juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt vos afflictionem* 2 Theſſ. 1. 6. *Et abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio* Heb. ix, 22.

S.

a *Et quæ unam pœnam ſpectant,* b *Ex ordine juſtitiæ divinæ.*

LOCVS SEPTIMUS,

De

LEGE DEI.

Uandoquidem ex (*a*) Lege, ceu officii noſtri norma, peccatum cognoſcitur, hunc locum præcedenti meritò attexuimus. Lex, ſivè à *deligendo*, quod delectum habeat præcipiendorum & prohibendorum; ſivè à *legendo*, quod in publicis tabulis legenda proſtet; ſivè potius à *ligando*, quod obliget ſubditos ad obedientiam, Latinis dicta; Græcis νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, *regere* & *diſtribuere*, ex illius enim præſcripto & homines regi convenit, & cuique tribui quod ſuum eſt; Hebraicè *Thorah* appellatur, à verbo *Iarah*, ut plurimis placet, quod *docere* ſignificat; per illam enim de ſuo officio omnes edocentur. Variè quidem ſumitur in Scripturis, in quibus *lex fidei* à *lege operum* quandoque diſtinguitur Rom. iii, 6. ſed in genere definiri poteſt, (*b*) *Faciendorum & fugiendorum norma, ab eo ad commune bonum ſancita, qui jus habet imperii, obligans Creaturam rationalem ſub pœnis & præmiis.*

II. (*c*) Lex Dei vel eſt juris *poſitivi* & arbitrarii, vel juris *naturalis* & neceſſarii. Illa talis eſt, ut aut non, aut aliter, inſtitui potuerit: Et cùm in externo potiſſimum corporis regimine conſiſtat, ſpeciali gratiâ non opus eſt, ut eo reſpectu obſervetur: Talis fuit in ſtatu integritatis lex cibaria; *Ecce dedi vobis omnes herbas ſementanteis ſemen quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omneſque arbores in quibus eſt fructus arboreus, ſementanteis ſemen, veſtræ ad comedendum erunt* Gen. 1, 29. & lex de arbore ſcientiæ boni & mali; *De fructu quidem omnis arboris hujus horti liberè comedes; de fructu verò arboris ſcientiæ boni & mali, de iſto ne comedas; nam quo die comederis de eo utique moriturus es* Gen. 11, 16. 17. Talis quoque poſt diluvium altera lex cibaria Gen. ix, 23. *Timor veſtri terrorque veſtri inſto omnibus beſtiis terræ,* omni-

a LEX, b Definitio. c *Lex Dei eſt* Poſitiva, *vel*

omnibusque volucribus cœli, tum omnia quæ calcant humum, tum omnes pisces maris in manum vestram traditi sunt; omne reptile quod quidem vivum est, vobis ad comedendum esto, ut viridem herbam illis sic omnia illa dedi vobis. Tales denique quæ per Mosem latæ sunt, distinctæ à Decalogo, Forenses & Ceremoniales, quarum illæ *Hamisçpatim*, id est, *Iudicia*, istæ *Hachukkim*, id est, *Statuta*, speciatim dicuntur; ipsæ vero leges morales sive Juris naturalis *Hamitzevoth*, id est, *Præcepta* vel mandata; ut patet ex Mose dicente, *Hoc autem est præceptum, statuta & judicia illa, quæ præcepit Iehova Deus vester ut doceam vos* Deut. VI, 1.

III. *(a)*Hæc verò, quæ videlicet juris est naturalis & necessarii, talis est, ut homini non potuerit non dari, quatenus Deus eâ præcipit quæ per se grata habet & ab omnibus semper & ubique præstanda sunt. Ea vulgò lex *naturalis*, aliis lex *moralis*, Decalogo summatim expressa, dicitur: Perinde enim est, si ea consideretur, Vel ut *internè* indita, tùm per Creationem primam, ex cujus ruderibus post lapsum *Gentes quæ legem non habent*, sibi promulgatam solemniter, ut Israelitæ, *naturâ quæ legis sunt faciunt* ac *sibi ipsis sunt lex; ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut etiam defendentibus* Rom. 11, 14. 15. tùm pleniùs & efficaciùs per Regenerationem; *Nam hoc est illud fœdus quod pangam cum domo Israëlis, post dies hos dictum Iehovæ; indam legem meam menti eorum*, ad cognitionem, *& cordi eorum inscribam eam*, ad obedientiam & executionem, *& ero eis Deus & ipsi erunt mihi populus* Jer. XXXI, 33. Vel ut *externè* tabulis lapideis inscripta & fusiùs per totam Scripturam explicata.

IV. *(b)* Distinctio hæc juris divini *in positivum* & *naturale*, est planè necessaria ac omninò retinenda. In illo Deus *libertatem* suam ostendit, in hoc *naturam* suam quoque expressit. Illud ex solo Dei beneplacito est arcessendum, ac ejus respectu verum est, res demum bonas esse quia jussæ sunt; Hoc in ipsius Dei naturam, justitiam & sanctitatem essentialem debet refundi; adeo ut, suppositâ creaturarum productione, hæ leges, non aliæ, fuerint illis promulgandæ, & talia juberi debuerint quia bona & justa; Nam veræ justitiæ prima regula est ipsissima Dei justitia & sanctitas, quam lege suâ expressam voluit; *Sancti estote quia sanctus sum, ego Iehova Deus vester* Lev. XIX, 2. *Estote vos perfecti ut Pater vester qui est in cœlis perfectus est* Matth. V, 48.

V. *(c)*Lex illa naturalis potest etiam censeri lex *æterna*, non quo sensu hæc ut plurimum sumitur à Scholasticis, pro ratione divinæ sapientiæ secundum quam dirigit motus omnium creaturarum in suos fines; sed prout notat regulam practicam necessariæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur; quæ ut est in mente Dei, *æterna*, ut in nostra sæpiùs *naturalis* dicitur. *(d)*Itaque Legem & jus naturæ, nec arcessimus, ut Judæi, J.
ex præceptis Noachidarum, quasi solâ traditione constaret; Neque cum Juris consultis arbitramur consistere simpliciter in officiis quibusdam homini cum brutis communibus; cùm cætera animantia nec juris nec injuriæ propriè sint capacia; Sed eam constituimus in instinctu naturæ rationalis indito omnibus hominibus à Deo, & qui saltem in communissimis suis principiis idem remanet apud omnes, etsi partim corruptione nativâ, partim pravâ educatione, partim consuetudine vitiosâ, in suis conclusionibus non uno modo corruptus & alteratus fuerit.

VI. *(e)*Dari enim communia quædam principia practica & κοιναὶ ἔννοιαι immotæ veritatis, & generale quoddam discrimen turpis & honesti, quicquid contra pertendant Sceptici, & Scriptura F.
comprobat Rom. 11, 14. 15. iis verbis quæ supra §. 3. leguntur; & consensus omnium populorum testatur; unde fit ut jus aliquod gentium primigenium vel maximè barbari inter se servent; & clamat uniuscujusque conscientia, cujus Synteresis habitualiter conservat principia illius Legis, non scriptæ sed natæ, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus, & quæ ἔμψυχον δίκαιον, item ἀσφαλὲς ϗ ἄγραπτον θεοῦ νόμιμον dici potest.

VII. Ab illis principiis qualia sunt, *Bonum esse prosequendum & malum fugiendum, Deum esse colendum, Neminem lædendum, Honestè vivendum, Suum cuique tribuendum, Alteri non faciendum quod tibi fieri nolueris*, & si quæ sunt ejusmodi, manarunt omnia jura gentium & civilia, quibus vel plures inter se populi, vel singulæ civitates utuntur; sed per modum determinationum ad quædam particularia, aut conclusionum

a Naturalis. b *Distinctione necessariâ.* c *Lex* naturalis. d *In* quo *sita.* e Existentia *ejus.*

num ex illis principiis naturæ deductarum, quæ quo remotiùs abeunt ab illis, eo quoque & errori magis obnoxiæ & mutabiliores sunt. (*a*) Sed cùm nuspiam certiùs & constantiùs eluceant illa principia, imò totum jus naturale, quàm in Decalogo vel Lege morali, speciatim sic dicta, hæc benè definitur, *Perpetua vivendi regula, adumbrans æternam sapientiam & justitiam Dei, primùm insita hominibus in Creatione, ac in monte Sinai* (*b*) *ministerio Angelorum solemniter repetita, duabus tabulis comprehensa, iisque omnibus præceptis quæ ad illas pertinent, quorum summa, Pietate & Justitiâ, dilectione Dei & proximi, absolvitur*; juxta ipsiusmet Christi ἀνακεφαλαίωσιν quæ extat Matth. XXII, 37. 38. 39. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota cogitatione tua; istud est primum & magnum mandatum; secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum ut te ipsum.*

VIII. Ejus debent considerari, (*c*) Natura, Usus & Partes. *Natura* illius duabus potissimum circumstantiis elucidatur. (*d*) I. Ut præcepta Dei moralia summatim Decologo continentur, ita sunt juris naturalis & perpetui. Nam ipsum præceptum quartum de Sabbatho, morale est quoad substantiam, licet ceremoniale fuerit quoad diei præcisam determinationem, mysticam significationem, & operosam observationem, in omni cessatione ab opere ordinario sitam. Deo enim ceu supremo omnium Domino aliquem deberi cultum, etiam externum & solemnem, homini itidem statam relaxationem ab ordinariis laboribus (nam quod caret alternâ requie durabile non est) atque huic utrique certum tempus, & ratio naturalis dictat, & omnes nationes suo consensu comprobant; at quomodo & quando id sit faciendum, pendet ex Dei ipsius voluntate.

IX. II. (*e*) Lex Naturalis & Moralis est planè immutabilis, quia non potest quoad communia sua præcepta penitùs deleri ex cordibus hominum; nec abrogari ut desinat obligare; cùm fundetur in rationali natura quæ semper eadem est, & sit ἀποσκιμάτιον Legis æternæ quæ in Deo; nec denique essentialiter augeri, ut aliquid directè, immediatè & per se incipiat esse morale & juris naturalis, quod antea tale non erat; cùm ad illius integritatem nihil ulterius requiratur: Est enim *doctrina Iohovæ integra restituens animam* Psal. XIX, 8. Atque inde tam jure colligunt saniores è Scholasticis, legem hanc esse planè indispensabilem, etiam ex parte Dei qui *se ipsum non possit abnegare* 2 Tim. II, 13. quam absurdè statuunt Sociniani, quibus præluserant S.
Pontificii per suam doctrinam de consiliis Euan- P.
gelicæ perfectionis, Legem Moralem Christum correxisse & auxisse.

X. (*f*) Quare dici nequit Legem naturæ mutatam fuisse, I. Rerum divisione per jus gentium; cùm omnia fuerint communia jure naturali, non *positivè*, sed tantùm *negativè*, quatenus eo nihil de rerum divisione expressè sancitur. II. Servitutum introductione; cùm omnes jure naturæ non ultra liberi sint, quàm extra culpam vel aliorum injuriam fuerint. III. Præscriptionibus & usucapionibus, quibus scilicet cum tempore definito adsunt bona fides & titulus justus; quandoquidem non efficiunt ut alienum invito domino retineatur, quod repugnat æquitati naturali, sed tantùm ut quod antea alienum erat, ubi pro derelicto habetur à priori domino, alterius fiat proprium. IV. Retentione gladii quem dominus furiosus repetit ad homicidium, quia nec juris naturæ est reddere telum furioso, & naturali jure tenetur quisque quoad potest homicidia impedire.

XI. Deus etiam non dispensavit I. In Lege homicidii cum Abrahamo, illi edicendo quod extat Gen. XXII, 2. *Assume nunc filium tuum, unicum tuum quem diligis Isaacum, & abi in regionem Moriiæ, & offer eum ibi in holocaustum, super uno illorum montium quem dixero tibi*; quia probatorium duntaxat, non absolutum erat mandatum hoc de filio occidendo; nec si fecisset, Deo jubente, in Legem de homicidio peccasset, quia authoritate publicâ instructus id fecisset, ut solent carnifices authoritate Magistratus. II. In Lege furti, Vel circa vasa Ægyptiorum; quia & Ægyptii illa ultrò concesserunt Israëlitis abituri entibus; siquidem *Ægyptii vehementer instabant apud populum festinando dimittere eum è sua regione*, illi ideo sua vasa concedentes; quippe *Iehova reddiderat gratiosum populum hunc ante oculos Ægyptiorum, adeo ut dederint eis petentibus, & ita spoliaverunt Ægyptios* Exod. XII, 33. 35. & Deus justo suo judicio, ad Ægyptiorum pœnam, ab illis in Israëlitas, eorum dominia transferebat, in mercedem debitam pro præcedentibus laboribus; ut cùm Judex permittit creditori pignora ca-

a *Plena in Lege Dei Morali, cujus proponitur* b Definitio. c Natura. d 1. *Iuris est per omnia naturalis.* 2. *immutabilis & indispensabilis.* f *Refutatis quæ in contrarium afferuntur.*

capere in domo debitoris, aut illum in possessionem bonorum hujus immittit: Vel libertate factâ transeuntibus aut uvam decerpendi ex vinea, aut ex satis spicas revellendi & fricandi in manibus; quia fiebat hæc libertas viatoribus à summo Domino, idque Charitatis magis inter concives adstringendæ gratia.

XII. Maccabæi pugnarunt in Sabbatho, non dispensatione à Lege, sed illius vera interpretatione, quam etiam Christus comprobat non uno loco; nam, *Quis erit*, inquit, *ex vobis qui habeat ovem unam & si ea inciderit Sabbatho in foveam non apprehendat eam & erigat?* Matth. XII, 11. Et sanè *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum; itaque filius hominis est etiam Sabbathi dominus* Marc. II, 27.28. Nec dispensatum cum Osea ut licitè fornicaretur; imò nec propriè mandatum ei ut fornicariam duceret in uxorem cum qua legitimè congrederetur, quod placet nonnnullis; sed quod illi dicitur *parabolicè* potiùs quam *historice* debet intelligi; Hos. I, 2. *Abi assume tibi uxorem scortum & natos scorti* (hæc verba evincunt manifestò rem non historicè gestam, parabolicè propositam esse, cùm non potuerint iidem liberi à Propheta & assumi cum matre & ex ea gigni, quod dicitur in sequentibus;) *cùm omnino scortetur hæc terra aversata Iehovam*: Hæc est typi ratio, unde constat Deum Israëlitas pertulisse tanquam uxorem & liberos impurissimos. Serpens æneus Numer. XXI, 8.9. & Cherubini in arca Exod. XX, 18. cùm imagines fuerint potiùs *symbolicæ* & emblematicæ, illa beneficii Christi in crucem acti, hæ naturæ & officii Angelorum, quam *personales* & repræsentativæ alicujus suppositi, nec ullo modo ad cultum erectæ vel propositæ, mandato de imaginibus non repugnarunt.

XIII. Alia fuit ratio Polygamiæ & Divortii, exceptâ adulterii causâ, ex qua hoc licitum erat; *Quisquis dimiserit uxorem suam extra rationem scortationis, facit ut ea mœchecur, & quisquis dimissam duxerit mæchatur* Matth. V, 32. XIX, 9. Nec enim carebant illa labe & peccato apud Deum; qui nec ea simpliciter approbabat, nec absolutè & formaliter permittebat, ut licitè committerentur; sed tantum ceu nævos & infirmitates hominum dissimulabat ac tolerabat *pro duritia cordis* illorum Matth. XXI, 8. ut cùm Magistratus tolerat ebrietatem, non formaliter permittendo, permissione juris, & facultatem faciendo hominibus ut citra culpam & reatum inebrientur, sed pœnas ebrietatis ab illis non exigendo. Nec simpliciter præcepit Deus Divortium aut permisit, sed voluit ut homines, contra legem naturalem conjugii statuentes facere Divortium, sibi exosum & improbatum, eas solemnitates adhiberent quæ à Mose requiruntur. Fuit itaque tolerantia potiùs quàm permissio; aut si hæc, potiùs facti quàm juris; cùm nec culpam nec reatum apud Deum auferret, sed præstaret tantùm immunitatem à pœnis Civilibus & Ecclesiasticis apud homines. Aliàs hæc repugnare naturæ & primævæ institutioni Conjugii, ex qua *duo debent esse in carne una* Matth. XIX, 5. docet ibi Servator, non solum monendo quod *à principio non fuit ita* com. 8. sed etiam statuendo non debere *hominem sejungere quod Deus conjunxit* com. 6. Et ipse Deus fusè invehitur in illam licentiam Divortiorum Mal. II, 14.15.16. *Iehova testificatus est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ contra quam tu perfide agis, cum sit socia tua & uxor fœderata tibi; Nam nonne unum effecit quamvis reliqui spiritus ipsius essent? Quid autem unum? quæsiturum semen Dei; ideo cauturi estis spiritui vestro, & in uxorem adolescenciæ tuæ perfidè ne quisquam agito; Sibi odio esse dimissionem, ait Iehova Deus Israëlis.*

XIV. (a) Atque hinc constat graviter errare Socinianos, qui Legis Moralis immutabilitate negatâ, volunt, inter cœtera, nunc meræ creaturæ (cujusmodi ipsis est blasphemè Christus Servator) adorationem religiosam licitam & mandatam esse, quæ primo Decalogi præcepto illicita erat & vitiosa. Ex eorundum lacunis haurire videntur, qui paradoxè statuunt posse Deum contrarium præcipere omnibus præceptis Decalogi, & magiæ idololatriæ, blasphemiæ, mendacii, adulterii, perjurii actus rectificare, hoc est lucem tenebras facere & tenebras lucem: Quæ commemorare refutare est. S. F.

XV. Sed & hinc apparet insolentia tùm Pontificiorum in genere, qui secundum Decalogi præceptum audacter dispunxerunt, & à moralibus ad positiva & mutabilia transtulerunt, tùm ipsiusmet Pontificis, qui authoritatem sibi facit dispensandi in iis quæ sunt Legis Divinæ, etiam naturalis & moralis; cujusmodi sunt conjugia, vota, juramenta, gradus consanguinitatis & affinitatis Lege Dei & naturæ prohibiti, ex Lev. P. P.

XVIII,

a Cum Elencho vario.

XVIII. toto, ubi Legislator vult suos abducere ab *operibus* Ægyptiorum & Cananæorum com. 2. & com. 27. insinuat illis *abominationibus* quas vetat, *pollutam fuisse terram* Canaan ab ejus incolis. Has dispensationes Papales frustra Grotius ad declarationes revocat, cùm ipsi Scholastici verè & constanter distinguant inter Dispensationem à Lege, quâ relaxatur illius obligatio, & Legis Declarationem sive Interpretationem, quæ tantum ostendit Legem hoc vel illo casu non obligare. Illa etiam Declaratio non fieri potest ab ullo mortali authoritativè, sed tantum doctrinaliter.

XVI. Hæc de natura Legis Moralis; Ejus *Usus* duplex considerari potest, Absolutus & Respectivus. (*a*) Absolutè loquendo ideo data est à Deo, ut sit norma unica, plena, certa, faciendorum & fugiendorum ab unoquoque, erga Deum, proximum & seipsum: Nam etsi verum sit justitiam particularem esse semper ad alium, ut plurimis placet Philosophis; dubitari tamen non potest unumquemque Lege naturali & ex præscripto justitiæ universalis multa sibi ipsi debere, ut salutis curam, corporis alimentum, vitæ defensionem legitimam &c. *Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam* Eph. v, 29. Unde liquet non tantum in Remp. αὐτοχεῖρας peccare, sed etiam multifariàm in
P. seipsos, ut & Pontificiorum Flagellantes, & quotquot in corporis sui membra, post Valesios & Origenianos, seipsos evirantes, sæviunt.

XVII. (*b*) Quæ autem Lege morali nec mandata, nec prohibita sunt, ea naturâ suâ censentur esse ἀδιάφορα, & Legislatoris authoritate libero hominum usui permissa, nisi fortè hæc libertas vel lege aliquâ positivâ restricta fuerit, vel in sui exercitio moderanda, ad infirmiorum ædificationem: Nec enim illicò expedit quicquid licet; Et de adiaphoris est regula Pauli certissima; *Bonum est non edere carnes neque bibere vinum, neque quicquam facere in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus est* Rom. XIV, 21. & 1 Cor. VIII, 13. *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo.* Quare sicut ubi non est Lex ibi non est peccatum, cùm peccatum sit demum quod est contra Legem, ita nihil habet rationem propriam & formalem virtutis & boni operis apud Deum, quod Lege Dei præceptum
non fuerit: Ut frustrà Pontificii velint ἐθελο- P.
θρησκείας suas, Christo expressè damnatas, *Frustra me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum* Matth. XV, 9. (quare & à Paulo rejiciuntur *præscripta ex præceptis & doctrinis hominum, quæ rationem* tamen *habent sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi & in eo quod corpori non parcant* Col. II, 22. 23.) annumerare bonis operibus, (*c*) imò plerumque melioribus quàm ipsi actus Lege Dei præscripti; unde *Supererogatoria*, nomine absurdo & insolenti, vocantur; quibus, si Deo placet, *Aureola* in cœlo sit insuper debita, cum ordinariis meritis non nisi Aurea tribuatur.

XVIII. Et sicut perperam volunt iidem aliquando distinguere, inter ea quæ *præter* Legem
& ea quæ *contra* illam fiunt, cùm in Legem im- P.
pingat qui præterit limites ab ipsa fixos, ita nescii Euangeliũ à Lege distinguere, (*d*) nescio quæ *Consilia Euangelica* & perfectionis majoris somniant, quorum observatio, ut fingunt, in Monachatu potissimum consistit. Quasi verò plus boni quis possit præstare quam præcipitur Lege, aut consilia perfectionis supra Legem debeant jactitare qui à Legis obsequio tam procul adhuc se abesse intelligent, ubi conscientiam suam audiverint; Mandatum factum à Christo juveni illi turgido & planè Pharisaico, *Si vis esse perfectus abi, vende quæ tibi suppetunt & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & adesdum sequere me* Matth. XIX, 21. fuit personale ac probatorium, ad illius fastum retundendum; nec per modum consilii proponebatur; quod sequi vel non in ejus arbitrio situm esset, sed per modum præcepti; nec debet ad regulam constantem & perpetuam trahi in Ecclesia, quâ ad Christum sequendum, omnibus relictis quæ nobis forent impedimento, semper obligamur.

XIX. (*e*) Quare non est credendus Christus Matthæi capite quinto, adjecisse nova mandata
moralia ad præcepta Decalogi, ut fingunt So- S.
ciniani, aut saltem Consiliis Euangelicis, ut vo- P.
lunt Pontificii, illa illustrasse; sed tantum ea pristino suo nitori restituit, contra glossemata Pharisæorum qui justitiam merè externam sectabantur, & præposteras suas interpretationes, Antiquitatis & Seniorum nomine, ac verbis Scripturæ interpolatis, popello commendabant:

L Chri-

a Usus. *Absolutus.* b *Hinc* Adiaphora *stabilita.* c *Eversa verò opera* Supererogationis, *&* d Consilia Euangelica. e *Atque ad ditamenta ad Legem in genere Morum.*

Christus enim nihil aliud præceptis suis moralibus inculcavit, quam amorem Dei & proximi, quem Lex diligentissimè urget, uti patet ex ipsiusmet Legis compendio, adeo ut *ab illis duobus mandatis* de Dei & proximi dilectione, in genere morum & faciendorum, *tota Lex & Prophetæ pendeant* Matth. XXII, 40. Nec legem implevit additione sed executione, juxta id quod habet Matth. V, 18. *Ne existimate me venisse ut dissolvam Legem, aut Prophetas; non veni ut eam dissolvam sed ut eam impleam; Amen quippe dico vobis, usquedum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, usquedum omnia facta fuerint.*

XX. (*a*) Lex autem ad facienda quæ præcipit & fugienda quæ vetat, homines obligat, tum Authoritate Legislatoris, quem penes est dignitas imperii, tum etiam evidentiâ rationis, idque sub pœnis & præmiis; id enim malim dicere quàm Legem obligare ad obedientiam vel pœnam, aut quod adhuc minus propriè dicunt quidam, ad pœnam & obedientiam simul; & mirum est ita etiam loqui eos, qui aliàs nulli ampliùs Legi damnatos in pœnis æternis subesse, perperam statuunt.

XXI. (*b*) Propriè ergo tantum obligat ab obedientiam sub gravissima pœna, nempe infinitæ durationis & æterna. Si quis autem hanc pœnam totam exhauserit & jam persolverit, uti censemur fecisse in Christo, ille quidem non est liber absolutè ab officio gratitudinis pro virili præstandæ, sed tamen liber est à necessitate obedientiæ illius strictæ & perfectæ, in quantum ei demum vita æterna Lege promittitur, cum ineluctabilis malectionis denuntiatione ei qui vel in minimo impegerit. In damnatis verò continuat obligatio stricta ab obedientiam; quia licet sint in statu pœnali & pœnas Deo pendant, nunquam tamen erit ut dicantur pœnam sibi debitam exhausisse & penitùs persolvisse, cujus potiùs prorogationem in infinitum, desperationis & blasphemiarum suarum continuatione jugiter promerentur.

XXII. (*c*) Quin eo usque Dei Lex norma est aurea faciendorum & fugiendorum, ut nisi in eam per æquitatem quandam naturalem refundantur leges quælibet humanæ ac positivæ, aut si illi adversari deprehendantur, illicò desinant obligare; Nam *obedire oportet Deo potiùs quam hominibus* Act. V, 29. Nec tamen ideo Superiorum mandata subjiciuntur censuræ subditorum, aut arbitramur fas esse privatis in legum sibi latarum justitiam & æquitatem scrupulosiùs inquirere: Licet enim duriores ac iniquiores essent, tamen quamdiu neminem cogunt ad faciendum quod turpe est, sed tantùm ad aliquid durum, triste & incommodum perferendum, æquum est illis obsequi; *Servi subditi estote cum omni timore Dominis vestris, non solum bonis & æquis, sed etiam pravis; Hoc enim cedit gratiæ si quis propter conscientiam Dei suffert molestias injustè afflictus* 1 Pet. II, 18. 19.

XXIII. (*d*) Usus Legis Moralis respectivus distinguendus est, pro vario statu hominis cui lata est. Homini recens *instituto* & justitiâ originali instructo, erat contractus fœderis Divini cum illo initi, cui obediendo, quod facilè potuisset, consecuturus erat permanentiam in fœlici illa conditione, & pro coronide Patriæ beatitatem. Etenim ejus promissiones spectasse vitam præsentem & futuram, etiam cum repetita fuit à Mose, negantibus licet Anabaptistis & Socinianis, constat ex Matth. XIX, 16. 17. ubi ad quæstionem Christo propositam, *Doctor bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* respondet Dominus, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; & maledictione ei appositâ, quæ proculdubio æterna est; *Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus faciendo ea* Deut. XXVII, 28. A.S.

XXIV. Homini per peccatum *destituto*, suis residuis ruderibus inservit I. Illi redarguendo & peccati convincendo; Nam *scimus quæcunque Lex dicit iis qui in Lege sunt dicere, ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei; propterea ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus; per Legem enim est cognitio peccati* Rom. III, 19. & 20. Rom. IV, 15. *Ubi non est Lex ibi nec trangressio est.* II, Eidem denunciando justum Dei judicium, unde dicitur *Lex iram efficere* Rom. IV, 15. & Legis ministerium *Mortis ministerium in literis* appellatur 2 Cor. III, 7. Et hinc ille Israëlitarum tantus pavor cùm Lex promulgaretur, *ut qui audirent cum excusatione peterent ne amplius sibi fieret sermo* Heb. XII, 19. III. Frænum externæ disciplinæ ipsi imponendo, quo saltem societates humanæ in mera latrocinia non abeant; Quo sensu monet Paulus *Legem justo positam non esse, sed sceleratis & subjici nesciis, impiis & peccatoribus* &c. 1 Tim. I, 9.

XXV. Ho-

a *Absolutè Lex obligat.* b *Sub gravissima pœna.* c *Estque hac Lex norma aliarum.* d 2. *Respectivus, in homine* Instituto. e Destituto.

XXV. (*a*)Hominem denique per gratiam *restituendum* vel *restitutum*, I. Ad Chrstum suis terroribus & minis adducit; Nam *finis Legis est Christus ad justitiam cuivis credenti* Rom. x, 4. Estque *Lex pædagogus noster ad Christum ut fide justificemur* Gal. III, 24. quod licet de cæremoniali potissimum dicatur, etiam ad moralem suo sensu pertinet. II. Ad veram humilitatem format sensu imperfectionum & infirmitatum suarum, quas ex ea pleniùs novit; *Peccatum non cognovi*, inquit Paulus, *nisi per Legem, nam ipsam quoque cupiditatem non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces* Rom. VII, 7. ut sic abjectâ propriæ justitiæ & meritorum fiduciâ, in sola Dei Misericordia per Christi meritum acquiescat, dicendo cum Davide, *Ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non justificabitur coram te ullus vivens* Psal. CXLIII, 2. & cum Paulo, *Certè duco omnia damnum esse propter eminentiam notitiæ Christi Iesu Domini mei, propter quem omnibus istis me ipsum multavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam, & comperiar in eo non habens meam justitiam quæ ex legè est, sed eam quæ est per fidem Christi, id est justitiam quæ est ex Deo per fidem* Phil. III, 8. 9. III. Non solùm coërcet ut irregenitos, sed regit ac dirigit in viis Domini, eique est pro exemplari & idea novæ vitæ, ad quam se novit per Christum evocatum, & cui omni ope studet; *Porrò finis mandati est charitas ex mundo corde & conscientia bona & fide minimè simulata* 1 Tim. 1, 5.

XXVI. Itaque Homo integer erat sub Benedictione Legis; corruptus ejus Maledictioni subest; & pius ac regenitus illius Directioni. (*b*)Unde intelligitur quid de *Possibilitate* Legis sit statuendum: Nam Homini integro, qui acceperat posse si vellet, non erat difficilis: Hominem verò corruptum & sub peccato mortuum, censemus ita *viribus* destitutum, ut dicitur Rom. v, 16. ut nec *velit* nec *possit* subjici Legi Dei Rom. VIII, 7. eamque esse *legis impotentiam*, ita eam *viribus destitutam in carne* Rom. VIII, 3. ut *sine Christo nihil possimus* Joh. xv, 5. ne quidem *quicquam cogitare* verè boni 2 Corinth. III, 5. nedum præstare; cùm *arbor mala fructus bonos ferre nequeat* Matth. VII, 18. tantum abest, ut quod voluêre

P. falsô post Pelagium plurimi Pontificii, possit naturæ corruptæ viribus quoad substantiam operis omnia præcepta Moralia servare: Unde corruit quicquid Scholastici de meritis *ex congruo*, præviis ad fidem & gratiam dispositionibus, aut Ethnicorum salute, perperam deblaterarunt.

XXVII. (*c*) Umbratiles enim Ethnicorum virtutes nihil aliud fuêre quàm splendidiora vitia; quoniam *quicquid fit absque fide peccatum est* Rom. XIV, 23. & *sine fide impossibile est placere Deo* Hebr. XI, 6. Unde non potuerunt ejusmodi operibus quippiam mereri apud Deum, aut consequi salutem æternam; *Vnusquisque recessit, omnes simul putidi facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vel unus* Psal. XIV, 3. Rom. III, 12. Quare etsi talia opera irregenitorum habeant *bonitatem* aliquam externam, præsertim comparatè loquendo ad cœteros minùs honestè viventes, tamen nec habent *bonitatem* absolutè moralem Lege Dei præscriptam, quâ Deo placeant; nec bona ac justa dici possunt à quibusdam à Lu- L.
theranis bonitate & justitiâ legis naturæ, etsi non bonitate & justitiâ legis per Mosem latæ; cùm Lex naturæ in idea & in se, eadem sit cum Lege Decalogi; in subjecto verò, hoc est in homine corrupto & multimodè depravato, non possit statui norma adæquata alicujus bonitatis & justitiæ univocæ.

XXVIII. Nec tamen propterea quod Legem servare homini corrupto possibile non est, (impotentiâ non diminutâ & secundum quid, sed totali & absolutâ, suoque sensu physicâ ac naturali, licet *objectivè* moralis dici possit;) aliqua injustitiæ labes aspergitur Deo, obedientiam nihilominus ab illo exigenti. Nam in Lege Dei, homo consideratur qualis debuisset permansisse, non qualis voluntario lapsu factus est; Non excidit creditor jure suo, etsi debitor qui sua prodigè dilapidavit, non sit amplius solvendo. Lex quoque homini corrupto est norma officii non virium mensura: neque illâ dicendum hominem simpliciter obligari ad impossibile, sed tantùm secundum quid, quatenus hanc culpabilem & insuperabilem impotentiam, peccato suo sibi ultrò accersivit.

XXIX. (*d*)Non magis audiendi qui possibilitatem Legis implendæ, saltem fidelibus & regenitis tribuunt, ut faciunt post Pharisæos & Pelagianos, Sociniani, Anabaptistæ, Swenckfel- S A.
diani, Pontificii, &c, licet non tam rotundo ore, F P.
ipsi Arminiani: Ab hoc errore procul erit, qui R.
attenderit ad omnium seculorum & hominum experientiam, naturam obedientiæ exactissimæ quam Lex requirit, à qua vel sanctissimi in hac

a Restituto *ac* restituendo. b *Eâ occasione tractatur quæstio de* Possibilitate *legis*. c *Opera* irregenitorum *mala*. d Regenitorum *semper imperfecta*.

vitæ plurimum distant, Redemptionis nostræ per Christum necessitatem, & innumera Scripturæ loca hanc impossibilitatem plenè adstruentia; *Non justificabitur coram te ullus vivens* Psal. CXLIII, 2. *Non est enim homo qui non peccet* 1 Reg. VIII, 46. *Nonne Moses dedit vobis Legem, & tamen nemo ex vobis præstat Legem?* Joh. VII, 19. *Notum igitur sit vobis fratres annunciari vobis remissionem peccatorũ per istum, & ab omnibus quibus non potuistis per Legem Mosis justificari, per hunc credentem quemvis justificari* Act. XIII, 38. 39. *Scimus Legem esse spiritualem, at ego carnalis sum venditus ut subjicerer peccato* Rom. VII, 4. *Quæ Legis erat impotentia quùm viribus esset destituta in carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne* Rom. VIII, 3. *Quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt* Gal. III, 10. Et *si per Legem est justitia, Christus sine causa mortuus est* Gal. II, 21. *Quisquis totam Legem servaverit, impegerit autem in uno, damnas factus est omnium* Jac. II, 10. *In multis impingimus omnes* Jac. III, 2. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est* 1 Joh. I, 7.

XXX. Agnoscendum equidem, hominem Spiritu Sancto renatum, eam accepisse gratiam juxta quam incipiat novam vivere vitam, & tum actus externos, tum affectus internos, ad Dei Legem componere; sed non potest fieri ut in hac mortalitate eam sic exactè impleat, ut nec dicto, nec cogitato, vel latum unguem recedat ab ejus rigore: *Gravia* quidem *non sunt præcepta Dei* 1 Joh. V, 3. homini regenito; sed tum quà & quousque regenitus est; sic enim *delectatur Lege Dei quoad interiorem hominem* Rom. VII, 22. tùm quatenus Christi beneficio, cujus *jugum* est *suave* Matth. XI, 30. non amplius subest rigidæ illi Legis exactioni sub maledictionis pœna, sed certus est admittendos debiles suos conatus inchoatæ istius obedientiæ; nec graduum perfectionem à se nunc exigi, à Patre misericorde & & condonante liberaliter in Christo, sed qualemcunque partium; quippe qui non suorum operum meritis & intrinsecâ dignitate, sed solâ gratiâ Dei per Christum, debeat consequi vitam æternam.

XXXI. Neque tamen hoc pacto destrui sive irritum fieri Dei Legem, sed potiùs *stabiliri*, docet Paulus Rom. III, 31. Est quidem abrogata omnibus hominibus quoad vim justificandi; siquidem *ex operibus Legis nulla caro justificabitur* Rom. III, 30. *Quin si per Legem est justitia, Christus sine causa mortuus est* Gal. II, 21. cùm tamen *si data fuisset Lex quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia* Gal. III, 21. Sed infidelibus ac irregenitis sub ejus condemnatione & maledictione remanentibus, soli fideles ab illius tùm malectione, tùm rigida & severa exactione, ita sunt liberi, eò quod non sint amplius *sub Lege sed sub gratia* Rom. VI, 15. atque *mortificati Legi in corpore Christi*, & *à Lege liberati mortuo eo in quo detinebantur*, nempe peccato, prout Lex *tantisper dominatur homini quoad ipse vixerit* Rom. VII, 1. 4. 6. qui *Spiritu ducuntur non sunt sub Lege* Gal. V, 18. ut interea, quicquid contra strepant Antinomi, æternùm mansura sit (nam *usquedum præterierit cœlum & terra jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege* Matth. V, 18.) quatenus & norma est δικαίωμα τῷ Dei, quod Christi morte in nobis impletur; *nam quæ Legis erat impotentia cùm viribus esset destituta in carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, condemnavit peccatum in carne, ut jus illud Legis compleatur in nobis* Rom. VIII, 3. 4. & officium à nobis præstandorum certissima regula; quamvis magis nobis detur in hac vita eum scopum anhelare, quam pertingere.

XXXII. (*a*) Atque hinc liquet, cur Legem suam per Mosem distinctiùs denuo Deus promulgari voluerit; nempe ut hominibus suum δικαίωμα exponeret, mandatorum suorum autographum integrum exstaret, corruptis jam & depravatis non uno modo cordium apographis, ac suos per Legem ad Christum deduceret & iterum à Christo ad Legis officia revocaret; Quare & *propter transgressiones per manum Mediatoris data* dicitur Galat. III, 19. & præfationem habuit suo modo Euangelicam, *Ego sum Iehova Deus tuus qui eduxit te è domo servitutis* Exod. XX, 2. & tabulæ testimonii in Arca reponebantur sub Propitiatorio, quò constaret Legis transgressiones tegendas propitiatione quæ est in Christo; & Legis promulgatio sequuta est liberationem ex Ægypto, quia Deus beneficiis suis nos ad obedientiam vocat. *Illuxit* enim *gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus, erudiens nos ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti sæculo* Tit II, 11.12.

XXXIII.

a *Cur eam iterum* promulgari *Deus voluit.*

XXXIII. (*a*) Lex moralis, ut ad eius *Partes* transeamus, *duabus* constabat *Tabulis* scriptis *digito Dei* Exod. xxxi, 18. idque *hinc inde* sive *à binis paginis suis*; *Erantque tabulæ istæ opus Dei & scriptura Dei erat insculpta tabulis* Exod. xxxii, 15. 16. Quin prioribus per Mosem præ irâ *abjectis* & *confractis sub ipso monte* Exod. xxxii, 19. debuit alias duas *similes illis dolare*, ut Deus iis *eadem verba inscriberet* Exod. xxxiv, 1. Ejus enim est suas leges cordium nostrorum tabulis, Spiritus sui digito pariliter inscribere, juxta novi Fœderis sanctionem; *Indam Legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus & ipsi erunt mihi populus* Jer. xxxi, 33. Has
J. tabulas sapphirinas fuisse, ut volunt Judæi, tam incertum est, quam vanum quod dicunt aliqui ex illis, Legis Scripturam bis mille annis ante Creationem mundi extitisse, literis ignis nigri super dorso ignis candidi; vel alii, Scripturam Legis fuisse creatam cum novem aliis rebus sextâ feriâ, idest pridie Sabbathi. Correspondebant hæ duæ numero tabulæ partibus duabus essentialibus hominis quæ Legi Dei sunt mancipandæ; *Nam empti estis pretio; glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ sunt Dei* 1 Cor. vi, 23. Et earum prior pietatem erga Deum, altera justitiam erga proximum spectabat, quò nos Christus ipse ducit propositâ Legis epitome Matth. xxii, 37. 38. quam retulimus suprà §. 7.

XXXIV. (*b*) Decem verò habebat præcepta; *Inscripsitque Iehova tabulis verba fœderis hujus, decem illa verba* Exod. xxxiv, 28. *Ipse indicavit vobis fœdus suum quo præcipiebat vos observare decem illa verba, & inscripsit ea duabus tabulis lapideis* Deut. vi, 13. Unde δεκαλόγȣ nomen Græcum, correspondens, Hebræorum *Ascherath Hadebarim*; qui numerus ut mysticus plerumque in Scripturis, ita perfectionem potissimùm videtur significare. Illis autem intelligendis hæ sunto regulæ; I. Legem esse *spiritualem* Rom. vii, 14. nec solùm externas actiones moderari, sed intimos cordis & affectuum motus ac recessus. II. Præceptorum Legalium alia esse affirmativa, alia negativa; in illa peccari omissione, commissione in hæc; illa obligare semper, sed non ad semper; hæc semper & ad semper. III. Uno vitio prohibito, cætera ejusdem generis ei-ve analoga & quæcunque eò spectant vel ducunt, per synecdochen prohiberi; ut verbi gratiâ, præcepto de non mœchando, prohibetur quilibet aspectus mulieris alienæ ad eam concupiscendam; *Quicunque aspicit mulierem ut eam concupiscat jam adulteravit eam in corde suo* Matth. v, 28. Quod è contrario de virtutibus & officiis statuendum. IV. Quæ expressè sunt negativa, implicitè esse affirmativa, & viceversa. Denique secundam tabulam cedere primæ & dilectionem proximi amori Dei subjici.

XXXV. Horum decem præceptorum, sex posteriora pertinent ad secundam tabulam; ad primam quatuor priora; Ita ut nec primum consistat in præfatione Legis, ut quidam volunt, & secundum sit de simulachris non habendis: P.
Pontificii tamen, ut hoc dispungant, tria tantùm assignant primæ tabulæ, septem secundæ, perperam ultimum de Concupiscentia in duo dispescentes; atque sic in prima, subtractione, in secunda, divisione vitiosâ, peccantes. Eos hîc sequuntur Lutherani, vix alio fine quàm ut sta- L.
tuas & imagines, quarum aliàs cultum detestantur, tolerari & retineri posse, saltem quoad usum historicum, licet cum præsenti & perpetuo periculo idololatriæ in plebe, mordicùs pertendant.

XXXVI. (*c*) Primum præceptum est de Diis alienis non habendis coram Domino, quò ipse solus pro Deo agnoscatur & colatur: Violatur hoc præceptum, Atheismo, Polytheismo, Magia, ac in genere Religioso cultu creaturarum, qui *Adorationis* nomine vulgò exprimitur; in quo dum multipliciter peccant Pontificii, reli- P.
giosâ adoratione Angelorum, Sanctorum, Imaginum, Reliquiarum, Hostiæ consecratæ, Papæ ipsius, ut taceamus paradoxa quæ fovent de adorabilitate cujuslibet Creaturæ seposito scandalo, imò & Diaboli ipsius formâ Crucifixi apparentis, teterrimæ Idololatriæ litant; Cujus crimen frigidis & ineptis distinctionibus adorationis *duliæ & latriæ, mediatæ & immediatæ, directæ & relativæ*, omni fundamento destitutis, nunquam eluent, contra expressum Christi dictum Matth. iv, 10. *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies.*

XXXVII. Neque possunt dicere, se creaturas illas *theoretice* pro Diis non habere; Satis enim est eas *practi* è ipsis esse pro Numinibus, & quod δȣλεύσι *iis qui naturâ dii non sunt* Galat. iv, 8. Nec Christum Ariani, nec Christum hominem Nestoriani, pro Deo habebant, quos ta-

a *Legis* Partes; Tabulæ *duæ*. b Præcepta *decem*. c Primum. *Ejus violatio*.

men Antiquitas ideo idololatriæ insimulavit, quod, negatâ illius Divinitate, honores divinos ei deferrent. Tum Missaticum suum Deum, vel Deum *Maozim*, pro summo Numine habent, Papam Dominum Deum salutant, Sanctos Divos & Deos dicunt, eorum Canonizationes *Apotheoses* appellant: in eorum cultu revocant Ethnicismum, & templis, votis, festis, precibus, incenso, & cultu simpliciter Divino, illos colunt.

XXXVIII (*a*) Officia præscripta hac lege sunt, I. Vera Dei agnitio ex ipsius Verbo. II. Timor ejus & reverentia filialis ex vera Fide. III. Amor in illum serius. IV. Spes & fiducia in illo solo reponenda. V. Obedientia constans & plena. VI. Patientia in adversis. VII. Invocatio & gratiarum actio. Denique omnia munia veræ Religionis, quæ immediatè nos Deo religat, nullamque patitur meram Creaturam inter nos & illum interponi. S. Falsum est quod Sociniani fingunt, additamentum huic præcepto factum sub Euangelio, lege de Deo invocando; (quùm ipsi Judæi id statutum velint sexto suo præcepto affirmativo Exod. XXIII, 25. *Coletis Iehovam Deum vestrum*; cui addo Psal. L, 15. *Invoca me tempore angustiæ, & eripiam te ut honore afficias me*; & Esa. LV, 6. *Requirite Iehovam cum præsto est, invocate eum cùm est propinquus:*) necnon de certa Orationis forma; Deo item per Jesum colendo, & ipso Iesu adorando; Quia Oratio Dominica non est magis auctarium Legis Moralis, quàm Davidis Psalterium; & nunquam fuit Deus uti par erat religiosè invocatus, nisi nomine Christi, etiam sub V. T. cùm *non sit aliud nomen sub cœlo datum inter homines per quod oporteat nos servari* Act. IV, 22. & ipse ceu Patri ὁμοούσιος, ex hoc primo præcepto semper fuit adorandus.

XXXIX. (*b*) Secundum est de Simulachris in Religione non habendis nec colendis; quod dum Pontificii apud populum in Horis quas vocant, P. Missalibus, Ritualibus, aliisque libris Usualibus, suppressum eunt, palam agnoscunt se illius violati reos esse, & sic teterrimi sacrilegii contra expressissimam Dei sanctionem, *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo* Deut. IV, 2. Christo insuper dicente quod *quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis & ita docuerit homines minimus vocabitur in regno cœlorum* Matth. V, 19. Nec potest haberi pro appendice præcedentis; cùm in illud peccetur hoc incolumi, ut Lacedæmoniorum, Persarum, Romanorum, diuturno exemplo patet, qui simulachra aversi, verum Deum tamen nec agnoscebant nec colebant; & hoc quoque posse violari, præcedenti utcunque manente, docet vitulus Israëlitarum in deserto, de quo *dixerunt, hi sunt Elohim tui ô Israël qui eduxerunt te è terra Ægypti*, & Aaron exstructo altari *coram eo* proclamavit dicendo, *festum Iehovæ cras esto* Exod. XXXII, 4. 5. Unde dicuntur mutasse *honorem suum in formam bovis comedentis herbam* Psal. CVI, 23. planè quo modo de aliis dicitur Rom. I, 23. quod *mutarint gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis & volucrium & quadrupedum & reptilium:* Idem docent vituli Jeroboami ac decem tribuum quos Dane & Bethele collocarunt, ne ultra populus Jerosolymas ascenderet I Reg. XII, 28. 29. ut & Idolum Micæ, cujus mater Jud. XVII, 3. profitetur *se omninò sanctificasse istud argentum* (ex quo fusum fuit) *Iehovæ ad faciendum sculptile & fusile.* Hi sanè omnes in fusilibus & simulachris suis verum Deum colere voluerunt.

XL. Absurdè quoque volunt Pontificii plurimi, & qui cum illis facit Grotius, fuisse hoc P. mandatum juris positivi, quod solos Judæos spectaret, & Christianos post Christi incarnationem non obliget; cùm tamen non minus N. T. quam V. Scriptura idololatriam omnem detestetur; Nam *Idololatræ* I Cor. VI, 9. 10. accensentur iis qui *regni Dei hæreditatem non possidebunt*; Et Johannes his verbis clausit suam priorem epistolam, *Filioli cavete vobis ab Idolis*, sive ut habet V. V. *à simulachris* I Joh. V, 22. Absurdiùs distinguunt inter *imagines* & *idola*, cùm ipsa Vulgata Versio hanc distinctionem respuat Deut. IV, 18. ubi Deus prohibet fieri *sculptam similitudinem aut* IMAGINEM *masculi vel fœminæ*, & Esaiæ. XL, 18. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Quin ipsæ voces Hebreæ *Themunah* & *Pesel*, quodvis simulachrum denotant. Unde non solum Ecclesia Judaica suo tempore, sed etiam olim Christiana omne simulachrorum genus in cultu Dei est aversata.

XLI. (*c*) Peccatur autem in hanc legem, non solùm ἐθελοθρησκείᾳ & superstitione qualibet, cùm videlicet aut colitur Deus aliter quam præscripsit; nam *frustra me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum* Matth. XV, 9. & ex pro-

a *Officia.* b Secundum. c *Ejus violatio.*

professo ipsa ἐθελοθρησκεία damnatur Coloss. II,23. aut res ad Dei cultum destinatæ aliter quam par erat usurpantur, & ritibus externis vis quædam & efficacia quasi physica & *ex opere operato* adscribitur; sed maximè Idololatriâ sensibili & externâ, cùm simulachra religionis causâ eriguntur, retinen-
L. tur & coluntur. Ut etiam Lutherani altare Damascenum tueantur, dum imagines sic colendas negant, ut tamen eas in templis velint tolerari, cùm potiùs authoritate publicâ amoveri & disjici debeant; ut factum à rege Ezechia qui *amovit excelsa fregitque statuas & excîdit lucum; contudit etiam serpentem æneum quem fecerat Moses, eo quod usque ad dies illos Israëlitæ adolerent ei* 2 Reg. XVIII, 4.

XLII. Quaslibet quidem picturas & imagi-
M. nes damnari, ut fit à Mahumete, non est æquum; cùm suum habeant usum politicum & œconomicum, ad commemorationem, commonitionem, delectationem & ornatum; sed illæ demum damnandæ quæ ad Religionis cultum fiunt
P. & habentur. In quo multipliciter peccant Pontificii: I. Fabricâ imaginum Dei & S. Trinitatis, contra expressam Scripturam. *Cavebitis vobis ipsis valde; nam non animadvertistis ullam similitudinem quo die alloquutus est Iehova vos in Horeb è medio illius ignis, ut non corrumpatis vos & faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulachri, formam maris aut fœminæ, formam ullius animalis &c.* Deut. IV, 15. 16. 17. Sic Act. XVII, 29. *Progenies Dei cum simus, non debemus existimare auro & argento aut lapidi, sculpturæ artificii & excogitationis hominum, numen esse simile.* Adde citata loca §. 39. & 40. ex Esa. XL, 18. & Rom. I, 23. II. Imaginum in templis erectione & collocatione, ut sint cultus religiosi non instrumenta modò sed objecta; quod tamen & veteri Ecclesiæ inusitatum & Lege Dei Judæis prohibitum fuisse, haud pauci ex illis confitentur. III. Earundem veneratione & cultu planè religioso, incensus, templorum, votorum, precum, adorationis, etiam latriæ; quam imaginibus Crucis & Crucifixi deberi communior est apud eos sen-
P. tentia: & qui ratiunculas Pontificiorum hîc contulerit cum excusationibus veterum Ethnicorum, deprehendet ovum ovo non esse similius.

XLIII. (*a*) Tertio mandato prohibetur Nominis divini profanatio; Non quod omninò illicitum sit jurare, ut malè olim Essæi, (ut saltem nonnullis placet) Manichæi, Pelagiani, docue-
P. runt, & Franciscani semper pertenderunt voto perfectionis cui se obstrinxerunt se ab omni juramento præstando arceri; ac hodie statuunt absolutè Anabaptistæ, nec dissentiunt penitùs Soci- A.S.
niani, Christiano nefas esse jurare; contra expressam Scripturam; *Iehovam Deum tuum timeto & ipsum colito & per nomen ipsius jurato* Deut. VI, 13. *Quin jures vivit Iehova verè, ritè, & justè* Jer. IV, 2. Cui succinunt exempla frequentia Dei ipsius ac hominum piorum in utroque Testamento; Imò & ipse Christus à Pontifice *adjuratus* Matth. XXVI, 63. respondere non detrectavit; Ac sicut etiam sub N. F. juratum iri per *Deum firmi*, idest populi in Deo radicati, prædicitur Esaiæ LXV, 16. ita regula Pauli etiamnum obtinet, *homines per eum jurare qui sit major, atque iisdem omnis controversiæ terminum esse jusjurandum ad confirmationem adhibitum* Hebr. VI, 16. Sed ut præcipitur hoc mandato Nominis Divini Sanctificatio in omnibus, tùm quoad affectum, tùm quoad effectum, ita interdicuntur, I. Blasphemiæ quælibet, severissimè puniendæ; prout occasione illius hybridæ ex Ægyptio & muliere Israëlitide nati, qui in contentione cum suo proximo *nomen Dei* blasphemaverat, disertè cavetur ut *qui exsecratur nomen Iehovæ, tam peregrinus quam indigena, morte afficiatur & lapidibus obruatur à toto cœtu* Lev, XXVI, 16.

XLIV, II. Abusus Nominis Dei & Verbi ipsius in rebus illicitis, ut fit in Magicis carminibus, in adjurationibus variis & consecrationibus aut potiùs execrationibus Pontificiorum, votis eorum P.
Monasticis, & in genere ab iis qui ad res superstitiosas vel ludicras Scripturam transferunt. III. Juramenta temeraria & levia ex privata authoritate & citra sonticam causam, ut & quæ per Creaturas fiunt, quæ perperam excusabant Pharisæi, Pontificiorum in eo πρόδρομοι, & de P.
quibus intelligendus est locus Matth. V, 34. & Iac. V, 12. *Ne jurate omninò, neque per cœlum neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum.* V. Perfidia, sive fidei, quà publicè quà privatim datæ, in re aliàs nec turpi nec omninò illicita, violatio; atque falsa juramenta & perjuria quælibet; Nam ascensurus in montem Iehovæ est *innocens manibus & purus animo, qui non effert ad vanitatem animam suam neque jurat ad fraudem* Psal. XXIV, 4. *Esto sermo vester etiam, etiam, non, non: quod autem supra hæc redundat à malo est* Matth. V, 37. Qui sanè *quotiescunque loquitur mendacium de suo loquitur, quia mendax est & pa-*

a Tertium. b *Ejus Officia & Violatio,*

& pater ille mendacii Ioh. VIII, 44. V. Imprecationes temerariæ ex odio privato adversus inimicos conceptæ; *Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt & persequuntur vos* Matth. v. 44.

XLV. Ut violati hujus præcepti non possunt P. verè accusari (prout fit in Papatu) qui votis Monasticis renunciant, quò libertatem Euangelicam amplectantur, cùm in turpi voto sit mutanda sententia, & pessimè præstetur quod contra Dei P. verbum juratum fuerit; sic variè Pontificii impingunt in illud, jurando per Creaturas, æquivocationes ac retentiones mentales etiam coram Magistratu propugnando, statuendo non necessariò fidem servandam esse hæreticis, & mille modis perjuria facilitando, juramenta temeraria extenuando, ac blasphemias graves peccatis venialibus annumerando, ut in eorum Casuistis videre est.

XLVI. (a) Quarto mandato Sabbathi Sanctificatio præcipitur; in quo licet determinatio diei juris fuerit positivi, res tamen mandata, uti antea dictum, juris est naturalis; Quin finem habuit non tantum spiritualem, Sacramentalem & mysticum, sed etiam politicum & naturalem, cujus respectu etiam exteri & proselyti domicilii ad illius observationem inter Israëlitas tenebantur: Et cum authoritate Christi, *primo die hebdomadis* quo resurrexerat, & iterum *octo post diebus* apparentis suis discipulis Ioh. XX, 19. 26. ac exemplo & praxi Apostolorum atque Apostolicæ Ecclesiæ, quæ *primo die hebdomadis* conveniebat ad *frangendum panem*, idest Eucharistiam celebrandam, Act. XX, 7. & *collectas* faciendas in usum pauperum 1 Corinth. XVI, 2. unde etiam, maximè à Dominica resurrectione, hic dies *Dominicus* dicitur Apoc. 1, 10. non quidem abrogatum sit S. penitùs Sabbathum, ut volunt Sociniani, sed variis de causis translatum in diem Dominicum sive Solis, sublato tamen rigore illo ad quem Judæi adstringebantur, tùm ipsâ Dei Lege cæremoniali, tùm innatâ superstitione, quâ ritus aliàs satis difficiles sibi fecerunt difficillimos; (b) nos quoque ad illius diei Sanctificationem tenemur, ut scilicet à laboribus & operibus externis ac ordinariis cessantes, quantum fieri potest, eum tum quieti, tum maximè cultui Divino, quà publicè quà privatim, impendamus.

P. XLVII. (c) Impingunt in eam legem Pontificii, I. Quod contra concessionem nobis divinitùs factam sex dierum ad opus nostrum, plusquàm tertiam anni partem festis tyrannicè dicarint. II. Quòd festos istos dies suos, more Ethnico, in Creaturarum honorem & cultum celebrent. Magistratuum porrò & Pastorum est dare operam ne Sabbatha Domini, operibus aut sæcularis vocationis citra necessitatem susceptis, aut quod pejus est carnis & mundi, cujusmodi sunt choreæ venereæ, lascivæ comœdiæ, cauponæ & comessationes in illis insolentes, aliaque improbæ petulantiæ genera, profanentur; *Quod si non auscultaveritis mihi ut sanctificetis diem Sabbathi & non portetis onus ingrediendo in portas Ierosolymorum die Sabbathi, utique accendam ignem in portis ipsius, qui consumet palatia Ierosolymorum & non extinguetur* Jer. XVII, 27. Quamvis enim hæc sint accommodata temporibus legis Cæremonialis, quæ nunc cessat, cùm *Sabbathum sit propter hominem factum non homo propter Sabbathum* Marc. II, 27. & nunc ab illa onerosa & scrupulosa observatione & cessatione Sabbathica simus liberati; unde carpuntur Galatæ quod *dies & menses & præstituta tempora & annos observarent* Galat. IV, 10. nec vult Apostolus nos damnari *ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut Sabbathorum* Col. II, 16. tamen rectu non carebit Sabbathi nostri profanatio, per opera carnis & tenebrarum quæ enotavimus.

XLVIII. Quia autem eo die potissimum sacri cœtus sunt frequentandi, *Non deserentes* (inquit Paulus) *aggregationem nostri mutuam sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes alii alios* Hebr. x, 25. statuimus illis habendis Templa meritò ædificari; in quorum constructione nihil superstitiosè affectandum, & cavendum præsertim ne, sicuti obtinet apud Pontificios, vel in P. Creaturarum honorem idololatricè, vel in Sacrificiorum propriè dictorum usum, erigantur, & altaribus lapideis, Ethnico more, instruantur. Quamvis autem altaria ista sint authoritate publicâ diruenda, Templa tamen quondam idolis & creaturis consecrata, ad pios & sanctos usus & cœtus publicos retineri possunt, quicquid contra delirent Præcisistæ & Brownistæ: Nec ideo pu- F. tandum cum Pontificiis, preces privatas efficacio- P. res esse in templo, quam domi aut in loco privato; reclamante Christo cùm ait, *Tu cum precaris introito in conclave tuum* (contra quam faciunt hypocritæ *qui amant in conventibus & in angulis platearum stantes precari, ut appareant hominibus*

& clau-

a Quartum. b *Ejus officium &* c *Violatio.*

& clauso ostio tuo precare Patrem tuum in occulto, & Pater tuus qui te aspicit in occulto reddet tibi in propatulo Matth. VI, 5. 6. Item, *Venit tempus quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem*, sed ubique, absque discrimine locorum, *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu ac veritate* Joh. IV, 21. 23.

XLIX. (*a*) Mandato quinto, quo incipit secunda tabula, estque *præceptum primum cum promissione* speciali Ephes. VI, 2. Parentum, & sub eo nomine quorumlibet Superiorum in statu Civili, Oeconomico, Ecclesiastico, cultus & honos, soli naturæ rationali propter aliquam excellentiam debitus, commendatur (*b*) Sed quemadmodum Reverentiam, Obedientiam, Gratitudinem, debent inferiores superioribus, ita ab illis expectant Benevolentiam, Sedulitatem & Justitiam. Ad hanc Legem spurii quoque tenentur, etsi parentum vitio infamiâ notati; *Spurius ne venito in congregatione Iehovæ, etiam decima generatio ejus ne venito in congregatione Iehovæ*, ad aliquod scilicet munus publicum in ea sustinendum, Deut. XXIII, 2. Christus autem liberis non præcipit ἀστοργίαν dicendo, *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & uxorem & liberos & fratres & sorores atque etiam animam suam, non potest meus esse discipulus* Luc. XIV, 26. cùm illis suo exemplo ad officia erga parentes præluxerit, eo quod suis *erat subjectus* Luc. II, 51. & hoc mandatum inculcet inter cœtera Legis officia Matth. XIX, 19. ac vindicet à corruptelis Pharisaicis cùm ait, *Deus mandavit dicens, Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri aut matri morte moriatur; Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri, Donum est quocunque à me juvari posses, insons erit, etsi nequaquam honoraverit patrem suum & matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram* Matth. XV, 4. 5. 6. Sed tantùm vult ut Patris cœlestis authoritas semper præpolleat; *Qui amat patrem aut matrem supra me non est me dignus* Matth. X, 37.

P. L. (*c*) In hoc præceptum incurrunt Casuistæ Pontificiorum, statuentes debere filium suum quoque parentem in crimine hæreseôs inquisitioni deferre; aut posse eum, si tenuioris sit fortunæ, ore saltem abnegare; nec mortaliter peccare si maledixerit parenti, modò id non faciat ex animo: Sed & in communi docent, liberos posse parentibus invitis Monasteria subire; nec parentum consensum ad eorum nuptias nisi de honestate requiri: & quoad Magistratum Politicum, ei omnem in Clericos, aut si hęreticus fuerit, in cœteros quoq; abrogant authoritatem, eumque Pontifici suo, vel directè, vel indirectè, vel mediatè vel immediatè, hîc enim sibi non constant, per omnia subjiciunt. P.

LI. (*d*) Sextum prohibet homicidia, ac eo nomine omnem sanguinis humani effusionem, & necem quamlibet, vel ferro, vel veneno, vel dolo, vel vi, vel immediatè & per te, vel mediatè per alium, privatâ scilicet authoritate, & ex nequitia, odio ac vindictæ studio; & quaslibet aggressiones & injurias eò spectantes, omnesque animi vitiosos affectus & motus, invidiæ, odii, iracundiæ, vindictæ. *Audistis dictum fuisse à veteribus, Non occides, quisquis autem occiderit tenebitur judicio: Ego verò dico vobis, Quicunque irascitur fratri suo temerè, tenebitur judicio; quicunque verò dixerit fratri suo raca, tenebitur consessu; quisquis autem dixerit fatue, tenebitur gehennâ ignis* Matth. V, 21. 22. Hæc enim non à Christo addi Legi, ut volunt Sociniani, sed Lege contineri docemur S. 1 Joh. III, 15. *Quisquis odit fratrem suum homicida est.* Quin contraria hîc subintelliguntur officia; Proximum enim tueri, amare, defendere, omnemque vim injustam ei illatam, quantum possumus, propulsare, illique facere quod vellemus nobis factum, omninò tenemur.

LII. Hîc ergo interdicitur I. Stoica αὐτοχειρία, quocunque demum prætextu velata; cui tamen nolimus annumerare vel Samsonis factum, ultimam illam *ultionem de Philisteis* justè sumentis, in qua & ipse occubuit Jud. XVI, 28. 30. vel ei planè analogum eorum, qui, ut fidem dederant suo supremo Magistratui, maluerunt igne in pulverem pyrium injecto suas naves unà cum hostilibus perdere, quam turpem victoriam de se & suis navibus concedere hosti, ab ipso statim ignominiosè suspendendi; nec enim suum intendebant directè interitum, sed hostium cladem & bonum Ecclesiæ & Patriæ. II. Duellum sive Monomachia gladiatorum hujus ævi, qui se diabolo auctorant ad cædes, honori suo litant humano sanguine, in sua causa judices, testes & vindices esse volunt. III. Abortus per pocula medicata P. procuratio, licet eam licitam faciant nonnulli Jesuitæ, infamiæ vitandæ, idest revera celandi criminis, gratiâ. IV. Quælibet corporis voluntaria mutilatio, aut durior vexatio, qualis Flagellantium in Papatu. V. Eunuchismus puerorum & P.

a Quintum. b *Ejus Officia.* c *Violatio.* d Sextum. *Ejusque officia & violatio.*

aliorum, olim Ethnicis & adhuc hodie Mahumetanis in uſu, ob quem in ſe exercitum meritò P. carpitur Origenes, & quem Papa & Cardinales reſtituere incipiunt iis in pueris quos ad muſicam habent in deliciis, ne cum tempore ex uſu veneris vox eorum corrumpatur. Neque audiendi Pontificii ſtatuentes homicidam non eſſe qui hæreticum zelo Eccleſiæ occiderit; innocentium lanienas, qualis fuit Sanbartholomæana, legitimè factas; atque nobiles poſſe alios occidere ut honorem ſuum vindicent; nec mortaliter peccare qui ebrius, aut irâ ſic percitus ut apud ſe non ſit, alium occiderit; Sunt & multa alia eorum cruda paradoxa & planè inhumana, quæ apud Caſuiſtas legere eſt.

LIII. At ſicut illa Lex perperam à Manichæis & Tatianis ex Pythagorica diſciplina extendebatur ad res quaſlibet animatas, contra Scripturam concedentem homini in eſcam *tum omnia quæ calcant humum, tum omnes piſces maris*, ac *omne reptile quod vivum eſt* Gen. IX, 23. de quibus Petro apparentibus in grandi vaſe quod ex cœlo deſcendebat, ad eum clamabatur, *Surge, Petre, macta & ede* Act. X, 13. Ita nec ejus violatæ abſolutè reus eſt, qui in homicidium planè caſuale incidit; ut cùm lignator neſcius, viatorem, excuſſo ferro ſecuris è manubrio, occiderit; cui *ad unam civitatum* refugii aſylus concedebatur ſub Lege *ut viveret* Deut. XIX, 5. nec contravenit neceſſariæ ſui defenſioni, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ſive vis illata per vim incontinenti ſit repellenda, ſive apud Magiſtratum jus noſtrum proſequamur: Nec etiam privata vindicta & ultio quam Deus prohibet, *Ne obſiſtite improbo* Matth. V, 39. *Non ipſi voſmet ulciſcentes dilecti, ſed date locum iræ* Rom. XII, 19 cum legitima ſui & famæ ſuæ ac rerum ſuarum defenſione eſt confundenda. Maneant ergò Judicia capitalia in ſontes, etiam à piis Magiſtratibus, quicquid Anabaptiſtæ & Sociniani negent, exercenda; AS. *Qui effundit ſanguinem hominis per hominem ſanguis ejus effunditor* Gen. IX, 6. *Quod ſi feceris quod malum eſt metue* Magiſtratum: *non enim fruſtra gladium gerit; nam Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei qui quod malum eſt fecerit* Rom. XIII, 4. Maneat & illud, contra eoſdem, quodlibet bellum non eſſe abſolutè illicitum, nec militarem vitam, utut valde lubricam, homine Chriſtiano ſimpliciter indignam; ſiquidem ad milites rogantes quid facturi eſſent ut viam inſiſterent ſalutis, hoc ſolùm reſpondebat Johannes Baptiſta, *Neminem concutite, neque dolo opprimite, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris* Luc. III, 14.

LIV. (a) Mandatum ſeptimum, Adulterii nomine ſynecdochicôs comprehendit I. Omnem illicitum atque extra honeſtas nuptias concubitum; *Honorabile eſt inter quoſvis conjugium & cubile impollutum; Scortatores autem & adulteros damnabit Deus* Heb. XIII, 4. Hujuſmodi ſunt Concubinatus, etſi P. ei faveat palam jus Romanum & Pontificium; Scortatio quælibet; Fornicatio ſimplex ſoluti cum ſoluta, quam leviuſculis peccatis annumerant Pontificii, qui & lupanaribus publicis contra jus P. & fas patrocinantur; Conjugia clandeſtina; Raptus; Polygamia ſimultanea, (nam ſucceſſiva licita) ſive craſſior populorum Orientalium ferè omnium ac hodiernorum Mahumetanorum, ſive ſubtilior illa quæ obtinebat apud Græcos & Romanos, per licentiam Divortiorum, cùm priori conjuge dimiſſâ alia ſuper inducebatur; Stuprum quod honeſtæ aliàs virgini infertur vel viduæ; Inceſtus cum conſanguineis & affinibus inter gradus Lege Dei prohibitos; Thori alieni violatio, quæ propriè *adulterium* eſt, cujus & reus eſt qui ſponſam alienam corruperit; Onanis ac Sodomæorum iisque analoga muta ſcelera, omniaque illa nefanda crimina quæ Sodomiæ & Beſtialitatis nomine ſolent exprimi, & quorum fit mentio Levit. XVIII, 22. 23. II. Quoſvis turpes vel ſermones vel geſtus; *Nunc deponite etiam vos hæc omnia, iram, excandeſcentiam, malitiam, maledicentiam, verborum obſcœnitatem ab ore veſtro* Col. III. 8. & *Nullus ſermo putris ex ore veſtro egreditor* Eph. IV, 29. item *Ut interdiu compoſitè ambulemus, non in comeſſationibus* (μὴ κώμοις) *& ebrietatibus, non cubilibus & laſciviis* Rom. XIII, 13. Sub quibus petulantes choreas & turpes ludos ſcenicos comprehendi, ut & fucum faciei, & in veſtitu nimiam mollitiem ac luxum, nulli dubitamus. III. Quicquid Temperantiæ ac Sobrietati Chriſtianæ repugnat; Nam ut vulgò dicitur, Sine Cerere & Baccho friget Venus. *Ne inebriamini vino in quo luxus eſt, ſed implemini Spiritu* Eph. V, 18.

LV. Quin hîc prohiberi non ſolum fomenta quælibet incontinentiæ, ſed & internos illius affectus & motus, Chriſtus docet luculenter Matth. V, 28. *Quicunque aſpicit mulierem ut eam concupiſcat jam adulteravit eam in corde ſuo.* Nec enim novam Legem illic à Chriſto ferri, ut ſomniant Sociniani cum Pontificiis, ſed veterem vindicari, S. P. conſtat ex eo quod & omnis impuritas interdici-

tur

a Septimum, *quam latè pateat.*

tur Lev. XIX, 2. *Sancti estote quia sanctus sum*, & nominatim concupiscentia uxoris alienæ Exod. XX, 17. *Ne concupiscito uxorem proximi tui*; Ideo Job profitetur se *pepigisse fœdus cum oculis suis, ne adverteret animum ad virginem*; & *si pellectus fuit* (inquit) *animus meus ad mulierem, aut ad ostium proximi mei insidiatus sum, molat alteri uxor mea & super eam incurvent se alii* Job. XXXI, 9. 10. Sic & Prophetæ damnantur qui *ad uxorem proximi sui adhinniunt* Jer. V, 8. (*a*) Mandantur è contrario Pudicitia, Castitas, Modestia, Temperantia, & quælibet virtutes ad veram Sanctificationem mentis & corporis spectantes; *Nam hæc est voluntas Dei nempe sanctificatio vestri, ut abstineatis à scortatione, ut sciat vestrum unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore; non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum* 1 Thess. IV, 2. 4. 5. Item, *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam sine qua nemo videbit Dominum* Hebr. XII, 14. Ut autem huic (P.) Legi impurus & votivus Pontificiorum Cœlibatus adversatur, ac illa prohibitio matrimonii de qua 1 Tim. IV, 3. quæque illi habent contumeliosa haud pauca in honestas nuptias, sic & infinitas sordes eorum Casuistæ huc intulerunt & fovent Confessarii, quas referre nec pudor sinit, nec est animus.

LVI. (*b*) Octavum præceptum est de Furto non faciendo, quo nomine intelligitur rei alienæ lucri faciendi gratiâ contrectatio invito domino, sive clam, sive palam, sive vi, sive fraude, quæ in mercibus earumque pretio, aut mensuris & ponderibus, & contractibus quibuslibet intervenit. Quamvis citra rerum divisionem furtum aliquod videatur posse etiam committi, si quis quod omnium esset suum vellet facere, eam tamen propriè & accuratè loquendo hæc Lex supponit, ut & illa duo vocabula *Meum* & *Tuum*, quæ perperam (P.) Plato, & ex illo Pseudo-Clemens in jure Pontificio, ex hominum societate exstirpari volebant. Quot modis dominium acquiratur, doceant Jurisconsulti; satis est nec usuras, juxta modum à Magistratu præscriptum, posse annumerari mo- (P.) dis acquirendi illegitimis, ut fit à Canonistis & aliis nonnullis qui illos perperam sequuntur; siquidem ex parabola de *talentis* Matth. XXV, 27. constat non simpliciter improbari Domino danistarum & mensariorum fœnus, quod tunc erat in usu vulgari apud Judæos; & cùm Israëlitæ usuras potuerint sumere ab exteris, jure duntaxat positivo & sibi peculiari eas demum à se invicem exigere nequibant; *Extraneo dabis in usuram, fratri autem tuo non* Deut. XXIII, 20. ubi illa ipsa vox *Neschech* occurrit quæ legitur Psal. XV, 3. ut perperam à nonnullis distinguatur inter usuram mordentem & non mordentem, siquidem usura omnis semper aliquid admordet supra sortem principalem: Nec infidelitate, hæresi & apostasiâ, ut Pontificii malè statuunt, illud in foro externo amitti. (P.) (*c*) Neque simplex tantùm furtum hìc prohibetur, sed & qualificatum, etiam longè severiùs puniendum, cujusmodi sunt Sacrilegium, Plagium, Concussio, Peculatus, Stellionatus, Latrocinium.

LVII. (*d*) Hinc ergo collige, unicuique ex honesto labore vivendum; *In sudore vultus tui vescitor cibo* Gen. III, 19. *Si quis nolit operari, etiam non edito* 2 Thess. III, 10. nec otiosos, aut validos mendicantes, cujusmodi sunt Monachi, inutilia pondera terræ, esse in Rep. ferendos: Dolo (P.) malo in commerciis & negotiationibus ac contractibus abstinendum, cui tamen multifariàm patrocinantur Casuistæ Pontificii: Unumquem- (P.) que debere esse suâ sorte contentum, nec alieno inhiare; *Est enim quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento* 1 Tim. VI, 6. Parsimoniæ & frugalitati studendum: Pauperes non defraudandos aut opprimendos, sed eleemosynis sublevandos; quò spectat potissimum dictum Christi Luc VI, 35. *Mutuum date nihil inde sperantes*; quod cùm ipsam quoque sortem respiciat, frustra trahitur à Canonistis ad omnium usurarum condemnationem: Bonâ fide in suo munere (P.) versandum; Nec denique (licet paupertatem vovere & profiteri, ut fit à Monachis, sit absurdum) in opibus confidendum, aut illis inhiandum per avaritiam, utroque Testamento sæpiùs damnatam; ut illius prohibitio malè nova Lex Christi apud Socinianos statuatur; (S.) *Flecte animum meum ad tua statuta, neque sinas deflecti ad quæstum* Psal. CXIX, 36. *Ne fatiges te ut ditescas, à prudentia tua desiste; An facies ut involent oculi tui in ea quæ mox non sunt futura?* Prov. XXIII, 4. 5. *Videte & cavete ab avaritia; Nec enim cujusquam vita ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo sita est ut redundet* Luc. XII, 15. *Qui verò volunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & perniciem; siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt aberrarunt à fide, & seipsos undiquaque transfixerunt doloribus multis* 1 Tim. VI, 9. 10.

a *Virtutes eo præscripta.* b Octavum.
c *Vitia damnata.* d *Officia præscripta.*

Quomodo autem divitiis sit utendum, monet ibidem Apostolus, com. 17. & seq. *Iis qui divites sunt in hoc sæculo denuncia ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, sed in illo Deo vivo qui præbet nobis omnia copiose ad fruendum; ut sint benefici; ut divites sint operibus bonis; faciles ad impertiendum; facilis convictus; congerentes sibi pro thesauro fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam.*

LVIII. (*a*) Nono præcepto, non simpliciter prohibetur testimonium dici, etiam contra proximum ex zelo justitiæ, cùm sæpè res judiciariæ
A. hoc lumine egeant; ut nec Anabaptistæ aut
F.P. Franciscani simpliciter, nec Clerici Pontificii in causa sanguinis irregularitatis metu, aut Confessarii illius Communionis, in rebus sibi sub Confessionis sigillo, uti loquuntur, concreditis, si præsertim agatur de proximi vita, aut Regum & Rerumpublicarum salute & quiete, id jure recusare queant; (*b*) sed tantum prohibetur falsum stimonium, quo vitæ, honori, vel bonis proximi, ullo modo noceretur.

LIX. Simul autem prohiberi iniqua judicia, quaslibet sycophantias, calumnias, maledicentias & obtrectationes, quicquid denique veracitati & sinceritati repugnat, est certissimum; omnia enim à viro bono debent dici & fieri ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης, ut si falsum dicat nescius, non tamen mentiatur. Et quamvis mendacia jocosa & officiosa à perniciosis gravitate superentur, in illis tamen, licet Remonstrantes cum Socinianis
R.S. & nonnullis Veterum favorabiliùs hìc judicent, est etiam quædam deviatio à Veracitate, quæ saltem infirmitatis & corruptionis nostræ indicium est luculentum; unde illud elogium *Omnis homo mendax* Rom. III, 4. Licet etiam præceptum affirmativum de veritate dicenda non obliget ad semper, sed tantùm ubi gloria Dei & salus proximi & ratio justitiæ exigit, imò sint quædam ex officio tacenda, tamen nunquam licet mentiri, ut nec mendacia Stratagematis in bello licitis annumerare. Sic enim possunt occultari consilia, adhibitis iis signis aut factis externis quæ eò inservire etiam videbuntur, ut tamen verba contraria, fidei publicę obsignativa, cùm ex instituto communi & pacto certò significent, illic locum non habeant.

LX. (*c*) Decimo denique Concupiscentia damnatur, non in genere entis, sed in genere moris uti mala est; eaque non solum ut jam determinata per formalem consensum ad suum objectum cum quadam delectatione; sic enim Lex Dei, spiritualis cùm sit, talem concupiscentiam antea etiam prohibuit; (*d*) sed maximè & propriè illa quam *Originalem* aliqui vocant, & quam *esse peccatum* ipse Apostolus Paulus nonnisi *ex Lege* noverat Rom. VII, 7. cùm priorem etiam Philosophi Ethnici agnoverint & damnarint. Illa ipsa est de qua sic loquitur Jac. I, 14. 15. *Unusquisque tentatur dum à propria cupiditate*, vel concupiscentia, *abstrahitur & inescatur, deinde cupiditas postea-quam concepit parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem.* Ex uno hoc præcepto duo fieri non possunt, ut pertendunt Pontificii & Lu- P.L.
therani, cùm unicum mandatum de concupiscentia proferat Paulus, *Ipsam cupiditatem non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces* Rom. VII, 7. & si pro objectorum enumeratorum multitudine, præceptum sit multiplicandum, non duplex sed quadruplex aut quintuplex dici debebit; cùm non tantùm *domus* & *uxoris proximi* fiat mentio Exod. XX, 17. sed etiam *servi, ancillæ, bovis, asini* illius, denique *omnis* ejus quod ad illum pertinuerit: Et cùm in Exodo domus fiat mentio priusquam uxoris, ordo invertitur Deut. V, 27. ubi ita legitur; *Ne concupiscas uxorem proximi tui, neque expetas domum proximi tui, agrum ejus, aut servum ejus, aut ancillam ejus, bovem ejus, aut asinum ejus, denique rem ullam quæ sit proximi tui.* Quod si duo hic essent distincta mandata, eorum ordinem non invertisset Moses, nonum faciendo in Exodo quod decimum esset in Deuteronomio, & viceversa.

LXI. Hanc Concupiscentiam, quæ perperam ad solum αἰσθητικὸν refertur à Pontificiis, P.
cùm ad τὸ λογικὸν quoque pertineat, (nam *quod sapit caro mors est* Rom. VIII, 6. & *carnis* operibus annumerantur à Paulo, *Idololatriæ* & *hæreses* Galat. V, 20. quæ sunt superioris in anima facultatis ac ipsius mentis vitia) etiam in regenitis & post Baptismum, quamvis oppugnatam & consensu plenario destitutam, hactenus tamen tamdiu voluntariam, quamdiu est in motu, eò magis peccatum esse pertendimus contra eosdem, P.
quò hinc magis potest liquere doctrinam eorum de possibilitate Legis falsam esse; cùm agnoscant hos motus *primò primos* non esse in hominum potestate; Solvendo autem nemo esse intelligitur, ut docent JCti, nisi qui solidum solvere potest. (*e*) Inservit ergo hoc ultimum mandatum, I. Cupidita-

a Nonum. b *Ejus substantia.* c Decimum.

d *Quò maximè spectet.* e *Ejus Usus.*

ditatibus & desideriis ac motibus cordis nostri refrænandis. II. Præcedentibus præceptis in foro conscientiæ expressiùs explicandis & applicandis. III. Naturæ Legislatoris & obsequii Deo debiti meliùs denotandæ. IV. Infirmitati ac corruptioni nostræ ampliùs retegendæ, ut Pharisaico supercilio posito, omne nostrum meritum in Christi obedientia, omnemque nostram justitiam in remissione peccatorum potiùs quàm virtutum perfectione, collocemus.

LXII. Atque hæc de Lege Morali, *(a)* cujus breviarium dilectione Dei & proximi absolvitur, quæ debet esse sincera, vehementissima & constantissima, rectrixque & moderatrix omnium affectuum & operationum nostrarum. *(b)* Leges Divinæ Positivæ (nam de legibus humanis, non est quod hìc dicamus) per Mosem Judæis specia-tim latæ, fuerunt partim Forenses, partim Ceremoniales. Illæ officia Magistratuum & Subditorum in illa Republica certis constitutionibus determinabant, ac quomodo in externa symbiosi, publicè & privatim, tempore belli & pacis, esset versandum, sancitis pœnis corporalibus, significabant. *(c)* Hæ verò in ritibus religiosis, umbratilibus & typicis consistebant, quibus I. Ceu chirographo, victimarum sanguine conscripto, reatum suum confitebantur; Hinc dicitur Christus *delevisse* & *cruci affixum sustulisse è medio*, illud *rituum Chirographum* quod *adversum nos erat ac nobis subcontrarium* Col. II, 14. II. Tanquam pariete intergerino à Gentilibus & profanis sejungebantur, & in officio ac unitate cultus, ab Idololatricis abducti, continebantur; Quare Christus evocatis gentibus ad fœderis sui communionem, dicitur *utraque unum fecisse & intergerini parietis septum solvisse* Eph. II, 14. Et quoad Israelitas, *antequam venisset fides, sub Legis præsidio custodiebantur conclusi in eam fidem quæ erat revelanda* Galat. III, 23. III. Christus venturus præsignificabatur atque adumbrabatur; nam *Lex pædagogus noster fuit ad Christum* Gal. III, 14. erantque omnia illa ceremonialia *umbræ rerum futurarum, at corpus est Christi* Col. II, 17. ipsaque Lex *umbram duntaxat obtinuit futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum* Heb x, 1. *(d)* Porrò singularum Ceremoniarum examen instituere non est propriè hujus loci; Satis esto quod non malè ad quatuor capita referantur à Scholasticis; Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Observantias; sic ut priora ad cultum pertinuerint; secunda ad cultus instrumenta, loca & tempora; tertia ad colentium tam in ministris quam in populo consecrationem; quarta denique ad utrorumque conversationem, in cibis, vestitu & similibus.

LXIII. Forensium præceptorum à Moralibus distinguendorum non certior est regula, quàm si dicamus illa demum fuisse quæ singularem respectum habuerunt ad conditionem Judæorum magis quam cæterorum; reliqua vero Moralia censenda, quæ ad omnes æquè spectare possint. *(e)* Quare illa ad Christianos non pertinent sub ratione Legis specialiter obligantis, sed tantum sub ratione doctrinæ, quatenus vel generali suâ naturâ, vel proportionis æquitate, exhibere videntur nobis optimam juris naturalis determinationem. Adeòque falluntur qui putant iisdem pœnis hodie utendum in moralibus omnibus quæ statutæ erant jure Forensi Judæorum, ut nihil nunc sit capitale inter Christianos quod tunc tale non fuerit, & capite plectenda illa omnia veniant quæ tunc morte puniebantur. Nam ut crescentibus delictis crescere possunt pœnæ, prout alicubi contigit in furto, ita possunt nonnulla à Magistratu Christiano vel planè non puniri, vel saltem mitiùs, ut Idololatria, violatio Sabbathi &c. quæ sub rigida Mosis disciplina capitalia erant. Ceremonialis verò cultus Christi morte omninò abrogandus fuit, ut prædictum fuerat à Prophetis, *Tempore illo fore quinque civitates in terra Ægypti loquentes sermone Canaan*, & *altare Iehovæ* (quod sub Lege nefas fuisset) *in media terra Ægypti* Esaiæ XIX, 18. 19. Novum fœdus pangendum in manu Messiæ, *non secundum illud fœdus* quod Deus pepigerat cum Israëlitis, eos educendo ex Ægypto Jer. XXXI, 32. Ipsummet Messiam futurum *sacerdotem in seculum secundum ordinem*, non Aaronis, sed *Melchisedeci* Psal. CX, 4. Eum *aboliturum sacrificium & munus* quale obtinebat in cultu Levitico Dan. IX, 27. effecturumque ut *in omni loco suffimentum* spirituale precum, vice corporei & externi quod in Templo demum licebat offerre, *adferretur nomini Divino* Mal. I, 11. Et revera hunc cultum sic esse abrogatum, ut postliminiò revocari non possit aut debeat, Apostolicæ literæ fusissimè docent; *Ecce ego Paulus dico vobis si circumcidamini Christum nihil vobis profuturum* Gal. v, 2. Et dum Judæi Politiæ Mosaicæ & cultus Levitici restitu-

a *Legis Moralis* compendium b *Leges divinæ* Positivæ *sub V. T.* Forenses & Ceremoniales, c *Harum nominatim* Usus; d & Partes. e *Nec Forenses nec Ceremoniales amplius obligant.*

tionem frustrà sub suo Messia præstolantur, eo ipso produnt quam densum sit *velamen* illud super *eorum cordibus in lectione Veteris Testamenti*, de quo Paulus 2 Cor. III, 14. 15.

LXIV. Sed quamvis Ceremoniæ Leviticæ jam sint penitùs abrogatæ, nec ampliùs post Messiam exhibitum curandæ vel observandæ, tamen & earum Leges ad nos adhuc pertinent per modum doctrinæ, ex qua meliùs erudiamur, vel quid pro nobis præstiterit Christus, juxta typos qui de illo præcesserant, vel etiam quid in λογικῇ nostra λατρείᾳ, uti dicitur Paulo Rom. XII, 1. *sacerdotioque* illo *sancto* quod consecuti sumus *ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum* 1 Pet. II, 5. ac officiis moralibus plerumque in iisdem significatis, à nobis sit præstandum.

LXV. (a) Sub Novo Testamento, Leges Divinæ positivæ sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt observationis perpetuæ in Ecclesia, cujusmodi illæ sunt quæ ad Ministrorum ordinationem, Disciplinæ Ecclesiasticæ exercitium, & Sacramentorum administrationem atque usurpationem spectant: Aliæ verò nonnisi ad tempus obligarunt: (b) Hujusmodi fuit *suffocati* & *sanguinis* prohibitio Apostolica Act. XV, 29. Nam cùm non alio fine lata sit, quàm ut infirmitati credentium ex Judæis consuleretur, atque honorificentiùs Synagoga sepeliretur, cessante causâ cessare debuit effectus; nec pervicacitati hodi-
J. ernorum verporum concedendum esse, quod aliorum infirmitati olim dabatur, constat exemplo Pauli, Timotheum propter hanc circumcicidentis, Titum nolentis circumcidere propter illam.

LXVI. Quamvis enim non nescimus diu hanc constitutionem servatam fuisse in Ecclesia, & Canonibus etiam Conciliorum quorundam, atque nonnullorum Imperatorum Decretis, renovatam, imò & à Græcis Christianis, quin
M. à Mahumetanis ipsis ex Alcorani constitutione, in hunc diem servari, tamen nec satis prudenter facere arbitramur illos, qui cum doctissimo aliàs quodam viro, eam in Libertatis Christianæ grande præjudicium volunt restituere; nec dubitamus illam non modò sanioris Antiquitatis praxi, sed maximè authoritate Pauli ita sublatam, ut nullus hic scrupulus superesse queat; Prostant loca in eam rem plurima observanda; *Novi & persuasum habeo nihil esse impurum per se, sed ei qui reputat aliquid esse impurum, id ei impurum esse; Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum sanctum* Rom. XIV, 14. 17. *Esca nos non commendat Deo; neque enim si edamus amplius habemus, neque si non edamus minus habemus* 1 Cor. VIII, 8. *Quicquid in macello venditur edite, nihil discriminantes propter conscientiam, Domini enim est terra & plenitudo ejus: Quod si quis infidelium vos vocat & vultis ire, quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogantes propter conscientiam* 1. Cor. X, 25. 26. 27. *Nequis vos damnet ob cibum vel potum*, dicendo *Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris* Col. II, 16. 21. Taceo quòd scrupulosa prohibitio ciborum quorundam annumeratur ab ipsomet Paulo *doctrinis dæmoniorum* 1. Tim. IV, 1. 3. (c) Idem statuimus de *Idolothytis*, eadem Synodo Apostolicâ prohibitis, quæ qui præcisiùs traducunt à cibis ad quælibet alia quæ idolis fuerint consecrata, ut eorum usum omnem, tum sacrum in Ecclesia, tum civilem in societate humana, simpliciter damnent, Legis nec mentem nec scopum assequuntur.

LXVII. Idolothyta quidem *formaliter* quà talia, &, ut loquitur Paulus, *cum Idoli conscientia* 1 Cor. VIII, 7. semper sunt fugienda; *materialiter* etiam, si subsit periculum scandali, ut credaris probabiliter ab alio Idoli religione duci, aut alium probabiliter metuere vel suspicari queas tuo exemplo inductum iri ad religionem Idoli aut amplectendam aut vehementiùs retinendam; At illo cessante periculo (quod non ex inanibus conjecturis, sed ex probabilibus, planè argumentis prudenter est æstimandum) manet aurea regula Pauli, *Omnia munda mundis* Tit. I, 15.

LXVIII. Itaque sanctio Apostolica, paucula hæc Gentilibus proposita *necessaria* dixit, non absolutè & ad semper, sed ad tempus & secundum quid; Iis verò conjuncta est πορνεία, vel quod fornicatio simplex, etsi natura turpis, apud Gentiles pro re indifferenti & nullo peccato plerumque habebatur; vel potiùs quod eo nomine non tam ipsa fornicatio intelligatur, quàm cibus pollutus, aut cauponarum, quæ erant ut plurimum receptacula meretricum, (& inde *prostibula* dicebantur; unde eadem vox Hebraica *zonah* & *cauponariam* & *meretricem* significat; & veteribus Ecclesiæ Canonibus nefas erat vel cauponem esse, vel cauponam ingredi;) aut qui

a *Leges divinæ* positivæ *sub N. T. variæ.* b *Prohibitio* sãguinis & suffocati *qualis.* c *Item Idolothytorum.*

qui in cauponis absumi solebat sacrificiorum quæ meretrices sæpiùs ex quæstu corporis offerebant; prout Deus sub Lege Mosaica etiam nolebat sibi offerri *mercedem scorti aut pretium canis* Deut. XXIII, 18. Nam quæ πορνεία dicitur Actor. XV, 29. venire potest com. 20. sub nomine ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας; ita ut vox ἀλισγήματα generaliter denotet cibos pollutos, quorum alii sint τῶν εἰδώλων, alii τῆς πορνείας, alii τοῦ πνικτοῦ, alii τοῦ αἵματος. Sed de Lege hactenus.

LOCVS OCTAVUS;

De FOEDERE GRATIÆ & Libero Hominis Arbitrio.

POst (*a*) hominis cladem & miseriam, ejus restitutio venit consideranda per Fœdus gratiæ, quod statim à lapsu propositum homini, promisso *semine* benedicto contrituro *caput serpentis* Gen. III, 15. exinde variè à Deo fuit dispensatum, donec ultimum quasi suum complementum Christi incarnatione & Euangelii prædicatione per universum orbem, est consecutum. (*b*) Hebræorum *Berith*, originationis satis incertæ, propriè significat *conventionem* & *pactum*, Græcis dicitur διαθήκη, quod *Fœderis* seu Sponsionis simul & Testamenti, significationem complectitur; quam ultimam urget maximè Paulus, tum Gal. III, 15. monendo juxta V. V. hominis *confirmatum testamentum* neminem irritum facere, aut aliquid ei superaddere; tùm maximè Heb. IX 16. 17. his verbis; *Vbi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris; Testamentum enim in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet cum vivit testator.*

II. Cùm autem Fœdus in genere non solum inter æquales ineatur, sed etiam sæpè (saltem illud quod Politicis *inæquale* dicitur) inter dispares authoritate & majestate, nihil obstat quo minus statuatur Deus per summam quandam condescendentiam fœdus pacisci ac ferire cum creaturis. (*c*) *Generale* est illud, nec nisi καταχρηστικῶς hoc nomine dictum (cùm mera sit Dei promissio citra ullius conditionis stipulationem ex parte Creaturarum) quod pepigit cum hominibus & omnibus animantibus terræ, iride etiam obsignatum, de illis non amplius universali Diluvio perdendis Gen. IX, 9. 10. 11. 12. 13. (*d*) *Speciale* verò cum hominibus duplex statui potest, *Naturæ* sive Legis & operum, ac *Gratiæ*, id est Euangelii & fidei: Qui tertium volunt comminisci, scilicet Mosaicum, non satis attentè loquuntur: sic enim Israelitæ à fœdere Gratiæ & salutis per Christum forent excludendi.

III. (*e*) Fœdus *Naturæ*, pactum fuerat cum Adamo ejusque posteritate omni quæ in ipso ceu capite & sponsore censebatur, unde *omnes in illo* peccasse dicuntur Rom. V, 12. Illo autem Deus, ὑπεροχῆς suæ & maximè beneficiorum per creationem collatorum jure, postulabat perfectam obedientiam, & præstantibus vitam beatam pollicebatur, detrectantibus verò mortem & maledictionem denunciabat; *De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas, nam quo die comederis de eo, utique moriturus es* Gen. II, 17. Finis itaque ejus Fœderis in se considerati erat hominis fœlicitas, cui Lex data ut ipsum vivificaret & justificaret, cùm sufficientes vires præstandi quod illa requirebat à Deo consequutus esset; quamvis Deus absolutè non decrevisset hunc eventum, sed ita solùm homini bonitatem suam vellet testari, regulam justitiæ proponere, & viam vitæ indicare.

IV. (*f*) Primis illis tabulis per peccatum confractis,

a FœDERIS. *b* Nomen: *sumptum* *c* *Generalius.* *d* *Specialius. Hoc duplex,* *e* 1. Naturæ *sive Legis*: *f* 2. Gratiæ *sive Evangelii.*

ctis, successit Fœdus Gratiæ, *quo Deus Opt. Max. peccatorum remissionem, redemptionem ab omni miseria, vitam denique ac beatitudinem æternam & cœlestem per Christum Redemptorem & Mediatorem hominibus gratis pollicetur, sub conditione resipiscentiæ & fidei: Ita enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum illum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam* Joh. III, 16. Quin *unus est Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui sese ipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis*, 1. Tim. II, 5. 6.

V. (*a*) Partes ergo in hoc Fœdere considerandæ sunt, Deus offensus, Homo offendens, & Mediator θεάνθρωπος offenso reconcilians offendentem; Nempe *quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum* 2 Cor. V, 19. Estque Christus *ob id novi pacti Mediator, ut morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente quæ fuerant sub priori pacto, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent* Heb. IX, 15. Siquidem *postquam benignitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia, servavit nos per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti quem effudit super nos copiose per Iesum Christum Servatorem nostrum, ut justificati illius gratiâ hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ* Tit. III, 4. 5. 6. 7. (*b*) Mutua est partium obligatio; Nam Deus gratis promittit & donat remissionem peccatorum, regenerationem & vitam æternam: *Pangam ipsis fœdus perpetuum fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me* Jer. XXXII, 40. *Aspergam vos aquis mundis, ut mundemini ab omnibus impuritatibus vestris, & ab omnibus stercoreis Diis vestris mundabo vos; Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & amovens cor lapideum è carne vestra indam vobis cor carneum; Et Spiritum meum ponam in medio vestri, quò faciam ut in statutis meis ambuletis & jura mea observetis facientes ea* Ezechiel. XXXVI, 25. 26. 27. Mediator gratis spondet & præstat satisfactionem pro homine, ejusque renovationem; *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens, sed in ipsum cœlum, comparens apud faciem Dei pro nobis; neque ut sæpè offerat semetipsum, sicut pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno, (alioquin oportuisset eum sæpè passum fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione seculorum ad peccatum per immolationem suiipsius è medio tollendum, factus est manifestus* Heb. IX, 24. 25. 26. *Quapropter ingrediens in mundum dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi; Holocautomata & hostiam pro peccato non approbasti, tunc dixi, Ecce adsum ut faciam Deus voluntatem tuam; Aufert prius ut posterius statuat; Quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam* Heb. X, 5. 6. 7. 8. 9. 10. Homo verò fidem ac resipiscentiam à Deo requisitam pollicetur & per gratiam Spiritus Sancti reipsâ implet; Unde iis qui *compuncti corde dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, Quid faciemus, viri fratres*, respondit Petrus, quasi stipulaturus has conditiones, *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti* Act. II, 37. 38.

VI. (*c*) Itaque hoc fœdere homini proponitur Summum Bonum verè supernaturale, cujus Conciliator Christus; Medium Christo per fidem Unitio; Forma, vera ac immota Justitia & Sanctitas, Dei visio ac fruitio per lumen gloriæ, Corporis conditio cœlestis & spiritualis; Fructus, Pax, gaudium, gloria. (*d*) Ejus verò fœderis finis, ut & Dei illud instituentis, præter ipsiusmet Dei gloriam, prout *omnia operatur propter se* Prov. XVI, 4. est Electorum salus & beatitudo æterna: siquidem *Beata gens illa cujus Iehova Deus est, populus quem elegit possessionem sibi* Psal. XXXIII, 12.

VII. (*e*) Objectum illius, si ex conditione æstimetur, est homo peccator; *Venite omnes qui fatigati estis & onerati* Matth. XI, 28. Si ex determinatione quadam *æquivoca*, sunt omnes externè vocati; unde fœderaliter *sancti* dicuntur infantes ex alterutro parente fœderato nati 1 Corinth. VII, 14. *Vobis enim facta est promissio & liberis vestris, & omnibus longè post futuris, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster* Act. II, 39. (*f*) Si adæquatè & univocè, soli Electi, & consequenter soli credentes, quibus solis datur *nosse mysteria regni cœlorum*, aliis autem non Matth. XIII, 11. Eoque spectat armilla aurea Pauli Rom. VIII, 30.

Quos

a *Ejus expenduntur* 1. Partes b *Earumque mutua* obligatio c 2. Summa, *nempe Summum hominis Bonum.* d 3. Finis, e 4. Objectum. f *Idque* proprium & adæquatum.

Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, (ſcilicet *ex præſtituto* ſuo) *& quos vocavit eos etiam juſtificavit, & quos juſtificavit, eos etiam glorificavit.* Quare Abraham *ſignum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei receptæ in præputio, ut eſſet pater omnium credentium in præputio, imputatâ etiam ipſis juſtitiâ; Et pater circumciſionis, iis videlicet qui non ſolum ſunt ex circumciſione, ſed qui etiam incedunt per veſtigia fidei patris noſtri Abrahami quæ fuit in præputio* Rom. IV, 11. 12.] *Oblatio* enim fœderis per communem vocationem, juxta quam *multi ſunt vocati, pauci verò electi* Matth. xx, 16. non eſt confundenda cum reali cooptatione ad illud, quæ eſt tantum fidelium, ut fides tantum *Electorum* Tit. 1, 1. Unde dicuntur crediſſe *quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. XIII, 48.

P.L. R. VIII. (a)Falluntur autem Jeſuitæ, Remonſtrantes & alii omnes gratiæ Univerſalis patroni, qui vel palam Pelagianiſmo militant, vel eum per poſticum revocant imprudentes, [dum fœdus gratiæ univerſale comminiſcuntur, cui ſatisfactio Chriſti pro omnibus ſubſternatur: Cùm enim hanc præſtiterit Chriſtus, *ſufficientem* quidem pro omnibus, quatenus ampliori opus non fuiſſet ad omnes redimendos, ſi omnes redimere Deo viſum fuiſſet, ex Patris tamen mittentis, ipſiuſque Chriſti eam præſtantis ſpeciali & directa intentione, pro ſolis demum ſuis *electis*; nam vocandus fuit Jeſus quia *liberaturus erat populum ſuum ex peccatis ipſius* Matth. 1, 21. *bonuſque* hic *paſtor animam ſuam deponit pro ovibus ſuis* Joh. x, 11. non pro lupis aut hœdis; unde & *corporis ſui* Servator dicitur Epheſ. v, 23. & *Eccleſiam* ſuam *proprio illo ſuo ſanguine acquiſiviſſe* Actor. xx, 28, Cùm diſertè ab Interceſſionis ſuæ beneficio, adeoque & Redemptione ſua, excludat incredulos & reprobos Joh. XVII, 9. *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi, quia tui ſunt*; Cùm loquutiones generaliores extenſivæ iſtius beneficii ad *multos*, vel *omnes*, quæ extant Matth. XX, 28. XXVI, 28. Rom. v, 15. 18. 1 Timoth. II, 4. Hebr. IX, 28. &c. communiter potiùs quam univerſaliter, de generibus ſingulorum non de ſingulis generum, ſint intelligendæ; Cùm non poſſit fingi paſſus pro iis qui quando crucifigebatur, jam torquebantur in inferno, aut pœnam ſuſtinuiſſe peccatorum eorum quæ tamen Deus eſt æternùm puniturus; non poteſt Satisfactio Chriſti univerſalis ſtabiliri, aut ſubſtitui Fœderi univerſali gratiæ.

a *Gratiâ* univerſali *refutâ.*

IX. Hinc fit quod hujus Fœderis notitia non pertineat ad omnes & ſingulos; nam Deus *indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jura Iſraëli, non fecit ita ulli genti, ideoque jura iſta non noverunt* Pſal. CXLVII, 19. 20. etſi ſuam beneficentiam communiorem ſingulis teſtatam faciat, nec ſe *patiatur expertem teſtimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitùs pluvias ac præſtituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda noſtra* Act. XIV, 17. quo redduntur *inexcuſabiles* Rom. 1, 20. Pactum fuit cum Adamo Geneſ. III, 15. ſecluſo tamen formaliter ſemine ſerpentis, & inimicitiâ poſitâ inter illud & ſemen mulieris; *Inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, inter ſemen tuum,* (ideſt impios & reprobos, qui etiam υἱοὶ τοῦ πονηροῦ dicuntur Matth. XIII, 38. 39.) *& ſemen hujus; hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.* Renovatum utcunque cum Noâ; *Ecce ego ſtabilio fœdus meum vobiſcum & cum ſemine veſtro ſequuturo vos* Gen. IX, 9. (licet enim id videatur maximè ſpectare generalem Dei promiſſionem de diluvio amplius non immittendo, nihil tamen impedit quominus Noæ reſpectu tacitam Fœderis gratiæ renovationem contineat) ſed maledictioni mancipato Chamo cum ſua poſteritate. Reſtitutum cum Abrahamo, ſed illius ſolius familiæ adſtrictum. Commune factum per Chriſtum, qui parietem intergerinum inter Judæos & Gentes diruit, ſic tamen ut vocatio externa latiùs pateat electione, & illa ita ſit communis, ut non ſit ſimul & ſemper omnium & ſingulorum; cùm ad tempus non ſiverit *Spiritus Ieſu ſermonem Dei* in *Aſia* & *Bithynia* annunciari Act. XVI, 6. 7. & Fœderis gratia ad ſolos fideles reſtringatur Marc. XVI, 15. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ* (indifferenter & citra gentis diſtinctionem;) *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur; Qui verò non crediderit condemnabitur.*

X. Qui volunt univerſali vocatione invitari ad Fœdus omnes & ſingulos, tenentur Providentiæ communis effecta cum Euangelii voce, & naturam cum gratia, confundere; & adſcribere libro naturæ ac Creaturarum voci, præconium Miſericordiæ divinæ, in ſolo Chriſto ex Scripturis patefactæ; ac inſuper (cùm fruſtra ſit & illuſoria Gratia univerſalis objectiva, niſi ſubjectiva pariter extendatur, nec debeat Spiritus Sancti in hac œconomia operatio arctior eſſe Philanthropiâ Patris aut Redemptione Filii,) fingere

vires sufficientes omnibus & singulis restitutas, per quas possint si velint Deo vocanti obsequi, & in hoc Fœdus gratuitum cooptari; quod nihil aliud est, quam liberi Arbitrii Idolo litare, efficaciam vocationis ex eo suspendere, & gratiam discriminantem penitùs abolere, contra Paulum dicentem, *Quis enim te ab aliis discernit? Et quid habes quod non acceperis?* 1 Corinth. IV, 7. Item, *Deus est qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere pro gratuita sua benevolentia* Phil. II, 13.

XI. Jam ergò liquet quid sit discriminis inter Fœdus Naturæ & Gratiæ; (*a*) Nam prioris contractus est Lex, de qua loco præcedenti; posterioris est Euangelium: quod nomen, ut primariâ suâ significatione lætum & bonum nuntium significat, sic impiè à Judæis in *Aven Giljon* mutatur,
J. id est *iniquitatis revelationem*; ipso Eliâ Levitâ agnoscente, propriè significare *Besora tobha*, *nuntium bonum*. Atque hîc nobis sumitur, non pro historia vera & authentica nativitatis, vitæ, mortis & resurrectionis Christi; quo sensu quatuor Euangelia inter libros sacros commemorantur; sed pro *doctrina grata & læta salutis & redemptionis in Christo*, quæ propter sui constantiam & immutabilitatem Euangelium *æternum* dicitur Apoc. XIV, 5. Ut nec Mahumedis Alcorano, nec
M. Monachorum olim commento, quod sub hoc
P. nomine Euangelio Christi succenturiare volebant, ullus locus superfit.

XII. (*b*) Videntur verò Apostoli, Euangelii nomen desumsisse ex Interpretibus Græcis V. T. eadem voce usis circa doctrinam Redemptionis Es. LII, 7. *Quam decentes sunt super istos montes pedes euangelizantis, pronunciantis pacem, euangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus*; Item cap. LXI, 1. *Spiritus Domini Iehovi est super me, eo quod unxit Iehova me ad evangelizandum mansuetis*: quâ loquutione & salutis nobis allatæ dignitatem, & præcedentem nostram miseriam, Deus uno verbo exprimere voluit. (*c*) Convenit equidem Euangelio cum Lege absolutè & in se considerata, in multis; Nam & eundem Deum habent authorem; & utrimque urgetur nomine illius obedientia, additis promissionibus & minis; & in genere eodem collimant, nempe ad Dei gloriam & hominis salutem; Sed & in multis discrepant.

XIII. (*d*) Sanctione enim differunt; Nam Euangelica hæc est, *Noli timere, solum crede*, cùm Legalis hæc fuerit, *Hoc fac & vives*: Tum Lex homini integro data fuit, Euangelium misero: Deinde Legis Fœdus in Adamo primo, Euangelii in secundo, fuit sancitum: Illud etiam operum justitiam exigebat, hoc offertur justitia fidei: In Fœdere quoque naturæ acceperat primus homo auxilium *sine quo non*, idest vires sufficientes quibus staret conditionibus fœderis si vellet; sed in Fœdere gratiæ accipit auxilium *quo*, sive vires quibus & possit & certo velit conditionibus stare; Quippe *gratis datum est nobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati* Phil. I, 29. Adeo ut hoc sit illo longè certius & firmius, quo videlicet fœderati, quoniam *electi seduci* totaliter & finaliter non possint Matth. XXIV, 24. excidere nequeunt. Imò illud pactum quidem & Fœdus dici potest, hoc vero etiam speciatim Testamentum, quod *testatoris* morte *ratum* est, Heb. IX, 16. 17.

XIV. (*e*) Quod si Lex consideretur respectivè & post hominis lapsum, tum debet cum Euangelio conferri vel *subordinatè*, vel *oppositè*: Subordinantur multipliciter; Nam Lex docet quæ sit perfecta Justitia, Euangelium verò ubi illa reperiatur: Lex ut subservit Spiritui Dei, impellit hominem ad Christum quærendum, Euangelium ipsum revelat: Lex hominem consternat & humiliat sensu peccati & metu iræ Divinæ, eum verò Euangelium erigit & consolatur; Lex ducit ad Christum *& pædagogus noster fuit in Christum respiciens ut ex fide justificaremur* Gal. III, 24. at Christus fideles suos revocat ad obsequium Legis, ablato tamen ei aculeo rigoris & maledictionis.

XV. (*f*) Opponuntur verò ut *Litera occidens* ac *ministerium mortis*, & *Spiritus vivificans* 2 Cor. III, 6. 7. item ut *Agar* quæ ad *servitutem* & *Sara* quæ ad *libertatem* parit Gal. IV, 24. 25. 26. nam partus sequitur ventrem. Lex est homini ut mons *Hebal*, ex quo Deus maledictiones suas detonat; Euangelium est mons *Garizim*, ex quo benedictiones manant: Tenet illa locum arboris scientiæ boni & mali, cujus fructus mors; hoc verò arboris vitæ: Vox Legis denudat sylvas & dolore afficit desertum & cervas facit abortire; sed vox Euangelii tranquillat animum, fidem radicat & facit ut eam spem concipiamus *quæ non pudefacit* Rom. V, 5. Ideo Lex urgenda apud pertinaces & ob-

a 5. *Contractus, nempe* Evangelium, *cujus notatur* nomen. b *&* *Nominis* origo c *Euangelii & Legis absolutè considerata* Convenientia. d *&* Discrepantia. e *Conferuntur ad invicem Euangelium & Lex sub peccato*; 1. Subordinatè. *f* 2. Oppositè.

obſtinatos in peccatis, Euangelium verò *fatigatis & oneratis* Matth. XI, 28. atque *contritis corde* Luc. IV, 18. annunciari debet. Lex denique eſt naturaliter nota, ſaltem quoad prima & communiora ipſius principia, prout *naturâ quæ Legis ſunt faciunt* & præcipiunt Gentiles, *ut qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis* Rom. II, 14. 15. Euangelium nonniſi revelatione Divinâ innoteſcit; ſiquidem *Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit* Joh. I, 18. & omnia Euangelii myſteria *Deus nobis retexit per Spiritum ſuum* 1 Cor. II, 10.

XVI. (*a*) Non ergo differt Euangelium à Lege *perfectione*, ut præludendo Socinianis fingunt
P.S. Pontificii; cùm Lex æquè perfecta ſit ac Euangelium; quippe quæ tam perfectè contineat facienda, atque hoc credenda. (*b*) Et quæ Conſilia perfectionis & Euangelica volunt per Chriſtum addita Legi, ceu inſtrumenta aptiſſima ad perfectionem eminentiorem eâ quam Lex præcipit, ut nominatim, *Continentiæ*, *Paupertatis & Obedientiæ*, quibus ſolemni voto ſe Monachi obſtringunt, talia ſunt ut eorum nec vola nec veſtigium extet in Scripturis: Et ſi quæ conſulit Chriſtus, qui *Conſiliarius* dicitur Eſ. IX, 6. ea non hominum arbitrio relinqui, ſed præſtari oportere, notum eſt: quò maximè pertinet illius dictum Angelo Laodicenſis Eccleſiæ, *Conſilium do tibi ut emas à me aurum igni exploratum ut dives fias* &c Apoc. III, 18.

XVII. Lex Dei caſtitatem exactè vult ſervari, avaritiam omnem profligari, obedientiam Deo præſtari: Tenetur quiſque, ut Deum vocantem ac Chriſtum ſequatur, & uxorem, & opes, & omnia, ſi impedimento fuerint, deſerere: Tenetur & propriam voluntatem Deo ſubmittere & mancipare: Sed nuſquam Chriſtus conſulit ut perfectionis majoris inſtrumentum, vel Cœlibatum, cùm è contrario mandetur conjugium iis qui uruntur, *Quod ſi ſe non continent matrimonium contrahant, nam melius eſt matrimonium contrahere quam uri* 1 Cor. VII, 9. vel Paupertatem votivam, cùm ipſe pronunciarit, *Beatius eſſe dare quam accipere* Act. XX, 35. vel Obedientiam Religionis ergo & ad Dei cultum, hominum inſtitutis aut regulis, cùm *ſervos hominum* nolit Paulus nos fieri 1 Cor. VII, 23.

P. XVIII. Quas alias differentias ruſpantur Pontificii inter Evangelium & Legem, veris illis omiſſis quæ ante à nobis ſunt notatæ, non tam Legem ipſam, quam œconomiam Moſaicam & V. T. de quo poſtea, videntur ſpectare: Eo ſenſu Moſes & Chriſtus opponuntur, & Lex dicitur ſolis Judæis data, cùm Euangelium promiſcuè quibuſlibet ſit annunciandum: Et illa umbram futurorum bonorum adventu Chriſti abolendam, hoc eorum veritatem & corpus perenniter duraturum, habuit.

XIX. Nolumus diffiteri Legem à Moſe promulgatam variè ſubſervire Euangelio, tum *Antecedenter*, ut hominis ſupercilium deprimat & viam præparet Chriſto verâ fide excipiendo, tum *Conſequenter*, ut Sanctificationis Chriſti Spiritu peragendæ normam præfigat; Tamen meritò P.S. negamus Pontificiis ac Socinianis, Euangelio, ut ſic, aut contineri Leges morum propriè dictas, quas Chriſtus Moſaicæ adjecerit; cùm è contrariò *jugum* ejus *facile* & *onus leve* ſit Matth. XI, 30. nihilque in genere morum urſerit Chriſtus ad quod ipſâ Lege Moſaicâ non teneamur: Aut operum juſtitiam, qualem Lex exigit, urgeri; cùm Lex fidei Legi operum diſertè in Scripturis opponatur; *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt; per quam Legem? operum? non, ſed per Legem fidei* Rom. III, 27. Hinc Paulus optabat comperiri in Chriſto, *non habens* ſuam *juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, ideſt juſtitiam quæ eſt ex Deo per fidem* Philip. III, 9.

XX. Nec ſaniores Socinianis Remonſtran- S.R. tes, qui ex illis, tria præcepta fingunt propriè Euangelica, Lege Dei nullatenus comprehenſa, nempe de ſui Abnegatione, Crucis tolerantia, & Chriſti imitatione, juxta illud Domini, *Si quis vult pone me venire, abdicet ſemetipſum & attollat crucem ſuam & ſequatur me* Matth. XVI, 24. Nam hæc Lege comprehendi & Veteribus ante adventum Chriſti obſervata fuiſſe, eſt certiſſimum; Siquidem ad ſui abnegationem pertinet illud Prophetæ; *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine & ſtatuit carnem brachium ſuum, à Iehova autem recedit animus ejus* Jer. XVII, 5. Ad crucem iſtud Davidis, *Propter te occidimur quotidie, æſtimamur ut pecudes mactandæ* Pſal. XLIV, 23. Et de Moſe circa hæc tria notat Apoſtolus quod grandior factus renuerit *vocari filius filiæ Pharaonis; potiùs eligens ſimul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem: majores ducens divitias probrum Chriſti, quam Ægyptiorum theſauros; intuebatur enim in præmii retributionem* Heb. XI, 25. 26. Chriſtus eſt etiam noſter Legiſlator oppoſitè ad Moſem,

a *Diſcrimina Legis & Evangelii*, falſa: b Conſilia *Euangelica rejecta*.

quatenus nobis sanxit *Legem fidei* Rom. III, 27. quæ dicitur Lex *Spiritus vitæ in Christo* Rom. VIII, 2. & *perfectæ libertatis* Jac. I, 25. ac præcepta legalia longè aliter quam Moses inculcat, collatâ scilicet nobis gratiâ obsequium illis saltem inchoatè præstandi, (juxta hanc N. F. sanctionem, *Indam legem meam menti eorum & cordi eorum inscribam eam* Jer. XXXI, 33.) & suis ab eorum rigore & maledictione liberatis.

XXI. (a) Quæstioni ergo hîc motæ à nonnullis
L. Lutheranis, & de qua non satis inter ipsos convenit, *An Euangelium sit concio Pœnitentiæ*, facilè respondetur, Pœnitentiam, ut significat duntaxat peccati agnitionem & dolorem ex illo, esse à Lege subserviente Fœderi Gratiæ, erga hominem regenerandum & convertendum; sed ubi sumitur pro resipiscentia & totali ad Deum conversione ac vitæ novæ studio, esse adscribendam fidei, quæ est illius initium & origo, quatenus *fide corda purificantur* Act. XV, 9. & per consequens Euangelicæ doctrinæ, cujus ministerio Spiritus Sanctificationis nobis confertur; *Qui igitur subministrat vobis Spiritum & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex fide per auditum percepta subministrat?* Gal. III, 5. Ita Samaritanus ille vulneribus nostris unguentum applicat, ex Legis *vino* & *oleo* Euangelii quadantenus contemperatum, juxta parabolam quæ, ut-ut aliò spectans, extat Luc. X, 34. Et si quid Lex suis terroribus & minis ad contritionem & conversionem peccatoris confert, id tribuendum est speciali Dei Gratiæ, quæ ex Fœdere gratuito incipit se exerere; cùm Lex aliàs nihil possit aliud in irregenitis ac non regenerandis, quam iram operari, & frigidam suffundere peccato.

XXII. (b) Stet itaque hoc inconcussum, Euangelio, distinctè à Lege, contineri Fœdus Gratiæ, quo sic proponuntur fidei & resipiscentiæ conditiones beneficia per illud oblata adepturis, ut illarum conditionum præstatio offeratur & conferatur per idem Euangelium, omnibus iis qui juxta Dei decretum ad illud Fœdus pertinent & actu sunt cooptandi. (c) Id porrò Fœdus Euangelicum, de gratuita remissione peccatorum in Christo consequenda, non demum incœpit cum Christo nato, ut arbitrantur Sociniani; etsi de-
S. mum post Christum natum cœperit Gentibus revelari; prout Paulo dicitur *à temporibus secularibus tacitum fuisse, nunc verò factum esse manifestum, & per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus Gentibus notificatum* Rom. XVI, 25. 26. Sed viguit ac obtinuit à primordio mundi, ut quivis quorumvis temporum Sancti, non alio modo medio-vè servati sint quam fide Jesu Christi: Hinc quæ dicitur ἐπαγγελία *Patribus facta* Act. XIII, 32. Gal. III, 18. εὐαγγέλιον etiam aliquoties appellatur; Ita Paulus se dicit separatum *ad Euangelium Dei quod ante promiserat in Scripturis* Rom. I, 2. & citatis Prophetæ verbis, *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*, mox subdit, *Sed non omnes auscultarunt Euangelio; Esaias enim dicit Domine quis credidit sermoni nostro?* Rom. X, 15. 26. Unde liquet etiam suo sensu sermonem Esaiæ Euangelium fuisse. Hinc *nobis euangelizatum esse sicut & illis qui* vixerunt sub V. T. dicitur Heb. IV, 2. & jam olim *mortuis euangelizatum*, asseritur 1 Pet. IV, 6.

XXIII. (d) Non tamen semper fuit eadem Euangelici hujus fœderis Oeconomia. Ab Adamo ad Abrahamum, quem Sociniani falsò volunt adeptum primam promissionem Messiæ, stetit qua- S.
dantenus in generali illo dicto Gen. III, 15. *Semen mulieris conteret caput Serpentis*; quod Euangelicum fuisse multa loca N. T. eò spectantia evincunt; Ita enim Christus dicebat, *Venit princeps mundi hujus, sed in me non habet quicquam* Joh. XIV, 30. Ita & Paulus, *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò* Rom. XVI, 20. Eò verò apprimè facit, ut cœtera mittam, Michaëlis cum dracone rufo prælium quod describitur Apoc. XII, 8. 9. Hinc Abelis, Enochi, Noæ, *fides* fusè celebrata Heb. XI, 4. 5. 7. Nec desunt qui putent Evam in Caino, cùm dixit, *Acquisivi Virum Eth-Iehova*, idest, ut interpretantur, virum qui Jehova simul est Gen. IV, 1. in Noâ Lemechum dicentem, *Hic consolabitur nos de labore nostro & de dolore manuum nostrarum, de maledictione quâ maledixit Iehova terræ* Gen. V, 29. errando in personis, Messiam expectasse. Nec aliò spectarunt sacrificia ἱλαστικὰ primis illis temporibus Deo oblata à piis, proculdubio juxta ipsius mandatum, quam ut se sustentarent in spe futuræ redemptionis.

XXIV. Abrahamus deinde semen illud benedictum ex se nasciturum accepit Gen. XII, 3. XVII, 18. XXII, 18. ubi in ipso *benedicendæ omnes familiæ terræ* dicuntur; quod non solùm adumbra-

a Pœnitentia *quò pertinet?* b Euangelium *est Novum Fœdus.* c Semper *obtinuit.* d *Sed sub varia* Oeconomia.

brabant in ejus familia & posteritate sacrificia quæ ex Dei mandato ipsi offerebantur, sed etiam obsignabat speciatim Circumcisio, quæ inde dicitur *signum* & *sigillum justitiæ fidei receptæ* ab ipso *in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio* Rom. IV, 11. Sequuta est tandem Reipubl. Israëliticæ per Mosem erectio, cujus beneficio Fœdus Gratiæ formam perfectiorem ac magis testamentariam consequutum est, eo quod *ne quidem absque sanguine dedicatum fuerit* Hebr. IX, 19. atque auctum non Paschatis tantum aliisve Sacramentis, sed quam plurimis aliis, præsertim in ipsis Sacrificiis, mortis Christi figuris; accedentibus subinde novis vaticiniis de Christo suo tempore exhibendo & revelando.

XXV. (*a*) Totum illud curriculum ab Adamo ad Christum, Veteris fœderis vel Testamenti nomine, venit in Scriptura, prout Novum Testamentum spectat ejusdem Fœderis administrationem Christo jam exhibito: Hinc ergo nata distributio Testamenti in Vetus & Novum: prout dicuntur Judæi *occalluisse* & *in hodiernum usque diem in lectione Veteris pacti* retinere *velamen illud quod in Christo inutile factum tollitur* 2 Cor. III, 14. & Christus dicitur ideo *novi pacti Mediator, ut morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente quæ fuerant sub priore pacto, qui vocati erant promissam æternam hæreditatem acciperent* Hebr. IX, 15. (*b*) Quæ duo variè inter se conferuntur. Interdum enim Veteris nomine Scripta Mosis & Prophetarum intelliguntur, & Novi illa quæ post Christum exhibitum Euangelistæ & Apostoli Ecclesiæ consignarunt.

XXVI. (*c*) Hæc duo volumina conveniunt, 1. Authore Deo, quicquid contra delirârint olim Marcionitæ & Manichæi aliique Legis & Prophetarum adversarii; *Non enim libitu hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines* 2 Petr. I, 21. 2. Αὐθεντίᾳ sive authoritate θεοπνευστῷ, quam respectu veterum librorum, neque deprimere Socinianis, ac si religionis Christianæ mysteria non
S.A. continerent, neque absolutè rejicere Anabaptistis licet, cùm nec aliò provocarint, nec aliunde sua hauserint, Christus & Apostoli; *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere*; nec planè præposterè; nam *illæ sunt quæ testantur de me*, inquit Christus Ioh. V, 39. Paulus ipse protestatur se nihil *dixisse extra* ea quæ habent Moses & Prophetæ Act. XXVI, 22. illaque omnia asserit *ante scripta* fuisse *ad nostram doctrinam, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus* Rom. XV, 4. Et sic ad totam Scripturam in communi pertinet elogium quod extat 2 Tim. III, 16. eam videlicet esse *divinitùs inspiratam & utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correptionem, ad disciplinam in justitia*, ut tamen directè & primariò spectet Vetus Testamentum. Lucem sibi mutuò fœnerant & se invicem respiciunt, ut Cherubini in Arca; censenturque à plurimis designari per *duos testes* commemoratos Apoc. XI, 3.

XXVII. (*d*) Differunt tamen 1. *Tempore*; Nam illud ante Christum in carne natum fuit exaratum, hoc post illum. 2. *Lingua originali*: Nam illud Hebraicè fuit consignatum (si paucula Chaldaica excipiantur, quæ extant maximè apud Danielem & in libris Esdræ, ut & Jerem. X, 11.) quoniam Judaicæ Ecclesiæ tunc *commissa* erant *eloquia Dei* Rom. III, 2. Hoc verò Græcâ linguâ, quæ Apostolorum tempore erat omnium communissima, quia auferebatur discrimen Græci & Judæi. 3. *Perspicuitate*; cùm V. T. duntaxat obtinuerit *umbram futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum* Hebr. X, 1.

XXVIII. (*e*) Quandoque Veteris Testamenti nomine, ipsum Fœdus Naturæ & Legis intelligitur, prout Lex per Mosem fuit renovata, addito *intolerabili* onere rituum Legalium & *jugo* strictissimæ Politiæ, quod inquit Petrus, *neque Patres nostri neque nos portare valuimus* Actor. XV, 10. Quo sensu dubitari nequit essentialiter Vetus Testamentum à Novo, & Legem ab Euangelio, differre; cùm illic exigatur justitia operum, hîc justitia fidei offeratur, tanta cum oppositione ut *inanes* fiant *à Christo quicunque per Legem justificari* student, ac eo ipso quantum in se est *excidant à gratia* Gal. V, 4. Ad Novum pertinet Spiritus libertatis & adoptionis, quo clamamus *Abba Pater*; Ad Vetus Spiritus, absolutè talis, timoris & servitutis, prout servo non licuit Israëlitam, eum *Abba* vocando, in patrem adsciscere; Huc respicit Paulus cùm ait, nos *non accepisse Spiritum servitutis rursum ad metum, sed Spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba Pater*: unde sequatur nos, *non amplius esse servos sed filios* Rom VIII, 15. Galat. IV, 6.7. Huc maximè

a Vetus Testamentum à Novo *contra distinctum significat*, b 1. Scripta *Mosis & Prophetarum*. c *V & N. V. hoc sensu* Convenientia & d Discrepantia. e 2. *Fœdus* Naturæ & Legis; *Quo sensu V. T. essentialiter differt à N.*

facit allegorica ejus comparatio inter Agarem & Saram Galat. IV, 24. 25. 26. *Nam* (inquit) *hæ sunt duo illa pacta; unum quidem quod est Agar ex monte Sina generans ad servitutem; Istud enim Agar est Sina mons in Arabia; eadem autem serie respondet ei Hierosolyma quæ nunc est, servitque cum filiis suis; Illa quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm.*

XXIX. (*a*) Supponendum ergo omnem Mosis Oeconomiam, quæ venit nomine V.T. duplicem σχέσιν habuisse; unam *Legalem*; quatenus novâ Legis promulgatione exprimitur quid homines debeant, quidve ob officium non præstitum sit illis expectandum; unde dicitur *rituum chirographum nobis subcontrarium* Col. II, 14. quia per illud homines se debendi reos & mortis filios, declaratione scriptâ sanguine victimarum, profitebantur; (*b*) Alteram *Euangelicam*, quatenus Lex erat *pædagogus ad Christum* Gal. III, 24. & continebat *umbram rerum futurarum* Col. II, 17. quæ opponitur *expressæ formæ* Hebr. X, 1. ut crassior delineatio & ὡς ἐν τύπῳ, accuratiori picturæ quam habemus in Euangelio, ubi *ob oculos* nostros *Iesus Christus depictus* est & quasi *inter nos crucifixus* Gal. III, 1.

XXX. (*c*) Quare ut non gravatè concedimus
L. Lutheranis V. T. & fœdus Mosaicum, sub priori illa σχέσει præcisè consideratum, totâ substantiâ à Novo differre; cùm & 430. *annis post* κεκυρωμένην Abrahamo τὴν διαθήκην Gratiæ, & *transgressionum tantum causâ additum sit* Gal. III, 17. & 19. Unde Lex Gratiæ, & Moses Christo, opponuntur à Johanne, dicente, quod *Lex per Mosem data est, gratia & veritas præstita per Christum* Joh. I, 17. Ita pertendimus V. T. sub altera illa σχέσει & vestitum circumstantiis suis pædagogicis, quatenus *habebat prius pactum etiam ritus, cultus & sanctuarium mundanum* Hebr. IX, 1. quæ *exemplari & umbræ deserviebant rerum cœlestium* Hebr. VIII, 5. (nam V. T. antiquandum illarum circumstantiarum pædagogicarum respectu, juxta illud, *Dum novum dicit antiquavit prius; porrò quod antiquatur & senescit, propè est ut evanescat* Hebr. VIII, 13. habuit tamen *ritus* illos & *cultus*, quibus promissio continebatur & confirmabatur:) sive, quod nobis idem est, Fœdus illud vetus cum Adamo statim à lapsu initum, & cum Abrahamo pactum, & cujus Mosaica Oeconomia fuit adminiculum, idem esse quoad substantiam cum Novo, qualiter fuit à Christo innovatum & confirmatum; ut duo Testamenta dicantur non per distributionem generis in species, sed subjecti in accidentia.

XXXI. Etenim eundem Deum habent authorem, easdem promissiones æternas, eundem Christum Mediatorem, eundem reconciliationis & redemtionis modum, eandem fidem: Hinc *Abraham gestivit ut videret diem Christi & vidit ac gavisus est* Joh. VIII, 56. & *per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos* Patres, qui jugum Legis portare non valuerunt Act. XV, 11. Hinc illi dicuntur *omnes eandem escam Spiritualem edisse & eundem potum Spiritualem bibisse* nobiscum I Cor. X, 3. 4. Moses speciatim *majores duxisse divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros* Hebr. XI, 26. Hinc uno verbo *Iesus Christus heri & hodie idem* esse statuitur Hebr. XIII, 8. imò *agnus mactatus jam inde à jacto mundi fundamento* Apoc. XIII, 8. Et dum Lutherani faciles dant, fructum & me- L.
ritum mortis Christi ad Patres fideles pertinuisse, & eos illius typos ac figuras & sacramenta habuisse, negant tamen pervicaciter eandem escam spiritualem *nobiscum* comedisse, aut fide præsentem Christum habuisse, aut Vetus illud Fœdus substantiâ idem esse cum Novo, tum Scripturæ, tum sibi ipsis apertè contradicunt.

XXXII. (*d*) Cùm igitur in rei substantia duo hæc Testamenta conveniant, non sunt audiendi Pelagiani (ad quorum sententiam prope accesserunt olim nonnulli Patrum, quando ante exortum Pelagium *securiùs* loquebantur) qui Legis naturæ & Mosaicæ observatione, quondam homines servatos asserebant; cùm *non sit salus in quoquam* extra Christum, & nullum *aliud nomen sub cœlo* unquam extiterit *per quod oporteat* homines *servari* Act. IV, 12. *nemoque veniat ad Patrem nisi per ipsum* Joh. XIV, 6. Æquè malè Pontificii, P.
Sociniani, Anabaptistæ, Servetiani, Schwenk- S.A.
feldiani, Arminiani, statuunt pios sub V. T. F.R.
nullas promissiones spirituales & vitæ æternæ fuisse consequutos; cùm tamen cœlestis beatitudinis spe certâ, quæ promissionem necessariò præsupponit, non obscurè ducerentur; juxta illud Davidis, *Expecto salutem tuam Iehova & præcepta tua facio*; item, *Desidero salutem tuam Iehova, & Lex tua est omnis oblectatio mea* Psal. CXIX,

a 3. Oeconomiam *Mosaicam, cujus duplex* σχέσις; Legalis & *b* Euangelica. c *Hoc posteriori respectu* V. T. substantiâ *idem est cum Novo. d Quare* salutis in Christo *promissiones habuère Veteres:*

cxix, 166. 174. Hoc reſpectu Abraham dicitur *commoratus in tabernaculis cum Iſaac & Iacob cohæredibus ejuſdem promiſſionis, quod exſpectaret civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor eſt Deus* Hebr. x i, 9. 10. Et ipſe Moſes prætuliſſe *probrum Chriſti* Ægyptiacis divitiis, quod *intueretur in præmii retributionem* Hebr. x i, 26. Quin verba Moſis, Lev. xxvi, 11. 12. *Ponam tabernaculum meum inter vos neque faſtidiet anima mea vos, denique indeſinentur ambulabo inter vos, ac ero vobis Deus, vos quoque mihi eritis populus*, de ſpiritualibus bonis eſſe intelligenda, docet Paulus apertè, ea Chriſtianis fidelibus applicando 2 Cor. v i, 16. Adde quod piis V. T. eam *vitam* Deus promittit Deut. x x x, 19. 20. quæ ſit ipſe-met Deus; *nam ipſe eſt vita tua*, inquit Moſes. Huc pertinet quod pii per Euangelium vocandi *& ab oriente & occidente venturi*, dicuntur *accubituri cum Abrahamo & Iſaac & Iacobo in regno cœlorum* Matth. v i i i, 11. Quod *multi Prophetæ & juſti deſiderarint videre & audire* quæ videbant & audiebant Apoſtoli Matth. x i i i, 17. id non deſideraturi, ſi nullas de Chriſto promiſſiones habuiſſent; Quod Lazarus ſummâ fœlicitate potiturus *aſportatur in ſinum Abrahami* Luc. x v i, 23. Quod Judæi fuiſſent credituri Chriſto ſi Moſi credidiſſent; *nam ille*, inquit ipſe Chriſtus, *de me ſcripſit* Joh. v, 46. Quod de temporibus *reſtitutionis omnium* in Chriſto, *loquutus ſit Deus à ſæculo per os omnium Sanctorum ſuorum Prophetarum* Actor. i i i, 21. Quod ipſi Chriſto *omnes Prophetæ teſtimonium dent, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum* Actor. x, 43. Quod *per gratiam* Chriſti ſervati ſint Patres *quemadmodum* nos Actor. x v, 11. Quod denique Paulus profiteatur ſe vocatum in judicium *ob ſpem promiſſionis factæ Patribus noſtris à Deo, ad quam* inquit, *duodecim tribus noſtræ, Deum nocte & die aſſiduè colentes, ſperant ſe deventuras* Act. x x v i, 6. 7. *Vitam* autem & *immortalitatem* Chriſtus *in lucem produxit per Euangelium* illuſtri ſuo adventu 2 Tim. i, 10. non quod vitâ & immortalitate caruerint Patres, ſed quod tantorum beneficiorum author in carne apparuerit, & Gratiam ſuam, dirutâ jam maceriâ, etiam ad Gentes diffuderit.

XXXIII. Neque hîc ſtandum Judæorum hodiernorum judicio, qui dicuntur fateri nullum apertum extare in ſua Lege de vita æterna teſtimonium; Nam *occalluerunt mentes illorum & uſque ad diem hodiernum in lectione veteris pacti manet* illud *velamen* quod *cordi eorum impoſitum eſt* 2 Cor. i i i, 13. 14. 15. Et cùm immortalitatem animæ, ejuſque poſt hanc vitam gloriam vel pœnam, meritò pertendant expreſſè haberi in ſuis Scripturis, neceſſum eſt ſtatuant, uti faciunt plerique, promiſſiones ſpirituales myſticè ſub terrenis comprehenſas fuiſſe. Quamvis autem infantilis ætas tribuatur illi veteri Eccleſiæ, ſtatuaturque *infans*, ætatis ſuæ reſpectu, *nihil differre à ſervo*, nihilominus tamen hæreditas ad illam pertinuit, ut hic *dominus eſt omnium* Gal. i v, 1. Chriſtus verò *tanto melioris pacti ſponſor factus eſt* & *Mediator, quod præſtantioribus promiſſis* ſancitum eſt Hebr. v i i, 12. v i i i, 6. & dicitur Legi *ſuperintroducta ſpes potior, per quam appropinquamus Deo* Hebr. v i i, 19. collatione factâ potiſſimum Euangelii cum Lege, non ſimpliciter V. T. cum Novo, niſi forte quoad gradus facilitatis, perſpicuitatis, diffuſionis; Spes enim Euangelio introducta potior eſt, ejuſque promiſſio præſtantior, quod Lex *quæ eſt infirma in carne* Rom. v i i i, 8. nihil potuerit *ad perfectionem adducere* Hebr. v i i, 19.

XXXIV. (a) Falluntur pariliter Pontificii, qui inter Vetus & Novum Teſtamentum id diſcriminis ſtatuunt, quod inter Legem & Euangelium eſſe agnoſcimus; nugantes Novum non ſolum docere facienda uti Vetus, ſed inſuper Gratiam imperata faciendi, quâ illud carebat, conferre, & per Legem, Spiritus Sancti efficaciâ cordibus inſcriptam, juſtificare; cùm juſtitia Euangelica non ſit operum, ſed fidei. (b) Sed & illud eſt peſſimi apud eoſdem commatis, etſi in eorum ſententiam hîc propendeat Arminius, quod negant pios & fideles qui ante Chriſtum natum vixerunt, fuiſſe admiſſos in cœleſtem gloriam, eoſque in neſcio quem Limbum ſubobſcurum detruſos volunt, reclamante exemplo Patriarcharum qui *per fidem exſpectabant civitatem quæ habet fundamenta* Hebr. x i, 10. Enochi *per fidem tranſlati ne videret mortem* Hebr. x i, 5. & Geneſ. v, 24. Eliæ *in cœlum turbine* aſſumpti 2 Reg. 11, 11. Lazari delati *in ſinum Abrahami* Luc. x v i, 22. ut ſcilicet, (metaphorâ deſumptâ à conviviis veterum, in quibus, qui honoratiori proximus erat, in ſinu ejus recumbere dicebatur,) *accumberet cum Abrahamo & Iſaaco & Iacobo in regno cœlorum* Matth. v i i i, 11. Unde patet *Sinum Abrahæ* Regnum cœlorum ejuſque fœlicitatem denotare;

Si-

a *Ejuſdem* generis *cum noſtris*. b *Et ſalutem eam illicò* poſt mortem *obtinuerunt*.

Simeonis seipsum ad mortem his verbis componentis, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum cum pace* Luc. II, 29. Latronis ipsius, cui dictum à Christo in cruce, *Hodie mecum eris in paradyso* Luc. XXIII, 43.

XXXV. Quod si hæc sententia obtineat, sequetur & consolatione omni in morte pios illos caruisse, contra quam videre est Psal. XXXI, 6. ubi David sic loquitur, *In manum tuam depono Spiritum meum; redemisti me Iehova, Deus fortis & verax;* & ad hominem, invocationem Sanctorum non fuisse in usu sub Veteri Testamento; cùm ex hypothesi Pontificiorum, invocatio mortuorum ad eorum beatitudinem pertineat. Quæ de sepulchro & morte dicuntur Genes. XXXVII, 35. & XLII, 38. *Descensurus sum ad filium meum lugens, Lesceol, in sepulchrum, cum mærore*, aut de captivitate Babylonica & peccati Zach. IX, 11. *Tu autem infecta sanguine fœderis tui, emisi vinctos tuos ex cisterna in qua nullæ sunt aquæ*, huc nullo modo trahi debent. Nec verus Samuel ex Limbo rediit, Pythonissæ carminibus magicis evocatus 1 Sam. XXVIII, 13. sed Dæmon Prophetæ personam mentiens è terra prodiit, ut plerumque *ipse Satanas se transfigurat in Angelum lucis* 2 Cor. XI, 14. Christus per Spiritum suum propheticum in Noa & aliis curavit olim euangelizari iis qui nunc sunt mortui; quò spectat illud 1 Petr. III, 19. 20. quod Christus *per* illum Spiritum, quo vivificatus est, *profectus, prædicavit etiam spiritibus* τοῖς ἐν φυλακῇ, *qui sunt in carcere, qui olim non obedierunt cùm semel exspectabat ille patiens Dei animus in diebus Noë*; item & istud 1 Petr. IV, 6. quod *mortuis quoque euangelizatum fuit, ut damnarentur quidem secundum homines, viverent autem secundum Deum*; sed humanum suum Spiritum in Patris manus moriens consignavit; *Pater in manus tuas depono spiritum meum* Luc. XXIII, 46. & ibid. 43. promisit Latroni quod secum eo die futurus esset *in paradyso*. Ipse verò *in inferiora terræ descendit* Ephes. IV, 9. suâ incarnatione, prout David de conceptione sua dicit *se factum in abdito, artificiosè confectum in imis partibus terræ* Psal. CXXXIX, 15. non locali descensu ad tartara vel limbos: Patres *non obtinuerunt* ἐπαγγελίαν Hebr. XI, 39. id est exhibitionem Christi in carne, unde Christo beati pronunciantur Apostoli quod viderent oculis suis, & auribus audirent, quæ videre & audire desiderarint *multi prophetæ & justi*, nec obtinuerint Matth. XIII, 16. 17. Eam tamen fide *amplexi sunt* & *eminus conspicati*, postquam *iis persuasa fuisset* Hebr. XI, 13. prout Abraham *gestivit ut videret diem* Domini, & *eum vidit ac gavisus est* Joh. VIII, 56.

XXXVI. *Priori* quoque *tabernaculo consistente* Hebr. IX, 8. *nondum manifestata erat illa via ad sacrarium* quam Christus nobis suo sanguine aperuit, eamque *dedicavit nobis recentem & vivam per velum, hoc est per carnem suam* Hebr. X, 20. non quod eam nesciverint aut non habuerint Patres sub V. T. *salvati æquè* ac nos *per gratiam Iesu Christi* Act. XV, 11. Sed partim quod cultus ipse cæremonialis, quà talis & ut Legi subserviebat, non poterat perducere ad salutem; partim quod rescisso nunc per medium velo, redemptionis illius plenior & luculentior quam tunc cognitio habeatur, & omnibus *ad thronum gratiæ*, uti dicitur Hebr. IV, 16. aditus pateat; *Ipse enim est pax nostra qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, inimicitiis, idest Lege præceptorum quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis; ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem, & utrosque in uno corpore conciliaret Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam; Et veniens euangelizavit pacem vobis, tum qui longè tum qui propè eratis, quoniam utrique per ipsum habemus aditum ad Patrem* Eph. II, 14. 15. 16. 17. Christus dicendo quod *nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, nempe filius hominis qui est in cœlo* Joh. III, 13. non negat quemquam ante illa tempora in cœlum esse ingressum, sed tantum neminem unquam Prophetarum ex ipso cœlo suam doctrinam attulisse, & nemini eorum tam eximiam rerum cœlestium cognitionem quam sibi obtigisse; cujus adeo obtinendæ gratiâ non est quod ampliùs dicas *in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? aut Quis descendet in abyssum*, cùm *prope te* sit *verbum illud fidei quod prædicamus* Rom. X, 6. 7. 8.

XXXVII. (a) Manet ergo id inconcussum, duo hæc Testamenta in substantia convenire, & falsò insuper Pontificios pertendere Sacramenta vetera ac nova in eo differre, quod illa gratiam conferrent, uti barbarè loquuntur, *ex opere operantis*, hæc verò agant ex *opere operato*; cùm in re significata & modo agendi essentiali conveniant; unde veteres statuuntur nobiscum *eandem escam spiritualem edisse, & eundem potum spiritualem bibisse; bibebant enim ex sequente spirituali petra; Petra verò illa erat Christus* 1 Cor. X, 3. 4. & opus ope-

a *Inde & Sacramenta significatione eadem* ...

operatum in Sacramentis noſtris, ſit inane figmentum Scholaſticorum, quod hactenus nequiverunt ſatis explicare. (*a*) Differt tamen Teſtamentum à Novo in multis circumſtantiis.

XXXVIII. I. *Tempore*; Nam Vetus ſpectabat Chriſtum exhibendum, Novum jam exhibitum: Sed qui *præceſſerunt* & qui *ſequuti ſunt*, unâ voce clamarunt *Hoſanna* Filio Davidis. II. *Duratione*; Nam illud, quicquid contra ſtrepant
J. Judæi, fuit antiquandum, juxta divinam promiſſionem; *Ecce dies venturi ſunt, dictum Iehovæ, quibus pangam cum domo Iſraëlis & cum domo Iudæ fœdus novum, non ſecundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum, quo die prehendi manum eorum ut educerem eos è terra Ægypti* Jer. xxxi, 31. Hebr. viii, 8. 9. & cultui illi operoſo & literali, alter facilior & magis ſpiritualis debuit ſubrogari per novum illud ſacerdotium de quo Pſal. cx, 4. *Iuravit Iehova & non pænitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci.* Id palam evincit Judaicæ Reipublicæ everſio, Tribuum confuſio, Templi in quo ille cultus erat peragendus irreparabilis per tot ſecula deſtructio. Debuerunt typi cedere veritati, umbræ corpori: unde Chriſtus *Pontifex futurorum bonorum* nuncupatur Hebr. ix, 11. Diſparem autem eſſe rationem Ceremoniarum & Legis moralis eſt certiſſimum; cùm illæ juris fuerint poſitivi, hæc naturalis & perpetui; Nec ideo Deus mutabilis; quia illas ſancivit demum *uſque ad tempus* διορθώσεως Hebr. ix, 10. Et vox *gnolam*, uſurpata de cultu Levitico ſervando, non abſolutam perpetuitatem ſemper ſignificat, ut nominatim videre eſt Exod. xxxi, 6. & Deut. xv, 17. ubi ſervus addictitius, ſerviturus dicitur *legnolam, in ſeculum*, ideſt uſque ad annum Jubilæum, ut patet ex Levit. xxv, 9. Aut ſi abſolutè urgeatur, pertinebit ad ſignificationem illius cultus, non ad ejus obſervationem: At Novum Teſtamentum eſt perpetuò duraturum, cum venerit *tempus* quo *neque in monte* Garizim, *neque Hieroſolymis* Pater ſit adorandus Joh. iv, 21. Quare ut ſuprà notatum, *Euangelium æternum* appellatur Apoc. xiv, 9.

XXXIX. III. *Amplitudine* ſeu loco: Nam illud ad populum Iſraëliticum demum ſpectabat; hoc promiſcuè & indiſcriminatim ad quoſlibet; *Verè deprehendo*, inquit Petrus, *Deum non reſpicere ad perſonam, ſed in quavis gente acceptum ei eſſe quemvis qui eum timeat & operam det juſtitiæ* Act. x, 34. 35. etſi quæ communiter dicuntur in Scripturis, ac diſtributivè in genera ſingulorum, uti aliàs obſervatum, non ſint intelligenda univerſaliter & collectivè de ſingulis generum. IV. *Claritate*; Nam clariùs nunc prædicantur & obſignantur promiſſiones ſalutis, ſublatis typorum & ceremoniarum velo & umbris. V. *Facilitate*; Quia adminiſtratio in V. T. longè fuit operoſior quam in Novo: cujus Sacramenta numero ſunt pauca, auguſta ſignificatu, obſervatu facillima.

XL. VI. *Suavitate*; Nam in Veteri Teſtamento frequentiùs urgetur Lex ejuſque perfecta obedientia; non quidem excluſis ſimpliciter promiſſionibus Euangelicis, ſed tamen eo fine ut magis rigoroſâ illâ obedientiæ exactione, populus adhuc pupillus quaſi ſub tutela contineretur, & ad quærendum Chriſtum compelleretur; At in Novo, frequentiores ſunt Euangelicæ promiſſiones, non tamen excluſâ Lege, ad novam obedientiam ex regenerationis gratiâ præſtandam impellente. Adhæc longè uberiùs & majori copiâ communicari debuit Spiritus Sanctus ſub Novo Teſtamento quam ſub V. juxta promiſſionem quæ extat Joël. ii, 28. cujuſque complementum in prima Pentecoſte Chriſtiana urget Petrus Actor. ii, 17. 18. *Et erit ultimis temporibus, dicit Deus, effundam ex Spiritu meo in quamvis carnem; & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt; & quidem in ſervos meos & ancillas meas in diebus illis effundam ex Spiritu meo & prophetabunt.* Huc maximè ſpectabat Chriſti invitatio, *Si quis ſitit veniat ad me & bibat; Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipſius fluent: Hoc enim dixit de Spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum* (inquit Euangeliſta) *nondum enim erat Spiritus Sanctus*, tam copioſè & liberaliter effuſus, *quia Ieſus nondum erat glorificatus* Joh. vii, 37. 38. 39. Et cùm ſub V. T. arcerentur rigidè fideles à ſanguine victimarum pro ſe oblatarum, ſub N. ſimus participes ſanguinis Chriſti pro nobis fuſi, qui ideo *ſanguis Novi Teſtamenti* dicitur Matth. xxvi, 28.

XLI. (*b*) Quoniam autem Dei Fœdus habet conditiones appoſitas, diſpiciendum eſt quomodo ſe ad illas homo habeat, & quid de ejus Libero Arbitrio ſtatui oporteat: (*c*) Animæ rationalis duæ principes ſunt facultates, *Intellectus & Voluntas*;

O Illius

a *V. & N. T.* differunt *multipliciter.* b *Occaſione vero Fœderis divini tranſitur ad* LIBERUM ARBITRIUM.
c Animæ *Facultates duæ*;

Illius objectum ſtatuitur Verum, hujus Bonum; & quod in Intellectu eſt affirmatio & negatio, illud eſt in Voluntate deſiderium & fuga: (*a*) Cùm verò intelligibile ſit duplex, vel contemplandum vel agendum, hinc Intellectus duplex conſtituendus, *Theoreticus*, qui circa contemplanda, & *Practicus*, qui circa agenda verſetur; Hujus autem judicium vel eſt abſolutum & primum, quod rem conſiderat in ſe & pronunciat quid bonum quid malum; vel comparatum & ultimum, quod rem cum aliis rebus & circumſtantiis comparat & decernit quid hîc & nunc ſit melius aut deterius.

XLII. Quod eſt in Intellectu Speculativo Intelligentia circa principia Theoretica, idipſum eſt in Practico Syntereſis & Conſcientia, quarum illa conſervat ſumma diſcrimina honeſti & turpis & Legis Dei notitiam; hæc propria facta ad illius regulam exigit; Si conſonent, naſcitur inde tranquillitas & pax: ſi diſcordent, anxietas & tormentum. (*b*) Ea verò eſt natura *Voluntatis* diſtinctè ab intellectu, non ut ſit planè indeterminabi-
P.R. lis niſi à ſeipſa, ut volunt Pelagiani Veteres & Novi, cùm è contrario ſeipſam non determinet: ſed quod conditione ſuâ indeterminata, *extrinſecùs* quidem à Deo, ceu prima cauſa & primo movente, *intrinſecùs* verò ab ultimo judicio intellectus practici cui ſubeſt, ſemper citra coactionem, determinetur.

XLIII. (*c*) Etenim voluntas eſt appetitus intellectivus & rationalis, & cùm non poſſit ferri in malum quà tale, neceſſariò debet ferri in bonum quod conveniens fuerit judicatum, adeo ut ex duobus etiam bonis, ſemper ſectetur illud quod hic & nunc melius viſum fuerit; prout ex duobus malis, non poteſt præferre, quicquid deli-
S. rent Sociniani in contrarium, id quod majus videtur; nam ibi minus bonum induit rationem mali, hîc boni, minus malum: Nec enim aliàs homo cenſeretur in voluntariis agere ἐκ προαιρέσεως; & nemo eſt qui rogatus cur hoc vel illud velit, poſſit aliter reſpondere quam ita ſibi viſum eſſe; & cùm voluntas Angelorum & Beatorum moveatur neceſſariò in Deum lumine intellectus, æquum eſt ſemper voluntatem rationis judicio & lumine in ſuum objectum ferri. Agnoſcunt hoc tacitè qui alicujus inflexuri voluntatem, exquiſitiſſimas conferunt rationes quibus perſuadeatur; Ideoque nullum eſt peccatum, juxta illud, *Anima peccans eſt ignorans*, quod non refundi debeat in præcedaneum aliquem errorem mentis & defectum judicii; unde peccatum *Chata*, *ἁμαρτία*, *ἀγνόημα*, *ſtultitia*, *aberratio*, tam frequenter vocatur in Scripturis.

XLIV. Hinc vera Chriſti notitia in mente, indivulſo nexu cohæret cum charitate voluntatis; *Hæc eſt* enim *vita æterna*, inquit Chriſtus ad Patrem, *ut te cognoſcant eſſe illum ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* Joh. XVII, 3. Et *qui dicit novi eum, & præcepta ejus non obſervat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt*; imò *qui dicit ſe in luce eſſe & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc* 1 Joh. II, 4. 9. Et varia noſtri proferunt argumenta quibus fidem à bonis operibus eſſe inſeparabilem docent, nempe ex Act. XV, 9. ubi dicuntur *fide purificari corda noſtra*, Gal. V, 6. ubi *fides per charitatem efficax* appellatur, Jac. II, 26. ubi *fides abſque operibus mortua* eſſe dicitur. Qui peccant contra ſcientiam & conſcientiam ſuam & rationis judicium practicum abſolutum, etiam Spiritus Sancti aliquo lumine colluſtratum, ſequuntur tamen illius judicium comparatum, nec ab omni errore hac in parte ſunt immunes: Quin primus gradus ad lapſum in primis parentibus, qui *ſeducti* fuiſſe dicuntur 1 Tim. II, 14. fuit error in mente. Habitus quidem boni & mali dantur in voluntate, ſive voluntatis reſpectu, quatenus morales ſunt, ſed mediante intellectu per quem & ingenerantur & eorum actus eliciuntur. Atque per hos habitus non ipſa voluntas ſeorſim, ſed totum ſuppoſitum faciliùs cenſetur operari. Deus quoque movet, flectit, determinat, voluntatem ad benè operandum, ſed per intellectum cui ſubeſt, (eſt enim ipſe intellectus ſedes fidei ſalvificæ) idque non morali tantum ſuaſione, qualem fingunt Arminiani & qui cum illis, ſed efficaciſſi- R.
mâ perſuaſione, cui non poſſit non obſequi; *Allicit* enim *Deus Iaphetum ut habitet in tentoriis Semi* Gen. IX, 27. & revocaturus gentem Iſraëliticam ad officium, dicitur *pellecturus eam, quùm deduxerit eam in deſertum, & eloquuturus quæ ſunt ei cordi* Oſ. II, 14. Et ſanè ut illud Chriſti verum eſt, *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet*, ſic & iſtud ejuſdem eſt certiſſimum, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum, & ego ſuſcitem ipſum ultimo die* Ioh. VI, 37. 44.

XLV. Determinatur autem voluntas ab intellectu, tum *effectivè*, non quod volitio ſit a-

ctus

a 1. Intellectus, *duplex*. b 2, Voluntas; c *Quæ ſubeſt Iudicio ultimo rationis.*

ctus judicii elicitus, sed quod à judicio excitante & dirigente fit determinatio voluntatis ad agendum; tum *objectivè*, non quod intellectus nudè & simpliciter proponat objectum voluntati, quæ
R. est suasio moralis Remonstrantium, (nec sanè proponi potest objectum voluntati expendendum, sit ne illud amplexura nec ne, cùm facultas sit cœca) sed quatenus judicium ultimum rationis, de objecto quod sibi obversatur ita pronunciat, ut illud hîc & nunc atque omnibus consideratis statuat amplectendum; cui judicio ex naturali sua constitutione voluntas obsequi tenetur: Summum itaque imperium dedit Deus in homine rationi oculatæ, non voluntati cœcæ; & quamvis voluntas cœteras facultates moveat, ipsam tamen à ratione, ceu primo mobili in Microcosmo, moveri oportet.

XLVI. (*a*) Adduplicem autem hanc facultatem conjunctim pertinet Liberum Arbitrium, superbo nimis nomine dictum Græcis αὐτεξούσιον, quod perperam à Iesuitis, Remonstrantibus, Socinianis, definitur, Facultas quâ homo P.S. R.
positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere: Quamvis enim possit utcunque, cum sanioribus è Thomistis, hæc definitio tolerari in sensu *diviso* & intellecta de *simultate potentiæ*, ea tamen absolutè est falsa in sensu *composito* & de *potentia simultatis*; quia sic homo fieret ens independens, efficacia Gratiæ & Dei consilia ex illius Arbitrio suspenderentur, nec eventus liberi à Deo præsciri possent; imò & Deo, & Christo viatori, & Angelis, & beatis, libertas Arbitrii esset abroganda.

XLVII. (*b*) Quare liberum arbitrium commodiùs & veriùs definitur *facultas agendi quod lubet præeunte judicio & consilio*; ita vt suorum actuum, quâ scilicet ipsius sunt, homo quodammodo sit Dominus (dominio non absoluto & alodiali, sed subordinato primo enti & dependente à Deo, *in quo sumus, vivimus, & movemur* Act. XVII, 28. adeo ut agnoscat Propheta Ier. X, 23. *non esse penes hominem viam ipsius, nec esse penes virum ambulantem vel dirigere gressum suum*, & Deus Sancheribo minetur his verbis Es. XXXVII, 29. *Quoniam tu furis contra me & tumultuatio tua ascendit ad aures meas, ideo ponam hamum in naso tuo, & frænum meum inter labia tua, & reducam te viâ illâ per quam venisti*) (*c*) & actus voluntatis sint liberi, I. à Coactione: Nullo enim modo voluntas quoad actus suos elicitos cogi potest, imò accuratè loquendo in hac sola libertate à coactione libertas arbitrii in omni actu humano consistit. II. à Necessitate physica & naturali, quæ est solorum agentium naturalium & ratione destitutorum: nam voluntas ex se quadantenus, non quidem *positivè*, sed *negativè* saltem, indifferens est ad opposita, nec physicè & intrinsecè ad unum oppositorum determinatur.

XLVIII. Hac libertate hominem spoliare non licet, eam enim semper exerit in agendo ut lubet, ἑκουσίως, & ex consilio (ne lubentia putetur eadem omninò esse cum spontaneitate belluarum ἐξ ὁρμῆς agentium, licet & in illis imago quædam sit libertatis humanæ) sive benè agat, sive malè, (*d*) sive actus sit exercendus tantum, & tum dici potest libertas *contradictionis*, sive sit specificandus, & tum appellatur libertas *contrarietatis*: Quinimò in omni actione libera & voluntaria, utraque hæc libertas est admittenda: nam eadem libertate quâ agens vult agere, vult etiam non cessare, & eâ quâ vult agere, vult quod ei opponitur omittere. Non est tamen de libertate arbitrii humani, ut sit immune, I. à Servitute; cùm etiam liberè & ultrò peccet qui *servus est peccati* Ioh. VIII, 34. Rom. VI, 16. II. à Necessitate eventus aut dependentiæ à Deo, cujus Providentiæ subsunt non minus agentia libera quam naturalia, quia omne ens in essendo & omne agens in agendo pendet ab illo. III. à Necessitate determinationis voluntatis per intellectum; cùm voluntatis naturæ repugnet quicquam velle, vel sine ratione, vel contra rationem. Et qui, ut nominatim Iesuitæ ac Remon- P.R.
strantes, omnem necessitatem statuunt pugnare cum libertate arbitrii, illi admodum perperam & sentiunt & loquuntur; quippe qui agnoscant hominem necessariò velle finem (hoc enim negare cum Socinianis, est planè delirare,) & ip- S.
sam volitionem dum est in actu esse necessariam, quia quicquid est, dum est necesse est ut sit.

XLIX. Lutherani itaque doctores vitiosè sibi L.
contradicunt, dum ab una parte contra Pontifi- P.
cios & Arminianos benè pertendunt, non omnem R.
libertatem arbitrii necessariò exposcere libertatem à necessitate; allato etiam exemplo Dei, Angelorum, & Beatorum; adeo ut cùm in Scripturis τὸ ἑκούσιον τῇ ἀναγκῇ opponitur, necessitas hæc solam coactionem notet, quando-

a *Ad utramque pertinet* Liberum Arbitrium. b *Quid illud* 1. In genere entis, c *Convenit ei* Libertas à *Coactione & Necessitate physica*, d *Item Contradictionis & Contrarietatis*.

doquidem etiam Græcis *ἀναγκάζειν* ſit *cogere*, ut Luc. XIV, 23. *ἀναγκάζον εἰσελθεῖν*, *coge intrare.* Huc etiam adferunt locum 1 Cor. VII, 37. *Qui ſtabilis perſtat in corde*, *μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος*, ideſt facultatem habet exequendi quod conſtituit, nec cogitur aliud facere, *& hoc decrevit in corde ſuo ut ſervet ſuam virginem, benè facit*; Ibi enim *ἀνάγκη*, meram neceſſitatem coactionis, ſi non phyſicæ, ſaltem moralis, ſonat; prout com. 39. libertas intelligitur à coactione, cùm mulier, cujus maritus mortuus eſt, pronunciatur *ἐλευθέρα ᾧ θέλει γαμηθῆναι*; Sic Paulus 1 Cor. IX, 6. ſibi & Barnabæ tribuit *ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι*, quò ſignificet ſe non cogi ad operandum: Ita citra ſententiam Philemonis in Oneſimi negotio ad Phil. 14. nihil voluit facere, *ἵνα*, inquit, *μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον*: & Petrus paſtores hortatur ut gregis *vacent inſpectioni*, *μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ᾽ ἑκουσίως*, *non coactè ſed libenter.* Ab alia verò parte adverſus noſtros aſſerunt perperam, non ſolum immunitatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate eventus & conſequentiæ ex Dei Decreto vel concurſu, ad arbitrii libertatem requiri; quod nihil aliud eſt quam Deo arbitrii humani regimen omne extorquere, contra infinita Scripturæ teſtimonia.

L. Hæc eſt igitur conditio liberi arbitrii abſolutè & in genere *entis* conſiderati(*a*); at ſi illud relatè ad Dei Fœdus & in genere *moris* conſideremus, primò facilè damus primos noſtros parentes in ſtatu integritatis(*b*) habuiſſe plenam libertatem ad *ὁπότερον*, inſtar bilancis in æquilibrio, aut globi in plano, ut hac vel illac impelli æquè facilè potuerit; cùm & potuiſſent ſi voluiſſent permanere in illa fœlicitate, & potuerint ultrò ac liberè, uti eventus ſatis docuit, ab ea excidere. *Solummodo hoc inveni*, inquit Salomon, *Deum feciſſe hominem rectum, ipſos autem ſibi quæſiviſſe ratiocinia plurima* Eccl. VII, 29. Neque enim erant ad juſtitiæ exercitium immutabiliter determinati, etſi ad illud per juſtitiam originalem & imaginem Dei ordinati ac diſpoſiti fuiſſent. At fœderis gratiæ reſpectu hominis arbitrium ſe non eodem modo habet, *antecedenter* & *conſequenter* ad illud.

LI. (*c*) Nam homo prius quam Dei vocatione efficaci ad fœdus gratiæ admittatur, & quamdiu remanet in corruptionis ſuæ nativæ ſtatu, necdum tranſlatus eſt ex poteſtate tenebrarum in regnum lucis, etſi per reliquias imaginis Divinæ, aliquid adhuc poſſit circa bonum naturale & morale externum, ſive juſtitiam externæ diſciplinæ, in quantum ipſæ *Gentes quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis ſunt* utcunque *faciunt*, & hactenus *ſibi ipſis ſunt Lex, ut qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis* Rom. II, 14. 15. quomodo Paulus ante ſuam regenerationem, *quod ad juſtitiam quæ eſt in Lege irreprehenſus* tamen erat Phil. III, 6. (quanquam homo irregenitus hoc qualecunque non præſtet citra generale quoddam auxilium Dei *in quo vivimus & movemur & ſumus* Actor. XVII, 28. ipſiſmet Ethnicis agnoſcentibus nullum virum magnum extare ſine afflatu divino; vel abſque magna difficultate, propter affectuum perverſitatem, & vim concupiſcentiæ, & prava exempla, & Satanæ *efficacem* operationem *in filiis rebellionis* Eph. II, 2. qui detinentur illius *laqueo, ab eo captivi facti ad ipſius libitum* 2 Tim. II, 26.) (*d*) Attamen in *ſpiritualibus* & ſalutaribus, eouſque eſt mente captus, & voluntate corruptus, ac peccato mancipatus, ut *ἑκουσίως* quidem ac liberè feratur in malum, ſed tamen planè neceſſariò, & nihil boni ſpiritualis ac ſalutaris præſtare poſſit.

LII. Eam peccandi neceſſitatem, & benè agendi in ſpiritualibus impotentiam abſolutam, quæ objectivè *moralis* eſt, *ſubjectivè* phyſica & *naturalis*, prout *naturâ filii iræ* dicimur Eph. II, 3. quicquid contra crepent Pelagiani, Pontificii, Synergiſtæ, Remonſtrantes, Sociniani, Weigeliani, Scriptura Sacra adſtruit variis locis, quibus noſtram corruptionem ſub peccato, mortem in peccatis, & gratiæ Divinæ in noſtra converſione neceſſitatem ac efficaciam graphicè depingit: Sic enim *omne figmentum ac cogitationes cordis humani* dicuntur *tantummodo malum eſſe omni tempore*, etiam *à pueritia ipſius* Gen. VI. 5. VIII, 21. Et faciliùs *mutare poſſet Æthiops cutem ſuam aut pardus liventes maculas ſuas*, quam homo corruptus quicquam *benè facere*, ut pote cujus *fraudulentum cor ipſum eſt ſupra omnia & mortiferum* Jer. XIII. 23. XVII, 3. Nec ſanè *poteſt arbor mala fructus bonos ferre* Matth. VII, 18. aut caro *ſubjici Legi Dei* Rom. VIII, 7. aut *homo animalis cognoſcere quæ ſunt Spiritus Dei* 1 Cor. II, 14. aut

P. R S. W.

a 2. In genere moris, b 1. *In ſtatu* integro, c 2. Corrupto, *ſub quo ejus aſſeritur* d Impotentia ad bonum.

aut quiſpiam *ſeorſum* à Chriſto *quicquam facere boni* Joh. XV, 5. imò ne quidem *cogitare* 2 Cor. III, 5. multo minus ad Chriſtum *venire niſi Pater traxerit eum* Joh. VI, 44. Quippe qui ſub peccato *nullis* planè ſit *viribus* Rom. V, 6. *faciens ſolum quæ carni & cogitationibus ejus lubent* Eph. II, 3. atque *ambulans in vanitate mentis ſuæ, tenebris obſcuratam mentem habens, & alienatus à vita Dei propter ignorantiam quæ eſt in eo, & obdurationem cordis ſui* Epheſ. IV, 17. 18. adeoque proclivis maneat ad omne malum, ineptus ad omne bonum, quamdiu non dederit ipſi *Iehova mentem ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum* Deut. XXIX, 4. & *amovendo cor lapideum à carne ejus indiderit ei cor carneum* Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. ac *reſplenduerit in corde illius ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti* 2 Cor. IV, 6. & in ipſo fuerit *operatus & ipſum velle & ipſum agere pro gratuita ſua benevolentiâ* Phil. II, 13. (*a*) Hoc igitur reſpectu arbitrium hominis jurè merito *ſervum* dici debet, quandoquidem *ſervus eſt peccati, quiſquis operam dat peccato*, teſte Chriſto Joh. VIII, 34. & *An neſcitis*, inquit Paulus, *quod cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis cui auſcultatis, ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam* Rom. VI, 16. Quare & ſeipſum, oppoſitè ad regenerationis gratiam, *carnalem* confitetur, *venditum ut ſubjiceretur peccato* Rom. VII, 14. (quamvis enim totus ille ſermo ſit Pauli jam regeniti, tamen id quod notamus ei conveniebat partis nondum regenitæ reſpectu;) & Petrus de improbis, *libertatem* nequicquam aliis promittentibus, aſſerit quod *ipſi ſint ſervi corruptelæ*, hoc generali axiomate, *Siquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus* 2 Petr. II, 19. Et ſanè bonum ſpirituale aut prorſus ignorat, aut extrinſecè patefactum improbat & averſatur, & præ illo malum, falſâ ſpecie boni indutum, approbat & ſequitur; *Venit tempus*, inquit Chriſtus Joh XVI, 2. *quùm quiſquis vos interemerit, putet ſe cultum præſtare Deo.*

LIII. Neque hac doctrinâ tolluntur præcepta, conſilia, monita, objurgationes, minæ, promiſſiones, laudes, increpationes; ut clamitant adverſarii; quia ſaltem hæc omnia homini corrupto oſtendunt quid debeat; & frænum aliquod imponunt externæ diſciplinæ illius corruptioni, ne quâ datâ portâ ruat in ſocietatis humanæ totalem perniciem; & media ſunt externa quibus Deus ſuos convertit & converſos continet in officio. Sed hinc liquet contra hoſtes omnes gratiæ ſuprà nominatos, I. Externas irregenitorum actiones, utut *civiliter* & comparatè ad aliorum ſcelera bonas, tamen quod non benè fiant, nec ex fide, revera eſſe peccata, quoniam *quicquid ex fide non eſt peccatum eſt* Rom. XIV, 23. *nec fieri poteſt ut abſque fide quiſquam Deo ſit gratus* Hebr. XI, 6. ac ſicut *omnia munda ſunt mundis*, ita *pollutis & incredulis nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia* Tit. I, 15.

LIV. II. Hominem irregenitum nullam habere dignitatem vel abſolutam vel comparativam, & nullum meritum de congruo, reſpectu vocationis ad fœdus gratiæ; quia omnes ex aſſe ſunt indigni; *Non eſt juſtus, ne unus quidem, non eſt qui faciat bonum, non uſque ad unum* Rom. III, 10. 12. III. Nec eum poſſe lumine naturæ, ſive donis poſt lapſum relictis, quibus gratiam communem perperam definiunt, tam rectè uti, ut majorem gratiam & ipſam ſalutem gradatim obtineat: *Indicat* enim *Deus verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraëli, non fecit ita ulli genti, ideoque jura iſta non noverunt* Pſal. CXLVII, 19. 20. ſed *præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere* Act. XIV, 16. IV. Nullam ei à natura ineſſe potentiam ſive activam ſive paſſivam, ad fidem & regenerationem, qui ſunt actus planè ſupernaturales, ſed tantum obedientialem; quatenus ut animal rationale intellectu & voluntate præditum, utraque facultate corruptiſſimum, ſubjectum eſt δεκτικὸν per gratiam regenerationis & fidei, ut vitæ Lazarus mortuus, viſus cœcus natus.

LV. (*b*) Cùm ergo ſic ſe habeat liberum hominis arbitrium ſub peccato & *antecedenter* ad Fœdus gratiæ, nemo poteſt actu & intrinſecè inſeri huic fœderi, niſi efficaciſſimâ & præpotenti Spiritus Sancti operatione illuminetur, fide donetur & in novum hominem reformetur. Huc ſpectat & Jeremiæ votum, *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus*; & apud eundem ſanctio novi fœderis, *Hoc illud eſt fœdus quod pangam cum domo Iſraëlis poſt dies hos, dictum Iehovæ; indam Legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus* Jer. XXXI, 18. 33. Item apud Ezechiel. XXXVI, 26. 27. *Dabo vobis cor novum & Spiritum novum ponam in medio veſtri, & amovens cor lapideum è*

a *Ac Servitus.* b *Unde illud patet ſe* paſſivè *habere ad Converſionem.*

carne vestra indam vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis facientes ea; Hinc commendatur *supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus pro efficacitate roboris virium ipsius* Eph. I, 19. juxta quam *opus fidei potenter* complet in nobis 2 Thes. I, II. *prout divina vis ipsius omnia nobis donavit quæ ad vitam & pietatem pertinent* 2 Petr. I, 3. Ut autem ad primam hanc sui conversionem & resurrectionem spiritualem, homo peccator se habet merè *passivè*, absque ulla cooperatione liberi arbitrii, (tantum abest ut penes illud sit efficaciam gratiæ convertentis determinare) *nec enim est volentis aut currentis, sed miserentis Dei* Rom. IX, 16. à quo *accepisti* quicquid *habes* I Corint. IV, 7. & *ex quo est quod idonei sumus* 2 Cor. III, 6. quippe *qui efficiat & ipsum velle & ipsum agere* Phil. II, 13. cùm etiam *fides non sit omnium* 2 Thess. III, 2. nec *ex nobis*, sed singulare & speciale *Dei donum* Ephes. II, 8. *quia gratis datum est nobis in Christi negotio, credere in eum* Phil. I, 26. Sic Deus eam insuperabiliter operatur, edomitâ omni resistentiâ & rebellione naturæ corruptæ, & irresistibiliter, etsi ea vox
R. non placeat Arminianis, lumen tam gratum & efficax menti humanæ affundit, ut citra coactionem, aut nativæ libertatis læsionem, peccator ex nolente fiat volens, & tractus à Christo ad illum veniat & currat, juxta illud votum Ecclesiæ, *Trahe me & curremus post te* Cant. I, 4. Ad quam efficaciam referri potest illud Prophetæ, *Pellexisti me Iehova quando pellectus sum, fortior fuisti me & prævaluisti* Ier. XX, 7.

LVI. (*a*) Homo verò sic conversus & verâ ac salvificâ fide Fœderi gratiæ ac Christo insitus, novas accipit vires à Deo, ex quibus etiam *activè* & liberè incipit novæ vitæ studere, nativæ suæ corruptioni resistere, & Fœderis conditionibus insistere: quarum etiam virium respectu & in actu primo, plus boni posset facere quam revera facit, ut sua ἡττήματα in seipsum, non in auxilii Divini defectum, debeat rejicere; etsi nihil boni revera faciat vel mali vitet, nisi quatenus illæ in actu secundo à Spiritu regenerationis cientur & excitantur. Sed cùm in hac vita regeneratio sit tantum inchoata & adfecta, sæpè etiam regeniti cæspitant & labuntur; carne adversus Spiritum concupiscente, & pios quoslibet ad peccata, quandoque etiam valdè gravia, altèque conscientiam vulnerantia, retrahente; sic tamen, ut propter firmam Dei electionem (ex qua *possibile non est electos seduci* Matth. XXIV, 24.) & *semen* ejus *in illis manens*, unde *peccare non possunt*, peccato regnante & quod sit ad mortem, *eo quod ex Deo nati sint* I Joh. III, 9. V, 18. totaliter & finaliter ab eo fœdere deficere nequeant; *Solidum enim fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sunt sui* 2 Tim. II, 19. Et si qui deficiunt, *è nobis* quidem *egreduntur, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum* I Ioh. II, 19. Ut sic constet nos multò plus in Adamo secundo recuperasse, quam amiseramus in primo. Hic corrupit nobis domum lateritiam; ille marmoream restituit.

LVII. Summa est, liberum arbitrium in statu integritatis fuisse ἀμφιῤῥεπὲς & mutabile: sub peccato corruptioni simpliciter & totaliter mancipatum & omnibus viribus ad bonum salutare destitutum extitisse: sub Fœdere gratiæ in electis & fœderatis ita per lumen fidei à servitute liberari, & in bono salutari confirmari, ut (licet per varias infirmitates, quibus Sancti sunt adhuc obnoxii) nunquam penitùs gratiâ liberante ac medicinali quæ est in Christo excidere queat, sed in illa sit perseveraturum certò, donec tandem in Patria & cœlesti gloria absolutam liberationem à peccato, miseria & omni mutatione consequatur, & cum plena & totali lubentia in summum bonum feratur; succedente scilicet lumini Gratiæ, lumine Gloriæ.

a 3. Restituto,

LOCVS NONUS;

De

PERSONA ET STATU

Jesu Christi.

Beneficiorum omnium Euangelio nobis promissorum, fons & autor est Jesus Christus, (*a*) Novi Testamenti *Mediator* 1 Tim. II, 5. & uni cum illud *nomen datum sub cœlo per quod oporteat nos servari* Act. IV, 12. Ut meritò Apostolus gentium nihil aliud sibi *proposuerit* vel *scire*, vel docere, quam *Iesum Christum eumque crucifixum* 1 Cor. II, 2. (*b*) Jesus dicitur, nomine ipsi divinitùs per Angelum imposito, *Vocabis nomen ejus Iesum* Matth. I, 21. Luc. I, 31. non voce Græcâ ab ἰάω *sano*, ut placuit nonnullis Veterum, quamvis non dissimulandum sæpè hæc duo ἰᾶσαι & σώζειν, pro eodem sumi; & qui Judæi *Iasones* Græcè dicti sunt, videntur hoc nomen *Iesus* apud suos obtinuisse; Nec etiam nomine Hebraico composito, ex *Iehova* & *Isch*, ut Reuchlino & Osiandro placuit; aut, ut volunt alii, ex *Iehova* & *Schuang*; Sed à verbo *Iaschang*, quod in Niphal *Noschang*, significat *servatum* esse, in Hiphil *Hoschiang*, *servare*, *liberare*; adeoque ex *Iehoschuang*, Hebræo, quod Judæi per ἐκφαυλισμὸν pronunciant *Ieschu*, factum est Ἰησοῦς. J.

II. Hoc verò nec per aspirationem *Ihesus*, nec Jesuitico more per tres litteras, IHS, quarum mediæ crux imponatur, scribendum est. Significat propriè σωτῆρα *Servatorem* & *Salvatorem*, ut frustrà contendant quidam Lutherani, hoc melius quam illud dici: Quod si posterior appellatio ceu minùs Latina, prior ut minùs expressa, non satis placuerit, per nos liceat *Sospitatorem* appellari. Ratio nominis additur ab Angelo Matth. I, 21. *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius.* (*c*) Est autem Iesus Servator, non *typice* & quod ad aliquam liberationem externam, sed *propriè* & quantum ad salutem æternam, non *instrumentaliter* tantum, ut cavillantur Sociniani, sed *principaliter* & primariò, idque respectu utriusque termini à *quo* & ad *quem*, tum *merito*, tum *efficaciâ*; ut etiam ipsa *Salus* & fons salutis meritò dicatur Gen. XLIX, 28. Es. XII, 3. Luc. II, 30. Cujus typus fuit ut in *Nomine* uterque, sic in *Ducatu* filius Nun Mosis successor, & in *Sacerdotio* filius Josedech, de quo Zach. III, 1. Quod verò Messias dici videtur *Noschang*, passivè, *Rex tuus adveniet tibi justus Venoschang*, Pagninus *& salvatus*, Junius *& salute præditus* Zach. IX, 9. non obstat huic nomini; tum quia servandus fuerit à seipso, prout ipse introducitur dicens, *Salutem attulit mihi brachium meum* Es. LXIII, 5. tum quod Thargum illud *Noschang* activè reddidit, estque idem quod *Mosciang*. Deut. XXII, 27. ubi agitur de puella desponsata, in agro per vim compressa quæ *clamaverit nec fuerit qui conservaret eam.* P. L. S.

III. (*d*) Absurdè censent Pontificii nomen hoc *Iesu* sanctius, venerabilius & majus esse nomine ipso τετραγραμμάτῳ *Iehova*; cùm hoc nulli creaturæ legatur unquam inditum, ut illud, nec præferri debeat nomen θεανθρώπου nomini Dei essentiali. Absurdiùs huic nomini prolato, vel scripto, cultum aliquem religiosum deberi statuunt, cùm Phil. II, 13. *nomen Iesu ad quod omne genu se flectat*, non *materialiter* pro seipso, sed *formaliter* pro persona denominata supponat; Ut superstitione teneantur etiam Lutherani, qui Papistico more, audito nomine Jesu caput aperiunt & flectunt genu, non tamen auditis nominibus Dei, Christi, aut Redemptoris. Absurdissimè verò ac Kabbalistico & Magico more, iidem Pontificii hoc ipsum nomen, aut de collo sibi pro amuleto suspendunt, chartæ pergamenæ certo ritu inscriptum, aut ædium suarum valvis affigunt, cum nominibus Mariæ & Annæ, ceu prophylacticon contra pestem; cùm cordi potius fuisset vivâ fide ad solamen conscientiæ & animæ salutem inscribendum. P. P. L. P.

VI.

a CHRISTI. Nomen. *b* Jesus, *unde*. *c* *Qualis*. *d* *Nominis Iesu* cultus;

IV. (*a*) Christus dicitur voce Græcâ à χρίω *Vngo*, ut sic *Maschiak* Hebræorum exprimatur. Ejus autem unctio non externa fuit & sensibilis, ut quondam in Israel, I. Sacerdotum; *Aaronem & filios ejus ungito, ita sanctificaveris eos ut Sacerdotio fungantur mihi* Exod. XXX, 30. II. Regum; *Tunc acceptâ Samuel lenticulâ olei perfundens caput* Saulis *osculatus est eum & dixit, Annon unxit te Iehova in antecessorem super possessionem suam?* 1 Sam. X, 1. & quandoque III. Prophetarum etiam; ut dictum fuit divinitùs Eliæ, *Iehu filium Nimschi ungito in regem super Israelem, & Elizæum filium Schaphati Abelmeeholanum, ungito in Prophetam loco tuo* 1. Reg. XIX, 16. Sed planè spiritualis & mystica; quæ complectitur & Personæ ipsius ordinationem ad Redemptionis nostræ opus Mediatorisque munus, & Spiritus Sancti Charismatum necessariorum effusionem in ipsum plenissimam; *Nec enim ei Deus admetitur Spiritum suum* Joh. III, 34. sed *unxit* ipsum *oleo gaudii præ consortibus suis* Psal. XLV, 8. Unde ipsemet ita loquitur Es. LXI, 1. *Spiritus Domini Iehovi est super me, quod unxit Iehova me ad euangelizandum mansuetis* &c. Nomen *Iesu* salutis beneficium, quod ab illo expectandum, denotat; Cognomen *Christi*, officium per quod illud nobis acquirit & confert. Illud Hebraicum est, hoc Græcum, (ut cùm Deus vocatur *Abba Pater* Rom. VIII, 15.) quia Judæorum & Græcorum indiscriminatim Redemptor est.

V. (*b*) Ut à Petra Petrus, sic à Christo Christianus dicitur; atque is demum verè & *univocè*, (non *æquivocè* tantum aut denominativè) talis est, P. non qui Pontificio & superstitioso more delibutus fuerit oleo quodam externo, vel catechumenorum, vel fidelium, vel infirmorum, cujus nec vola nec vestigium extat in sacris literis; sed qui sui per fidem insitione in Christo, oleo mystico Spiritus illuminantis & regenerantis perfunditur; *Qui nos confirmat vobiscum in Christum & unxit nos Deus est, qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordibus nostris* 2 Cor. I, 21. 22. *Vos unctionem habetis à Sancto illo & nostis omnia* 1 Joh. II, 20. & illo Regio Sacerdotio defungitur, de quo 1 Pet. II, 5. 9. ubi pii dicuntur *regale Sacerdotium*, & facti *Sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum*; Sic etiam Apoc. I, 6. & V, 10. dicimur per Christum facti *Deo & Patri* suo *Reges & Sacerdotes*.

VI. Nomini autem Christiano contumeliosi sunt Monachi, qui à Dominico, Francisco, P. Antonio, Berullo, quam à Christo denominari malunt; quod tamen literis sacris contrarium est; Sic enim carpuntur Corinthii, ceu *carnales*, quod alter *Pauli*, alter *Apollo*, alter *Cephæ* se esse dicerent 1 Cor. I, 12. III, 4. Sed inprimis ad P. Minoritarum blasphemiam, quâ suum Franciscum, *Iesum typicum* solent salutare, cùm nec ille agyrta typus fuerit Christi, nec Christus illius, etiam auctarium adjecerunt Loyolitæ, qui novo, schismatico & ambitioso titulo, se omnes Jesuitas & Jesu Socios audent vocitare, eodem proculdubio sensu quo Servator Judam *Sodalem* salutabat Matth. XXVI, 50. ἑταῖρε, sive *Sodalis, quorsum ades?* cùm nos Christianos Christus faciat unctionis suæ spiritalis communicatione, sed nomen Jesu sibi soli servet, eò quod non sit *salus in alio* Act. IV, 12. Quin & videant qui in Germania *Lutherani* volunt vocitari in ne- L. gotio religionis, num aliquid sibi affricent illius carnalitatis quam Corinthiis suis Apostolus exprobrabat.

VII. (*c*) Est autem Jesus Christus *Filius Dei æternus, qui in plenitudine temporum assumtâ in unitate personæ naturâ nostrâ humanâ, in utero B. Virginis ex illius semine per Spiritum Sanctum conceptâ ac conformatâ, noster Emmanuel & verus* θεάνθρωπος, *adeoq; dignus Mediator inter Deum & homines extitit*: (*d*) Quamvis enim unica sit λόγου & Iesu nostri persona, tamen ea potest considerari vel Theologicè, idest simpliciter & præcisè quà persona λόγου & secunda Trinitatis, vel œconomicè, idest compositè quà persona θεανθρώπου, (*e*) utrâque constans naturâ, divinâ & humanâ. Hæc assumtio naturæ humanæ à persona λόγου, vulgò *incarnatio* appellatur ex Joh. I, 14. *Sermo caro factus est*, & 1 Tim. III, 6. *Deus conspicuus factus est in carne*: Græcis verò Patribus ἐνσάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἐπιφάνεια & θεοφάνεια dicitur, maximè ex Apostolo dicente quod ἐπεφάνη, *apparuit*, vel *illuxit*, *gratia illa salutifera quibusvis hominibus* Tit. II, 11.

VIII. (*f*) Necessariò debuit esse Mediator N.F. Deus & homo, cùm homines Deo esset reconciliaturus, & ut Jacobi scala, quæ sic erat con-

a Cognomen Christus, *ab unctione Spirituali.* *b* *Unde nos* Christiani. *c* PERSONA *Christi describitur. Constat per* Incarnationem, *e* *Duabus* naturis; *f* *Qua necessaria.*

stituta in terra ut ejus *summitas pertingeret ad cœlum* Gen. XXVIII, 12. cœlum terræ conjuncturus. Eum hominem esse decuit, ut familiariter cum hominibus versaretur, amorem suum illis approbaret, illorum fieret vindex, ἐγγυ☉ & *Goël*, & in ea natura quæ peccaverat peccatum expiaret, juxta Dei Legem, *Anima quæ peccaverit morietur* Ezech. XVIII, 4. Eundem oportuit esse Deum, ut merito suo dignitatem infiniti valoris conferret, pœnas infinitas peccato debitas & perferret & exhauriret, ac suis liberationem ab infinitis malis & bona infinita acquireret. Solus homo potuit pro hominibus mori: at solus Deus poterat mortem vincere, *fortem vincire*, & *vasa ejus diripere*, sive potiùs vasa electionis Satanæ eripere, juxta parabolam quæ extat Matt. XII, 29.

IX. (a) Nequicquam ergo Incarnationis veritatem, vel Judæi, vel Sociniani, conantur impugnare: Nam Messias erat vocandus *Immanuel*, id est, interprete Spiritu Sancto, *Deus nobiscum* Es. VII, 14. Matth. I, 23. & *El Gibbor*, id est, simul *Deus* & *vir fortis* Es. IX, 6. & tum *Germen Davidis*, tum *Iehova justitia nostra* Jer. XXIII, 5. 6. Suo loco agentes de Sacrosancta Trinitate, æternam Christi Divinitatem probavimus abundè; eum quoque verum hominem esse cùm non inficientur Sociniani, debent illum θεάνθρωπον confiteri.

X. Hinc dicitur λόγ☉ ille qui erat ἐν ἀρχῇ, & à quo *omnia facta sunt*, *caro factus* Joh. I, 2. 3. 14. non utique per transmutationem, sed per assumtionem; Nec enim verbum ἐγένετο aliud hìc potest significare quam ℣. 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν: nec caro hìc accidentaliter, sed substantialiter, intelligenda, ut Luc. III, 6. *Videbit omnis caro salutem Dei*, & Matth. XXIV, 22. *Nisi decurtati fuissent dies illi periret omnis caro*, cùm in illa carne & per illam dicatur *commoratus* fuisse sive habitasse *inter nos* eodem Joh. loco, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, allusione factâ ad præsentiam Dei in tabernaculo, quæ *Schekina* Hebræis appellabatur. Ideo dicitur *factus ex muliere* Gal. IV, 4. & *ex semine Davidis secundum carnem* Rom. I, 3. opposite ad *Spiritum sanctificationis*, quo etiam *seipsum obtulisse* dicitur Heb. IX, 14. & *Deus manifestatus in carne*, secundum quam *assumtus est in gloriam* 1 Tim. III, 16. & *mortificatus carne ac Spiritu vivificatus* 1 Pet. III, 18. & *particeps factus* παραπλησίως *carnis & sanguinis*, *assumendo*, (ea enim est significatio verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, ut etiam agnovit Syrus interpres) non *Angelos sed semen Abrahæ* Heb. II, 14. 16. Unde Christus sibi hunc *mundum* ingressuro, (non cœlum, ut nugantur Sociniani) *corpus adaptatum* à Patre profitetur Psal. XL, 7. Heb. X, 5. *Ingrediens mundum dicit*, *Sacrificium & oblationem noluisti*, *corpus autem adaptasti mihi*: Quod enim habet textus Hebræus, *Aures mihi perforasti*, synecdochicè, metaphorâ à statuariis desumptâ, corporis efformationem significat; quam verbum Græcum καταρτίζειν optimè exprimit.

XI. Huc etiam pertinet quod 1 Joh. IV, 2. 3. dicitur Christus *in carne venisse*, nec *ex Deo* esse, sed *Antichristi* Spiritum, qui id *non profitetur*: Est enim *panis ille Dei qui de cœlo descendit* & *dat vitam mundo* Joh. VI, 33. & qui *cum esset in forma Dei* (ubi pondus habet verbum ὑπάρχειν: nec μορφὴ θεοῦ ad meram similitudinem externam posset restringi, quia *rapinam non ducebat parem esse cum Deo*, utpote cui hæc ἰσότης jure competeret:) *seipsum exinanivit assumptâ servi formâ* ac humanâ naturâ, non tamen Divinitate depositâ, sed ea quasi sub velo infirmitatum nostrarum occultatâ Philip. II, 6. Nam aliàs in ipso πᾶν πλήρωμα θεότητ☉, idque σωματικῶς, non umbraticè, ut in tabernaculo Mosaico, semper *inhabitavit* Col. I, 19. II, 9. Quin etiam Matth. XXII, 42. 43. 44. 45. 46. Christus ex Ps. CX, 1. ostendit in Messia aliquam naturam nobiliorem eâ juxta quam filius futurus erat Davidis, esse observandam, per quam ipsius Davidis Dominus agnoscatur; *Quid vobis videtur de Christo illo? cujus filius est?* inquiebat ad Pharisæos; qui cum respondisset, *Davidis*, statim regessit, *Quomodo ergo David per Spiritum vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere quicquam:* Et Paulus Rom. IX, 5. disertè duas naturas in Christo exprimit, cùm ait ex Patribus esse Christum *quod ad carnem attinet*, *qui tamen est supra omnes Deus benedictus in secula*.

a Incarnationis veritas.

XII. (*a*) Unionis autem hypostaticæ duarum
naturarum in Christo, debemus tum *extrema*, tum
modum, pressiùs expendere: Extremorum u-
num est persona λόγου, secunda sanctæ Tri-
nitatis: nam debuit Filius Dei, fieri filius ho-
minis per naturam, ut nos per gratiam & ado-
ptionem filios Dei efficeret, essetque *primogenitus*
inter multos fratres Rom. VIII, 29. & qui me-
dium tenet ordine inter personas Trinitatis, Me-
diator quoque fieret Dei & hominum. Est verò
incarnationis opus non naturale, sed personale;
& quamvis Filius qui habet naturam divinam &
in quo illa incommunicabiliter subsistit, fit in-
carnatus, impropriè tamen & periculosè lo-
L. quuntur quidam Lutherani, dum naturam divi-
P. nam incarnatam asserunt; & benè Thomas, etsi
Suarezius aliique Scholastici diversum malè sen-
tiant, statuit quod assumptio conveniat soli per-
sonæ, non autem naturæ divinæ; quia si na-
tura divina in se & absolutè considerata uniretur
humanæ, tum ex *utraque* tertiam quandam na-
turam conflari oporteret; nec posset natura assu-
mens, incommunicabilitatem, quam ipsa non
habet, in assumpta supplere.

XIII. Neque si Filius qui est incarnatus, habet
eandem cum Patre & Spiritu Sancto naturam,
ideo incarnata est tota Trinitas, ut fingebant Sa-
S. belliani ac Patripassiani, & malè colligunt Soci-
niani: Est enim Incarnatio inchoativè & effecti-
vè totius Trinitatis, sed appropriativè & termi-
nativè solius Filii; ut si tres simul consuant ve-
stem, ab uno tamen ex illis induendam. Visio
quidem intuitiva, primò ac per se terminatur ad
essentiam Divinam, ut est communis tribus per-
sonis, quia rem debet adæquatè attingere sicuti
in se est; Unio verò hypostatica non item, cùm
necesse non sit, rem quæ unitur alteri uniri ad-
æquatè secundum omnem entitatem absolutam
quam in se habet.

P. XIV, Imò, quicquid contra delirent Scho-
lastici, sicut una persona Divina non potest plu-
res naturas humanas assumere, quia unicam per-
sonam plures esse homines foret absurdum, ita
non potuerunt plures personæ divinitatis eandem
numero naturam humanam assumere; quia tunc
una numero & singularis natura humana in duos
homines terminaretur: & cùm natura humana
assumta, à persona assumente adæquatè termi-
netur & omni modo quà terminabilis est, non
potest ab alia persona iterum terminari: nec pos-
sent Pontificii rectiori viâ progredi ad Sabellia- P.
nismum, quem aliquando nostris per calumni-
am impegerunt.

XV. (*b*) Extremorum in hac unione alterum est
natura humana, vera, integra, ejusdem cum
nostra conditionis & essentiæ, excepto peccato:
Veram dicimus, non δοξαστικὴν & apparen-
tem tantum, ut docuerunt Cerdoniani, Mar-
cionitæ, Manichæi & veteres plerique alii Hære-
tici, qui inde Docetæ sunt appellati; Hanc ve-
ritatem inculcat passim historia Euangelica, dum
Christi conceptionem, nativitatem, vitam, vi-
gilias, somnum, esuriem, sitim, dolores,
gaudia, mortem, resurrectionem, describit:
unde παραπλησίως *carnis & sanguinis particeps*
dicitur Heb. II, 14. Et eandem carnis veritatem
retinuisse post suam resurrectionem constat ex
Luc. XXIV, 39. *Videte manus meas & pedes meos,*
nam ego sum; contrectate me & videte, nam Spiritus
carnem & ossa non habet, sicuti me conspicitis habere.

XVI. Eandem statuimus *integram*, hoc est
corpore humano & animâ rationali atque humanâ
sicuti nos, constantem: De ipsius corpore, ossibus
& sanguine, multa extant in sacris literis; Heb.
X, 5. *Corpus adaptasti mihi*; Matth. XXVI, 12.
26. 28. *Vnguentum hoc injecit corpori meo*; *Hoc est*
corpus meum; *Hic est sanguis meus*; Joh. XIX, 36.
Non conteretur ullum os ipsius; Joh. XX, 12. *Con-*
spexit duos Angelos albatos sedentes, unum ad caput
alterum ad pedes ubi jacuerat corpus Iesu; Act.
XX. 28. *Redemit* Ecclesiam *suo proprio sanguine*;
Phil. III, 21. *Transfigurabit corpus nostrum hu-*
mile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso; 1 Pet.
II, 24. *Peccata nostra ipse sursum tulit in corpore*
suo. Ut hîc taceamus quæ de corporis Christi par-
tibus, visibilitate, tactu, motu, passim legun-
tur in Scripturis. Animam quoque humanam
ejusdem cum nostra conditionis, intellectu &
voluntate præditam, Christo tribuit Scriptura;
Vndiquaque tristis est anima mea usque ad mortem
Matth. XXVI, 39. *Iesus autem quùm rursum cla-*
masset voce magnâ, emisit spiritum Matth.
XXVII, 50. dicendo *Pater in manus tuas depono*
spiritum meum Luc. XXIII, 46. Ut hic nec Ario
credendum carnem Christi ἄψυχον statuenti;
nec Apollinari, aut Felgenhavero, Divinitatem
pro anima Christi tribuentibus; neque Mono- F.
theletis, Eutychianorum propagini, unicam vo-
luntatem in ipso agnoscentibus.

XVII.

a Facta est per *Unionem, Hypostaticam* cujus expenduntur. 1. *Extrema, Scil.* sola Persona Filii. b *Et vera* natura humana.

XVII. (*a*) Denique eam asserimus, nostræ non tantum ὁμοιούσιον, sed revera ὁμοούσιον, & ut loquitur Paulus nobis *per omnia similem, excepto peccato* Heb. II, 17. IV, 15. Ideo *ex patribus* dicitur esse *secundum carnem* Rom. IX, 5. ac nominatim *semen mulieris* Gen. III, 15, Abrahami, *cui dictæ sunt promissiones & semini ejus; non dicit & seminibus ut de multis, sed ut de uno, & semini tuo qui est Christus* Gen XXII, 18. Gal. III, 16. Isaaci, cui dictum, *Benedictas se reputabunt in semine tuo omnes gentes terræ* Gen. XXVI, 4. Judæ, *Non desistet tribus à Iuda, nec Legislator è medio pedum ejus, donec venturus erit Siloh*, sive *filius ejus* Gen. XLIX, 10. *Palam enim est è Iuda exortum esse Dominum nostrum*, inquit Paulus Heb. VII, 14. Isai, *Prodibit virgula è trunco succiso Isai & surculus è radicibus ejus* Es. XI, 1. Davidis, *Liber generationis Iesu Christi, filii Davidis, filii Abrahami* Matth. I, 1. Et David noverat *Deum sibi jurasse fore ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum suscitaret quem collocaret super ejus throno* Act. II, 30. Unde dicitur *factus est ex semine Davidis secundum carnem* Rom. I, 3. Item *ex muliere factus* Galat. IV, 4. quomodo de cæteris hominibus loquitur Job. XIV, 2. *Homo natus muliere brevis ætate*, & fructus ventris ejus, *Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus uteri tui* Luc. I, 42. Non solum τεχθεὶς ex illa, ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων Matth. II, 2. item, καὶ ἔτεκε, *& peperit filium suum primogenitum* Luc. II, 7. sed etiam γεννηθεὶς, *ex qua* ἐγεννήθη, *genitus est Iesus*; & τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, *quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est* Matth. I, 16. 20. Quare & illius *Mater* sæpè appellatur, *Experrectus accipe puerulum & matrem ejus & fuge in Ægyptum* Matth. II, 14. *Et hoc nescivit Iosephus nec mater ejus* Luc. II, 34. *Eratque mater Iesu illic*, nempe in nuptiis Cana; *& cùm defecisset vinum, mater Iesu dixit ei, vinum non habent* Joh. II, 1. 3.

A.F. W. XVIII, Frustra itaque sunt Anabaptistæ, Swenckfeldiani & Weigeliani, qui veterum Marcionitarum aliorumque hæreticorum crambem recoquentes, carnem Christi cælitùs delapsam, ex substantia Spiritus Sancti confectam per incorruptibile Dei semen, & potiùs nobis similem quam consubstantialem, fingunt. Contra expressa Scripturæ testimonia ad allegorias confugere, uti solent, quid aliud est quam infirmitatem causæ suæ profiteri? Mulieres fingere ἀσπορους, & negare eas activè concurrere ad generationem, est non solum toti Medicorum Scholæ sese opponere, sed disertis Scripturæ locis contradicere. Nam *fœtificandi* vis benedictione divinâ collata fuit mari & fœminæ Gen. I, 28. & Gen. XVI, 10. Hagaræ dixit *Angelus Iehovæ, Valde multiplicabo semen tuum*, ac Gen. XXIV, 60. dixerunt Rebeccæ propinqui ejus, *Mater esto mille myriadum & hæreditario jure possideat semen tuum portam inimicorum suorum.* Ideo consanguinitas est inter Titium & filiæ suæ filiam; item inter fratrem & sororem uterinos, quamvis distinctis patribus natos; *Nuditatem sororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, cognationis domesticæ aut exteræ cognationis, ne retegito*, neque *neptis tuæ ex filio filia-ve*, nam *nuditas tua est* Levit. XVIII, 9. 10. Quæ verò dicuntur de Christo respectu Divinitatis, videlicet quod *descenderit è cælo* Joh. III, 13. VI, 51. sitque ipse *Dominus è cælo* ac *cælestis*, contradistinctè ad primum hominem, qui *è terra* fuit & *pulvereus* 1 Corinth. XV, 47. 48. imò *sine patre, sine matre, sine genealogia* Heb. VII, 3. ad illius humanitatem non debent extendi: nec simpliciter negat Mariam esse suam matrem, sed matrem & fratres spirituales carnalibus præfert, cùm dicenti, *Ecce mater tua & fratres tui foris adstant, quærentes tuum colloquium*, respondet, *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei? Et protensâ manu suâ in discipulos suos dixit, Ecce mater mea & fratres mei; Quisquis enim fecerit quod vult Pater ille meus qui est in cælis, is est meus frater & soror & mater* Matth. XII, 47. 48. 49. 50.

XIX. Huic consubstantialitati humanæ Christi naturæ nobiscum, non obest quod natura illa non habet subsistentiam humanam; quia τὸ ὁμοούσιον consistit in identitate naturæ, non verò in subsistentiæ ratione: (*b*) Sed tamen ab illa consubstantialitate & similitudine naturæ quæ Christo nobiscum intercedit (*siquidem formâ servi acceptâ similis hominibus factus est & habitu inventus ut homo* Phil. II, 7. diciturque *missus in forma consimili carni peccato obnoxiæ* Rom. VIII, 3.) meritò excipimus *peccatum*, quod ille *non novit* 2 Cor. V, 21. sicut serpens æneus dipsadum qui-

 dem

a *Ac nostræ* ὁμοούσιος.

b *Excepto tamen* peccato.

dem similitudinem, non tamen virus habebat; nec pro aliis satisfacere potuisset, si ipse fuisset reus debendi: ideo conceptus est ex Spiritu Sancto & natus ex matre virgine, ut immunis esset ab ea labe originali, quæ per ordinariam generationem propagatur; Nam *quod genitum est ex carne caro est, & quod genitum est ex Spiritu Spiritus est* Joh. III, 6.

XX. (a) Equidem infirmitates quasdam pœnales naturæ nostræ, quæ fusè in Euangelio describuntur, assumsit, & inter alias alicui ignorantiæ, sive potiùs nescientiæ, fuit obnoxius respectu humanitatis suæ; quod adversus Pontificios docemus ex Scriptura, quæ dicit ipsum *profecisse sapientiâ & staturâ* Luc. II, 52. & nequidem quà *filium hominis* scivisse *diem judicii* Marc. XIII, 32. ut nec scivit se nihil præter folia reperturum in ficu cui maledixit Marc. XI, 13. Licet ideo non transeamus, ut illi calumniantur, in castra veterum Agnoëtarum, qui Arii partim, partim Eutychetis, propago fuerunt. Ut taceamus tristitiam, mœrorem, pavorem, quibus fuit obnoxius, cùm *undiquaque tristis* fuit *anima* ipsius *usque ad mortem* Matth. XXVI, 38. & assumtis tribus secum Discipulis *cœpit expavescere & gravissimè angi* Marc. XIV, 33. ac *deprecationibus & supplicationibus oblatis, cum clamore valido & lachrymis apud eum qui poterat ipsum servare à morte, & exauditis precibus fuit liberatus ex metu* Heb. V, 7. evertere eorundem Adversariorum dogma, quo statuunt fuisse eum simul viatorem & comprehensorem. Sed tamen I De facto nunquam peccavit; *Quis enim*, inquiebat ipse, *ex vobis arguet me de peccato?* Joh. VIII, 46. sicque fuit *tentatus in omnibus similiter* ut nos, ut tamen id evenerit *absque peccato* Heb. IV, 15. ac merito Petrus, Esaiæ LIII, 9. nixus authoritate, dicit de illo quod *non peccavit nec inventus fuit dolus in ore ipsius* I Pet. II, 22. Adeo ut splendidè mentiantur Jesuitæ qui dicunt nostros Christo desperationem tribuere. Imò II. (b) nunquam peccare potuit, licet Scholastici nonnulli in verecundè asserant eum ratione hypostaticæ unionis impeccabilem non fuisse, & Episcopius cum Socinianis blasphemè statuat, revera Christum peccare potuisse.

P.

P.

P.

P. S. R.

XXI. Nec tamen Christi impeccabilitas, obfuit libero ejus arbitrio; cùm arbitrii libertas, quæ habet rationem alicujus perfectionis in natura intelligente, non necessariò requirat facultatem peccandi, hoc est à perfectione deficiendi: & quò magis constet arbitrii libertatem cum necessitate qualibet non pugnare, certum est Christum ita liberè mandata Dei servasse, ut tamen ea necessariò servarit, nec potuerit in illa impingere. Ex hypothesi quoque decreti divini necessariò mortem oppetiit, nec potuit fieri ut eam non subiret, cùm ideo venisset in mundum *ut daret animam suam in redemptionis pretium pro multis* Matth. XX, 28. Eam tamen ultrò & liberè adiit; *Propterea*, inquit, *Pater me diligit quia ego depono animam meam, ut eam rursus assumam; nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per me ipsum; autoritatem habeo deponendi eam, & autoritatem habeo rursus eam assumendi* Joh. X, 17. 18.

XXII. Humanitatis autem Christi veritatem evertunt suo dogmate tum Consubstantiatores Ubiquitistæ, tum maximè Transubstantiatores Pontificii, qui crustum Christum esse volunt, & tale ei affingunt corpus, quod vel ubique sit diffusum & nullo circumscriptum spatio & loco, vel invisibile sit, impalpabile, illocatum & inextensum; sub puncto indivisibili latens; in multis locis discretis à se invicem, actu præsens illocaliter & incircumscriptivè; idque citra sui multiplicationem, nec occupato spatio medio; quod denique fiat ex pane, vi quarundam vocularum, magico more super illo demurmuratarum, non verò sit ex Spiritu Sancto conceptum, & natum ex Virgine. P. L.

XXIII. (c) Humanitas assumta à λόγῳ, (qui est persona completa & per se subsistens,) ut conditione est creatura, sic oppositè ad λόγον assumentem, est metaphysicè incompleta (quamvis physicè habeat quicquid ad sui integritatem & complementum requiritur,) & personalitate destituta: Nam falsum est quod volunt Sociniani, humanam Christi naturam necessariò personam esse debere, eò quod sit substantia prima intelligens; cùm etiam anima separata sit substantia singularis intelligens; non tamen persona, utpote ens partiale, incompletum; neque subsistens, sive incommunicabiliter existens. Ac sicuti rejicimus dogmata Scholasticorum quorundam statuentium naturam irrationalem, item formam aut materiam, vel accidentia seorsum, potuisse assumi hypostaticè, cùm non sint capacia terminationis personalis; ita approbamus quod docent personam humanam assum-

S.

S.

a *Non verò omni* ignorantiâ. b *Adeo ut* impeccabilis *fuerit*. c *Non tamen* persona.

assumptibilem non fuisse, cùm persona ultimò terminata ulteriùs terminari nequeat; sed naturam tantum. Quod verò hæc in unitatem personæ à λόγῳ fuerit assumptibilis, id τοῦ λόγου potentiæ & efficaciæ debetur, cùm aliàs persona creata alienam naturam, contra quam sentiunt nonnulli Scholastici, nequeat assumere.

XXIV. (a) Modus illius unionis vix potest exprimi commodiùs, quam verbis Veterum; quibus duos errores oppositos, & æquè in hoc mysterio noxios, rejecerunt, definiendo I. in θεανθρώπῳ naturas conjungi ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, sine divulsione & separatione, contra Nestorianos duas in Christo personas constituentes, & Deum esse crucifixum, aut B. Virginem esse θεοτόκον, negantes; II. adversus Eutychianos duas naturas in unam conflantes & idiomata earum confundentes, illas conjungi ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, sine mutatione & confusione. Unde intelligimus hanc unionem nec συνουσιωδῶς factam, qualis est personarum divinarum inter se, essentiæ ejusdem respectu; neque φυσικῶς ac naturaliter, ut unitur forma materiæ; aut σχετικῶς & relativè solùm, ut vir uxori, amicus amico; nec δραστικῶς aut παραστατικῶς, per meram efficaciam & assistentiam omnipræsentem, quomodo *in Deo sumus, vivimus & movemur* Act. XVII, 28. vel μυστικῶς tantùm, præsentiâ scilicet gratiæ, prout *unum* debemus esse in Patre & Filio Joh. XVII, 21. Sed planè ὑποστατικῶς, sive personaliter, quatenus nempe natura assumta in eandem personam cum λόγῳ assumente, salvis utriusque proprietatibus, coaluit.

XXV. (b) Absolvitur autem hæc unio potissimum duobus; I. Actione transeunte Dei, quâ univit cum persona λόγου humanitatem Christi, illi unioni ordine naturæ non temporis præexistentem, suâ non alienâ existentiâ. II. Próximo & immediato termino illius actionis, quo humanitas actu manet unita personæ λόγου: Qui differt ab actione unitiva, ut unio in facto esse, ab unione in fieri; estque fundamentum relationis, quæ intercedit inter utramque naturam, non tantum causæ & effectus, sed I. unionis extremorum; II. unitatis personalis; sustinentis ac terminantis & sustentati ac terminati.

XXVI. (c) Multa sunt similia quæ solent adhiberi ad hanc unionem, & totius, non quidem essentialis aut integralis, sed personalis, compositionem, planè hyperphysicam, utcunque explicandam; ferri cum igne, lucis cum aëre, formæ cum materia, animæ cum corpore, surculi cum arbore, in qua per insitionem existit & à qua sustentatur: Sed tamen nullum ferè est horum quod non claudicet uno pede; Nam dubitari posset, sit-ne ignis formaliter & substantialiter in ferro, an tantum qualitativè & effectivè; item sit-ne lux qualitas, an substantia? & materia ac forma se mutuò penetrant; & ex animæ cum corpore conjunctione, resultat tertia quædam natura animalis; Quare reliquis omnibus ultimum, ceu aptissimum, meritò prætulerim.

XXVII. (d) Igitur in Christo sunt duæ naturæ, sed una tantum persona ex illis resultans, sic ut illæ terminis abstractis, hæc concretis exprimatur. Verum est, præexistere personam λόγου incarnationi, quatenus subsistit in natura divina; sed tamen persona θεανθρώπου sive Immanuelis est incarnationis terminus: Et quamvis hæc à persona λόγου præcisè considerata distinguatur ratione naturæ, eò quod humanam quoque habet, tamen personalitatis respectu eadem est: Hinc patet Filium Dei, non hominem *suppositaliter* sic dictum, sed naturam humanam (id est hominem *specificè* intellectum,) assumsisse, quæ se habet instar adjuncti vel partis, & cui competit agere, non tanquam si esset ὁ ἐνεργῶν, sive suppositum & principium *quod*, sed tanquam τὸ ἐνεργητικὸν, sive partiale principium agendi, Philosophis principium *quo* appellatum, uti sunt in nobis corpus & anima.

XXVIII. Convenit equidem naturæ humanæ à Christo assumtæ definitio hominis specificè sumti, quatenus definitio rei quidditatem & naturam exprimit; solas enim species esse definibiles ex Logicis notum est: Non tamen ideo debet dici homo suppositaliter, sive persona humana; & quoties *homo* vel *filius hominis* Christus dicitur in Scriptura, nomen est non naturæ, sed personæ θεανθρώπου, qui assumptæ naturæ

a 2. Modus. b *Qui in duobus situs.* c *Variis similibus illustratur.* d *Ita semper concipiendus, ut dualitas naturarum, unitas personæ agnoscatur.*

participio verus homo dicitur, licet non habeat ſubſiſtentiam ſive perſonalitatem & incommunicabilitatem humanam, ſed divinam.

L. XXIX. Impropriè verò loquuntur illi Lutherani qui ſtatuunt, *intra* ipſam λόγου ὑπόστασιν, naturam humanam eſſe aſſumptam vel receptam; cùm *intra* ſit adverbium loci, quo nuſquam utitur Scriptura circa hoc myſterium. (*a*) Nec ſatis accuratè ſeſe expediunt, qui dicunt ſubſiſtere naturam humanam ſubſiſtentiâ λόγου: Fatemur quidem eam à λόγῳ aſſumtam & receptam in unitatem perſonæ, & ei ἐνυπόστατον eſſe; Sed negamus, formaliter eam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ λόγου, quia tunc natura humana eſſet perſona divina; nec propriè ſubſiſtit, quia non eſt perſona, ſed exiſtit in θεανθρώπῳ, & à λόγῳ terminatur, non ſuſtentatione illa generali de qua Heb. 1, 3. ubi Deus dicitur *ſuſtinere omnia verbo illo ſuo potente*, ſed perſonali, ut ſit natura partialis hujus perſonæ, non alterius; ſicut anima non ſubſiſtit in homine, vel ſubſiſtentiâ hominis, ſed in homine exiſtit, terminatur & ſuſtentatur, ut ſit hujus anima, non alterius.

XXX. (*b*) Hæc autem unio hypoſtatica facta eſt ut citra unius naturæ in aliam converſionem, cùm integræ & impermixtæ ſuiſque proprietatibus eſſentialibus diſtinctæ & inconfuſæ manſerint, ſic etiam tam indivulſe, ut coaluerint nexu æternùm manſuro, qui nequidem triduo mortis ſolutus fuit, juxta illud quod ex Pſalte ipſi tribuit Petrus, *Non deſeres animam meam apud inferos, nec ſines Sanctum illum tuum ſentire corruptionem* Act. 11, 27. Tantum abeſt ut λόγος naturam aſſumtam aſcenſurus in cœlum depoſuerit, ut ex Manichæis ſomniant Sociniani;
S. *Hic Ieſus*, inquiebant Angeli ad Apoſtolos, *qui ſurſum receptus eſt diſcedens à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum ſpectaſtis eum proficiſcentem in cœlum* Act. 1, 11. cùm videlicet *ſecundò abſque peccato conſpicietur iis qui ipſum expectant ad ſalutem* Heb. IX, 28. Sic porrò eam ſibi univit, ut totus eam inhabitet, & totus itidem, quippe immenſus & infinitus, extra eam ſit, non per ſui realem ſeparationem ab illa, ſed per realem diſtinctionem variorum locorum quæ replet ſuâ immenſitate, ab eo ſpatio particulari quod ipſa circumſcriptivè occupat. Nec enim finitum ab infinito poteſt adæquatè inhabitari, quicquid contra pertendant Ubiquitarii. L.

XXXI. (*c*) Unionis iſtius effecta & conſequentia varia ſunt; I. Naturarum communio reſpectu ejuſdem ſuppoſiti, quæ μετοχὴ dicitur Heb. 11, 14. (nam παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, nempe *carnis & ſanguinis*) per quam duæ naturæ perſonam Immanuelis conſtituunt. Licet enim in Chriſto ſit aliud & aliud ſubſtantivè, non tamen eſt alius & alius. (*d*) II. Communicatio Idiomatum, quâ de Chriſti perſona quocunque modo appelletur, alterutrius naturæ proprietates prædicantur; Vel directiùs, cùm divinæ prædicantur de perſona à divinitate denominata, aut humanæ de eadem denominata ab humanitate; Ita *ſermo* dicitur fuiſſe *in principio & apud Deum* & ipſe *Deus* Joh. 1, 1. & *Filius hominis* ſtatuitur *tradendus gentibus & illudendus & contumeliis afficiendus & conſpuendus* Luc XVIII, 32. Vel indirectiùs, quoties de Chriſto homine, id eſt hominis nomine expreſſo, quæ ſunt divinitatis, aut de Chriſto Deo, quæ ſunt humanitatis, enunciantur: Ita ubiquitas, quæ Divinitatis eſt propria, prædicatur de Filio hominis Joh. III, 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, nempe Filius hominis qui eſt in cœlo*: Ita paſſibilitas, quæ eſt humanitatis, de Deo enunciatur Act. XX, 28. ubi dicuntur Epheſini Epiſcopi conſtituti *ad paſcendam Eccleſiam Dei quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit*: Hæc communicatio, ſi fundamentum ſpectetur, nempe unio perſonalis, realis eſt; unde nec ullæ locutiones admittendæ de Chriſto, quæ vel perſonam creatam includerent, vel alteram ex naturis excluderent: ſi modus loquendi, verbalis & ſynedochæ proxima; nam quando plures formæ vel naturæ in eodem ſubjecto aut ſuppoſito uniuntur, etſi de ſe mutuo in abſtracto, cùm ſint diſparata, propriè prædicari nequeant, poſſunt tamen de illo ac illius reſpectu de ſe mutuo enunciari in concreto.

XXXII. (*e*) III. Gratiæ habitualis naturæ aſſumtæ pleniſſima & copioſiſſima collatio, juxta vaticinium Prophetæ, *Prodibit virgula è trunco ſucciſo Iſai; & ſurculus è radicibus ejus effloreſcet, ſuper quo quieſcet Spiritus Iehovæ, Spiritus ſapientiæ*

a *In qua* humanitas *exiſtit non ſubſiſtit.* b Divinæ *conjuncta* impermixtè, *ſed* intimè. c 3. Effecta *&* *conſequentia, nempe* 1. Naturarum μετοχὴ. d 2. Communicatio Idiomatum. e 3. Gratiæ *in humanitatem* effuſio.

tiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & reverentiæ Iehovæ Esa. XI, 1. 2. Et sanè *ei non admetitur Deus Spiritum* Ioh. III, 34. nempe ut in epulo Assueri, in quo tam liberaliter agebatur, ut potus nemini ex lege aut stricto jure, sive ad certam mensuram, *Cadath*, distribueretur Esth. 1, 8. Hæc tamen gratia simpliciter infinita non fuit, cùm finita Christi anima, ne quidem *obedientialiter* capax fuerit infinitæ gratiæ; nec debeat scientia, tùm infusa, tùm acquisita, humanitatis Christi, ejusque vis subjectiva, cum λόγου omniscientia & omnipotentia magis confundi, quam utriusque naturæ voluntates distinctæ, in unam, ut factum à Monotheletis, coarctari. Fuit sanè in Christo plenitudo divinitatis & unionis absoluta; at plenitudo gratiæ habitualis in ipsius humanitate, intelligenda est secundum quid, pro capacitate recipientis; unde incrementi capax fuit, nam *proficiebat sapientiâ & staturâ ac gratiâ apud Deum & homines* Luc. II, 52. major tamen quam in ullis vel Angelis vel Sanctis, quia conjuncta cum plenitudine divinitatis & unionis, quæ illis non competit.

XXXIII. (*a*) IV. Apotelesmatum communio, per quam opera Christi Mediatoria circa salutem nostram, ad quæ utraque natura confert quod suum est, pro suæ constitutionis & virium suarum conditione, competunt personæ secundum utramque naturam; unde ipsa ἀποτελέσματα, θεανδρικὰ dicuntur; in quibus distingui debent ὁ ἐνεργῶν, persona θεανθρώπου; principium ἐνεργητικὸν, ut & ἐνέργεια duplex, utraque natura, & utriusque proprietates distinctæ, efficaciam suam exerentes; & ἐνέργημα sive ipsum ἀποτέλεσμα quod θεανδρικὸν dicitur; Quæ Veteres ferri candentis simili satis commodè explicarunt; nam quà candens urit, quà acutum secat; & sicut suppositaliter unum est, sic etiam ejus apotelesma, nec ustio est simpliciter, nec sectio, sed ustio secta, vel usta sectio.

XXXIV. (*b*) V. Honor adorationis & religionis cultus, qui proculdubio Immanueli & θεανθρώπῳ debetur; Nam & Magi venerunt *ex oriente* ut *adorarent* Regem Judæorum *qui natus erat* Matth. II, 2. & *quum inducit primogenitum in orbem terrarum*, dicit, *Et adorent eum omnes Angeli Dei* Hebr. 1, 6. Quin hic cultus ei debetur etiam quatenus est θεάνθρωπος & Mediator, sive illud *quatenus* sumatur specificativè, sive sumatur reduplicativè, quomodo objectum formale, per *quia* explicari solitum, denotat; quandoquidem Mediator formali suo conceptu dicit personam excellentiæ increatæ, cujus essentiali majestati nihil per œconomicam minoritatem detrahitur; Et licet natura humana præcisè considerata, non sit adorabilis; accedentibus iis Lutheranis ad Nestorianos Anthropolatras & Socinianos, qui cultum religiosum adorationis divinæ, humanitati Christi deputant, contra autoritatem Scripturæ, dicentis, *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies* Matth. IV, 10. eosque damnantis qui *serviunt iis qui naturâ non sunt dii* Gal. IV, 8. ac etiam pronunciantis *maledictum qui fiduciam habet in homine* Jer. XVII, 5. Tamen adoratur Christus qui homo est, & etiam quà terminans naturam humanam, id est Deus in carne manifestatus, ut Rex in purpura sua colitur. L. S.

XXXV. (*c*) Ex his jam liquet, variè patronos Ubiquitatis errare circa hoc Incarnationis mysterium; Nam I. statuunt unionis hypostaticæ primum effectum esse communicationem formalem & subjectivam hypostaseôs τοῦ λόγου, factam naturæ assumtæ; cùm personalitas & suppositalitas λόγου ei non potuerit sic communicari, quin natura humana, persona divina fieret. II. Communionem naturarum, perperam mutant in realem & essentialem earundem mutuam communicationem, quæ merum Eutychianismum involuit. III. Volunt Communicationem Idiomatum, non eam esse solam quâ de tota persona alterutrius naturæ proprietates enunciantur, quam illi jam ἑκατέρωσιν, jam συναμφοτερισμὸν appellant; sed alias etiam confingunt, etsi eas nullo Scripturæ testimonio comprobent, per quas naturæ humanæ proprietates, divinæ naturæ, & divinitatis, humanæ, tribuantur; quod nihil aliud est quam destruere ipsam proprietatum essentiam, juxta quam debent alteri naturæ incommunicabiles esse, & naturas in Christo, cum Eutychianis, confundere.

XXXVI. IV. Quamvis ex illa communicatione multa sequantur absurda, ut divinitatem fuisse passam & mortalem, humanitatem verò immortalem, invisibilem, æternam, infinitam,

co-

a 4. Communio apotelesmatum. *b* 5. Cultus divinus. *c* *Hinc elenchus multiplex* Ubiquitariorum.

eo quod cui unum propriorum divinorum convenit, ei cætera convenire necessum sit; nec huic absurdo medeatur distinctio communicationis mediatæ & immediatæ, quasi attributorum divinorum quædam communicentur mediatè naturæ Christi humanæ, quædam immediatè; cùm omnia attributa divina immediatè competant divinitati, quam etiam fingunt communicatam immediatè humanitati; Attamen pertendunt speciatim Omnipotentiam, Omnisscientiam, Omnipræsentiam, Potestatem judiciariam & remittendi peccata, (quæ personalis est) ac Vim vivificam, subjectivè & formaliter, (si secum consentientia loquantur,) humanitati competere; quæ personæ competunt respectu divinitatis, in naturam humanam præposterè transscribentes, & sic eam in Deum commutantes.

XXXVII. Cœtera mittimus; ut cùm actum duplicem tribuunt naturæ Christi humanæ, naturalem unum, quo certo spatio circumscribatur; alterum personalem, quo sit ubique; quasi actus personalis conveniat naturæ quæ non est persona; aut personalitas sit actus, cùm sit modus rei ab ejus existentia, quæ illius actualitas est, distinctus; aut possit actus divinus tribui naturæ humanæ quæ non est Deus; aut actus iste personalis imaginarius, naturalem destruat, vel simul cum eo consistere possit; ut natura humana Christi simul, & ita certo spatio contineatur ut non sit alibi, & tamen sit omnipræsens & ubique. Item cùm filium Mariæ à filio Dei aliquando distinguunt, & hominem atque humanitatem in Christo sumunt pro eodem, & Christum hominem Deum esse & nominari propter plenaria dona in ipsum effusa pertendunt; quibus & Nestorianismo litant, & imprudenter militant S. Socinianis.

XXXVIII. (a) Istâ unione hypostaticâ filius Dei cœpit esse filius hominis, manendo quod erat, & incipiendo esse quod non erat; & filius hominis factus est filius Dei non adoptivus, ut censuerunt quidam veteres Hæretici, inde Adoptionarii dicti, cùm adoptio sit extraneæ personæ: sed per unionem hypostaticam, proprius ac naturalis, juxta illud Angeli ad B. Virginem, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei* Luc. 1, 35. & istud Pauli Rom. VIII, 32. *Qui proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* Quod dici potest de Christo *quatenus* est homo & natus ex Virgine, si τὸ *quatenus* non sumatur specificativè pro natura humana, sed reduplicativè pro ipsa persona, quæ habet naturam humanam. Deus factus est homo *propriè*, non per expulsionem termini contrarii à se, sed per humanitatis assumptionem ad se; nec mutatio in Deo assumente facta est, sed in natura assumta. Sed homo factus est Deus *impropriè*, non acquirendo esse divinum, sed quatenus assumtione humanitatis nostræ à λόγῳ, effectum est ut eadem persona verus sit Deus & verus homo.

XXXIX. (b) Hactenus de Christi Persona; nunc pauca de illius Statu: Is insinuante Paulo Phil. II, 7. duplex est, Exinanitionis & Exaltationis: Ille complectitur totam œconomiam quâ Christus acceptâ formâ servi, Patri fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Primus illius gradus est Conceptio, quæ Spiritui Sancto deputatur; Siquidem Maria *comperta est prægnans esse à Spiritu Sancto* Matth. 1, 18. Unde ibid. com. 20. Angelus ait ad Josephum, *Quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est*; & quærenti B. Mariæ *quomodo* id futurum esset, eo quod *virum* non nosset, dicebat, *Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus Altissimi inumbrabit te* Luc. 1, 35. Id autem Spiritui Sancto convenit δημιουργικῶς ac efficienter, non σπερματικῶς & materialiter, quasi Christi corpus ex illius sit substantia, aut fuerit Christi pater, ac in illius conceptione viri partes suppleverit, ut Swenckfeldiani, Weigeliani, Anabaptistæ, Sociniani quoque, somniant ridiculè; cùm nusquam vocetur Filius Spiritus Sancti, & humanitatis suæ respectu fuerit factus ex muliere, nec filius Dei proprius appelletur propter miraculosam conceptionem ex Spiritu Sancto, ut hi volunt, sed propter æternam ipsius ex Patre generationem, de qua Psal. II, 7. *Iehova dixit mihi, Filius meus es, ego hodie genui te*, & Mich. V, 2. *Ejus exortus inde à principio, à diebus sæculi sunt.*

F. W. A. S.

XL. (c) In hoc opere Spiritus Sanctus, I. Semini Virginis vim eam superaddidit quæ ad generationem naturalem est in semine utriusque parentis, effecitque ut in uterum effluxerit absque ulla titillatione aut inordinatione. II. Eam sanguinis & seminis virginei massam ad illam activitatem mira-

a *Et* Corollarium *necessarium.* b A Persona *Christi transitur ad illius* STATUM, *qui duplex*, I. Exinanitionis. *Cujus gradus varii nempe*, Conceptio, c *Inca quid egerit Spiritus Sanctus.*

miraculosè elevatam, ab omni labe defæcavit, quò Christus absque peccato nasceretur. III. Ex illa sanctum Domini corpus efformavit, & animâ vestivit, eodem modo, quisquis ille sit, quo cæteri homines donantur animâ. IV. Naturam humanam hypostaticè conjunxit divinitati, & gratiâ habituali replevit. Atque hæc conceptio tam miraculosa, cùm soli Christo competat, non potest Beata Virgo, quæ ex Spiritu Sancto non fuit concepta, statui peccato originali caruisse, ut
P. sit perperam à multis in Papatu. Sed & ab illa suo sensu pendet utriusque Adami antithesis quæ extat 1 Cor. xv, 45. 47. quod *factus est prior homo Adamus animal vivens, posterior autem Adamus factus est Spiritus vivificus*, fuitque *primus homo è terra pulvereus, secundus homo ipse Dominus è Cælo.*

XLI. Verosimilius est Christi corpus, non secus ac nostra, successivè formatum, quam absolutum momento, ut volunt plerique omnes
P. Scholastici: Sed & quæ de primo illius conceptionis momento apud eos disputantur, an contigerit Angelo adhuc loquente ad Mariam, an demum postquam discessit, indefinibilia sunt. Id certum, operationem Spiritus Sancti debuisse intercedere ad id ut Virgo conciperet ac pareret, cùm hoc naturæ viribus fieri nequeat; dicant li-
P. cet Jesuitæ, posse diabolum efficere ut virgo mente & corpore, nihilominus ex semine virili aliunde illato, concipiat ac prægnans fiat: nam impura hæc doctrina Christi natalia objicit facili calumniæ adversariorum suorum. Debuit autem conceptionis Christi sanctitas impuritati nostræ mederi, & sic constare non nisi opera Spiritus Sancti concipi ipsum in cordibus nostris.

XLII. (*a*)Secundus gradus Exinanitionis Christi est ipsius Nativitas ex Beata Vigine, quæ propter communicationem Idiomatum verè *Deipara*, ut ipse Christus θεάνθρωπος Mariæ filius, dici potest: nec enim nativitas est humanitatis & naturæ, sed personæ & Christi hominis. Neque duplex illa in Christo filiatio, altera respectu Patris in cœlo, altera respectu Matris in terra, duplicem tamen filium constituit: Ex ea verò sic natus fuit, ut materia sacratissimi ejus corporis non aliunde fuerit quam ex semine illius, quanquam ideo cultus religiosus ac divinus ei non sit deferen-
P. dus, ut fit à Pontificiis, qui potiùs Mariani volunt esse, quam Christiani. Ut prior Adam ex terra virgine & inculta prodiit, secundus nasci debuit ex Virgine quæ virum non novisset, juxta vaticinium Esa. VII, 14. *Ecce virgo concipiet & pariet*, quod Sibylla Cumana suis etiam carminibus insperserat. Sed est natus ex Virgine desponsata & sub conjugii velo educatus; ne matris suæ conditio honestis nuptiis ullum præjudicium adferre videretur.

XLIII. (*b*)Fuit autem ex semine Davidis Matris suæ respectu, etsi id negent Sociniani post
Manichæos; Nam Lucas genealogiam Christi naturalem contexuit, ita ut Heli, qui pater dicitur Josephi, ejus socer duntaxat fuerit & B. Mariæ pater; Matthæus civilem, tùm quod Josephus pater fuerit Christi adoptivus & putativus, tùm quod Beata Virgo fuerit virgo ἐπίκληρος, & quæ ideo proximo agnato nupsit ex Lege quæ habetur Num. XXXVI, 8. *Quæcunque filia è tribubus filiorum Israëlis hæres est possessionis, alicui è familia tribus paternæ suæ nubito, ut filii Israëlis hæreditario jure possideant quisquis possessionem suam.* Quæ de tempore & loco nativitatis Christi scitu sunt necessaria, debent repeti ex Scripturis. Tempus quod attinet, *Non desistet tribus à Iuda, neque Legislator è medio pedum ejus, usque dum venturus erit (Sciloh) filius ejus, & erit ei obedientia populorum* Genes. XLIX. 10. *Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum*, scilicet *ab enunciatione verbi de restituendo & de reædificandis Ierosolymis, usque ad Christum* Dan. IX, 24. 25. *Commoturus sum, omnes gentes ut veniat desiderium gentium & impleturus domum hanc gloriâ*, (nempe Templum secundum) *ait Iehova exercituum; Major futura est gloria domus hujus posterioris quam illius prioris, ait Iehova exercituum; nam in hoc loco disponam pacem, dictum Iehovæ exercituum* Agg. II, 7. 9. Locum quod spectat, *At tu Bethlehem Ephratæ, minima ut sis in ducibus Iehudæ, ex te mihi prodibit futurus dominator in Israële, cujus exortus inde à principio, à diebus sæculi sunt* Mich. v, 2. Hinc *natus* nobis describitur *in Bethlehema quæ est Iudææ, temporibus Herodis Regis* Matth. II, 1. stante secundo Templo, & Judæâ sub censum Romanorum reductâ, cùm *prodiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur totus terrarum orbis, præsidente* ejus nomine *Syriæ Cyrenio* Luc. II, 1. 2. Reliquæ circumstantiæ ex Euangelio petantur.

XLIV. (*c*)Ultrò agnoscimus etiam post partum Beatam Virginem intactam fuisse viro; Etenim conjugium eorum fuit ratum & verum, nunquam

a Nativitas ex B. Virgine.

b Ac Davidis seminis. c B. Maria perpetua virgo.

quam tamen consummatum; & Christus primogenitus fuit Mariæ, non quod alii post ipsum nati, sed quod nemo ante illum; nec assentimur Helvidio, alios ei post Christum natum liberos tribuenti; nam qui *fratres* ejus appellantur in Euangelio Matth. XII, 46. potuerunt esse vel ejus amitini & consobrini, vel comprivigni aut fratres adoptivi, quos antea Josephus ex priori uxore sustulisset. Negamus tamen Christum, ut Ubiquitistæ & Pontificii volunt, ex utero clauso matris & sine ejus dolore natum esse; cùm id repugnet Scripturæ, referenti Christum *adductum* fuisse *Hierosolymam* ut *sisteretur Domino*, prout scriptum est in Lege Domini, πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, *adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur* Luc. II, 22. 23. & veræ nativitati, & saniori rationi, quæ penetrationem dimensionum meritò ut contradictoriam rejicit.

P.L.

XLV. (*a*)Nativitatem Christi in summa paupertate, excepit vita ærumnosa, quam à Circumcisione octavo die est auspicatus, ut se testaretur verum hominem & Abrahæ filium, qui venerat Legi perfectè obediturus, & nos ab ejus maledictione liberaturus, & suæ Circumcisionis virtute præputia nostrorum cordium ablaturus: Paulò post à Magis religiosè adoratur, Herodis insidiis impetitur, in Ægyptum puer abducitur, Nazarethum deducitur; ut loci istius occasione Nazarenus vulgò diceretur, & verus ejus Nazareatus sic indicaretur. (*b*) Et cùm ad *trigesimum* circiter annum Josepho & Mariæ *subjectus* Luc. II, 51. Luc. III, 23. & privatus mansisset, curriculum suum publicum voluit à Baptismate inchoare, ut utrumque Sacramentum initiale V. & N. T. in sua persona consecraret: Quot autem annos Christus in illo suo curriculo transegerit, quot Paschata celebraverit, colligitur ex historia Euangelica; Nam primum *Pascha ejus erat* cùm *venditores boum & ovium & columbarum & numularios* primâ vice *ejecit è templo* Ioh. II, 13. 14. 15. Huic successit aliud Paschatis *festum*, cùm paralyticum sanavit juxta *piscinam* Ioh. V, 1. 2. Iterum tertiò *propè erat Pascha*, cùm quinque hominum millia *quinque panibus hordeaceis & duobus pisciculis* miraculosè *pavit* Ioh. VI, 4. 5. 10. His tribus Paschatibus, quæ excepit quartò θανάσιμον, quo iterum *vendentes & ementes ejecit* ex Templo Matth. XXI, 12. sunt qui quintum addant ex Luc. VI, 1. ubi σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ fit mentio, quo intelligitur juxta plerosque primum Sabbathum è septem à secundo Paschatis die numerandis ad Pentecosten usque Levit. XXIII, 15. vel juxta alios, dies ultimus ipsius Paschalis solemnitatis, quo etiam, ut in Sabbatho, quiescere solebant.

XLVI. (*c*) Ultimus exinanitionis Christi gradus fuit ejus Passio & Mors: Eam subiit sub Pilato, Tiberii nomine res Iudæorum administrante, & in ligno crucis, quod genus supplicii tum maledictum erat, *Scriptum est enim, Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno* Deut. XXI, 23. Gal. III, 13. tum etiam speciatim iræ divinæ expiatorium, quod Gabaonitæ in septem filiis Saulis 2 Sam. XXI, 6. 9. 14. testati sunt, cùm eos egerunt *in crucem*, vel *suspenderunt Iehovæ*, & *sic exoratus est Deus ipsi terræ*; Ad hæc non solum servile & ignominiosum, sed insuper acerbissimum; Messiæ tamen prædictum à Prophetis, ut crux scandalo Iudæis esse non debeat; *Cœtus maleficorum circumdederunt me, foderunt manus meas & pedes meos; Enumerare possem omnia ossa mea*, extenso nempe corpore in cruce Psal. XXII, 17. 18. A *coarctatione & à judicio tollitur* in altum Esa. LIII, 8. *Respicient ad me quem transfixerunt* Zach. XII, 1. & XIII, 6. *Quod si dixerit ei quisquam, Quid plagæ istæ in manibus tuis? dicet, Plagæ sunt quibus percussus fui in domo amantium me.* (*d*) Accessit ad mortem naturalem, quæ fuit separatio animæ à corpore, etiam supernaturalis quâ fuit quodammodo separatus à Deo, quod ad affectionem *commodi*, præsenti ejus consolatione destitutus, licet non quod ad affectionem *justitiæ*; quia nihil inde ei inordinati accidit, etsi propter sensum iræ divinæ in peccata nostra quæ luebat, derelictum se queratur à Deo; *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* Psal. XXII, 1. Matth. XXVII, 46. Quò & spectarunt horror & anxietas & tristitia, & deprecatio conditionata calicis tam amari, & sudor sanguineus in horto Oliveti, quæ describuntur in Euangelio; Nam *assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & gravissimè angi; Tum dicit eis, Vndiquaque tristis est anima mea usque ad mortem, & progressus paululum procidit in faciem suam precans & dicens, Pater mi, si possibile est abeat à me poculum istud*, ac *tertiò eundem sermonem loquutus est* Matth. XXVI, 37. 38. 39. 44. Atque *tum conspectus est ei Angelus è cœlo corroborans eum, & ipse constitutus in angore intentiùs orabat; eratque sudor*

P.L.

a Vita, *quam* Circumcisione *auspicatus est.* b *Vt Ministerium suum* Baptismo. c Passio & Mors Crucis *quod ad corpus.* d *Gravior* & Supernaturalis *quod ad* animam.

sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram Luc. XXII, 43. 44. Tunc tamen non abrupta fuit unio hypostatica, sed virtus divina sese ad tempus cohibuit, ut secundum carnem *gustaret mortem pro omnibus* suis Hebr. II, 9. & quicquid illa habet acerbitatis & doloris.

XLVII. (*a*) Illa derelictio, ad pœnas infernales peccato debitas referri debet; quod in ea *circumdederint* illum *dolores mortis, & angores sepulchri*, sive inferni, *obvenerint* ei, ut habetur Psal LXXXVIII, 16. Earum tamen solam *extremitatem*, non verò etiam *æternitatem* passus est; idque citra omnem inordinationem ab intrinseco, etsi ab extrinseco non damnatorum propriè, sed damnandorum pœnis & doloribus verè impetitus fuerit. Neque enim solum in corpore pati debuit, sed etiam, ad plenam satisfactionem, in anima sustinere cruciatus peccato debitos, qui illam posuit *sacrificium pro reatu* Esa. LIII, 10. neque animæ tantum sed etiam corporis redemptor erat. (*b*) Articulus de descensu
P.I. Christi ad inferos, quem Pontificii & Lutherani de locali animæ Christi descensu ad loca pœnalia in triduo mortis perperam interpretantur, (quamvis non eodem sensu omnes, aliis hunc descensum pœnalem, aliis eum triumphalem facientibus;) contra expressam Scripturam, quæ docet ipsum & dixisse Latroni converso in cruce, *Hodie mecum eris in paradyso*, & expirando exclamasse, *Pater in manus tuas depono Spiritum meum* Luc. XXIII, 43. 46. si non sit exegesis articuli de Sepultura, quâ status mortis significetur, prout David *præscius loquutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse apud inferos animam ejus* (id est vitam, sub mortis & sepulchri imperio) *neque carnem ejus* (quamvis triduanam in illo statu) *sensisse corruptionem* Actor. II, 31. metaphoricè ad illos Christi dolores & cruciatus in anima debebit pertinere.

XLVIII. Certum autem est Christum Dei filium verè mortuum fuisse, adeoque, utut manente vinculo unionis hypostaticæ cum corpore & anima separatis, mortis triduo desiisse esse hominem univocè; prout tum ejus corpus desiit esse vivum, & fuit destitutum formâ viventis, licet per incinerationem aut resolutionem in sua elementa corruptum non fuerit, sive *corruptionem non senserit* Psal. XVI, 10. Act. II, 31. (*c*) Ideo ad mortis veritatem, & certitudinem resurrectionis, & ut mortem in ultimo suo asylo prosequeretur, & peccata ac ceremonias in suo sepulchro conderet, & vim vivificam nostris sepulchris inferret, sepeliri voluit, (sed honorificè sic satis, juxta vaticinium Esa. LIII, 9. quod licet assignaretur ei *sepulchrum cum improbis*, foret tamen *cum divite in morte sua*,) (*d*) & in monumento per triduum asservari, juxta ea quæ leguntur Matth. XII, 40. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes*; & Joh. II, 19. 21. *Destruite templum hoc & intra triduum excitabo illud*; *Loquebatur autem de templo corporis sui.* Hoc triduum non fuit integrum, sed in medio tertii resurrexit: Fuit ergo mortuus circiter per horas 40. unde prima jejunii Quadragesimalis origo, quod tunc sponsus ablatus fuisset.

XLIX. (*e*) Successit huic Christi humiliationi extremæ, ejus Exaltatio: Prior illius gradus fuit, non Descensus ad inferos per triduum mor- L.
tis, ut volunt Lutherani, sed Resurrectio à mortuis, cujus præcesserant varii typi; Adami, cùm expergefactus ex *alto sopore* illo quem ei Deus *injecerat*, desumptam ex suo latere dum dormiret uxorem, agnovit esse *os ex ossibus* suis & *carnem ex carne* sua Gen. II, 21. 22. 23. Isaaci, exemti derepentè cultro patris sui Gen. XXII, 12. qui etiam dicitur eum *similitudine quadam* resurrectionis *recepisse* Hebr. XI, 19. Josephi, ex illa *fovea* in quam conjectus fuerat *educti*, & comâ ordinatâ ac *mutatis vestibus* adducti ad Pharaonem Gen. XLI, 14. Samsonis, *fores portæ civitatis* Gaza, in qua Philistæi eum conclusum sperabant, unà cum *postibus earum* revellentis, ac *humeris* suis *in verticem montis* proximi deportantis Jud. XVI, 3. Jonæ, quem tertio die *piscis evomuit in aridam* Joh. III, 1. Ei quoque præsignificandæ inserviebat, tum *avicularum* altera, quæ respersa sanguine ejus quæ jugulata fuerat in purificatione leprosi, *dimittebatur viva in superficiem agri* Levit. XIV, 7. tum hircus emissarius, qui in festo expiationis, altero mactato, *vivus* debebat *emitti in desertum* Levit. XVI, 21. His typis addi debent Vaticinia; *Non es derelicturus animam meam in sepulchro, neque expositurus eum quem benignitate prosequeris, ut videat corruptionem* Psal. XVI, 10. *Cùm exposuerit seipse sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, & delectatio Iehovæ per eum prosperabitur* Esa. LIII, 10. *Vitæ restituet nos post triduum, die tertio excitabit nos, & vivemus coram*

a *Usque ad pœnas* inferni. b *Quæ per* Descensum ad inferos, *possunt intelligi.* c Sepultura d *Eaque* triduana. e 2. Exaltationis, *Cujus gradus fuêre*, Resurrectio; *illius* Typi, Vaticinia, Finis.

ipso Hos. VI, 2. Debuit autem resurgere, I. Ut constaret satisfactum esse pro peccatis nostris; unde dicitur *traditus propter offensas nostras & suscitatus ad nostri justificationem* Rom. IV, 25. adeoque *si Christus non est suscitatus*, inquit Paulus, *vanum est præconium nostrum*, *vana etiam* & *inanis est fides vestra*, *adhuc estis in peccatis vestris* 1 Cor. XV, 15. II. Ut virtute resurrectionis suæ novus homo in nobis reviviſceret, *& sicut suscitatus est ex mortuis in gloriam Patris*, *ita & nos in nova vita ambularemus*, *resurrectionis ejus* non minus quam mortis *assimilatione cum eo coalescentes* Rom. VI, 4. 5. Ut sibi aditum patefaceret ad gloriam; *Ad hoc enim & mortuus est & resurrexit & revixit*, *ut & mortuis & viventibus dominetur* Rom. XIV, 9. IV. Ut nobis in sua resurrectione pignus certissimum nostræ olim futuræ exhiberet, *factus primitiæ eorum qui obdormierunt*; *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur*, *ita & in Christo omnes vivificabuntur* 1 Cor. XV, 20. 22.

L. (*a*) Idem numero & substantiâ corpus, vulnerum etiam quæ in cruce acceperat vestigiis insignitum, ne quis scrupulus remaneret, resumsit suâ resurrectione, & iisdem proprietatibus naturalibus præditum; *Videte manus meas & pedes meos*, *nam ego ipse sum*; *contrectate me & videte*, *nam Spiritus carnem & ossa non habet*, *sicut me conspicitis habere* Luc. XXIV, 39. Sed tum mortalitate, tum corruptibilitate, ac reliquis corporum mortalium qualitatibus & hujus vitæ infirmitatibus planè depositis: quod & ὀθόνια, quibus fuerat pollinctus, in sepulchro relicta significarunt Joh. XX, 6. 7. Corpus Christi statim à resurrectione fuisse corpus gloriosum & immortale, cui-ve *mors amplius dominari non posset*
S. Rom. VI, 9. vel inde liquet, contra Socinianos negantes, quod corpora nostra quæ statim à resurrectione sunt futura gloriosa, conformia sic fient corpori Christi; *Sicut* enim *gessimus imaginem terreni*, *geremus etiam imaginem cœlestis* 1 Cor. XV, 49. ipseque *transfigurabit corpus nostrum humile*, *ut conforme fiat ejus corpori glorioso*, *pro vi illa efficace quâ potest etiam subjicere sibi omnia* Phil. III, 21.

LI. (*b*) Interea sic Christus immortalitatem & gloriam dedit suo corpori, ut ei naturam non abstulerit; quare licet clarificatum & iis conditionibus donatum quæ ad ejus gloriam pertinebant, tamen mansit visibile, tactile, quantum & circumscriptum; ut nec Pontificii nec Ubiquitistæ sint audiendi, qui corpori Christi glorificato omnes dimensiones auferunt, ejusque vel Ubiquitatem, vel πολυτοπίαν, per imaginariam replicationem, & nullo occupato spatio, defendunt. Discedens à duobus discipulis Emaunticis ἄφαντος *factus est* ἀπ᾽ αὐτῶν, sive ut benè Beza reddit, *ablatus ex eorum conspectu* Luc. XXIV, 21. non evanescendo tenues in auras, ut olim Marcionitæ hoc argumento pugnabant, sed vel oculos eorum cohibendo ne se abeuntem viderent, vel se celerrimè ipsis subducendo: Ingressus est miraculosè ad suos discipulos cùm jam *fores essent clausæ*, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ Joh. XX, 19. Sed ideo non penetravit eas, quæ ipsi miraculosè patere potuerunt, ut aliàs factum cùm *Angelus Domini per noctem aperuit* Apostolis *fores carceris*, eosque eduxit: quem tamen apparitores postea repererunt *clausum quam tutissimè*, *& custodes extra stantes ante fores* Act. V, 19. 23. Item cùm carceris è quo Petrus per Angelum educebatur *porta ferrea quæ ducit in Civitatem*, *suâ sponte aperta est ei* Act. XII, 10. Idem dicimus de saxo sepulchro ipsius imposito, potuisse creaturam cessisse ultrò Creatori citra penetrationem dimensionum, licet *Angelus Domini cùm descendisset è cœlo* non *avoluisset saxum ab ostio* sepulchri, uti legimus factum Matth. XXVIII, 2.

LII. (*c*) Quo omne dubium excuteretur Apostolis de Christi resurrectione, quæ miraculis tum factis abundè fuit comprobata, per quadraginta dies in his terris adhuc versatus est; Edit & bibit revera cum discipulis, non quidem ex necessitate, vel ad sui nutritionem, sed ex liberrima dispensatione, ad fidei Discipulorum confirmationem; Sæpiùs ipsis apparuit; sic tamen ut cùm resurrexerit *primo die* septimanæ, quæ dies Solis dicitur, (transacto Sabbatho in sepulchro, quasi illud honorificè sepulturus) visus sit eundem diem Solis elegisse postea quo sæpiusculè se ostenderet; nam & *vesperi die illo primo hebdomadis stetit in medio* Discipulorum, & *octo post diebus venit* itidem *foribus clausis* ad ipsos Ioh. XX, 26. Unde nata per Apostolos translatio Sabbathi in hunc diem, uti aliàs docuimus ex Actor. XX, 7. 1 Cor. XVI, 2. & Apoc. I, 10. Hinc dies ille *Dominicus* dictus, & mos Veteribus eo non geniculandi in memoriam resurrectionis Dominicæ, cujus

a Subjectum, idem *nempe* corpus *quod ceciderat*. b *Remanentibus ei suis* essentialibus *conditionibus*. c Certitudo.

cujus etiam festum anniversarium, quod *Pascha* dicitur, omnium est in Ecclesia antiquissimum.

LIII. (*a*)Generatim quidem tribuitur Deo Resurrectio Christi; *quem Deus suscitavit*, inquit Petrus, *solutis doloribus mortis, eo quod fieri non poterat ut ipse ab ea retineretur* Act. II, 24. Nec non Patri ac Spiritui Sancto; Ita enim Pater dicitur *robur virium suarum* exeruisse *in Christo quum suscitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cœlis* Ephes. II, 20. & *si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis*, inquit Paulus, *habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ipsius in vobis* Rom. VIII, 11. Sic tamen ut etiam ipse eâ virtute quæ illi est communis cum Patre & Spiritu Sancto resurrexisse sit intelligendus; quod ipse testatur cùm ait, *Destruite templum hoc & intra triduum excitabo illud* Joh. II, 19. Item, *Nemo tollit animam meam à me, sed ego depono eam per me ipsum; Potestatem habeo deponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi* Joh. X, 18. Quare emphasi non caret narratio Lucæ, quod Apostolis *etiam sese postquam passus fuit exhibuit vivum* Act.
S. I, 3. Ideo, quicquid contra nitantur Sociniani, *declaratus fuit filius Dei potenter*, ejusque divinitas abundè comprobata, *resurrectione ex mortuis*
P. Rom. I, 4. Sed Pontificii eum adhuc quærunt inter mortuos, cùm longas, superstitiosas & inutiles Peregrinationes ad ejus Sepulchrum suscipiunt; Quamquam illud vacuum & asservatum inter hostes Euangelii, illis convincendis utcunque inserviat.

LIV. (*b*)Eam quadragesimo post die secuta est Ascensio in cœlos, quâ non deposuit corpus in quo resurrexerat, aliud spirituale assumturus, ut
S. post Manichæos asserunt Sociniani; cùm in eo corpore constante *carne* & *ossibus*, uti modò visum ex Luc. XXIV, 39. sit visibiliter reversurus ad judicium, Angelis dicentibus ad Apostolos, *Viri Galilei quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus qui sursum receptus est discedens à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum spectastis eum proficiscentem in cœlum* Act. I, 11. Nec simpliciter etiam disparuit, ablatâ potiùs visibilitate quam
L. præsentiâ sui corporis, ut quidam ex Ubiquitariis voluerunt; Sed localiter, visibiliter, substantialiter, ex locis hisce inferioribus & terrenis, ubi antea erat, in cœlum supremum, sive Beatorum, supra cœlum stellatum constitutum, & verè locum corporeum, quicquid contra pertendant quidam Lutherani, negantes absurdè illud locali distantiâ ab hisce terris separari, locali motu & latione ascendit, & eò corpus suum intulit usque ad diem judicii. L.

LV. (*c*) Talem esse Ascensionem Christi, tota clamat Scriptura; *Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis, sursum receptus est in cœlum & sedit ad dextram Dei* Marc. XVI, 19. *Et factum est ut quùm ipse benediceret eis, disjunctus ab eis ferretur in cœlum* Luc. XXIV, 51. *Et cùm hæc dixisset, aspicientibus ipsis, elevatus est; & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum*, illis intentos *in cœlum* retinentibus oculos, *eo proficiscente* Act. I, 9. 10. Tale esse cœlum in quod ascendit, colligere est ex multis Scripturæ locis; *In domo Patris mei habitationes multæ sunt; Proficiscor paraturus vobis locum, & quùm profectus fuero & paravero vobis locum, rursum veniam & assumam vos ad me ipsum, ut ubi ero ego & vos sitis* Joh. XIV, 2. 3. Sic spes nostra confertur *anchoræ* ingredienti *usque in ea quæ sunt intra velum, quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus* Hebr. VI, 19. 20. atque ita *sublimior cœlis factus* Hebr. VII, 26. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero respondens, sed in ipsum cœlum ut compareat apud faciem Dei pro nobis* Hebr. IX, 24. *Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus ad dextram Dei sedens* Col. III, 1. (*d*)Inde quoque abesse Christum à nobis quoad præsentiam carnis, etsi Gratiâ & L.
Spiritu ac Divinitate semper præsentem (*Vbi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum*, inquit ipsemet Matth. XVIII, 20. & Matth. XXVIII, 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:*) liquet ex Joh. XII, 8. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*; & Joh. XVI, 7. *Confert vobis ut abeam*; & 2 Cor. V, 6. 8. *Scimus dum adsumus in corpore peregrè abesse à Domino, sed gratum nobis potius abesse è corpore & adesse apud Dominum*; Phil. I, 23. *Constrictus utrimque teneor, desiderio tendens ad dimissionem & ut cum Christo sim, est enim id valde mihi melius*; & Actor. III, 21. *Quem oportet quidem cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium.* Nec realem ejus inferunt vel πολυτοπίαν vel præsentiam in terris, visiones exstaticæ quæ contigerunt Stephano, videnti *intentis in cœlum oculis, gloriam Dei & cœlos apertos & Iesum, filium illum homi-* P.

a Causa *efficiens*. *b* Ascensio, *ejusque* Modus. *c* Veritas. *d Vbiquitatis & Multi præsentiæ ejus eversiva.*

nis, *adstantem ad dextram Dei* Act. VII, 55. 56. aut Paulo, cui Damascum proficiscenti audita vox dicens, *Saul, Saul, quid me persequeris?* & *Iesus visus in via* Act. IX, 4. 17. quod refert ipse Act. XXII. 6. vocatque Act. XXVI, 19. *cælestem apparitionem*; aut Iohanni, cui *correpto spiritu* apparuit *in medio septem candelabrorum aureorum quidam similis Filio hominis, indutus talari veste & præcinctus ad mammillas zonâ aureâ* Apoc. I, 10. 12.

LVI. Imò qui πολυτοπίαν corporum ceu possibilem, ac nominatim corporis Christi præsentiam actualem in Eucharistia tuentur, ejus
P.L. Ascensionem non uno modo labefactant; Nam si corpus aliquod duobus in locis simul possit esse, potuit Christus cœlo corpus suum sistere non desertâ terrâ, ut fingitur non deserto cœlo, illud sistere indistanter præsens pani Cœnæ, quoties ea celebratur: aut verò si deseruit terram ut in cœlos ascenderet, debebit quotidie cœlos deserere ut se altari & hostiæ præsentem exhibeat. Sed ipse nos munivit contra hanc doctrinam Matth. XXIV, 26. 27. *Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, ne egredimini; Ecce in conclavibus, ne credite; Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usque in occidentem, ita etiam erit in adventu Filii hominis*; & quæ dixerat de manducatione carnis suæ, spiritualiter esse intelligenda insinuat, argumento ab hac sua Ascensione ducto Joh. VI, 61. 62. *Hoccine vos offendit? Quid si ergo spectaveritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Certè, inquit Augustinus, *vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum*; Quin ad ejus commemorationem ipsiusque *mortem* annunciandam *usque quo venerit*, Eucharistia celebratur 1 Cor. XI, 25. 26. adeoque ejus absentiam localem præsupponit, non ponit præsentiam.

LVII. (*a*)Hujus Ascensionis veritatem, cujus testes fuêre duodecim ejus Apostoli, qui eam variis miraculis & tandem suo sanguine obsignarunt, nec Iudæi possunt respuere, qui Eliæ as-
J. sumptionem, unico Elizæo spectatore factam, ut par est, suscipiunt, nec Ethnici rejicere, qui fabulosam Romuli ad cœlites translationem unius Proculi fide nixi olim admiserunt; nec convellere Ubiquitistæ propter locorum distantiam
L. immensam, ad quam superandam pluribus sæculis opus foret; cùm omnis hæc difficultas tollatur, consideratis Dei potentiâ, corporis gloriosi agilitate, ac etiam ipso celerrimo motu syderum tantæ molis, quæ tamen quotidie tam immensum spatium emetiuntur.

LVIII. (*b*)Debuit autem Christus in cœlos ascendere, ut de hostibus suis & nostris solemniter triumpharet, ac nobis spiritus sui gratiam abundè communicaret; *Quum ascendisset in sublime captivam duxit captivitatem & dedit dona hominibus* Ephes. IV, 8. secum ad gloriam deduceret, non, ut somniant Pontificii, Patres è limbo qui P.
nusquam fuit, sed potiùs *Sanctos* illos qui unà resurrexisse leguntur Matth. XXVII, 53. *egressique è monumentis post resurrectionem ejus introierunt in sanctam urbem & apparuerunt multis*; & cœleste Sacrarium subeundo, sacrificii sui vim Patri jugiter repræsentaret, assiduus *pro nobis intercederet*, uti dicitur facere Rom. VIII, 34. & nobis *locum pararet*, juxta id quod promittit Ioh. XIV, 3. omnesque nostros affectus ad se & cœlestia converteret, quippe qui *velit ut ubi* est ipse, etiam sui *sint secum & spectent gloriam illam suam* Ioh. XVII, 24. ac denique ad dextram majestatis divinæ gloriosus consideret, regnum illud œconomicum administraturus, de quo Philipp. II, 9. 10. 11. *Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cælestium ac terrestrium & subterraneorum, omnisque lingua profiteatur Iesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris*: Item Eph. I, 20. 21. 22. *Quod exeruit in Christo cùm suscitavit eum ex mortuis & collocavit ad dextram suam in cælis, longè supra omne imperium ac potestatem & potentiam & dominationem & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, verum etiam in futuro; & omnia subjecit ejus pedibus eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ*. Item Hebr. II, 7. 8. *Gloriâ & honore coronasti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus*, ex Psal. VIII, 5.

LIX. (*c*) Nec enim Sessio Christi ad dextram Dei, ad situm & ubietatem pertinet, ut frustra velint Ubiquitarii illius πανταχουσίαν inde col- L.
ligere, sed per eam summa ejus gloria significatur, metaphorâ desumptâ à Regibus, qui ad dextram suam collocant eos quos summo honore secundum se afficiunt: prout dicitur Psal. XLV, 10. *Collocata est conjux ad dextram tuam cum insigni auro Ophirio*, & de Salomone legitur quod summo honore matrem suam excepturus, *sedens in solio suo, apponi jusserit solium matri regis*, quæ

a *Adstructa certis* testimoniis.

b Finis & Utilitas. c Sessio ad Dexteram Dei.

quæ ſedit ad dextram ejus 1 Reg. 11, 19. ac de matre Zebedæorum, quod petierit à Chriſto *ut ſederent duo filii* ſui, *unus ad* ipſius *dextram & alter ad ſiniſtram in regno* ejus Matth. xx, 21. Id verò ad Chriſti duntaxat gloriam & exaltationem pertinere, patet ex Scriptura; Quod enim hac phraſi exprimitur Pſal. cx, 1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis donec inimicos tuos poſuero ſcabellum pedum tuorum*, ſic explicatur à Paulo 1 Cor. xv, 25. *Oportet eum regnare uſque quo omnes inimicos ſuppoſuerit pedibus ejus*: Hinc Chriſtus ipſe, *Videbitis*, inquit, *filium hominis ſedentem ad dextram potentiæ Dei & venientem cum nubibus cœli* Marc. xiv, 62. Ita dicitur *ſedere ad dextram majeſtatis* Dei *in locis excelſiſſimis* Hebr. 1, 3. item *conſidere ad dextram throni majeſtatis illius in cœlis* Hebr. viii, 1. xii, 2. Nec aliud ſibi vult Dominus cùm ait, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra* Matth. xxviii, 19. Eam gloriam morte ſuâ non ſibi meruit, ut aſſerunt Pontificii quidam & Sociniani; ſed illam obtinuit quà homo vi unionis hypoſtaticæ, quà Deus jure naturæ, utrobique quà hæres & filius; Pater enim eum *conſtituit hæredem omnium* Heb. 1, 2, Et ei cui dixit, *Filius meus es, ego hodie genui te* dixit ſimul, *Pete à me & donabo gentes in poſſeſſionem tuam & fines terræ jus poſſeſſionis tuæ* Pſal. 11, 7. 8.

L X. Competit enim Chriſto Mediatori ſecundum utramque naturam: nam licet Divinitati nihil quicquam novi ſit collatum, tamen novus uſus novaque manifeſtatio ei acceſſit gloriæ ſuæ eſſentialis & æternæ; *Glorifica me, tu Pater, apud temetipſum, eâ gloriâ quam habui apud te priuſquam mundus eſſet* Ioh. xvii, 5. Humanitati verò tum gloria ipſa quam antea non habebat, tum ejus uſus & poteſtas in perſona ipſius data eſt; ſic tamen ut regia illa dignitas, (nam ipſimet Lutherani non rarò τὸ *ſedere ad dextram Patris*, per τὸ βασιλεύειν benè interpretantur, ex loco 1 Cor. xv, 25. ante citato) perſonæ θεανθρώπου conveniat ſecundum utramque naturam, pro modo, conditione & incommunicabilibus proprietatibus utriuſque.

LOCUS DECIMUS;

De

OFFICIO MEDIATORIS.



CUm (*a*) Chriſtus debuerit eſſe θεάνθρωπος, quò idoneus eſſet Mediator, ſive *ſequeſter*, ut Tertullianus loquitur, inter Deum & homines, & duplex illius ſtatus humiliationis & exaltationis ad hoc officium ſpectarit, de illo quoque dicendum: (*b*) Eſt autem Mediatorium officium *functio illa œconomica, quam Chriſtus θεάνθρωπος, ſecundum utramque naturam, cujuſque tamen ſervatis proprietatibus, ultrò ſuſcepit ex Patris conſilio, ad homines peccatores ſibi datos Deo reconciliandos & in æternum ſervandos.*

II. (*c*) Mediator hic, cùm non ſolum interpretem voluntatis divinæ denotet, ut nugatur Socinus, ſed verè εἰρηνοποιὸν, etiam ex vi vocis, ſitque mediatio ejus redemptiva & reconciliativa, eò quod *per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemptionem nactus* Hebr. ix, 12. ejus ideo ſanguine *potiora* loquente quam *ſanguis Abelis* Hebr. xii, 24. quoniam in illius effuſione *ſeſe ipſe dedit redemptionis pretium*, ἀντίλυτρον, *pro quibuſvis* 1 Tim. 11, 6. & prout Deus εἰρηνοποιήσας, *pace per ſanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliavit omnia ſibi* Col. 1, 20. (*d*) diſſidium præſupponit inter partes; quod non aliunde inter Deum & homines, quàm ex peccato; *Iniquitates veſtræ diſterminant inter vos & Deum veſtrum & peccata veſtra faciunt ut occultet faciem à vobis ne exaudiat* Eſa. lix, 2. Curtio ergo quodam opus fuit, qui profundam hanc abyſſum inter ipſum & nos compleret, nobiſque acceſſum pararet ad ſupremam illam

a OFFICIUM Chriſti Mediatorium, *b* Quid. *c* Mediatio *qualis.* *d* Supponit diſſidium inter Deum & Homines.

illam Majestatem, quæ aliàs *lucem inaccessam* dicitur *habitare* 1 Timoth. VI, 16. (*a*) Mediationis quoque necessitatem ipsa conscientia dictavit Ethnicis; unde non solum sacrificiis placare Deum studuerunt, sed etiam colluviem illam minorum Deorum, non alio fine visi sunt coluisse, quam ut per illos aditum haberent ad supremum Numen; Imò isthoc μεσιτῶν officio defungi Angelos, & Platonici docuerunt, & ex illis Angelici, veteres hæretici, Paulo damnati, propter θρησκείαν τῶν ἀγγέλων Col. II, 18.

III. Nec solum homo fuit Deo reconciliandus, ut asserunt Sociniani, sed etiam Deus homini, cui ex justitiæ suæ æternæ natura, meritò irascebatur; Patet enim *ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum*, estque hoc illius *jus* sive δικαίωμα, *eos qui talia faciunt dignos esse morte* Rom. I, 18. 32. Ideo homines sub peccato dicuntur θεοστυγεῖς Rom. I, 30. idest non tantum *Dei osores*, sed etiam *exosi Deo*, sive ut habet V. V. *Deo odibiles*. Nec obest quod Mediator datus sit ex Dei φιλανθρωπίᾳ, & speciatim destinatus electis, quos jam prædilexerat atque ad salutem æternam ordinaverat; nam in eo eluxit Dei φιλανθρωπία, quod cùm peccatum tantum duxisset vallum inter se & homines, voluit tamen ipsis tabulam in naufragio porrigere, & Mediatorem suppeditare, cujus ope eos sibi reconciliaret; neque aliter electos ordinavit ad salutem, quàm redimendos & sibi reconciliandos Mediatoris beneficio; effecitque hæc reconciliatio ut Deus amore *complacentiæ* eos diligeret, in quos jam ante amore *benevolentiæ* ferebatur eo usque ut Mediatorem & Reconciliatorem offerret.

IV. (*b*) Cùm autem Angeli boni nec peccarint unquam, nec reconciliandi Deo fuerint, eorum Mediator Christus nullâ ratione dici potest; *nec etiam assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ* Hebr. II, 16. Et quamvis comparatè ad Deum, Angelis absoluta perfectio non competat, & posset ipse vel in Sole maculas notare, adeoque *Angelis suis apponere lucem* Iob. IV, 18. *nec sint* hoc respectu *cœlites mundi in oculis ejus* Job. XV. 15. ita ut soli Dei gratiæ, non suis meritis, accuratè & propriissimè ita dictis, confirmationem suam in gloria debeant; Licet etiam ad dignitatem personæ Mediatoris pertinuerit, ut Angeli ipsi ceu Capiti & Domino ac Conditori suo subjicerentur; juxta illud Psaltis citatum Apostolo, *Et adorent eum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia per eum & ejus respectu condita sunt* Col. I, 16. Attamen Christus nullo sensu Mediator Reconciliator-ve Angelorum dici potest: Omnia quidem suis reconciliavit, secundum mentem Apostoli dicentis, *Omnia vestra sunt* 1 Cor. III, 22. eosque traduxit ad *hæreditatem cœlestem & myriadas Angelorum*, idest Angelorum Beatorum societatem Heb. XII, 22. ex consequenti reconciliationis cum Deo; cujus efficacia se extendit tùm ad pios jam vitâ functos & adscriptos cœlo cùm Christus passus est, tùm ad electos omnes in terris degentes & porrò nasciturus; siquidem Deus *recollegit omnia in Christo* & *per eum omnia sibi reconciliavit tum quæ in terra, tum quæ in cœlo* Eph. I, 20. Non tamen sequitur, ideo omnia etiam Deo reconciliata fuisse, vel illo syncategoremate, quod multiplices habet limitationes, esse quoque Angelos comprehendendos.

V. (*c*) Quin etiam cùm fluat Mediatoris ordinatio ex Dei electione æterna & ad illius executionem spectet, non omnium universim hominum Christus est mediator, sed ex Dei mittentis consilio ipsiusque Christi directâ intentione, & solorum electorum, ipse enim *populum suum liberat ex peccatis ipsius* Matth. I, 21. & omnium illorum quotquot exstiterunt ab initio mundi; *Ego sum*, inquit ipse, *via, veritas, & vita & nemo venit ad Patrem nisi per me* Joh. XIV, 6. *Nec est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo quod datum sit inter homines per quod oporteat nos servari* Act. IV, 12. Unde etiam Patres sub V. T. *per gratiam Domini nostri Iesu Christi* servati fuerunt Act. XV, 11. Est namque *Iesus Christus heri & hodie idem & in sæcula* Heb. XIII, 8. & *agnus mactatus jam inde à jacto mundi fundamento* Ap. XIII, 8. Quamvis enim sub V. T. nondum fuerit incarnatus, tamen quà incarnandus & satisfacturus suo tempore (inficiantibus licet directè Socinianis, & saltem indirectè ac per obliquum Jesuitis) jam tum Christus & Mediator erat; Nam Patres in deserto *bibebant ex sequente spirituali petra, Petra autem erat Christus*, & *Christum* tentasse dicuntur & *à serpentibus* ideo periisse 1 Corinth. X, 4. 9. Imò & in ipsa legislatione, quatenus Lex

a *Ejus inde* necessitas. b Objectum, *non Angeli sed homines*. c *Nec omnes & singuli*, *Sed* soli Electi ab orbe *condito*.

Lex erat pædagogus ad ipsum, Mediatoris personam & munus sustinuit; siquidem *ordinata fuit per Angelos* ἐν χειρὶ μεσίτου Gal. III, 19.

VI. Ipsi quoque soli hæc dignitas competit, uti patet ex loco modò citato Act. IV, 12. eique suppari qui extat 1 Tim. II,5. quod *unus sit Deus, & unus Mediator*, εἷς καὶ μεσίτης, *Dei & hominum, homo Christus Iesus; in quo habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius* Eph. III,12. cui adeo Paulus sollicitè hanc ipsam dignitatem asseruit contra Simonem Magum ejusque asseclas Platonicos & Angelicos, qui An-
P. gelos Mediatores constituebant: Neque vocula εἷς *unum* tantum, ut Veronistæ nugantur, sed *unicum* notat; Nec posset dici unicum quidem esse Mediatorem Redemptionis, sed plures dari Intercessionis, ut alii Papistæ loquuntur, cùm agatur de removendis ab officio Mediatorio Angelis, quos non tam Redemptores propriè, quàm Intercessores, hæretici Paulo impugnati constituebant; & aliàs is solum possit esse Mediator Intercessionis qui est Redemptionis; *Si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris* 1. Joh. II, 1. 2.

VII. Ideò saniores nonnulli è Pontificiis, nixi Scripturæ authoritate & Antiquorum testimonio, sollicité cavent ne Mediatoris nomen alii quam Christo tribuant. De Christo quoque non de Mose agitur loco ante citato Gal. III,19 Sed etsi Moses typicé ac speciali quodam modo Mediatorium officium sustinuisset ad tempus in lege ferenda, id nihil ad Sanctos & Angelos, quos adversarii faciunt Mediatores, tum ex officio, tum ex merito, ut nostro nomine in cœlis preces nostras Deo offerant, & ideo á nobis in terris religiosé invocentur. Sacerdotis munus describitur Hebr. v, 1. quod *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis quæ apud Deum agenda sunt, ut offerat dona & victimas pro peccatis*, in quo non Sanctorum vel Angelorum Pontifex Leviticus typum sustinuit, sed unius Christi; qui ideo unus verusque Mediator, quod pro ipso nemo interpellet, ipse verò pro omnibus.

VIII (a) Sed & Christus secundum utramque naturam, servatis utriusque proprietatibus, cùm opera mediatoria sint θεανδρικὰ, Mediator est statuendus; Siquidem excitatum *Davidi germen justum* ad Judam servandum, est etiam *Iehova justitia nostra* Jer. XXIII,6. ac *Deus* est qui *Ecclesiam* suam *suo proprio sanguine acquisivit* Act. XX, 28. nec non *Dominus gloriæ* quem Judæi *crucifixerunt* 1 Cor. II, 8. adeo ut *vita æterna* quam nobis Deus dedit, *in Filio ejus* sit 1 Joh. V, 11. qui idem *filius hominis* dicitur Luc. IX, 59. qui videlicet *venit non ut perderet animas hominum, sed ut servaret*. Quare non F.
audiendus Osiander, ab hoc officio excludens humanam naturam, nescius distinguere *efficaciam à merito* Mediatoris: nam licet merus homo huic muneri par non potuerit esse, homo tamen debuit quoque esse qui illo defungeretur; Atque ideo *unicus ille Mediator inter Deum & homines* dicitur esse *homo Christus Iesus* 1 Tim. II,5. non ad excludendam divinitatem, sed ad humanitatem includendam.

IX. Multò minus admittendus error Stan- F.
cari, qui dum Osiandro collegæ suo se fervidiùs opponit, in contrarium incidit; contendens Christum secundum humanam naturam tantum Mediatorem esse; cùm tamen Mediatoris munus non sit naturæ, sed personæ, illique obeundo Sufficientia & Efficacia divina absolutè requiratur; quod liquet non solum ex locis modò citatis Jer. XXIII, 6. & Act. XX, 28. sed etiam ex Es. XXXV, 4. *Ecce Deus vester ultio advenit*, (mutato scilicet in pretium Deo) *retributio Dei, ipse advenit servaturus vos*; & ex Hos. I, 7. *Servabo eos per Iehovam Deum ipsorum*; & ex Heb. IX, 14. ubi dicitur Christus *per Spiritum æternum seipsum* obtulisse. Pontificiorum eadem est mens quæ P.
Stancari, (quo facilius Sanctorum & Angelorum Mediationi patrocinentur) etsi Bellarminus conetur hanc invidiam declinare, propositâ distinctione principii *Quod* & *Quo*; cùm tamen principium *quod* operum Mediationis non sit natura divina præcisè sumpta, sed persona θεανθρώπου, & ipsa quoque divinitas distinctè ab humanitate sese habeat quadantenus ad illa ut principium *quo*, quippe quæ ad ἀποτελέσματα Mediatoria confert quod suum est.

X. (b) Nec tamen ideò mediatio Christi desinit esse ad alterum, tùm quia Filius alter est à Patre, apud quem appropriativè in hac œconomia redemtionis nostræ, hominum Mediator est; tùm maximè quia licet Christus præcisè quà λόγος sit in *genere entis* Mediationis objectum

a *Secundum* utramque naturam, *vitato duplici extremo vitioso.* b *Sic tamen ut Mediatio sit semper* ad alterum

cum Patre & Spiritu Sancto, tamen in *genere moris* quà θεάνθρωπος, sive sustentans & terminans naturam humanam, ac respectu *exinanitionis* illius œconomicæ quâ cùm *rapinam non duceret parem esse cum Deo, sese inanivit formâ servi acceptâ, factus obediens usque ad mortem* Phil. II, 7. 8. semper est Mediator ad alterum. Stancari verò & Pontificiorum castra oportet eos sequi, ac divinitatem à Mediatoris persona quà Mediator est præscindere, qui Mediatoris quà talis adorationem, ceu illegitimam, adeoque, quod dictu horrendum, idololatricam, respuunt.

XI. (*a*) Cùm autem Mediationis à Christo obeundæ peccatum causa fuerit, illud verò nos quod ad intellectum suis tenebris occœcaverit, quantum ad voluntatem & appetitum maculis suis infecerit & deturpaverit, atque apud Deum reatui & pœnæ subjecerit, ut triplici nodo triplex cuneus adhiberetur, debuit Mediator triplex munus sustinere, Sacerdotis, quo peccati reatum coram Deo auferret, Regis, quo maculam & servitutem peccati ex animis nostris removeret, & Prophetæ, quo mentis tenebras veritatis luce discuteret.

XII. Ipsum quoque *Messiæ* nomen, inditum κατ' ἐξοχὴν Sospitatori promisso Patribus, eò nos ducit; cùm sub V. T. speciatim legamus per solemnem unctionem Reges, Sacerdotes & Prophetas inauguratos fuisse, & ibidem luculenter prædictum sit Messiam futurum fuisse I. Prophetam; *Prophetam è medio tui & fratribus tuis sicut ego sum, suscitabit tibi Iehova Deus tuus, ei auscultate* Deut. XVIII, 15. & apud Esaiam describitur, *unctus* & *missus ad proclamandum captivis libertatem* & *consolandum omnes lugentes* Es. LXI, 1. II. Sacerdotem; *Iuravit Iehova & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedeci* Psal. CX, 4. III. Regem; *Ecce Rex tuus adveniet tibi justus & salute præditus, pauper & insidens asino* Zach. IX, 9.

XIII. (*b*) Quandoquidem igitur jamdiu præteriit tempus adventui Messiæ destinatum, quod & tenentur agnoscere Judæi, etiam ex vulgata traditione Eliana, quæ bis mille annos inanitati, totidem Legi, Messiæ totidem assignabat, unde nunnulli ex iis questi sunt annos Ezechiæ tempus Messiæ devorasse, & quicquid contra ogganniant, noster Jesus sit ille Messias promissus Patribus; æquum est ut in illo hoc triplex officium eò certiùs agnoscamus, quod concurrant in ipsum omnes circumstantiæ eò facientes; I. Temporis; nam tunc *sceptrum erat ablatum è Iudâ* Genes. XLIX, 10. expirabantque *septuaginta* illæ *septimanæ* quæ *ab enunciatione verbi de restituendo & de ædificandis Ierosolymis usque ad Christum antecessorem* erant computandæ Daniel. IX, 24. 25. & stabat domus secunda, quam *gloriâ* hac erat *impleturus Iehova præ priori*, quod ibi erat stiturus *desideratum omnium gentium* & *in eo loco pacem dispositurus* Agg. II, 7. 9. II. Loci; cùm *Bethlehemi* natus sit, *ex qua proditurus erat Dominator in Israele* Mich. V, 2. III. Matris, quæ virgo illa fuit de qua Es. VII, 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabit nomen ejus Immanuelem.* IV. Præcursoris, nempe Johannis Baptistæ, de quo hoc erat vaticinium Malach. III, 1. *Ecce ego missurus sum Angelum meum qui expediat viam ante me, & repente veniet in Templum suum Dominus quem vos quæritis: & Angelus fœderis quo vos delectamini.* V. Miraculorum patrandorum in illius adventu; *Ecce Deus vester ultio advenit, retributio Dei, ipse advenit servaturus vos; tunc aperient se oculi cæcorum & aures surdorum patefient; tunc saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti* Es. XXXV, 4. 5. 6. VI. Humilitatis & paupertatis; Zach. IX, 9. *Exulta valde filia Tziionis, clange filia Hierosolymorum, ecce Rex tuus adveniet tibi, justus & salute præditus: pauper & insidens asino.* VII. Crucifixionis; *Nam circumdederunt me canes, cætus maleficorum circumvenerunt me, foderunt manus meas & pedes meos; Enumerare possem omnia ossa mea; ipsi intuentur, respiciunt in me; partiuntur vestimenta mea inter se & pro indumento meo projiciunt sortem* Psal. XXII, 17. 18. 19. VIII. Resurrectionis; *Quia non es derelicturus animam meam in sepulchro, neque expositurus eum quem benignitate prosequeris, ut videat corruptionem* Psal. XVI, 10. Quin etiam triplex istud officium in Christo agnitum fuit à Magis, & per eorum munera *auri*, *thuris* & *myrrhæ*, utcunque designatum Matth. II, 11.

XIV. (*c*) Propheticum Christi munus, speciatim Ecclesiæ suæ institutioni divinitùs destinatum, (prout loci superiùs §. 12. citati ex Deut. XVIII, 15. & Es. LXI, 12. ipsi applicantur in N. T. ille quidem à Petro Actor. III, 22. & Ste-

a *Officii autem Mediatorii* Membra. *tria sunt.* b *Nostro Iesu competentia, qui verus* Messias; c *Nempe* PROPHETICUM *quod multifariàm exercuit.*

Stephano Act. VII, 37. hic verò ab ipsomet Luc. IV, 18.) est, quo voluntatem Dei plenè & perfectè sibi cognitam, (siquidem *Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit* Joh. I, 18. & *nullus ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo, filius hominis qui est in cælo, qui quod vidit & audivit hoc testatur* Joh. III, 13. 32.) suis revelare, & ut non *amplius servis* qui nesciunt *quid faciat Dominus*, sed jam *amicis, omnia quæ audivit à Patre nota facere* dignatur Joh. XV, 15. Non solum *externè*; idque partim *immediatè* per se ipsum toto illo Ministerii sui curriculo quod in terris obivit; partim *mediatè* per suos Ministros, quos adhibuit sub utroque Testamento, & extraordinarios & ordinarios; Sed etiam *internè*, eos per Spiritum Sanctum *deducendo in omnem veritatem* Joh. XVI, 13. ut ita sint *omnes* διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ Joh. VI, 45. Quo potissimum respectu dicuntur pii *unctionem habere à Sancto &* (quantum ipsis sufficit ad salutem) *nosse omnia* 1 Joh. II, 20.

XV. (a) Is igitur sub V. T. summus exstitit Doctor & Propheta Ecclesiæ; nam Spiritus quo Prophetæ Veteres inspirabantur, disertè vocatur *prænuncius Spiritus Christi* 1 Petr. I, 11. *per quem etiam spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicavit* ministeriò *Noæ* 1 Petr. III, 19. 20. (b) Manifestatus verò in carne, & solemni ritu supremus Doctor renunciatus *descensu Spiritus Dei quasi columbæ* super ipsum, & *voce* cœlitùs auditâ dicente, *Hic est Filius ille meus dilectus ille in quo acquiesco* Matth. III, 16. 17. quæ repetitur iterum Matth. XVII, 5. cum additione *Hunc audite*, *unde Apostolus & Pontifex professionis nostræ* dicitur Heb. III, 1. uti conveniebat Patris λόγῳ, ἑρμῇ & Sapientiæ æternæ, factusque *Minister circumcisionis* Rom. XV, 8. quamdiu vixit inter homines, (c) I. Futura, etiam impiis, certò prædixit ut fusè videre est Matth. XXIV, 4. 5. & seqq. II. Legem exposuit ac vindicavit à falsis interpretationibus & corruptelis Scribarum & Pharisæorum, *veterum* authoritatem perperam prætexentium Matth. V, 20. & seqq. III. Vaticinia Prophetarum explicavit & applicavit; ut, verbi gratiâ, locum celebrem Ps. CX, 1. de Messia sic Filio Davidis futuro, ut *eum* tamen *David vocet Dominum* Matth. XXII, 43. 44. 45. & Matth. XXIV, 15. Danielis dictum IX, 27. *de abominatione desolationis posita in loco sancto*; Sic correptâ incredulitate Emaunticorum & tarditate cordis *ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ, exorsus à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scriputris quæ de se* scripta erant Luc. XXIV, 25. 27. IV. Euangelii doctrinam promulgavit & inculcavit; Eò enim pertinebat hæc ipsius prima prædicatio, *Resipiscite, appropinquavit enim regnum cælorum* Matth. IV, 17. & in eo deinceps opere ita fuit assiduus, ut voluerit renunciari inter alia Johanni Baptistæ quod *pauperibus euangelizaretur* Matth. XI, 5. Denique variis stupendisque miraculis, doctrinæ personæque suæ veritatem confirmavit; *Opera*, inquit, *quæ facio testantur do me quod Pater miserit me* Joh. V, 36.

XVI. (d) Hanc suam doctrinam toto illo curriculi sui tempore proposuit, I. *Prudenter*, adhibitis familiaribus parabolis, cujusmodi extant à *semine, zizaniis, grano sinapis, fermento, thesauro abscondito, margarita, sagena jacta in mare* Matth. XIII, per totum. II. *Liberè* citra προσωποληψίαν; quod vel ei insidiantes Herodiani & Pharisæorum discipuli profitentur his verbis, *Præceptor scimus te veracem esse & viam Dei in veritate docere, nec quemquam curare; non enim respicis ad personam hominum* Matth. XXII, 16. III. *Efficaciter*, ut nemo posset ejus sapientiæ resistere; Passim enim obstruit os Adversariorum eosque redigit ad ἐχεμυθίαν; ut videre est, e. g. In Sacerdotibus & Senioribus, quos dilemmate de *baptismo* Johannis *unde* nam esset, planè irretivit Matth. XXI, 25. 27. In Herodianis & discipulis Pharisæorum, per *numisma census*, adeo ut *mirabundi eum missum fecerint* & *abierint* Matth. XXII, 19, 22. In Sadducæis, quorum *os* itidem *occlusit*, probatâ ex Mose resurrectione mortuorum ibid. 32. 33. 34. In ipsismet Pharisæis & Doctoribus Legis, quorum *nemo poterat ei respondere quicquam* ibid. 26. *Docebat enim ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ* Matth. VII, 29. IV. *Eloquenter* admodum; nam *infusa erat gratia labiis* ejus Psal. XLV, 3. & missi qui eum prehenderent, petentibus Sacerdotibus & Pharisæis *quare non adduxissent* eum, *responderunt*, *Nunquam ita loquutus est homo ut homo iste* Joh. VII, 45. 46. V. *Tanto cum zelo*, ut sæpè etiam *cibi capiendi* tempus ideò prætermiserit Marc. III, 20. unde dicebat suis Discipulis, *Ego cibum habeo quendam quem vos non nostis*; *Esca* enim *mea est exequi voluntatem ejus qui misit me, & consummare ipsius*

a *Sub V.T.* b *Ipsemet* in carne. c Quid *docuerit* d *Et* quomodo.

opus Joh. IV, 32. 34. & nihil in externo illo ministerio omiserit, quo Israelitas, quibus se speciatim illius respectu missum profitebatur Matth. XV, 24. *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israelis*, à peccatis ad officium & bonam frugem traduceret, etsi plerique ex illis manserint obstinati; Huc spectat ejus querela Matth. XXIII, 37. *Ierusalem, Ierusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Item Luc. XIX, 42. ubi flens super urbe eadem dicebat, *Si vel tu nosses hoc saltem tuo die quæ ad pacem tuam pertinent? sed ea nunc occulta sunt oculis tuis.*

XVII. (*a*) Posteà verò sublatus in cœlum, & ubi *dedit alios Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios etiam Pastores & Doctores, ad compactionem sanctorum, ad opus ministerii, ac ædificationem corporis Christi* Eph. IV, 11. 12. partim extraordinario Apostolorum, Prophetarum & Euangelistarum, partim ordinario Doctorum & Pastorum, licet non, ut alii, θεοπνεύστων, ministerio, tamen ex Scripturis θεοπνεύστοις, accedente semper internâ & efficaci Spiritus sui operatione in cordibus electorum, sic porrò pergit in institutione Ecclesiæ, ut nullum alium Magistrum & Doctorem infallibilem, in cujus verba jurandum, debeat illa agnoscere; *Vos autem ne vocamini Rabbi; unus enim est Doctor vester, nempe Christus* Matth. XXIII, 8. Ex hujus unius ore controversiarum fidei judicium supremum & ἀνυπεύθυνον pendet, cùm *oves ipsius suam vocem audiant* Joh. X, 16.
P. Antichristo Romano, Pseudo-Prophetâ Apocalyptico, cum suis, frustra hanc authoritatem & infallibilitatem, supremamque in Ecclesia sedem, sibi arrogante.

J. XVIII. Hìc verò nec Judæi audiendi, qui Messiam nihil innovaturum circa cultum Mosaicum pertendunt; cùm vel ideo sibi *similem Prophetam* eum Moses prædixerit Deut. XVIII, 15. quod novum cultum esset instituturus, & intolerandum illud jugum abrogaturus; quò maximè spectat *novum illud fœdus*, distinctum ab eo quod *pepigerat* Deus *cum majoribus* Israelitarum quando eos *eduxit è terra Ægypti*, de quo
M. Jer. XXXI, 32. 33. Nec Mahumeti attendendum, jactanti se illum esse modò Paracletum promissum à Christo, modò Prophetam de quo Moses prædixerat; cùm Christus, quem ipse confitetur à Deo missum & in cœlos susceptum, *is sit qui venturus erat, nec alium expectare* debeamus Matth. XI, 3. S. Nec admittenda Socinianorum deliria, de Christi raptu in cœlum paulò post suum baptismum, (juxta communiorem eorum sententiam, cùm alii de tempore illius malint ἐπέχειν:) ut illìc perfectè ad munus suum Propheticum erudiretur; cùm illius inauguratio plenissimæ Spiritus Sancti unctioni & inhabitationi tribuatur Luc. IV, 18. ubi sibi applicat illud Esaiæ, *Spiritus Domini est super me, propterea quod unxit me, ut euangelizem pauperibus misit me &c.* quò & illud spectat, *Is quem Deus misit verba Dei loquitur, nec enim ei Deus admetitur Spiritum* Joh. III, 34. neque post suum baptismum in cœlum ascenderit, sed *subductus fuerit in desertum à Spiritu ut tentaretur à diabolo* Matth. IV, 1. Hujus etiam unctionis & sapientiæ ex ea profundissimæ specimina nobilia ante baptismum suum dederat, cùm eo duodecenni *in medio Magistrorum sedente & eos audiente ac interrogante* in Templo, *percellebantur omnes qui ipsum audiebant, super intelligentia & responsis ejus* Luc. II, 46. 47.

XIX. Sed & per se corruit quod insuper iidem S. Hæretici fabulantur, Vel Christum Legem Moralem certis additamentis perfecisse & adauxisse; cùm nihil aliud præter Legis Divinæ, quæ *perfecta* dicitur Psal. XIX, 8. obsequium, urserit in genere morum; *Si vis ingredi ad vitam serva mandata* Matth. XIX, 17. Vel promissiones novas Patribus planè ignotas attulisse; cùm eas quæ in ipso *factæ* sunt *Ita & Amen* 2 Cor. I, 18. Patres *conspicati sint eminus & fide amplexi* Heb. XI, 13. Vel non nisi operum doctrinam & justitiam ursisse, in quo habent ὁμοψήφους Anabaptistas, Swenckfeldianos & Arminianos, A. R. F. fidem per mandatorum divinorum obedientiam perperam definientes; cùm justitia fidei quæ est in Christo & operum, disertè in sacris literis opponantur, juxta illud Paulinum, *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus Legis* Rom. III, 28. & Gal. II, 16. *Scientes nos hominem justificari non ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi*, & Eph. II, 8. 9. *Gratiâ estis servati per fidem, (& hoc non est ex vobis sed Dei donum est,) non ex operibus, ut nemo glorietur.* Nec tamen ideò Christum Legem penitùs sustulisse, ut volunt Antinomi, F. suo loco visum est.

XX. (*b*) Sacerdotium Christi, licet in Levitico ad-

a *Item post* Ascensionem. a SACERDOTALE, *Iuxta ordinem* Melchisedeci.

adumbratum, tamen longè illo nobilius & au-
gustius fuit, quia *secundum ordinem Melchisedeci*,
juxta Davidis prædictionem Psal. cx, 4. & fusam
Apostoli explicationem Heb. vII, per totum; in
qua tamen vitandus est eorum error qui Melchi-
F. sedecum, vel Angelum, vel ipsum Dei Filium,
vel Spiritum Sanctum, vel hominem aliquem
immediatè à Deo conditum, vellent esse; cùm
Moses loquatur de ipso Genes. xIv, 18. & seqq.
ut de Rege vicino & fœderato Abrahami, qui
obviam ei processerit gratulatum de sua victoria,
cum pane & vino, eaque occasione illi benedi-
xerit & decimas ab eo acceperit.

XXI. Typus autem is fuit Christi, non ut
P. nugantur Pontificii, in sacrificio panis & vini;
cùm hæc non Deo quà Sacerdos, sed Abrahamo
quà Rex amicus & munificus, ejusque exerci-
tui, pro cibariis obtulerit; Sed I. quod fuerit di-
ctus Melchisedek, id est *rex justitiæ*. II. quod
simul fuerit rex Salem, id est, *pacis*. III. quod
ejus genealogia non recenseatur, ut hoc silentio
æternitas Christi adumbraretur. IV. quod simul
Rex & Sacerdos fuerit. V. quod Abrahamo
tanquam superior benedixerit, & ab eo, imò
& in ejus lumbis ab ipso Levi, decimas accepe-
rit. VI. quod nullos vel prædecessores habuisse vel
successores accepisse in Sacerdotio legatur: unde
liquet valde perperam Sacrificulos communionis
P. Romanæ velle etiam illi ordini accenseri.

XXII. (*a*) Hoc autem Christi Sacerdotium,
in iis quæ ad Sacerdotii essentiam spectant, juxta
descriptionem Apostoli Heb. v, 1. statuentis quod
*omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro homi-
nibus constituitur, in iis quæ apud Deum agenda,
ut offerat dona & victimas pro peccatis*, & Levi-
tici quoque præfigurationem, duabus potissi-
mum partibus absolvitur, *Satisfactione* nempe,
& *Intercessione*. Quamvis enim vulgò dicatur,
Sacerdotis esse offerre, docere, orare & benedi-
cere, attamen cùm docendi munus ad Prophe-
ticum Christi officium magis spectet, & jus be-
nedicendi nobis in ejus oblatione Satisfactoria
fundetur, διχοτομίαν malumus retinere; ad
quam speciatim nos ducit solemnitas festi propi-
tiationis, in qua summus Sacerdos hostiâ oblatâ
pro remissione peccatorum totius Israelis, non
absque sanguine tum hirci *cui sors obvenisset pro
Iehova* contradistinctè ab hirco *Hazazel*, tum
juvenci priùs *pro se & sua familia* oblati, subi-
bat Sanctuarium cum *thuribulo* & copioso *suffitu
aromatum*, sic coram Deo populi nomine com-
pariturus, ut fusiùs legere est Levit. xvI, 6. 9. 10.
12. 14. 15.

XXIII. (*b*) Satisfactio pro nobis est, quâ *se-
ipsum*, non utique pro seipso, ut perperam sta-
tuunt Pontificii & Sociniani, Christum sibi ipsi P.S.
suam gloriam meritum fuisse, sed *pro* suis *san-
ctificavit* Joh. xvII, 10. & factus Legi & Patri
obediens usque ad mortem, mortem autem crucis
Phil. II, 8. seipsum obtulit in ea sacrificium
εὐωδίας & ἱλαστικὸν, ut impleret omne Le-
gis postulatum, & omnibus pœnis nobis debitis ex
ordine Justitiæ Divinæ, in se transsumptis, eas
lueret, atque sic propitiatione sufficienti præstitâ,
reconciliationem cum Deo nobis obtineret, &
vitam æternam promereretur & acquireret. Il-
lius autem necessitas, veritas, objectum, mo-
dus, natura, debent distinctiùs considerari, quò
sic tum Judæorum & Socinianorum eam negan- J. S.
tium, tum Pontificiorum, Arminianorum & P.R.
aliorum eam elevantium, errores refutentur.

XXIV. (*c*) *Necessitas* illius arcessitur I. à Dei
Justitia essentiali, quæ nullum peccatum impu-
nitum permittit remanere; Etenim *an Iudex to-
tius terræ non exerceret jus*? Gen. xvIII, 25.
Maximè cùm *nullo pacto absolvat sontem* Exod.
xxxIv, 7. ejusque *pateat* omnibus *ira è cœlo ad-
versus omnem impietatem & injustiam hominum*,
& singuli in suis conscientiis sint convicti hoc esse
Dei δικαίωμα & *jus quod qui talia faciunt digni
sunt morte* Rom. 1, 18. 32. Quapropter *excan-
descentia & ira* tam certò manet *obsequentes in-
justitiæ*, quam benè operantes *gloria & vita
æterna* Rom. II, 7. 8. Hinc Paulus 2 Thes. 1, 6.
justum dicit esse *apud Deum vicissim reddere iis qui*
pios *affligunt afflictionem*; quæ ἀνταπόδοσις
non iræ tantum & vindictæ Dei tribuitur, ut vel-
let Socinianus, sed ipsiusmet justitiæ; prout S.
Apoc. xvI, 4. 5. fontibus & fluminibus in san-
guinem conversis, *Angelus* dicit, *Iustus es Do-
mine, qui es, & qui eras, & qui eris, quod hæc
judicaris*, & Apoc. xIx, 2. *vera & justa judicia
ejus* celebrantur in magnæ Mereticis condemna-
tione, *vindicato sanguine servorum suorum ex ma-
nu illius*. Imò nisi Deus *justus* sit inferendo pœ-
nam, *quomodo judex erit mundi*? inquit Aposto-
lus Rom. III, 5. 6. Huic essentiali & indeclina-
bili Justitiæ Divinæ astipulatur communis om-
nium hominum sensus & consensus; sic tamen

a *Ejus* Partes *duæ*. b 1. Satisfactio *cujus considerantur*, c Necessitas *à Dei Iustitia*, &

ut illi non repugnet alterius in peccatoris locum subrogatio; quandoquidem & inter homines ipsos, tralatitius est obsidum usus, qui eâ lege oppignerantur, ut si eorum principales à promissis defecerint, veniant ipsi pro noxa & pœnas luant; & non solum Codri, Leonidæ, Pythiæ, Zaleuci, exemplis, ipsiusque Pauli authoritate quod *pro bono viro forsitan aliquis etiam mori sustineat* Rom. v, 7. constat, posse pœnas indispensabiliter debitas culpæ, ab uno tamen in alium transferri; prout quælibet debita (nam & peccata sic appellantur) substituto expromissore, à primario debitore non ultra exiguntur; Sed hanc quoque pœnarum translationem publicus Sacrificiorum usus apud omnes populos olim comprobavit, & totus cultus Leviticus, in quo peccatoris locum subibat victima, adumbravit. Hinc peccator *nitebatur manu suâ super caput holocausti sui, ut esset acceptum pro ipso ad expiandum ipsum* Levit. I, 3. 4. & in festo Propitiationis, summus Sacerdos *nitens ambabus manibus suis super caput hirci* Hazazel, *confitebatur super ipsum omnes iniquitates filiorum Israelis, & omnes defectiones eorum ex quibusque peccatis eorum; & postquam imposuerat illa capiti istius hirci, emittebat eum per hominem commodum in desertum, & portabat hircus ille omnes iniquitates eorum in regionem inhabitabilem* Lev. XVI, 21. 22. & Num. XXVIII, 22. *hircus peccati unus*, inter alias victimas, imponitur Israelitis, *ad expiationem*, inquit Deus, *faciendam pro vobis*.

XXV. (*a*) Eadem necessitas II. rejici debet in Veracitatem Dei, qui non solùm mortem & maledictionem comminatus erat peccato, *Quo die de eo comederis morte morieris* Gen. II, 17 & *Maledictus qui non præstiterit verba Legis hujus facienda ea* Deut. XXVII, 26. sed insuper peccati expiationem Satisfactione Christi, tum in victimis legalibus, quæ ideò *peccatum* dicebantur præfiguraverat, tum per Prophetas prædixerat; nominatim Es. LIII, 4. 5. 10. 11. *Morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros ipse bajulavit*; item, *Nam ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nostra; omnes nos ut oves erravimus, quisquis in viam suam nos convertimus, & Iehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrum*; item, *Exponebat seipse sacrificium pro reatu*; item, *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse bajulabit*. Quamvis autem Lex judiciorum ordinariorum velit ut caput noxa sequatur, nec pœna patri debita in filium innocentem derivetur; *Ne morte afficiuntor patres pro filiis, ne filii morte afficiuntor pro patribus, quisque propter peccatum suum afficitor morte* Deut. XXIV, 16. quod & servatum ab Amatzia legimus 2 Chronic. XXV, 4. in patris sui cæde vindicanda, & inculcatum Ezechiel. XVIII, 20. *Anima quæ peccat ipsa morietur; filius non feret propter iniquitatem patris, & pater non feret propter iniquitatem filii*; cùm nemo invitus debeat venire in partem pœnæ qui culpæ affinis non fuerit; Tamen istud nec jurisdictioni Divinæ limites ponit, nec voluntariam substitutionem fidejussoris qui id possit, impedit: & ita vult τὸ ἀκειβοδίκαιον Legis fontem ipsum puniri, ut tamen alterius in ipsius locum subrogatio per quandam ἐπιείκειαν admitti possit; Hæc autem satisfactio ex Legis præscripto, Deo Iudici & primario creditori, (si metaphoræ *debitorum*, sub qua peccata quandoque exprimuntur, sit insistendum; cùm aliàs Deus, ceu Judex & rector universi, & quasi ex nobili officio, pœnæ infligendæ respectu, non minus debitor dici queat, quam peccator illius sustinendæ;) non Diabolo, Tortori duntaxat & justitiæ Divinæ Commentariensi, præstanda est.

XXVI. (*b*) Veritatem ejus docent omnia loca Scripturæ quæ Christo tribuunt I. Suorum liberationem à peccatis, ut Matth. I, 21. *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius*, & Eph. V, 23. *Is est qui salutem dat corpori* suo; quod citra peccati expiationem nequit fieri, cùm *absque sanguinis effusione non fit remissio* Heb. IX, 22. II. Redemtionem propriè dictam per interpositionem pretii Deo exhibiti, quod λύτρον & ἀντίλυτρον propriè significat; Sic dicitur venisse in mundum *ut ministret detque animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν Matth. XX, 28. *Sic empti pretio* dicimur 1 Cor. VI, 20. & in ipso *habere* ἀπολύτρωσιν *per sanguinem ipsius, nempe remissionem peccatorum* Eph. I, 7. Sic dicitur seipsum dedisse ἀντίλυτρον *pro quibusvis* 1 Tim. II, 6. & nos *redemisse pretioso* suo *sanguine* 1 Pet. I, 18. 19. III. Oblationem propitiatoriam & sacrificium piaculare pro peccatis; Exposuit enim *seipsum sacrificium pro*

a *Veracitate*.

b *Veritas*.

pro reatu Es. LIII, 10. & *præstituit* ipsum *Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ* Rom. III, 19. & *factus est peccatum pro nobis ut efficeremur justitia Dei in ipso* 2 Cor. v, 21. & *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fragantiæ* Eph. v, 2. & *per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo*, ut *sanguine* suo *emundet conscientiam nostram à mortuis operibus* Heb. IX, 14. & *peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum* crucis 1 Pet. II, 14. Unde dicitur *agnus Dei qui tollit peccata mundi* Joh. 1, 29. & *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum* 1 Cor. v, 7. & *propitiatio pro peccatis nostris* 1 Joh.
4. II, 2. IV. Patris placationem suâ morte, & nostram cum ipso reconciliationem, quæ cùm passim fundetur in Christi obedientia, fieri debuit non simplici receptione in gratiam, sed debitâ satisfactione; Ideo dicitur quod *Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, non imputando eis offensas eorum* 2 Cor. v, 19. Unde etiam appellatur *pax nostra qui utraque fecit unum* Eph. II, 14.

5. XXVII. Adde omnia illa loca, in quibus dicitur peccata nostra tulisse, & propter illa vulneratus, attritus, passus & mortuus, quò pertinent recitata §. 25. verba Es. LIII, 4. 5. citata eundem in finem Matth. VIII, 17. Ita dicitur Rom. IV, 25. *traditus propter offensas nostras & suscitatus ad nostri justificationem*, & *semel pro peccatis passus justus pro injustis ut nos ad Deum adduceret* 1 Pet. III, 18. & *semel patefactus in consummatione seculorum ad peccatum abolendum immolatione sui ipsius. atque semel oblatus ad multorum auferenda* sive *exhaurienda peccata* Heb. IX, 26. 28.
6. Item & illa, in quibus dicitur sæpissimè *pro nobis* mortuus, ita ut pro peccatis mortem oppetierit *meritoriè*, διὰ τὰ παραπτώματα, pro hominibus *substitutivè*, ὑπὲρ αὐτῶν, hoc est
S. non tantum eorum bono, ut fingit Socinus, sed etiam eorum loco; Sic pro nobis, ut *propter* peccata nostra; ut debitam illis *maledictionem* sustinuerit *pro nobis factus exsecratio* Gal. III, 13. ut *peccatum* sive victima piacularis peccati *pro nobis* sit factus 2 Cor. v, 21. ut eo uno *pro omnibus moriente omnes mortui in illo* censeantur 2 Corint. v, 14. 15; ut non solum ὑπὲρ ἡμῶν Rom. v, 8. sed etiam ἀντὶ ἡμῶν sive ἀντὶ πολλῶν Matth. xx, 28. Marc. x, 45. unde & ἀντίλυτρον dicitur: nam illa particula ἀντὶ, toties substitutionem & vicem ac commutationem significat, quoties oppositionem non denotat.

XXVIII. Eò etiam pertinent omnia ea 7.
dicta quæ Christi obedientiam & mortem statuunt nobis esse meritoriam salutis & vitæ æternæ; Nam huc spectat verbum περιποιῆσαι aliquoties in sacris litteris usurpatum; Sic dicitur quod Deus Ecclesiam suam περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος Act. xx, 28. Sic commemoratur ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως Eph. I, 14. Sic dicimur *positi* à Deo *non ad iram*, sed εἰς περιποίησιν σωτηρίας, *per Dominum nostrum Iesum Christum* 1 Thess. v, 9. Item quod dicatur per *proprium sanguinem ingressus semel Sacrarium, æternam* λύτρωσιν εὑράμενος Heb. IX, 12. Denique omnia ea loca huc faciunt, 8.
quę testantur obedientiam & meritum Christi nobis imputari ad justitiam; Vt quod *unius obedientiâ justi constituantur multi* Rom. v, 19. Quod *factus sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio* 1 Cor. 1, 30. Quod *Deus fecerit ut qui peccatum non novit peccatum pro nobis esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo* 2 Cor. v, 21. Quod esset futurus *Iehova justitia nostra* Jerem. XXIII, 6. Quod ea sit vera *justitia Dei* quæ est *per fidem ipsius* Phil. III, 9. Omne quidem meritum omnemque satisfactionem ex parte nostri excludit gratuita salus; sed meritum & satisfactionem includit ex parte Christi, *per quem Deus nos cùm essemus abalienati & hostes, mente operibus malis intentâ, sibi reconciliavit in corpore illo carnis suæ, per mortem* Col. 1, 21. 22.

XXIX. Et certè omnes conditiones requisitæ in ἐγγύῳ & expromissore sufficienti pro hominibus apud Deum, in Christo reperiuntur; Nam I. Consors fuit specificè ejus naturæ quæ rea erat. II. Fuit dominus membrorum suorum & vitæ suæ, quam adeò legitimè potuit pro aliis oppignerare. III. Fuit extra noxam, ut purior & innocentior victima, cujus sanctitas nostra fieret, reperiri non potuerit. IV. Ultrò & volens hoc onus in se suscepit. V. Potuit omnes pœnas nobis debitas & ferre & exhaurire, quippe θεάνθρωπος: Atque ex his omnibus expen-
sis, facile erit Socinianorum cavillationes contra S.
satisfactionem Christi refutare, quam dum negant, crucem ipsius planè evacuant, & nihil ei tribuunt supra gregarios martyres, qui & veri-

tatem ac gratiam Dei hominibus annunciarunt, & eam morte suâ generosè obsignarunt, & aliis ad pietatem & patientiam aliasque virtutes Christianas, suo exemplo præluxerunt. Non equidem leguntur in Scripturis de Christi obedientia & morte vocabula *meriti* aut *satisfactionis*; sed res ipsa quæ iis vocabulis exprimitur apud Christianos evidentissimè in Dei verbo continetur.

XXX. (*a*) Illius *Objectum* duplex debet considerari, *Cui* & *Pro quo*: Is *cui* à Christo fuit satisfactum, est ὀικονομικῶς & appropriativè Pater, fons & origo totius Divinitatis, qui Judicis, ut Filius Sequestri & Reconciliatoris, partes in hoc opere sustinuit; propriè & verè tota S. Trinitas, adeoque cum Patre & Spiritu Sancto ipse Filius; qui in genere *entis* & præcisè quà Deus, satisfactionem admisit præstitam à seipso in genere *moris* quà θεανθρώπω. Nec tamen Filius nos magis quam Pater dilexit, cùm ipse *propter* nos *proprio suo Filio non pepercerit* Rom. VIII, 32. & una fuerit utriusque reconciliationis conficiendæ voluntas, sicut unica est natura & essentia; sed modus executionis, ut personæ inter se distinctæ sunt, distinctus fuit.

XXXI. (*b*) Illi *pro quibus* satisfecit Christus sunt I. Non Angeli, cùm stantes redemptione non egeant, lapsi redemptibiles non sint, nec fuerint, eo quod Angelica natura à Dei Filio ad eorum redemptionem nec assumpta sit Heb. II, 16. nec assumi potuerit; sed homines. II. Omnes quidem homines *sufficienter*, sed *efficaciter* soli electi à Patre hunc in finem ei dati, ut illos *adduceret in gloriam*; quos adeo Patri sistit his verbis, *Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus* Heb. II, 10. 13. Hæc itaque satisfactionis Christi sufficientia pro mundis pluribus, si plures per impossibile exstarent, non in eo consistit, quod Patris mittentis & Filii missi directa & absoluta intentio fuerit, omnibus & singulis
P. salutem impetrandi, (ut volunt Pelagiani, Je-
R. suitæ & Remonstrantes, ac intempestivi propugnatores ex eorum principiis Gratiæ universalis,) illius applicatione relictâ unicujusque arbitrio; Cùm impetratio salutis frustra sit absque ejus applicatione; nec illa hac latiùs patere aut debuerit aut potuerit; nec illi censeri possit Christus salutem impetrasse, cui fidem & salutis applicationem non impetravit; Sed in eo sita est, quod ejus intrinseco pretio & intensivo valore, quippe infinito, omnes potuissent redimi, si Deo visum fuisset illud ad omnes & singulos extendere: Pretium quidem pro omnibus sufficiens dari debuit & datum est à Christo, sed tamen illud non est actu datum pro singulis & omnibus.

XXXII. Nam restringitur passim Satisfactio Christi ad filios Dei, populum, amicos, oves, corpus, Ecclesiam, Christi: Sic enim dicitur vocandus Jesus quod *ipse* liberaturus esset *suum populum ex peccatis ipsius* Matth. I, 21. Sic dicitur *pastor ille bonus* qui *animam suam deponit pro ovibus* suis, non pro hœdis Joh. X, 11. & moriturus *non tantum pro ea gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum* Joh. XI, 52. Sic dicitur *animam suam* deponere *pro amicis suis* Joh. XV, 13. & *Ecclesiam* suam *suo illo proprio sanguine* acquisivisse Act. XX, 28. & esse *caput Ecclesiæ & is qui salutem dat corpori* suo Eph. V, 23. Nec potest impetratio salutis & satisfactio Christi latiùs patere ejus intercessione, à qua mundus & reprobi disertè excluduntur; *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt* Joh. XVII, 9. Et in generalioribus loquutionibus, Syncategorema *omnis*, Aut pro subjecta materia debet intelligi, ut omnes servandi dicantur, nempe qui sunt ex Christi ovili, populo Dei &c. ut cùm Christus dicitur gustasse *mortem pro omnibus* Hebr. II, 9. nempe illis *filiis* quos *debebat in gloriam adducere* ibid. com. 10. Idem est sensus loci qui extat 2 Petr. III, 2. ubi Deus dicitur esse *patienti animo erga nos & nolle ullos* (supple ex nobis) *perire sed omnes ad resipiscentiam venire*; Aut de generibus singulorum, non de singulis generum, quomodo benè dixeris omne animal fuisse in arca Noë; ut cùm dicitur Deus velle *quosvis homines servari* 1 Tim. II, 4. Aut de sufficientia Satisfactionis, non de illius efficientia, prout Deus est *El Schadai*, qui sibi & omnibus hominibus sufficit ad fœlicitatem, etsi non *efficaciter* se pro illa sufficientia omnibus & singulis fruendum communicet; ut cùm dicitur esse Christus *propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum sed etiam pro peccatis totius mundi* 1 Ioh. II, 2. Nisi malimus & huic loco cum Augustino & multis aliis, etiam præcedentem solutionem eatenus adhibere, ut *totius mundi* nomine intelligantur omnes electi & fideles aut porrò credituri, toto orbe terrarum dispersi. Et si quandoque ii qui pereunt & naufragium faciunt fidei quæ creditur, potiùs quam ejus quâ creditur, (eam enim nunquam habuerunt,

a Objectum *duplex*, Cui & *b* Pro quo

runt, cum ad dona Dei ἀμεταμέλητα pertineat,) describuntur ceu *mercati* & redempti à Christo, ut 2 Petr. II, 2. id debet intelligi secundum quid non absolutè, Sacramentaliter non Spiritualiter, dum contumeliosi in suum baptisma *sanguinem fœderis per quem fuerant sanctificati profanum ducunt* Hebr. x, 22. ex aliorum opinione & ipsorummet externa professione, non ex rei veritate; juxta illud 1 Joh. II, 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum.* Aliàs illi pro quibus Christus verè *mortuus* est & qui credunt in ipsum, nunquam de facto peribunt, etsi qui illis sunt scandalo eos quantum in se est præcipitent in perditionem, juxta loca Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11.

R. XXXIII. Ad trivialem objectionem Remonstrantium, *Quod unusquisque tenetur credere illud verum est*, &c. præter ea quæ alii observarunt, nec omnes & singulos teneri credere Christum *pro se* esse mortuum, cum non omnibus & singulis annuncietur Euangelium; *Quomodo autem credent ei de quo non audiverint? quomodo autem audient absque prædicante?* Rom. x, 14. nec omnes & singulos qui audiunt, absolutè hoc debere credere, sed conditionaliter, si resipuerint & seriò ad Deum convertantur; nec omnibus & singulis externè vocatis, mandari fidem justificantem absolutè, qualescunque sint mansuri, sed proponi per modum officii & conditionis appositæ ad fœdus gratiæ si velint servari; nec teneri credere Christum pro se esse mortuum efficaciter, sed saltem sufficienter, idest suffecturum meritum Christi suæ saluti, si seriò resipuerint, & verâ fiduciâ illud sibi applicarint; conditio verò nihil ponit in esse; Hoc insuper monemus, id argumentum ad leges syllogisticas revocatum, nihil aliud esse quàm inanem paralogismum, in quo aut pro medio assumitur quod in quæstione est, nempe omnes teneri credere Christum esse mortuum universaliter pro omnibus, quod nusquam fuit revelatum; aut ridiculè colligitur Christum *pro se* esse mortuum, quod omni sensu caret; aut plus concluditur quam erat in præmissis, medio conclusionem vel ex toto vel ex parte subeunte.

XXXIV. (*a*) *Modus* autem quo Christus satisfactionem hanc præstitit, in eo situs est, quod *factus ex muliere & factus ὑπὸ νόμε, ut eos qui sub Lege erant redimeret* Gal. IV, 4. 5. Legi perfectissimè obsequutus, se-ipsum Deo hostiam sanctam & immaculatam per Spiritum æternum obtulit pro nobis, atque exhaustâ maledictione peccatis nostris debitâ, eorum plenam remissionem nobisque perfectissimam justitiam coram Deo & vitam æternam promeruit ac obtinuit. In hac perfectissima Christi obedientia ejus actiones ab illius passionibus non videntur subtiliùs vel separandæ vel distinguendæ, cùm totus Christus noster sit, *nobis* à Deo *factus sapientia & justitia & sanctificatio & redemptio* 1 Cor. I, 30. & concurrerint utræque ἐνεργητικῶς, meritoriè & efficaciter ad satisfactionem eam quâ loco nostro defunctus est.

XXXV. (*b*) Jam verò *Natura* hujusce Satisfactionis per se patet. Nam fuit *plenissima ac perfectissima*, adæquata Legis postulato, & æqualis eorum malis meritis & reatui propter quos data fuit; non ex acceptantis gratia per acceptilationem, quæ solutio est imaginaria, (huic enim si locus fuisset apud Deum, etiam victimæ legales potuissent per se peccata expiare, contra quam dicitur Hebr. IX, 9. *illa non potuisse in conscientia consummare cultorem*,) sed ex meriti sufficientia & condignitate operis. Licet enim æternitatem pœnæ non subierit, quia illam superavit & devicit, tamen eam extremam pœnam subiit, quæ æterna est reprobis, & quicquid illa habet pœnæ, si inordinationem excipias, tum in damno, tum in sensu; Etenim *paulisper fuit Angelis inferior factus propter mortis perpessionem, ut beneficio Dei mortem pro omnibus gustaret; Decebat enim ut ipse propter quem sunt hæc omnia, & per quem sunt hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo principem salutis ipsorum per perpessiones consummaret* Hebr. II, 9. 10.

XXXVI. Licet etiam passiones Christi finitæ fuerint in genere *entis*, tamen infinitæ fuerunt in genere *moris*, tum ex personæ patientis infinita dignitate, tum ex intrinseco pretii oblati valore; quia non plus præstari potuit quàm præstitum fuit, & tamen si minus præstitum esset persolutum non fuisset. Licet quoque nummus aureus non plus valeat in manu Regis quam rustici, tamen Regis caput & vitam plus habere pretii, quam vilis alicujus mancipii, nemo dubitat, & constat ex 2 Sam. XVIII, 3. ubi populus qui Davidem in fuga sua comitabatur, noluit illum in aciem procedere, quod plus utilitatis foret hosti in illius unius obitu & capite, quam in ja-

S

a Modus.

b Natura *juxta quam est* 1. Plenissima.

P. jactura medii exercitus. Nec inde sequitur quod vulgò dicunt Scholastici, vel minimam sanguinis Christi guttulam suffecturam Redemptioni nostræ: nam etsi quælibet talis guttula habuerit infinitum valorem *subjectivum* ex dignitate personæ, non tamen habuit valorem *objectivum* ex natura λύτρυ persolvendi & condignitate pœnæ nobis debitæ: nec enim qualiscunque pœna, sed mors & maledictio peccato debebatur.

XXXVII. Nec etiam ideó plus solutum quam oportuit: nam pretium infinitum requirebatur ut bona infinita nobis acquirerentur, & ut ex infinitis malis liberaremur: Imò tale debebatur cuilibet peccatorum redimendo. Christus quoque ita ex superabundanti, (non quidem ratione pœnæ ipsius ex Lege debitæ, sed tùm ratione personæ, quod talem sponsorem tantæque dignitatis sumus consequuti, tùm ratione bonorum quæ nobis certiora & majora acquisivit suâ obedientiâ quam nostrâ in Adamo trangressione amiseramus,) pro suis satisfecisse intelligendus est, juxta istud, *Vbi amplificatum est peccatum ibi superabundavit gratia* Rom. v, 20. & quod ejus actiones & passiones meritoriæ fuerint θεανδρικαί: Ut tamen ex illius Satisfactione & Meritis nihil redundet, P. quod Papa in Thesauro Ecclesiæ cum Sanctorum meritis asservare queat, per Indulgentias suas, peccatoribus, sed manus auxiliares porrigentibus, distribuendum & applicandum: Nihil superflui superest ex Solis luce, quamvis & plenissimè luceat, & pluribus possit lucere quam revera lucet, & cuilibet nostrûm hic Sol totus requiratur ad opera lucis & diurna commodissimè præstanda.

R.F. XXXVIII. (*a*) Ad plenitudinem Satisfactionis hujus pertinet, quod per illam I. Reatus peccati originalis ablatus sit, non quidem in omnibus & singulis, ut volunt Arminiani & gratiæ universalis patroni; quia tunc nullum foret discrimen inter fœderatorum liberos & alios, contra Paulum dicentem, etiam iis ex fidelibus qui conjuges habebant infideles, *Maritus infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro; alioqui certè liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt* 1 Cor. vii, 14. sed in omnibus & solis quorum nomine Christus se stitit in cruce. 2. Nec solum peccatum originale, ut perperam Remonstrantes & quidam Scholastici sentiunt, sed omnia actualia peccata, tum *omissionis*, tum *commissionis*, (non quidem omnium & singulorum hominum, sed electorum ac fidelium, quia impii & reprobi non possent justè puniri in inferno propter peccata jam exhausta & ablata per Christum) ita sunt deleta sanguine Christi, ut illis ampliùs non sint imputanda ad condemnationem.

2. R. P.

XXXIX. (*b*) Quare Pontificii nullâ ratione sunt audiendi, dum volunt hìc sollicitè distinguere inter peccata commissa ante Baptismum & quæ illum sequuntur, mortalia & venialia, reatum culpæ & pœnæ, pœnam temporalem & æternam; ut restringant Satisfactionem Christi I. ad peccata antebaptismalia, II. ad mortalia, III. ad reatum culpæ, IV. ad pœnam æternam, statuantque hominibus ipsis satisfaciendum esse pro peccatis post Baptismum admissis, saltem venialibus, & quoad reatum pœnæ temporalis, idque vel in hac vita per opera pœnalia, vel in futura per ignem purgatorium; cùm tamen Christus & totum peccati & omne peccatum tulerit & abstulerit; unde Paulus, *Nulla igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu* Rom. viii, 1. & Johannes, *Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato* 1 Joh. 1, 7. P.

XL. Quin illæ Pontificiorum distinctiones sunt vanæ & ridiculæ, ad propriam Justitiam, Confessionis auricularis necessitatem & modum, Peregrinationum & Indulgentiarum nundinationes, Missas pro mortuis & Purgatorii terriculamentum incrustanda. Nec confundi debent Satisfactiones Canonicæ in foro externo Ecclesiæ, quarum aliquando fit mentio apud Veteres, aut reparativæ quæ debentur proximis læsis & offensis, & *restitutionis* nomine veniunt apud Casuistas, cum satisfactione solutiva quam isti urgent in foro conscientiæ apud Deum: Et si quæ immittuntur calamitates fidelibus, illæ non sunt pœnæ satisfactoriæ, sed medicinales & emendatoriæ, vel prophylacticè, vel etiam therapeuticè; Hinc David, *Bono mihi fuit affligi, ut discerem statuta tua* Psal. cxix, 71. & Paulus, *Dum judicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur* 1 Cor. xi, 32. Quibus adeo hujus vitæ viâ finitâ, cùm non amplius subsimus peccato, non possumus ultrà esse obnoxii; *Beati à modo mortui qui in Domino moriuntur; etiam dicit Spiritus, nam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos* Apoc. xiv, 13. P.

XLI. (*c*) Fuit quoque Satisfactio Christi, non solum *Exsolutiva* omnium debitorum nostrorum, sed etiam *Reconciliativa* nostri cum Deo; qua-

a Quæ plenitudo explicatur. b Eversis propriis Pontificiorum Satisfactionibus, 2. c Tum Exsolutivatum, Reconciliativa.

quatenus nobis jam prædilectis amore benevolentiæ, conciliavit ejus amorem complacentiæ, aut saltem viam ad eum præstruxit, effecitque ut bonum nobis jam volitum prædilectione suâ, ritè & convenienter justitiæ suæ posset impertiri; non verò quod Deum transmutarit ex nolente in volentem nos servare, ex odio nos habente in nos diligentem, ut Remonstrantes quidam loquuntur; id enim ab immutabilitate Dei est nimis alienum; Imò nihil falsius istorum dogmate, neminem diligi à Deo nisi in Christo per fidem existentem; contrarium docente Scriptura; *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* Ioh. III, 16. Quare in eo potissimum *commendat suam ergo nos charitatem Deus, quod quum adhuc essemus peccatores Christus pro nobis mortuus sit* Rom. V, 8. R.

R. XLII. Nec etiam datio Christi in Redemptorem ipsiusque Satisfactio præordinatur electioni æternæ, ut iidem falsò asserunt, & qui eorum juvencâ triturant, propugnaturi gratiam universalem, saltem objectivam, ut amant loqui; sed ei tanquam illius completiva & executiva subordinatur; Non quod Deus Satisfactione moveatur ut velit salutem peccatorum, sed volens & destinans salutem peccatorum interventu illius Satisfactionis, hæc efficit ut peccatoribus salutem volitam ex solo beneplacito, in tempore conferat & conferre possit convenienter suæ Justitiæ; Debuit enim framea peccati, quæ aditum ad arborem vitæ hominibus præcludebat, Christi Satisfactione removeri.

XLIII. Quamvis ergò nonnisi per fidem hæc reconciliatio Electis & promulgetur & applicetur in foro interno conscientiæ, actuali ipsorum Iustificatione, tamen illa fide prior est & naturâ & tempore, tum respectu Christi eam nobis sua Satisfactione in tempore obtinentis, tum respectu Dei eam Satisfactionem, suis ex liberrima dilectione decretam, in decreto quoque suo jam ut præstitam quadantenus, sed præsertim ubi actu præstita fuit, admittentis: Unde electi nondum credentes, ita sunt adhuc in peccato quoad *statum*, (nam *ira Dei manet super eum qui non credit* Ioh. III, 36.) ut quoad suas *personas* sint in flagranti Dei gratia ex reconciliatione per Christum meritoriè præstita, & ipsorum nomine sic apud Deum, *qui erat in Christo reconcilians mundum sibi* 2 Cor. V, 19. admissa, ut ex illa & vocandi & justificandi certò suo tempore veniant; Tria enim hîc tempora distinguenda sunt, nempe Satisfactionis I. decretæ in Dei consilio, II. actu præstitæ & admissæ pro impetranda electorum reconciliatione, III. per Justificationem ac fidem applicatæ.

XLIV. (a)Fuit etiam Satisfactio Christi *Meritoria* salutis & vitæ æternæ, uti suprà indicatum est; Nec enim arbitramur reale discrimen constituendum inter Meritum & Satisfactionem Christi, ita ut distinctis actibus hæc duo tribuantur; aut satis prudenter nonnullos negare mortem & passionem Christi justitiam & meritum nostrum posse dici, contra quam omnes Theologi Orthodoxi hactenus docuêre, & expressè habet ipsa formula Liturgica Sacræ Cœnæ in Ecclesiis Gallicanis, quæ dicit vim mortis & passionis Christi nobis ad justitiam imputari ac si eam in propriis nostris personis pertulissemus: Etsi autem dicat Socinus, non tribui nomen meriti in Scripturis morti Christi, satis est quod dicitur illud *pretium* quo nobis cœlum comparatur. S.

XLV. Non meretur equidem qui satisfacit proprio creditori, sed expromissor solvendo pro alio, ei acquirit immunitatem & libertatem, &, si exulaverit, restitutionem civitatis; & ita debitor fuit Christus eorum quæ fecit & passus est, ut tamen per illa nobis sit salutem promeritus, quia tantum eo fine ad ea se obstrinxerat. Sic ergò in ultimis Christi passionibus, tanquam in formali Sacrificii expiatorii actu, constitui debet Meritum & Satisfactio ipsius, solâ ratione distinguenda, (unde patet non sibi meruisse, ut volunt Sociniani & Pontificii, sed nobis tantum, nec S. P. *meritoriè* se habuit ad ejus exaltationem illius exinanitio, sed tantum *antecedenter*, uti liquet ex collato loco Phil. II, 9. *Quapropter Deus ipsum in summam extulit sublimitatem*, cum dicto Petri, scrutatos fuisse Prophetas *in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones & gloriam illas consequuturam* 1 Petr. I, 11.) ut tamen eodem referatur, quicquid innocentiæ, puritatis & sanctitatis actualis ex obedientia Legi præstita, in illius vita præcessit.

XLVI. Nec opus est minutatim conscindere hoc pretiosissimum pretium, ut illi parti liberatio à morte & abjudicatio injustitiæ, huic justitiæ ad-

(a) 3. Meritoria.

adjudicatio & acquiſitio vitæ, vel ut aliqui ſubtiliùs adhuc loquuntur, an æquè ſolidè ipſi viderint, illi jus *ad vitam*, huic jus *in vitam*, tribuatur. Sufficit quod tantæ eſt efficaciæ Obedientia Chriſti perfecta, tanti meriti ejus pleniſſima Satisfactio, ut per illam *in nobis* δικαίωμα *Legis compleatur* Rom. VIII, 4. nec ſolum à maledictione, morte & interno liberemur, ſed etiam adoptionem, benedictionem & hæreditatem liberorum ſimul & ſemel eodemque actu conſequamur.

XLVII. (*a*) Denique fuit Satisfactio Chriſti *Abſoluta* quoad ejus certitudinem & determinationem; certò enim & determinatè pro ſolis ſuis electis & ovibus Chriſtus in cruce ſtetit, non pro aliis; quamvis eis conſecutus ſit redemptionem ſub reſipiſcentiæ & fidei conditione, non quidem ſimpliciter *poteſtativa* & pendente in incerto, ſed antecedente ad illius applicationem & certiſſimè futura. An verò præter directum illum, abſolutum & actualem uſum Satisfactionis Chriſti pro Redemptione Electorum, fide ideò ſuo tempore certò donandorum, ſecundarius, qui indirectus, potentialis & conditionalis dicatur, ſit admittendus in Dei intentione, ex intrinſeco, infinito & ſufficientiſſimo illius valore, ut ſemper cuivis verè dici poſſit, *Si credideris ſalvus eris*, ſuperfluum ferè eſt diſputare.

XLVIII. Nam Deus habet jus exigendi fidem & reſipiſcentiam ab hominibus, etſi eam ipſis dare, aut gratiam ſufficientem ad illam, nec teneatur, nec decreverit: Ipſa quoque propoſitio conditionalis ſuam ſemper habet veritatem, licet pro illo nominatim cui id diceretur Chriſtus non ſatisfecerit, nec illi fidem dare Deus intenderit: notandum enim illud eſt, *Conditio nihil ponit in eſſe*. Et quam non debeant propoſitiones conditionales, quarum non alia eſt veritas quam conſequentiæ, neceſſariò reſolvi in categoricas, patet ex Gal. I, 8. *Si nos aut angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizatum eſt, anathema eſto.*

XLIX. (*b*) Ex his autem liquet, Chriſtum dici
S. Servatorem, non tantum, ut volunt Sociniani, quod ſalutis viam nobis annunciaverit, eamque & confirmaverit vitæ ſanctimoniâ, miraculis, morte cruentâ, & glorioſâ ſuâ reſurrectione oſtenderit, & nobis in cœlo ſummè exaltatus conferre poſſit; ſed potiſſimum quod ſatisfaciendo Legi & Iuſtitiæ divinæ eam nobis plenè ac perfectè acquiſiverit, atque *juſtitiam perpetuam* ſive *ſæculorum* adduxerit, uti ea dicitur Dan. IX, 24.

L. (*c*) Hanc verò pleniſſimam Satisfactionem Chriſti pro nobis evertunt Pontificii, I. Doctri- P, 1
nâ ſuâ de meritis operum & propriis ſatisfactionibus vel in hac vita, vel in purgatorio; quæ vel inde concidunt, quod agnoſcunt ſatisfactionem includere rationem meriti, & Chriſtum nobis meruiſſe gratiam juſtificantem & remiſſionem peccatorum, in qua Juſtificatio & ſalus à Paulo collocatur Rom. IV, 6. 7. 8. *Sicut etiam David declarat beatum hominem cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus, dicens, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum obtecta ſunt peccata, Beatus vir cui non imputarit Dominus peccatum.* Quare non poſſunt merita & ſatisfactiones hominum ſuccenturiari Chriſti merito & ſatisfactioni, quin vel hæc inſufficientiæ accuſetur, vel Deus injuſtitiæ, quod ejuſdem rei duplex pretium, ejuſdemque culpæ duplicem pœnam, velit exigere.

LI. II. Cùm imputationem obedientiæ & 2.
juſtitiæ Chriſti ad Juſtificationem coram Deo tam protervè reſpuunt, quandoquidem nobis applicari Satisfactionem Chriſti in remiſſionem peccatorum, idem ſit planè quod illius obedientiam, juſtitiam & meritum apud Deum imputari; cùm verè juſtitia noſtra non in virtutum noſtrarum perfectione, ſed in delictorum remiſſione conſiſtat. (*d*) III. Sacrificio Miſſatico, quod fingunt
eſſe propitiatorium pro peccatis vivorum & mor- 3.
tuorum. Attamen propitiatio peccatorum conſtanter morti & ſanguini Chriſti adſcribitur, nominatim Rom. III, 24. 25. ubi dicimur *juſtificati gratis, ejus gratiâ per redemptionem factam in Ieſu Chriſto quem præſtituit Deus propitiationem* ſive *placamentum*, ἱλαςήριον, *per fidem in ſanguine ipſius*; & Chriſtus in Euchariſtia non Sacrificium quod offeratur Deo, ſed Sacramentum quod ab ipſo recipiatur, inſtituit.

LII. Nulla etiam actio Chriſti in Euchariſtia aſſignari poteſt, quæ formaliter ad Sacrificium, non verò ad Sacramentum, pertinuerit; quare *hoc facere* quod tunc fecerunt Chriſtus & Apoſtoli, non eſt Chriſtum ſacrificare. Et repugnat Sacrificium incruentum, quale hoc definitur, eſſe verè propitiatorium, cùm *abſque ſanguinis effuſione non fiat remiſſio* Hebr. IX, 22. & *ſanguis*

is ſit

a 4. Abſoluta. b *Hinc patet* qualis Servator *Chriſtus*. c *Addito* elencho *multiplici* Pontificiorum, d *Maximè* Sacrificii Miſſatici.

is ſit qui pro anima facit expiationem Lev. XVII, 11. Et nullum reperietur Sacrificium propitiatorium ſub Lege quod incruentum fuerit; Nam Num. XXX, 50. oblatio monilium per chiliarchas, non tam fiebat ad legaliter expiandum peccatum jam commiſſum, quam ad præcavendum peccatum interdicti, & animas ſuas liberandas anathematis pœnâ. *Simila* verò offerenda à paupere qui non poterat aſſequi *duos turtures aut duos pullos columbæ* Levit. V, 11. non tam habebat rationem ſacrificii propitiatorii, quam proteſtationis ſuæ impotentiæ, & boni ſui propoſiti, fuitque relaxatio & diſpenſatio à rigore Legis in caſu neceſſitatis quæ Legem non habet. Nec poſſet Chriſtus pluries offerri, quin pluries pateretur; ac ſemel tantum eum oblatum fuiſſe & ſacrificium ejus eſſe irreiterabile, multis docetur Hebr. IX, 25. 26. 27. 28. *Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno, (alioquin oportuiſſet eum ſæpè paſſum fuiſſe à jacto mundi fundamento) ſed nunc ſemel in conſummatione ſæculi ad peccatum per immolationem ſuiipſius è medio tollendum, factus eſt manifeſtus; Et ſicut illud ſtatutum eſt hominibus ut ſemel moriantur, poſtea verò judicium, ita & Chriſtus ſemel oblatus ut in ſeipſo attoleret multorum peccata, ſecundò abſque peccato conſpicietur iis qui ipſum exſpectant ad ſalutem.* Sic ejuſdem epiſtolæ Hebr. X, 10. 11. 12. 14. dicimur *ſanctificati per oblationem corporis Chriſti ſemel factam*; adeo ut cùm *omnis Sacerdos adſtet quotidie ſacro miniſterio defungens & eaſdem ſæpiùs offerens hoſtias quæ nunquam poſſunt auferre peccata*, ipſe *unâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ, conſederit ad dextram Dei*, & *unicâ oblatione conſummaverit in perpetuum eos qui ſanctificantur.* Inanes ſunt quoque & ſeſe mutuò evertentes diſtinctiones ſacrificii *Redemptionis* & *Religionis*, aut *Applicationis*, vel *Propitiationis* & *Commemorationis*; nam omnis actio religioſa non debet ſtatui Sacrificium externum, ſenſibile & propriè dictum; nec poteſt medium deſtinatum commemorationi & applicationi Sacrificii alicujus propitiatorii, Sacrificium propitiatorium dici. Denique hoc commentum pugnat cum natura Sacrificii propriè dicti, ipſius Euchariſtiæ, corporis Chriſti, imò ipſiuſmet Tranſſubſtantiationis, ut attendenti ad ſingula facilè patebit.

LIII. (a) Hactenus de Satisfactione Chriſti: Sacerdotii ejus altera pars *Interceſſio* dicitur, quâ poſt oblationem expiatoriam non in ara crucis, (ut vulgò minùs commodè loquuntur, cùm crux non fuerit ara hoc munus ſanctificans,) ſed in cruce peractam, ubi pro *peccatis populi ſemel ſemetipſum obtulit* Hebr. VII, 27. *nactus per proprium ſanguinem redemptionem æternam, & ſic ingreſſus ſemel in ſacrarium* cœleſte Hebr. IX, 12. ſeipſum ſtitit Deo Patri, efficaciam ejus oblationis repræſentaturus, & per illam nobis conſecuturus impetratæ redemptionis applicationem, Spiritus Sancti gratiam, & precum noſtrarum exauditionem: *Niſi abiero*, inquit Joh. XVI, 7. *advocatus ille non veniet ad vos; ſin autem profectus fuero mittam eum ad vos.* Hoc fundamento nitebatur Pauli fiducia Rom. VIII, 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt, imo verò qui etiam ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, ac etiam interpellat pro nobis.* Hinc
unius μεσίτης Dei & hominum dicitur 1 Tim. II, P,
5. *per quem omnes habemus in eodem Spiritu aditum ad Patrem* Eph. II, 18. qui *intra velum præcurſor pro nobis ingreſſus eſt* Hebr. VI, 19. 20. *unde & ſervare perfectè poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ut interpellet pro iis* Hebr. VII, 25. Hinc denique *advocatus* noſter *apud* Patrem nominatur 1 Ioh. II, 1. & deſcribitur Apoc. VIII, 3. 4. per Angelum *ſtantem apud aram cum thuribulo aureo, cui dati ſunt ſuffitus multi ut offerat cum precibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum quod eſt ante thronum.* Hac unius Chriſti interceſſione freti veri Chriſtiani, nihil petunt à Patre niſi in nomine Filii; cujus hæc eſt promiſſio Ioh. XVI, 23. *Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.*

LIV. Quamvis autem omnes Chriſti preces in terris non fuerint interceſſoriæ, ſed nonnullæ ex privato pio-ve affectu prodierint, ut cùm in agone dicebat, *Pater mi, ſi poſſibile eſt abeat à me poculum iſtud* Matth. XXVI, 39. & in cruce, *Pater, remitte ipſis, neſciunt enim quid faciant* Luc. XXIII, 34. quibus velleitatem potiùs quam abſolutam voluntatem expreſſit; tales tamen pleræque fuerunt, ac nominatim illæ quæ recitantur toto Joh. XVII. in quibus ſuæ pro Eccleſia Interceſſionis in cœlis vivam exhibuit imaginem. Quare ut non cœpit Interceſſio Chriſti ſimpliciter poſt illius aſcenſionem in cœlum, ſic peſſimè ſtatuunt Sociniani,
tum demum Sacerdotium ipſius incœpiſſe, victimæ oblationem confundentes cum oblationis peractæ repræſentatione, de qua agitur S.

a 1. Interceſſio, *Qua & Qualis.*

Hebr. vi, 19. 20. quando dicitur *intra velum* ceu *præcursor pro nobis ingressus, factus secundum ordinem Melchisedec Pontifex in æternum:* Nec enim Pontifex demum factus est illo ingressu, sed quia Pontifex factus erat, mansurus talis *in æternum*, & *perpetuum habens sacerdotium* Hebr. vii, 24. eò debuit ingredi *per proprium sanguinem* Hebr. ix, 22. jam ante effusum *in sui ipsius immolatione ad tollendum peccatum* Hebr. ix, 26. Et pro eo quod Sacerdos Leviticus in festo Propitiationum, ingrediebatur adytum Templi, repræsentaturus Deo sanguinem illum qui pro peccatis fusus fuerat ad altare, *talem* decuit *nos habere Pontificem* qui peractâ in sanguine suo expiatione peccatorum nostrorum, *consideret ad dextram throni Majestatis illius in cœlis*, ceu *Sanctuarii minister ac veri illius: Tabernaculi quod fixit Deus & non homo* Hebr. viii, 1. 2. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus quod sit exemplar vero respondens, sed in ipsum cœlum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis* Hebr. ix, 24. Non negat Apostolus Hebr. viii, 4. Sacerdotio suo defunctum esse Christum in terris, cùm ait, *Quod si esset in terra ne quidem sacerdos esset, manentibus illis sacerdotibus qui secundum legem offerunt dona*, sed tantum docet I. Sacerdotii istius functionem requisivisse, ut Christus in cœlum ascenderet; II. Sacerdotium illius terrestre non fuisse, ejus scilicet generis cum eo quod in Tabernaculo Levitico obtinebat, eo quod non esset stirpis Sacerdotalis, ut dicitur expressè Hebr. vii, 14. *palam* id esse, *è Iuda ortum Dominum nostrum, cui tribui nihil de Sacerdotio loquutus est Moses. Corpus* autem illud quod sibi *adaptatum* à Deo profitetur offerendum pro holocaustis & sacrificiis Hebr. x, 5. non aliud est ab eo *in quo peccata nostra tulit super lignum* crucis 1 Petr. ii, 24. quâ *unâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ, consedit* demum *ad dextram Dei* Heb. x, 12. id est sacrarium cœleste subiit, ut ibi *compareat pro nobis* Hebr. ix, 24.

LV. (*a*)Cùm autem utriusque naturæ respectu Christus hac Intercessione defungatur, quin illi ceu Intercessori nostro, non solum per modum suffragii sive nudæ deprecationis, sed authoritativè & per modum jurisdictionis, si fas sit ita loqui, preces nostras commendare, adeoque & illum religiosè invocare debeamus, nulli Chri-
P. stiano dubitare licet. Sed & sic unicus Intercessor ex officio in cœlis est habendus & quà talis invocandus, ut quamvis nolimus negare Sanctos cœlites precari in genere pro Ecclesia militante, etsi de singulorum statu nihil habeant perspectum, & *pars nulla eis sit amplius unquam in ulla re quæ fit sub Sole* Eccl. ix, 8. eos tamen vel Angelos pro Intercessoribus Mediatoriis nec habere debemus, neque hoc prætextu, ut Papistæ faciunt, invocare.

LVI. Nam ille solus causam nostram efficaciter agit qui pro nobis solvit; nec parariis domesticis est opus, filio ipso tam benignè nos ad se invitante; *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego reficiam vos* Matth. xi, 28. & tam liberaliter promittente exauditionem precum suo nomine fusarum Joh. xvi, 23. 24. ut suprà §. 53. ostensum. *Ego sum*, inquit, *via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me* Joh. xiv, 6. Sancti & Angeli nec corda nostra perspiciunt, quod *solius Dei* est 1 Reg, viii, 39. nec preces nostras vel audire, vel exaudire possunt: Ad mutuas preces pro invicem in hoc stadio tenemur ex charitatis Christianæ officio; *Precamini alii pro aliis ut sanemini* Jac. v, 16. mutui tamen ideò Intercessores sive Mediatores non sumus; Neque superest huic mutuo officio locus inter nos & cœlites, cùm nec illi necessitatibus nostris intersint, prout de mortuo dicitur, *Si augeantur filii sui ignorat, sin diminuuntur non animadvertit ad eos* Job. xiv, 22. unde Esa. lxiii, 16. Israëlitæ se ignotos esse Abrahamo & Jacobo profitentur; nec ullum habeamus cum illis commercium, cujus beneficio eorum suffragia implorare queamus.

LVII. Ut autem ex Christi Prophetæ Doctrina omnem nostram eruditionem debemus haurire, & omne nostrum meritum apud Deum in illius Satisfactione collocare, sic freti fiduciâ unicæ Intercessionis suæ, & *talem habentes Pontificem magnum qui penetravit cœlos*, debemus *μετὰ παῤῥησίας ad thronum gratiæ accedere* Hebr. iv, 15. 16. Nam *servare perfectè potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis* Hebr. vii, 25. & in illo solo *habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius* Eph. iii, 12. Non est quò eas nisi ad Christum, non est quò eas nisi per illum. (*b*)Hanc fiduciam augere debet Regium ipsius munus, quod perperam confundunt Sociniani cum ejus S.
Sacerdotio, hocque duntaxat statuunt esse illius administrationem & executionem: cum è contrario nobis applicandis Sacerdotii sui fructibus, regia ejus dignitas & authoritas potissimum inserviat.

LVIII.

a *Propria est Christo.*

b REGIUM *à Sacerdotio distinctum.*

LVIII. (*a*)Regem Meſſiam futurum fuiſſe, J. eſt notiſſimum: ſed fruſtra ſunt Judæi qui regem hunc terrenum & temporalem præſtolantur, ſuæ Reip. & cultus Levitici reſtauratorem, ac bellatorem eximium; cùm venturus eſſet Meſſias poſt Remp. Iſraëlitarum everſam, ac *Sceptro e Iuda ablato & Legislatore è medio pedum ejus* Gen. XLIX, 10. futurus eſſet *pauper* & egenus Zach. IX, 9. à ſuis etiam rejiciendus & occidendus; *Non eſt forma ei neque decor, & quando intuemur eum non ineſt ſpecies cur deſideremus; Contemptus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & velut homo abſcondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æſtimemus illum; A coarctatione & à judicio tollitur; exſcinditur è terra viventium* &c. Eſa. LIII, 2. 3. 8. Quam autem huic obſervationi non medeatur vana & ridicula diſtinctio duplicis Meſſiæ, quorum alter ſit filius Joſephi, alter filius Davidis, res ipſa per ſe loquitur: Adde Meſſiam futurum fuiſſe Regem ſimul & Sacerdotem, idque in æternum; Pſal. CX, 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci*; Eſa. IX, 6. *Amplitudini illius principatus & paci nullus erit finis*; quod regno temporali & terreno convenire non poteſt.

LIX. (*b*) Regia in Chriſto dignitas duplex eſt, altera ſimpliciter Naturalis, quæ ipſi competit præciſè quà Deo, altera Oeconomica, quæ eſt illius quà θεανθρώπου; nihilque revera ad præcedentem addit præter novam σχέσιν duplicem, unam ex parte *ſubjecti*, quod ſit Immanuelis noſtri, ſive Dei manifeſtati in carne, alteram ex parte *objecti*, quod ita ſe in omnia extendat, ut ſpeciatim ordinetur ad bonum & ſa-
S. lutem Eccleſiæ; ne Sociniani hîc nonniſi ſubalternum & dependens Dominium Chriſto vindicent, ad ipſius ſummam & veram divinitatem evertendam. Hoc autem regnum Chriſti œconomicum ita eſt ſpirituale, origine, throno, ſubditis, legibus, adminiſtratione, ut quamdiu verſatus eſt in terris, nulla dignitas Regia terrena & temporalis ei vel de jure, vel de facto, quic-
P. quid contra ſtrepant Canoniſtæ, convenerit: nam & inter cenſitos Auguſti deſcriptus eſt, nec habuit ubi caput reclinaret; prout etiam proteſtatur ſe *non veniſſe ut ſibi miniſtretur ſed ut miniſtret, detque animam ſuam in pretium redemptionis pro multis* Matth. XX, 28. Quin licet fuerit ex ſemine Davidis ſecundum carnem, & myſtico ſenſu *Davidis Patris ſui ſedem* conſequutus Luc. I, 32. tamen dici nequit jure ſucceſſionis aut hæreditario Regnum terrenum Iudææ ad ipſum pertinuiſſe.

LX. Nam diu id juris in familia Davidis perierat, Judææ imperio per varias revolutiones poſt captivitatem Babylonicam in Aſmonæos, dein Herodem, tum Romanos tranſlato, quibus ceu legitimis dominis cenſum eſſe perſolvendum Chriſtus ipſe pronunciavit; *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* Matth. XXII, 12. & Iechoniæ, ex quo Chriſtus legaliter per Ioſephum patrem ſuum putativum & adoptivum deſcendit Matth. I, 12. denunciatum fuerat Jerem XXII, 30. nullum ex ipſius poſteris regem futurum: *Non proſperabitur de ſemine ejus quiſquam ſeſſurus in ſolio Davidis & dominaturus amplius in Iehudam.* Quare fruſtra eſt P.
Pontifex Romanus, dum ſibi arrogat Monarchiam temporalem orbis, ſive directè, ſive indirectè, ſive immediatè, ſive mediatè, (nam ejus paraſitis parum refert quo titulo, modò regnet,) quà Chriſti vicarius; cùm nec vicariatum iſtum unquam ſit probaturus, & Chriſtus ipſe diſertè teſtetur quod *Regnum ſuum non ſit ex hoc mundo* Joh. XVIII, 36.

LXI. (*c*)Quamvis verò Chriſtus Regiam ſuam Gloriam ac Majeſtatem demum in ſua exaltatione videatur conſecutus, cùm dixit, *Data mihi eſt omnis poteſtas in cælo & in terra* Matth. XXVIII, 18. reſtitutus ſcilicet poſt ſuam Exinationem *ei gloriæ quam habuit apud Patrem priùs quam mundus eſſet* Joh. XVII, 5. unde Petrus ejus reſurrectione comprobatâ dicebat Act. II, 26. *Certò ſciat tota domus Iſraëlis, quod Deus hunc fecerit* (ideſt declaraverit) *Dominum & Chriſtum, hunc ipſum Ieſum quem vos crucifixiſtis*; Tamen, contra quam aſſerunt Sociniani, & Rex natus eſt, S.
petentibus Magis, *Vbi eſt ille Rex Iudæorum qui natus eſt?* Matth. II, 2. ipſoque Chriſto dicente ad Pilatum, *Tu dicis, me regem eſſe; ego ad hoc genitus ſum & ad hoc veni in mundum ut dem teſtimonium veritati* Joh. XVIII, 37. & Regem ſe ſæpiùs oſtendit, tum in vita ſua, tum in ipſa cruce, cujus inſcriptio eum Regem docebat, & in qua coronas cœleſtes diſtribuebat. (*d*) Huic autem Chriſti regno omnia quidem, etſi Socinianis negantibus, ſubjici eſt certiſſimum; Nam *data eſt* ei S.
omnis poteſtas Matth XXVIII, 18. & *omnia poſita ſunt ſub pedibus ejus* Pſal. VIII, 7. 9. Hebr. II, 8.

a *Nec terrenum.* b *Sed* Oeconomicum *& ſpirituale.* c *Quod ſit auſpicatus eſt poſt exaltationem ſuam, ut illud etiam in hac vita quadantenus ſuſtinuerit.* d *Ejus &* Amplitudo, *&*

II, 8. 1 Cor. XV, 27. Sed tamen illa subjectio omnium Christo Mediatori, ordinatur ad finem supernaturalem Ecclesiæ; Sic enim Deus ipsum *collocavit ad dextram suam in cœlis longè supra omne imperium ac potestatem & potentiam & dominationem & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo verum etiam in futuro & omnia subjecit ejus pedibus*, ut eo ipso *eum constituerit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius* Eph. I, 20. 21. 22.

LXII. (*a*)Regio ergo hoc munere Christus Ecclesiam sanguine suo acquisitam, tanquam unicum illius caput, colligit, defendit, regit & gubernat, tum externo Verbi sui sceptro, tum interno Spiritus Sancti influxu, donec tandem mysticum hoc totum suum corpus, ab omnibus hostibus liberatum æternâ gloriâ donet in cœlis. Licet autem ad Ecclesiæ regimen & protectionem in terris, adhibeat fidelium Pastorum ministerium, ac bonorum Magistratuum operam &
P. authoritatem, tamen Pontifex Romanus verum agit Antichristum, quando se Regem, Monarcham, fundamentum, caput, & sponsum Ecclesiæ, *etiam secluso Christo*, audet vocitare, totâ reclamante Scripturâ; *Reges* enim *gentium dominantur eis & qui authoritatem habent in eas benefici vocantur; vos autem non ita estote* Luc. XXII, 25. 26. Quibus verbis sic omnis dominatus Apostolis & Ministris Ecclesiæ interdicitur, ut inde Petrus *Presbyteros* precetur, *compresbyter* ipse eorum, velint *pascere Dei gregem, non ut dominantes cleris, sed ut qui sint exemplaria gregis* 1 Petr. V, 1. 2. 3. Sanè *fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus* 1 Cor. III, II, & ipse *fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, idest ab illis positum, ac *lapis angularis in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit ut sit templum sanctum Domino* Eph. II, 20. 21.

LXIII. Nihil verò absurdius, quam uni mulieri castæ duplicem sponsum, duplex caput uni corpori, aliud influens aliud dirigens, duo fundamenta uni ædificio, uni regno duos Monarchas, assignare: εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεὺς: Ac sicut præsenti semper & negotiis suis superesse volenti & valenti, vicarium dari est absurdum, ita distinguere inter caput principale & ministeriale, aut fundamentum primarium & secundarium, est oppositum in apposito statuere. Nullâ quoque authoritatis aut jurisdictionis notâ Petrus, cujus se falsò successorem Papa P.
asserit, supra cæteros coapostolos præcelluit, uti ex variis locis Scripturæ colligere est; Nam Paulus testatur *nihil* sibi contulisse *eos qui erant in pretio*, nec minus sibi *concreditum fuisse Euangelium præputii, quam Petro circumcisionis*, eadem Dei *efficaciâ* in se illic, quam in Petro hîc se exerente; Neque solum *Iacobum, Cepham & Iohannem* æquat inter eos *qui existimabantur esse columnæ*, sed & sibi illos *dextram societatis* dedisse profitetur, & *Petro cùm venisset Antiochiam in os obstitisse, eo quod condemnandus esset* Gal. II, 6. 7. 8. 9. II. Sed etiam ait *se tanquam peritum architectum, fundamentum statuisse*, non Petrum utique sed Christum 1 Cor. III, 10. ac uno verbo *nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis*, expressè declarat 2 Cor. XI, 5. Nec super Petrum sed *super Petram*, quam fuerat confessus, ædificari debuit Ecclesia, juxta ipsiusmet Petræ dictum Matth. XVI, 18. & Petri explicationem cùm ait, *Ad quem accedentes qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & pretiosus, ipsi quoque veluti lapides vivi fitis domus spiritualis* 1 Petr. II, 4. 5.

LXIV. (*b*)Porrò continuabit administratio istius regni eodem modo quo cœpta est ab Ascensione Christi usque ad diem ultimi Judicii; nec est ad- F.
mittenda Chiliastarum veterum & modernorum sententia, de regno Christi mille annorum in his terris post debellatum Antichristum; cùm mille annorum Apocalypticorum XX, 3. 5. exordium, à tempore Christi vel nati, vel passi, vel annunciati mundo per Apostolos, sumendum, diu præterierit; nec Antichristus aliter sit debellandus planè, quam ultimo Christi adventu 2 Thess. II, 8. & prosperitas illa terrestris repugnet conditioni Ecclesiæ.

LXV. (*c*)Nec finietur simpliciter Christi Regnum Mediatorium post ultimum judicium, ut fingunt Sociniani, cùm sit permansurum in æter- S.
num; Nam Deus promisit se stabiliturum *solium regni* veri nostri Salomonis, *usque in seculum* 2 Sam. VII, 13. & illud *Regnum* erat *consumpturum omnia alia regna & staturum in sæcula*, ut pote *perpetuum quod non præterit & quod non corrumpitur* Dan. II, 44. VII, 14. 27. quod & supra probatum dedimus ex Esa. IX, 6. Quare etiam dicitur *regnaturus in domo Iacobi in æternum*, ita ut *regni ejus non erit finis* Luc. I, 33. Quinimò in fœ-

a Administratio *Ecclesiæ respectu, cujus solus* Caput *est.* b *Eaque uniformis, in hoc mundo.* c *Et quamvis non sub eadem œconomia in æternum duratura.*

fœlicitate æterna *pascet* electos *& eos deducet ad vivos fontes aquarum*, eritque *templum* & *lucerna* Civitatis supernæ Apoc. VII, 17. XXI, 22. Adeo falluntur qui putant nos Deo ita immediatè adhæsuros ut Christi Mediatoris nullæ partes amplius sint futuræ. Sed ea regiminis forma, quam nunc obtinet, mutabitur, cùm regnum suum planè pacatum & ab hostibus omnibus liberatum sistet Patri, dicendo, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti* Esa. VIII, 18. Hebr. II, 13. ut ipse mysticè consideratus ceu caput suæ Ecclesiæ, in omnibus suis membris Patri quoque plenissimè subsit, nullo amplius eorum in terris repente aut inter hostes degente: Quò revera spectat Pauli doctrina 1 Cor. XV, 24. 25. 28. *tunc finem futurum* cùm Christus *tradiderit regnum Deo ac Patri*, (illud non depositurus, sed consummatum exhibiturus) *& ut inane sustulerit omne imperium & omnem authoritatem & potestatem*, quod debeat *regnare usque quo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus*; *Postquam verò* (inquit) *subjecta ei fuerint omnia, tunc & ipse Filius* (consummato jam opere Redemptionis nostræ, & in suo corpore mystico) *subjicietur ei* (non destructivè aut privativè, sed perfectivè & cumulativè) *qui subjecit ei omnia, ut Deus sit omnia in omnibus*.

LXVI (a) Quoniam autem Christus pro nostro modulo unctionis suæ Spiritualis nos facit participes, illo *unguento optimo* quod *superfusum est capiti* nostro, *descendente super barbam* & usque *ad oram vestium ejus* Psal. CXXXIII, 2. ita ad aliquam communionem triplicis sui Officii nos evocat, unde dicimur *Sacerdotium sanctum* & *Regale sacerdotium* 1 Petr. II, 5. 9. & *facti* per Christum *Deo & Patri nostro Reges & Sacerdotes* Apoc. I, 6. V, 10. Quæ communio non est propria Clero P. aut Monachis, ut ex tonsura & unctione sua stultè gloriantur Pontificii; sed communis omnibus Christianis; qui sunt *Prophetæ*, quod *à Deo edocti* Joh. VI, 45. debeant mutuæ ædificationi, tamen citra violationem ordinis Ecclesiastici, consulere; *Sacerdotes* item, non Angelis aut Sanctis, P. sed Deo soli, quod illi seipsos suaque sacrificia spiritualia, Sanctificationis, communicationis, precum & suffitus mystici debeant offerre; *Adhortor igitur vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum* Rom. XII, 1. *Per ipsum* (nempe Christum) *assiduè* offeramus Deo *sacrificium laudis*, *idest fructum labiorum celebrantium nomen ejus*; *Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini*; *talibus enim victimis delectatur Deus* Hebr. XIII, 15. 16. Etenim facti sumus *Sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias acceptas Deo per Christum* 1 Petr. II, 5. Atque illud est *suffimentum* & *munus purum* quod *in omni loco* offerendum erat Domino Malach. I, 11. cui usui inserviunt *viginti quatuor* Seniorum, totam Ecclesiam V. & N. T. repræsentantium, *citharæ & phialæ aureæ plenæ suffituum, quæ sunt preces sanctorum* Apoc. V, 8. *Reges* denique, quod in se, in mundum, & in omnia regnent per Christum, cujus beneficio *omnia nostra sunt* 1 Cor. III, 22. æternùm cum ipso in cœlis regnaturi, juxta hanc promissionem, *Qui vicerit tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo, ut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus* Apoc. III, 21.

a *Triplicis hujus Officii communio in fidelibus.*

LOCUS UNDECIMUS;

De VOCATIONE, FIDE, & Justificatione.



Christi officio (a) veniendum est ad ejus *Beneficia*, quæ sunt vel *Stadii*, vel *Metæ*, idest vel hujus vitæ, vel futuræ, prout æterna salus quam nobis merito suo acquisivit, & suâ efficaciâ confert, vel inchoata est & affecta in terris, vel completa & perfecta in cœlo. Non negaverim Redemptionem & Satisfactionem ipsius, imò & suo sensu ipsam Electionem æternam (licet accuratè loquendo ea sit potius beneficiorum salutarium gratuita destinatio) Beneficiis salutaribus esse annumeran-

a *Transitur ad Christi* Beneficia *in nos, quorum,*

merandam; ſed ea hîc ſpeciatim intelligimus, ad quæ nos habemus non *objectivè* tantum, ut ad illa, ſed etiam quadantenus *ſubjectivè*.

II. (*a*) Primum eorum eſt noſtra Vocatio & efficax ad Deum Converſio, *quâ ex primo Adamo ad ſecundum, à morte, tenebris, ſtatuque peccati, ad lucem, vitam & fœdus gratiæ traducimur, ut Chriſto capiti & radici inſiti in ipſo vivamus, & bonos fructus proferamus*: juxta illud Servatoris, *Manete in me & ego in vobis; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ita nec vos niſi in me manſeritis*; item, *Ego elegi vos & conſtitui ut fructum feratis & fructus veſter maneat* Joh. XV, 4. 16. Etenim *ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus, etiam reſurrectionis aſſimilatione* (ideſt *novæ vitæ* ſtudio) *cum eo coaleſcemus* Rom. VI, 5. Quem in finem *ramis nonnullis defractis, inſiti ſumus pro ipſis, & participes radicis ac pinguedinis oleæ facti* Rom. XI, 17. Ad hanc cum Chriſto communionem efficaciter Paulus evocatus dicebat Gal. II, 23. *Unà cum Chriſto crucifixus ſum: vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Nec enim hîc intelligimus vocationem ad aliquod officium ſpeciale vel in Politia vel in Eccleſia, quomodo Deus ait Moſi quod *nominatim vocarit Betſaleelem* ad opus tabernaculi Exod. XXXI, 2. nec *quiſquam ſibi ipſi ſumit honorem* Pontificatus, *ſed qui vocatur à Deo ſicut & Aaron* Heb. V, 4. Neque omnium univerſalem revocationem ad Creatorem voce Legis & Creaturarum, quâ invitantur *ut quærant Dominum, ſi forte palpando eum inveniant* Actor. XVII, 27. adeo ut, quoniam τὸ γνωςὸν *Dei manifeſtum eſt in ipſis*, eo quod *ipſius inviſibilia jam inde à condito mundo ex iis quæ fecit mente perpenſa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas*, eo ipſo *ſint inexcuſabiles* Rom I, 19. 20. (*b*) Sed eam quâ Euangelii miniſterio ad Redemptorem Chriſtum evocamur.

III. (*c*) Vocatio verò ad Redemptorem eſt duplex; Alia enim latiùs patet Electione, juxta illud Chriſti, *Multi vocati, pauci electi* Matth. XX, 10. Quò ſpectabat parabola nuptiarum, ad quas priores invitati & *vocati*, *venire noluerunt* Matth. XXII, 1. 2. 3. Alia verò Electioni eſt adæquata, juxta Paulum, *Quos prædeſtinavit eos etiam vocavit* Rom. VIII, 29. & *dona illa ac vocatio Dei ejuſmodi ſunt ut eorum ipſum pænitere non poſſit* Rom. XI, 29. Prior ita facta eſt communis ſub N. T. ſublato diſcrimine Judæi & Græci, ac *intergerini parietis ſepto ita ſoluto* per Chriſtum *inimicitiiſque per ſuam carnem abolitis* Eph. II, 14. 15. ut in ipſo non ſit *Græcus, & Iudæus, Circumciſio & Præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber* Col. III, 11. Gal. V, 6. & amandatis Apoſtolis per *univerſum orbem*, qui *profecti docerent omnes gentes*, & *prædicarent Euangelium omni Creaturæ* Matth XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. unde dicitur *in omnem terram exiviſſe ſonus eorum & ad ultima orbis terrarum verba eorum* Rom. X, 18. Ut tamen neque nunc abſolutè univerſalis omnium & ſingulorum dici poſſit; Cùm nulla unquam ætate Euangelium fuerit in omnibus orbis provinciis ſimul annunciatum: Spiritus Dei flat ubi vult, quod conſtat ex Act. XVI, 6. 7. ubi Paulus cum ſuis prohibentur *à Spiritu Sancto loqui ſermonem Dei in Aſia*, nec ſinuntur ab eodem *ire in Bythyniam* quò *tentabant*, ſed *in Macedoniam* amandantur. Tantum abeſt ut ſub V. T. univerſalis fuerit, tot gentibus & populis à Fœdere excluſis, quod à Moſe ad ſolos Iſraëlitas, ante Moſem ad ſolos Patriarchas & eorum poſteros, reſtringebatur; *Populus ſanctus es Iehovæ Deo tuo; te ſelegit Iehova Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cœlo* Deut. VII, 6. *Indicat verba ſua Iacobo & jura ſua Iſraeli; non fecit ita ulli genti; ideoque jura iſta non noverunt* Pſal. CXLVII, 19. 20. *Deus ille populi hujus elegit Patres noſtros* Act. XIII, 17. *ſinendo præteritis ætatibus omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere* Act. XIV, 16. quo *tempore* gentiles *erant abſque Chriſto, abalienati à civili ſtatu Iſraelis, & extranei quoad pactorum promiſſiones, ſpem non habentes & abſque Deo in mundo* Eph. II, 12.

IV. Ad Naturalia hîc recurrere, quaſi per illa homines, ut-ut remotiùs, vocentur ad Chriſtum, eſſet Naturam cum Gratia & Legem cum Euangelio confundere; fidem quandam naturalem & ex illa Ethnicorum ſalutem ſine Chriſto Servatore adſtruere; humani arbitrii vires ad bonum ſupernaturale, etiam in corrupto naturæ ſtatu, propugnare; & naturalium ac Legis inſufficientiam ad ea quæ ſunt vitæ & ſalutis non agnoſcere: cùm tamen non aliò τὸ γνωςὸν

Dei

a *I. eſt* VOCATIO; *Quæ hîc intelligitur*, b *Ad* Chriſtum *Redemptorem*. c *Eaque duplex: neutra tamen* Univerſalis.

Dei ex natura inſerviat, quam *ad hoc ut* homi-
nes *ſint inexcuſabiles* Rom. 1, 20. eaque ſit *Legis*
impotentia, ceu *viribus deſtituta in carne*, ut illi
caro & quicquid *caro ſapit*, nec *ſubjiciatur*, nec
ſubjici *poſſit* Rom. VIII, 3. 7. *Animalis enim*
homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei, nec
poteſt ea cognoſcere 1 Cor. II, 14. *nec idonei ſumus*
per nos ipſos ad cogitandum quicquam boni & ſalu-
taris 2 Cor. III, 5.

V. Chriſtus equidem eam aſſumpſit natu-
ram, quæ eſt omnium hominum; ſed com-
munitas hæc naturæ ſola nihil facit ad ſalutem,
& *caro non prodeſt quicquam* Joh. VI, 93. ſi in illa
ſiſtatur; nec vir fit maritus omnium mulierum
eò quod eam ducat quæ eſt ejuſdem naturæ &
conditionis cum cœteris mulieribus; Ideo iſtius
aſſumptionis fructus ad ſolos electos reſtringitur
Heb. II, 10. 11. 12. 13. *Decuit* enim ut Deus *mul-*
tos filios in gloriam adducendo, principem ſalutis
ipſorum per perpeſſiones conſummaret; nam & qui
ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno ſunt omnes;
quam ob cauſam non erubeſcit eos vocare fratres,
dicens, Annunciabo nomen tuum fratribus meis,
& iterum, Ecce ego & pueri quos dediſti mihi:
Quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſan-
guinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt
eorundem. Utriuſque verò Adami collatio Rom.
V, 12. & ſeqq. nihil aliud inſinuat quam prioris
peccatum, tum imputatione tum generatione,
ad omnes illius poſteros, & poſterioris obedi-
entiam ac gratiam, tum juſtificatione tum rege-
neratione, ad omnes credentes, derivari. Quare
quod dicitur Deus concluſiſſe *omnes in inobedi-*
entiam ut omnium miſereretur Rom. XI, 32. ſic
explicatur Gal. III, 22. *Concluſit Scriptura omnia*
ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti da-
retur credentibus. Quæ ergo extant in Scriptura
P. L. univerſales loquutiones, quas ad ravim uſque
R. S. ingerunt Remonſtrantes & alii patroni Gratiæ
univerſalis, ut diſcriminantem tollant, aut ſal-
tem ſuſpendant ex putri paxillo ſui arbitrii, de-
bent pro ſubjecta materia intelligi, cùm *fides*
non ſit omnium 2 Theſſ. III, 2. ſed ex *Dei dono*
ſpeciali Eph. II, 8. tantum *electorum* Tit. 1, 1.
Unde dicuntur *credidiſſe quotquot erant ordinati*
ad vitam æternam Act. XIII, 48.

VI. Incredulitas *negativè* conſiderata, eſt
cauſa tantum negativa & deficiens damnationis
eorum qui pereunt, quia ſi crediſſent non pe-
riiſſent; prout dicebat Maria Chriſto, *Domine ſi*
fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus Joh.
XI, 32. Sed illius cauſa meritoria & poſitiva, in
eorum peccata quælibet eſt rejicienda; ad quæ
accedit in augmentum pœnæ, incredulitas *pri-*
vativa eorum qui verbum fidei ſibi annunciatum
non admiſerunt; Quare *tolerabiliùs erit Tyro &*
Sidoni in die judicii quam incolis *Chorazin & Beth-*
zaida Matth. XI, 21. 22. & *ille ſervus qui novit*
voluntatem domini ſui, & neque ſe comparavit ne-
que fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis;
qui verò non novit & fecit digna plagis, cædetur
paucis Luc. XII, 47. 48. Uno verbo, *Quicunque*
ſine lege peccaverunt, ſine lege quoque peribunt,
& quicunque in lege peccaverunt, per legem dam-
nabuntur Rom. II, 12. Unde liquet & falſò &
perperam ex eorum qui pereunt damnatione in-
credulitati adſcripta Joh. III, 18. 36. *Qui non*
credit jam condemnatus eſt, & ira Dei manet ſuper P. L.
ipſum, univerſalem vocationem ad fidem à Pe- R. S.
lagianis veteribus & novis colligi.

VII. (a) Inter utramque illam, quam diximus,
vocationem latiorem & ſtrictiorem, convenit in
plurimis: Nam utraque eundem Deum habet
authorem, homines *vocantem ad ſuum regnum &* 1.
gloriam 1. Theſſ. II, 12. *atque ſtantem ad oſtium*
& pulſantem, & ingreſſurum ad eum qui audierit
vocem ſuam & aperuerit oſtium Apoc. III, 20.
Is enim pro ſuo arbitrio liberrimo & ſpeciali be-
neplacito gratiam indebitam omnibus, offert
miniſterio ſui Verbi quibus vult, citra ullum re-
ſpectum majoris vel congruitatis vel diſpoſitionis
in his quam in illis, cùm ineptitudo ſit æqualis in
omnibus; *Hæc* enim *occultat à ſapientibus &*
intelligentibus, & ea retegit infantibus, quia ita
placuit ipſi Matth. XI, 25. 26. prout nempe ei
licet quod vult facere de ſuis rebus Matth. XX, 15.
ne ſit *ejus qui velit aut ejus qui currat, ſed ejus*
qui miſeretur, nempe Dei Rom. XI, 16. Hinc
Moſes ad Iſraëlitas, *Non eo quod plures eſſetis om-*
nibus reliquis populis, amore propendit Iehova in vos
ac ſelegit vos; vos enim eratis populus pauciſſimus
omnium populorum; ſed eo quod diligit Iehova vos
Deut. VII, 7. 8. Utriuſque regulariter idem eſt 2.
inſtrumentum externum, nempe Euangelii præ-
conium; unde dicimur *vocati per Euangelium ad*
acquirendam gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti
2 Theſſ. II, 14. Utriuſque idem finis Dei gloria 3.
& ſalus vocatorum, ſeriò & ex parte Dei ἀνυ-
ποκρίτως ipſis oblata, & quam certò ſunt con-

a *Hæ quomodo inter ſe* conveniant.

secuturi, si Deo vocanti obsequantur & credant: *Ita enim Deus dilexit mundum ut Filium illum suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* Joh. III, 16.
4. Utriusque idem objectum commune, nempe homines miseri & peccatores: pariter *mortui in lapsibus & peccatis* Eph. II, 1. pariter ad obsequendum *omnibus viribus destituti* Rom. V, 5. pariter *inidonei* ex seipsis *ad cogitandum quicquam* boni 2 Cor. III, 5. Quales enim Deus eligens reperit, tales Deo vocanti primùm obversantur, nempe peccatores & se *præbentes conculcandos in sanguine suo* Ezech. XVI, 6.

VIII. (*a*) Differunt autem, I. Objecto speciali; quia latior ad reprobos quoque spectat, non ex parte rei quà reprobos, cùm nemini sua reprobatio in hac vita innotescat, sed quà homines & miseros, qui & salutis egent, & Deo vocanti parere tenentur; Hinc *sagena* Euangelica *res cujusvis generis cogit*, ac quoslibet pisces involvit, bonos & putres Matth. XIII, 47. At strictior adæquatur Electioni, ita ut omnes & soli electi eâ vocentur; unde tam frequens electorum & vocatorum combinatio in sacris literis; imò propter hos solum directè & primariò instituitur vocatio Euangelica, quæ postea eorum occasione indirectè & secundariò ex singulari dispensatione Providentiæ Divinæ, sic etiam decretum suum circa reprobos exsequentis, ad quosdam non electos quoque extenditur. (*b*) II. Euentu; cùm hæc semper sit efficax; *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me nequaquam ejecerim foras* Joh. VI, 37. illi verò non pariter ab omnibus obtemperetur, *aliis planè* detrectantibus venire *ad nuptias*, aliis absque *toga nuptiali* venientibus Matth. XXII, 5. 12. aliis inter *saxa*, aliis *prope viam*, aliis *inter spinas*, paucis *honesto & bono corde*, verbi *semen* recipientibus Matth. XIII, 3. 4. & seq.

P. S. R. IX. (*c*) Hujus discriminis ratio non est ea quam Adversarii gratiæ comminiscuntur, quod nempe auxilium utrobique sufficiens, alii respuant, alii pro sua libertate admittant; quia sic quisque seipsum discriminaret, contra Paulum 1 Cor. IV, 7. *Quis enim te ab aliis discernit? aut quid habes quod non acceperis?* nec esset solius *Dei miserentis*, sed etiam hominis *currentis* & *volentis* Rom. IX, 16. cùm tamen Deus *operetur in nobis velle & perficere* Phil. II, 13. & ex *duobus* in eodem *lecto* dormientibus, in eadem *mola* degentibus, in eodem *agro* versantibus, pro suâ summâ libertate unum sumat, alterum relinquat Matth. XXIV, 40. 41. Luc. XVII, 35. 36. Neque potest quorundam conversio tribui gratiæ alicui efficaci, sufficienti superadditæ, quin aut efficacitas gratiæ in arbitrii humani determinationem refundatur, aut quod sufficiens dicebatur auxilium, insufficiens statuatur, cui ad effectum suum producendum auxilium efficax addi debet.

X. (*d*) Nec quisquam dicat, id discrimen pendere ex eo quod alii meliùs sint dispositi, aut magis *congruè* vocentur. Nam naturâ omnes sunt æquè indispositi, & si melior esset in uno dispositio quam in altero, id penderet ex gratia discernente: Sufficienter verò ad obsequendum non vocatur, qui incongruè vocatur; nec major est congruitas in uno quàm in altero, cùm sæpè eadem concione, eodem præcone, plures vocentur dispari planè eventu. P.

XI. Igitur ipse eventus vocationis divinæ erga eos qui aut non veniunt, aut πρόσκαιροι sunt, reipsâ ostendit, non datum ipsis auxilium simpliciter & absolutè sufficiens, quo possent adduci & converti; quia si tale esset, etiam revera adducerentur & converterentur: quamvis auxilium ipsis concessum sufficiens dici possit secundum quid, nempe I. in ordine mediorum externorum; quo sensu, circa id quod est officii & partium boni agricolæ, dicebat, *Quid faciendum amplius vineæ meæ quod non fecerim in ea?* Es. V, 4. II. ad id ut sint inexcusabiles: uti liquet ex Christi exprobrationibus ad *Chorazin, Bethsaida* & *Capernaum*, easque *civitates in quibus editæ fuerunt plurimæ virtutes ipsius, quod non resipuissent* Matth. XI, 20. 21. 23. Nam hæc inefficacitas ipsis meritò tribui potest bifariàm, scilicet tùm *antecedenter*, quatenus per peccatum indigni fuerunt ulteriori gratiâ, cùm vel hæc externa esset ipsis indebita; nam *quis prior dedit ei, & reddetur illi?* Rom. XI, 35. tum *consequenter*, quatenus liberè & ultrò hæc media externa aut planè respuunt, aut non admittunt quomodo erant admittenda.

XII. Quare incredulitatis suæ meritò pœnas debent, cùm longè plura ad salutem media, quæque talia sunt ex parte rei; à Deo acceperint, quàm tenebatur ipsis præstare; nec eam præstiterint Deo obedientiam, ad quam omni jure tenebantur: Nec possunt prætexere suam impotentiam, cùm ea fuerit voluntaria, ac per peccatum accei-

a *Ac discrepent nempe:* I. Objectis b II. Eventu; c *Diversitas eventus unde? Non ex* libero arbitrio *gratiam determinante;* d *Aut* congrua vocatione;

accerſita, quemadmodm ultronea & voluntaria eorum incredulitas & rebellio Deo vocanti: Imò detrectant obſequi vocationi divinæ, quia nolunt venire, non verò allegatâ hac ratione quod non poſſint, cùm ne quidem optent aut velint poſſe. Quid quod etiam multa admittunt circa hæc media externa, in quibus craſſæ ſupinitatis & latæ culpæ intra activitatis ſuæ ſphæram poſſint accuſari?

XIII. (*a*) Itaque inefficaciæ vocationis divinæ, in iis qui non obſequuntur, culpa eſt penes ipſos, ſed in iis qui obſequuntur & convertuntur, efficacia ejuſdem inde pendet quod Deus eos aliàs non magis obſequuturos, juxta Electionis ſuæ immutabile decretum non ſolum externè & *imperativè* vocet, ſed etiam internè & *operativè*, additâ ſcilicet ad externi Euangelici præconii invitationem, virtute internâ Spiritus Sancti, quâ leniter quidem & citra omnem coactionem, potenter tamen & irreſiſtibiliter, ad Chriſtum adducuntur, & per ſemen Dei in ipſis manens, in eodem conſervantur. Is actus noſtræ vocationis, αμεταμέλητοις Dei donis annumeratur Rom. XI, 29. (*b*) Vocaturque in Scriptura nova Creatio Ezech. XXXVI, 26. *Dabo vobis cor novum & ſpiritum novum ponam in medio veſtri*; & 2 Cor. IV, 6. *Deus qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, ſplenduit in cordibus noſtris ad præbendum lucem notitiæ Dei in facie Domini noſtri Ieſu Chriſti*; Nam *ſumus ipſius opus conditi in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus* Eph. II, 10. Regeneratio Joh. III, 3. *Niſi quis genitus ſit iterum, non poteſt videre regnum Dei.* Tractio Joh. VI, 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Inſtructio divina Joh. VI, 45. *Et erunt omnes docti à Deo; quiſquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Reſuſcitatio à mortuis Joh. V, 25. *Advenit tempus & nunc eſt, cùm mortui audient vocem filii Dei & qui audierint vivent.*

P.R. XIV. (*c*) Converſio itidem ſæpiſſimè appellatur quâ per *Spiritum renovationis*, uti dicitur Tit. III, 5. nec *phyſice* cogentem, nec morali duntaxat ſuaſione Remonſtrantium utentem, ſed ſupernaturaliter moventem, efficaciterque perſuadentem & trahentem, juxta *ſupereminentem illam magnitudinem potentiæ ipſius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipſius, quod exeruit in Chriſto, cùm ſuſcitavit eum ex mortuis* Eph. I, 19. 20. idque miniſterio Legis & Euangelii, ſed illius ut huic ſubſervit, peccator à *ſervitute peccati* Joh. VIII, 34. & totali ac ex ſe ſuique reſpectu immutabili illa corruptione, (cùm nec *mutare poſſit Æthiops cutem ſuam, nec pardus liventes ſuas maculas* Ierem. XIII, 23.) ad fidem, veramque ſanctitatem, ac Dei obſequium in Chriſto traducitur: *Trahe me & curremus poſt te* Cant. I, 4. *Pellexiſti me Iehova quando pellectus ſum, fortior fuiſti me & prævaluiſti* Ierem. XX, 7. *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus; nam poſtquam converſus fuero pœnitebit me, & poſtquam oſtenſum fuerit mihi, applaudam femori* Ier. XXXI, 18. 19.

XV. (*d*) Deus gradatim plerumque procedit in vocatione efficaci & converſione ſuorum, uti factum in illuminatione cœci illius qui ad primam impoſitionem manuum Chriſti *videbat homines inſtar arborum ambulantes*; ad eandem iteratam ſic *reſtitutus fuit*, ut *videret procul & dilucidè omnes* Mar. VIII, 24. 25. Meritoque diſtinguuntur à Theologis Actus præcedanei ad converſionem (qui ſunt vera Agnitio miſeriæ ex Lege Dei, juxta quam *omne os obſtruitur & obnoxius fit totus mundus condemnationi Dei* Rom. III, 10. Dolor ſerius ex eâ, ideſt ob metum pœnæ *animus fractus & contritus* Pſ. LI, 19. & ſancta de ſalute Deſperatio, qualem teſtabantur Auditores Petri, quando *compuncti corde dixerunt* ad eum *& reliquos Apoſtolos, Quid faciemus viri fratres?* Act. II, 37. in quibus Spiritus regenerationis cenſeri poſſet quodammodo *ſpiritus ſervitutis ad metum* Rom. VIII, 17.) ab Actibus illius propriis & eſſentialibus, ſcil. Fide, Dolore ſecundum Deum ex illius amore, Reſipiſcentia, naturæ corruptæ Renovatione, juxta primum Chriſti præconium, *Reſipiſcite & credite Euangelio* Marc. I, 15. & Pauli aſſertum, quod *quæ ſecundum Deum eſt triſtitia reſipiſcentiam efficit ad ſalutem cujus nunquam pœniteat, at mundi triſtitia* (ſi in ea ſubſiſtatur) *mortem efficit* 2 Cor. VII, 10. in quibus Spiritus Sanctus eſt Spiritus *adoptionis* ad ſpem. (*e*) Attamen, cùm ſubjectum illius ſit homo peccator & deſtitutus, neceſſe eſt ut purè paſſivè ſe habeat ad ipſam, recipiendo in ſe gratiæ convertentis primitias, nec eas ex ſe producendo, aut efficaces reddendo; Deus enim *ſervavit nos & vocavit vocatione ſanctâ, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data eſt*

a *Sed ex hominum* culpa *& Dei* Gratia b *Vocationis efficacis varia nomina.* c *Ejuſque tum* Irreſiſtibilitas, *tum* ordo & modus. d *Per certos gradus.* e *Homine ſe* paſſivè *ad eam habente.*

nobis in Christo Iesu ante tempora seculorum 2 Tim. 1, 9.

P.R. XVI. Quare Neopelagiani non sunt audiendi, qui potentiam quidem veniendi gratiâ Dei irresistibili dari concedunt, sed actuale obsequium ex hominis suspendunt arbitrio; cùm nos Deus actu ad se convertat, juxta id quod §. 14. citavimus ex Ier. XXXI, 18. & ipse conversionis actus, fides scilicet, sit ejus in nobis & *donum* & *opus* Ep. II, 8. Phil. II, 13. Dei verò præcepta quibus homini mandat ut convertantur & cor novum sibi faciant, hominem non constituunt activum suæ conversionis principium, sed habenda sunt partim pro norma officii non mensura virium, partim pro instrumentis & mediis naturæ humanæ convenientissimis, quibus Deus suorum conversionem infallibiliter operatur, eo modo & tempore quo ipsi fuerit visum, alios *mane*, alios *horâ tertiâ*, alios *sextâ*, *nonâ* & *undecimâ* Matth. XX, 1. 2. 3. & seq. *in vineam* suam emittendo.

XVII. (*a*) Vocacionis autem efficacis primus in homine effectus completus & salutaris est fides salvifica: Ei nomen est Latinis à *Fio*, ut Græcis πίςις dicitur à πέπεισμαι; Hebræis verò *Emunah*, à verbo *Aman*, *verum fuit*; Nam fides in genere, *passivo* potissimum sensu & ut alteri habetur, est certa persuasio rei ita factæ vel futuræ, dicentis vel promittentis veracitati innixa: Nos autem fidem hîc non sumimus *Active* & *Ethicè*, prout sonat justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque, aut aliàs officii, constantiam & veritatem; quo sensu fides ipsi Deo aliquando tribuitur Rom. III, 3. *Quid tum si infidi fuerunt quidam, num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?* & 2 Thes. III, 3. *Fidelis est Dominus qui stabiliet vos*; & bonis Ecclesiæ ministris; prout Moses *servus* fuit *fidelis in tota Dei domo* Num. XII, 7. Heb. III, 2. & 1 Cor. IV, 2. *id requiritur in dispensatoribus, ut quis fidus inveniatur*; (*b*) Sed *Passive* & *Theologicè*, prout in Theologia plura alia similia vocabula è medio sumpta diviniùs significant, vixque eadem notione audiuntur quâ in sæculo, ut Gratia, Charitas, Ecclesia, Cœna, Baptismus &c.

XVIII. (*c*) Fides autem hæc in Scriptura variè
1. sumitur. I. Per metonymiam objecti, denotat Doctrinam Euangelii, h. e. fidem *quæ* creditur; Sic dicebatur Paulus jam conversus, *euangelizare fidem quam olim* vastabat Gal. 1, 23. & qui à publica professione doctrinæ Euangelicæ deficiunt, dicuntur *naufragium fidei facere* 1 Tim. 1, 19. Hanc nonnulli perperam faciunt duplicem, Catholicam Populi, & Theologicam Doctorum: quamvis enim magis explicita & uberior cognitio rerum sacrarum in docente quam in discente requiratur, tamen plus & minus speciem non variant; omnesque conclusiones Theologicæ deducuntur ex Catholicæ fidei principiis, quorum summa quædam est Symbolum Apostolorum, quod ideò *Symbolum fidei* appellatur, & in illa reducuntur. II. (*d*) Aliquando significat externam 2.
purioris doctrinæ professionem; Sic Romanorum *fides annunciabatur in toto mundo* Rom. 1, 8. & *in omnem locum* pariter *dimanarat fides* Thessalonicensium 1 Thess. 1, 8. Sic Paulus & Barnabas *confirmantes animos discipulorum, eos hortabantur ut permanerent in fide* Act. XIV, 22. Eodemque respectu fusè docet Jacobus, *fidem, si opera non habeat*, & in nuda fidei professione & jactantia consistat, *mortuam esse* Iac. II. 14. 17. 20. 26.

XIX. III. (*e*) Quandoque notat certam fiduciam de eventu quopiam miraculoso, vel in 3.
nobis vel per nos extra ordinem præstando ad gloriam Dei & veritatis Euangelicæ confirmationem; juxta illud Servatoris, *Si habeatis fidem quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, Transgreditor hinc illuc, & demigrabit, & nihil impossibile vobis erit* Matth. XVII, 20. Quam parum autem conferat ad salutem, monet Apostolus cùm ait, *Si habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* 1 Cor. XIII, 2. Fides *miraculorum* vulgò dicitur, & in activam & passivam benè distinguitur; Activam spectat Christi promissio de specialibus privilegiis credentium initio Ecclesiæ; *Signa autem eos qui crediderint hæc consequentur; Per nomen meum dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: ægrotis manus imponent, & benè habebunt* Marc. XVI, 17. 18. Passivam exigebat Christus in duobus illis cœcis qui ipsi acclamabant, *Miserere nostri, Fili David*; petit enim ab illis, *Creditis me hoc posse facere?* & his respondentibus, *Etiam Domine*, tetigit oculos eorum dicendo, *Secundum fidem vestram fiat vobis* Matth. IX, 27. 28. 29. Sic cùm

a FIDES, *Cujus* nomen *sumitur vel* Ethicè. b *Vel* Theologicè, *idque pro* c *Fidei* objecto. d *Ejus* professione. e *Fide* Miraculorum.

cùm Paulus in Lystrensi claudo *vidisset quod fidem haberet se liberatum iri*, *dixit* ei *voce magnâ*, *Surge in pedes tuos rectus*; unde ille confestim *exsiliit & ambulavit* Act. XIV, 8. 9. 10. Nec tamen semper requisita fuit fides hæc passiva in omni subjecto circa quod eâdem activè considerata aliquod miraculum patrandum veniebat; quò magis constet id omne ex libera Dei dispensatione proficisci, talemque fidem *moraliter* tantum non *physicè* ad miraculi effectionem concurrere. Licet autem in piis hæc miraculorum fides non fuerit habitu distincta à fide salvifica, (cùm potius in omni suo subjecto actus transiens quam habitus permanens censeri debeat,) tamen & hæc absque illa potest consistere, ut virtutes ordinariæ consistunt absque motibus heroicis, & illa sine hac, ut in brutis sensus absque ratione; Sic enim *multi dicent* Christo *die illo*, *Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?* quibus respondebitur, *Non novi vos* Matth. VII, 22. 23.

4. XX. IV. (*a*) Nonnunquam fidei nomine intelli-
gitur theoreticus & dogmaticus assensus veritati
revelatæ, qui etiam in diabolos cadit; *Tu credis
Deum esse, benè facis, dæmonia quoque istud cre-
dunt & horrescunt* Jac. II, 12. Fides *dogmatica*
& *historica* appellatur; Hoc sensu *ex primoribus
multi crediderunt in Christum, sed propter Phari-
sæos hoc non profitebantur* Joh. XII, 42. & Paulus
dicebat Agrippæ, *Credis rex Agrippa Prophetis?
scio te credere* Act. XXVI, 26. V. (*b*) Huic si accedat
5. 1. externa fidei professio, 2. alacritas quædam
in ea admittenda, 3. ex cognita veritate & nova
in intellectu luce quodpiam gaudium, fiet fides
illa *Temporaria*, quæ *radicem non habet* in sese,
6. & *fructus* expers est Matt. XIII, 20. 21. VI. (*c*) De
nique fides significat frequentissimè vocationis efficacis donum internum, quo promissionibus salutis in Christo, tanquam veris & certis acquiescimus, easque nobis fiducialiter applicamus: Hæc est quæ perseverans, salvifica, justificans, vera & viva, non evanida aut mortua, ab Orthodoxis meritò statuitur; Hac dicuntur *purificari corda* Act. XV, 9. atque *homines justificari absque operibus legis* Rom. III, 28. Gal. II, 16. Nec enim *in Christo Iesu circumcisio quicquam valet, aut præputium, sed fides per charitatem efficax* Gal. V, 6. prout *finis mandati est charitas ex mundo corde & conscientia bona & fide minimè simulata* 1 Tim. 1, 5. Per hanc habemus παῤ-
ῤησίαν *& spem illam de qua gloriamur, quam ad finem usque firmam retinere debemus* Heb. III, 6.

XXI. Hæc autem fidei distinctio in Justificantem, Temporariam & Historicam, (cui quartum membrum vulgò additur ex fide Signorum) non est generis in species, sed vocis ambiguæ in sua significata; ut frustrà clamitent
Pontificii plures fides à nobis constitui: Justi- P.
ficans *eminenter* complectitur quicquid habet perfectionis temporaria & historica: *formaliter* tamen & essentialiter hæ ab illa differunt, non
solâ duratione, ut Remonstrantes & qui cum R.L.
illis, statuunt; Nam fides salvifica est *Electorum*, uti dicitur expressè Tit. 1, 1. & *crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. XIII, 48. temporaria reproborum; Illâ corda *purificantur* Act. XV, 2. hac non; unde Simoni mago qui ad tempus *crediderat*, dixit Simon Petrus, *Non est tibi pars neque sors in hoc negotio, cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu* Act. VIII, 12. 13. Illa altas agit radices in corde honesto & puro; hæc *inter spinas* & *petrosa* nec *radicem* habet nec *fructus* profert Matth. XIII, 5. 6. 20. 21. Illius gaudium ex interno sensu dilectionis Divinæ & remissionis peccatorum oritur; nam *justificati ex fide pacem habemus erga Deum, & eam spem quæ non pudefacit, eo quod charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* Rom. V, 5. hujus verò ex nova & insperata, sed merè theoretica, luce veritatis; prout Herodes *observabat* Johannem Baptistam, *auditoque eo, multa faciebat & libenter ipsum audiebat* Marc. VI, 20. & dicuntur Judæi *voluisse ad momentum exsultare ejusdem* Johannis *luce* Joh. V, 35.

XXII. De ejusmodi προσκαίροις nihil dicitur Heb. VI, 4. 5. videlicet quod *fuerint semel illuminati, gustaverintque donum illud cæleste & participes facti fuerint Spiritus Sancti, & gustaverint bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi*, quod non queat observari in Balaamo, qui tamen fuit homo reprobus & *mercedem iniquitatis amavit*, quâ etiam *fuit deceptus* 2 Pet. II, 15. Judæ com. 11. Is enim particeps fuit Spiritus Prophetici; nam ei dicitur adfuisse *Spiritus Iehovæ* Num. XXIV, 2. & *Annon*, inquit, *quod indidit Iehova ori meo, ipsum cum observantia eloquerer?* Num. XXIII, 12. Eousque fuit illuminatus, ut se vocet *virum apertum oculis, audientem sermonem*

a Historica, *b* Temporaria, *c* Justificante.

nem Dei fortis & noſcentem notionem Excelſi, qui viſionem Omnipotentis videt, excidens, ſed retectus oculis Num. XXIV, 3. 4. Nec aliunde quam ex aliquo guſtu doni cœleſtis & virtutum futuri ſæculi, proficiſcebatur ejus votum Num. XXIII, 10. *Moriar ego morte juſtorum, & ſit finis meus ſicut illius.* Tum hæc omnia illis tribuuntur potiùs *Sacramentaliter* tantum, unde Baptiſmus φωτισμὸς olim dictus, & in illo adhibita deinde tum unctio, tum mellis & vini & lactis prægustatio, quam propriè, intrinſecè & *Spiritualiter*; ut qui baptiſmum ſuum ejerat dicitur *Filium Dei conculcare, & ſanguinem fœderis per quem fuerat ſanctificatus profanum ducere, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficere* Heb. X, 29. & *damnas* ſtatuitur eſſe *corporis & ſanguinis Domini, damnationemque* ſibi edere & bibere, *non diſcernendo corpus Domini*, is qui *indignè* ad menſam Dominicam acceſſerit 1 Cor. XI, 27. 29.

XXIII. (a) Fidei autem ſalvificæ & juſtificantis author eſt Deus per *Spiritum fidei*, uti vocatur Paulo 2 Cor. IV, 13. adhibito ordinariè Verbi ſui externo præconio, quod ita ipſius *potentia eſt ad ſalutem cuivis credenti* Rom. I, 16. ut ipſa *fides* ſit *ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. X, 17. & plerumque Miraculorum, ceu motivorum ad fidem, ſubſidio; unde Chriſtus, *Ego teſtimonium habeo majus teſtimonio Iohannis; opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea conſummem, ipſa inquam opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater miſerit me* Ioh. V, 36. Semel verò ingenitam fidem per Verbum ſuum fovet & fulcit, tum eodem Verbo, tum Sacramentis ipſi additis; unde Verbi divini & Sacramentorum miniſtri ſtatuuntur *Dei* συνεργοὶ 1 Corinth. III, 9. Hæc verò efficacia verbi divini ad fidem producendam, quam Swenckfeldiani & Weigeliani F. fruſtra negant, non eſt *phyſica* aut principalis, quaſi ex *opere operato*, ſed inſtrumentalis tantum & *moralis*, ut ipſummet fidei opus ſoli Deo ceu primario agenti ſit adſcribendum; Is enim dat *fidem* cui vult *per eundem Spiritum* 1 Corinth. XII, 2. & hominum, ut olim Lydiæ, *cor adaperit*, ut *attendant iis quæ* à Verbi ſui præconibus *dicuntur* Act. XVI, 14. Ut non immeritò ſtatuat Apoſtolus *gratis nobis dari in Chriſti negotio, non ſolum in eum credere, ſed etiam pro ipſo pati* Philip. I, 29. & nos *per* Baptiſmum *cum* Chriſto *ſuſcitari per fidem efficacis illius virtutis Dei qui ſuſcitavit eum ex mortuis* Col. II, 12.

a Fidei ſalvificæ *conſiderantur* 1. Author.

XXIV. Deus equidem non credit in nobis, ut Orthodoxos docere falſò clamitant Remonſtrantes, nec fides illi formaliter & *ſubjectivè* eſt tribuenda, ſed tamen *effective* in nobis fidem operatur, ita ut ſit donum & opus illius; non tantum quod illam nemo ſit meritus, ut volunt Sociniani; aut quod det homini poſſe credere ſi velit, actu tamen credendi remanente in ejus arbitrio, ſic ut omnibus poſitis ad credendum prærequiſitis, in illo ſit demum credere vel non credere, quod ſtatuunt perperam Ieſuitæ & Remonſtrantes; ſed quod fidei habitum infundat & fidelem ad actum ejus per ſuum Spiritum moveat ac determinet: Hinc dicitur Deus nos *convertere ut convertamur*, atque *indere legem* ſuam *menti* noſtræ *& cordi* noſtro *inſcribere eam, dare* item nobis *cor novum & Spiritum novum ponere in medio* noſtri, *amovendo cor lapideum è carne* noſtra, *& indendo* nobis *cor carneum*, ac ita *efficere ut in ſtatutis ſuis ambulemus & jura ſua obſervemus facientes ea* Ierem. XXXI, 18. 32. Ezech. XXXVI, 26. 27. Hinc *quicquid dat* Filio *Pater ad* ipſum *veniet* Ioh. VI, 27. & dicimur *credere pro efficacitate roboris virium ipſius* Eph. I, 19. Deo nempe *in nobis complente omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter* 2 Theſſ. I, 11. Imperat ergò fidem pro jure ſuo, ſed etiam per gratiam ſuam in electis eam operatur, *efficiendo in* ipſis *& ipſum velle & ipſum agere* Phil. II, 13.

R.

S.

P.R.

XXV. Cum ergò quæritur, cur ex duobus unà audientibus Dei Verbum, alter credat, alter maneat incredulus, ita incredulitas hujus menti illius obſtipæ eſt adſcribenda, ut alterius fides ex ejus prævia diſpoſitione, probitate & docilitate, cum Socinianis, Remonſtrantibus ac Pelagianis P.S. omnibus, non ſuſpendatur, quaſi ſeipſum diſcreverit, contra Paulum, *Quis te ab aliis diſcernit? & quid habes quod non receperis?* 1 Cor. IV, 7. Sed in ſolidum, Deo liberrimè agenti, *Etiam Pater quia ita placuit tibi* Matth. XI, 29. & *miſerenti cujus vult* Rom. IX, 8. eſt tribuenda. Quam procul ſit ab ejuſmodi diſpoſitionibus homo convertendus, ſuo loco vidimus; Antecedanea verò & præparatoria ad fidem in credituris, ſi quæ dantur, prout lignum viride exſiccari oportet priuſquam ignem concipiat, & pannum viliori imbui colore antequam veſtiatur purpurâ, illa neque neceſſariam habent connexionem cum fide, & fluunt in convertendis ex electione

R.

electione divina, nec oriuntur ex bono usu liberi arbitrii, neque ad actus fidei eliciendos absque ulteriori Dei operatione sufficiunt.

XXVI. Hæc autem vera fides est, I. (*a*) Propriè hominum viatorum; hoc est nec Angelorum, ad quos promissiones Euangelicæ non pertinent, nec beatorum, qui promissis fruuntur, & *cernunt* non ampliùs *per speculum & per ænigma*, sed *coram* 1 Cor. XIII, 12. nec *per fidem* adhuc, sed per *aspectum ambulant* 2 Cor. V, 7. Non quod visio destruat fidem, cùm *semen Dei* in electis æternùm *maneat* 1 Joh. III, 9. sed quod eam perficiat, uti virilis ætas pueritiam. II. (*b*) Propriè item hominum ad quos spectant promissiones Euangelicæ: ideò fuit in Adamo fides *genericè* in Deum, ut est virtus Theologica, & facultas credendi omni revelationi Divinæ quæ sibi fieret, non *specificè* in Christum redemptorem, ut est conditio Euangelica, quæ nonnisi post ejus lapsum exigi cœpit. Christo etiam viatori sua tribui debet fides, & illius suæ luctæ & tentationes, licet *citra peccatum* Heb. IV, 15. sed alterius à nostra conditionis & naturæ.

XXVII. III. (*c*) Tantum electorum, qui etiam soli, quod promissum est *omnibus credentibus*, sunt habituri *vitam æternam* Joh. III, 16. Nam *quicquid dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me nequaquam ejecerim foras*, inquit Christus Joh. VI, 37. Et *qui ex Deo est verba Dei audit*; *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* Ioh. VIII, 37. Hinc *crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. XIII, 48. & fides dicitur esse *electorum Dei* Tit. I, 1. Et quæcunque loca Scripturæ videntur aliquam fidem reprobis & pereuntibus tribuere, illa ad fidem dogmaticam & temporariam, externamque fidei professionem, sunt restringenda. Id autem debet extendi ad electos non minùs V. quam N. T. *Abraham* enim *Pater ille vester* (inquit Christus) *gestivit videre diem istum meum & vidit & gavisus est* Ioh. VIII, 56. & *per gratiam Domini nostri Iesu Christi*, quæ fide possidetur, servati fuerunt *Patres, sicuti* nos Act. XV, 11. *Est* quippe *Iesus Christus heri & hodie idem & in sæcula* Heb. XIII, 8. IV. (*d*) Adultorum propriè, prout est ex auditu; ita ut absurdum sit fidem actualem (qualis omninò esse debet fides justificans) in-
L. fantibus notitiæ & rationis expertibus cum Lutheranis tribuere. Spiritus quidem Sanctus, fidei in nobis effector, infantibus non est denegandus, cùm suo sensu *sancti* sint 1 Cor. VII, 14. quod constat extraordinario exemplo Iohannis Baptistæ *subsilientis in utero* matris suæ Luc. I, 41. & Christus eos admittit Matth. XIX, 14. *Omittite istos puerulos & ne prohibete eos ad me venire, talium est enim regnum cœlorum*; & *signum* ac *sigillum justitiæ fidei* Rom. IV, 11. nempe Circumcisio sub N. Baptismus sub N. T. ad illos pertinet; Sed tamen quomodo Spiritus regenerationis in illis operetur, ut mors Christi illis applicetur ejusque corpori inserantur & à peccato justificentur, & num sint dicendi habere fidem in *habitu*, an tantum in *semine*, ut statuantur inclinatione credere per gratiam, prout sunt peccatores inclinatione per naturam, subtiliùs potest disputari, tacente Scriptura, quam solidè definiri: Quod si pro fide infantium urgeas loca Scripturæ quæ agunt de fidei necessitate ad salutem, illis non satisfiet per semen vel habitum fidei omni actu destitutum; idque pro certo statuendum quod ejus fidei salvificæ, quæ nobis in Scripturis describitur, nec vola nec vestigium in illis appareat: Imò sicut citra ullum suum actum singularem & personalem sunt peccatores, ita possunt ab originali peccato, justificari sanguine Christi, ejusque Spiritu sanctificari, absque ullo actu singulari & personali resipiscentiæ ac fidei; ut sic absque fide objectiva non serventur, licet subjectivæ per ætatem capaces non sint.

XXVIII. (*e*) Proprium autem & speciale fidei subjectum inhæsionis, est cor sive anima hominis (nam *corde creditur ad justitiam* Rom. X, 10.) hoc est, tum illius intellectus *radicaliter*, tum ejus voluntas *efficaciter*: Fides enim non est tantum assensus ex illuminatione & persuasione Spiritus Sancti circa verum in intellectu, sed etiam actus obedientialis & fiducialis circa bonum in voluntate: Nec magis repugnat, quicquid contra strepant Pontificii, fidem ad utramque hanc P. facultatem pertinere, (ne dicam quod in ipsis Scholasticorum philosophematis, nondum certò constet has duas facultates realiter distingui,) quam vel amicitiam, vel odium, vel ipsum liberum arbitrium: cùm præsertim fides justificans sit habitus unus, non simpliciter sed per aggregationem, prout sanitas & pulchritudo ex proportione & coordinatione plurium qualitatum & partium resultant.

XXIX. (*f*) Duabus ergò partibus integralibus absolvitur. I. (*g*) *Notitiâ*; ut perperam Pontificii, P.

a 1. Subjectum recipiens commune: *I. Homines.* b *II. Servandi per Christum.* c *III. Electi.* d *IV. Adulti.* e *Proprium.* f 3. *Partes.* g *I. Notitia.*

fidei suæ implicitæ & Carbonarii patrocinaturi, fidem salvificam meliùs per ignorantiam, quam per notitiam definiri statuant: Tralatitium enim est in Scripturis, aut fidei notitiam adjungere, aut eam per notitiam exprimere: Ita *cognitione sui, justificabit justus servus meus multos*, inquit Deus de Christo, cujus fide justificamur Esa. LIII, 11. & Job suam fidem expressurus, *Ego novi redemptorem meum vivere* Job. XIX, 25. & Apostoli, *Nos credidimus & scimus te esse Christum illum Filium Dei viventis* Joh. VI, 69. & *Hæc est vita æterna ut te cognoscant solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum* Joh. XVII, 3. & Paulus optimus fidei Magister, *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem custodire* 2 Tim. 1, 12. Notitia autem hîc intelligenda est, non evidentiæ & luminis naturalis, qualis est scientiarum humanarum; hoc enim sensu benè fides tanquam habitus inevidens à scientia distinguitur; sed revelationis supernaturalis, quam Apostolus suis precabatur Ephesiis, *ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, daret* ipsis *Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis* eorum, *ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis* Eph. 1, 17. 18.

XXX. II. (a) *Assensu*, tum certo & firmissimo, tum fiduciali: Certum & firmissimum dico, quippe qui in authoritatem ac veritatem Dei dicentis & mentiri nescii resolvatur; Hinc fit, juxta verum axioma Scholasticorum, quod veræ & divinæ fidei falsum subesse non possit; unde Paulus statuit *vanam fore fidem* Corinthiorum, & *falsos testes Dei* Apostolos repertum iri, *si Christus non sit suscitatus à mortuis*, idest si credatur quod falsum est 1 Cor. XV, 14. 15. Ninivitæ tenebantur credere urbem suam evertendam, non simpliciter & absolutè, sed conditionatè, nisi resipiscerent; prout eos Rex ad jejunium & resipiscentiam invitat dicendo, *Quis scit an reversurus sit & pœniteat Deum, ut reverso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?* Jon. III, 10. Idem de Ezechia statuendum, qui instantis mortis denunciationem per Prophetam, conditionalem esse satis percepit, quod illicò *facie ad parietem conversâ, oravit Iehovam*, qui etiam *exaudivit* ejus *precationem*, addendo *diebus ejus quindecim annos* Esa. XXXVIII, 2. 5. Abraham verò recepto mandato de filio suo *offerendo in holocaustum* Gen. XXII, 2. non tenebatur credere fore ut Isaac à se occideretur, quod falsum erat, etsi forte in eam opinionem devenerit ideo quod mandati ad se facti sensum & finem non satis perciperet; sed tantum debuit credere, quod erat verissimum, Deum hoc sibi dedisse in mandatis ut filium occideret, & eventum Deo permittere.

XXXI. (b) Fiducialem hunc assensum fidei salvificæ esse, contra Pontificios statuo, quatenus P.
nempe fidelis non tantum assentitur genericè Dei promissionibus ut veris & certis, sed etiam eas speciatim ut ad se quoque pertinentes apprehendit & sibi applicat; Hinc πίστις & πεποίθησις eandem habent originem, & fides dicitur πληροφορία, *plena persuasio* Rom. VI, 21. ubi Abraham dicitur πληροφορηθείς, *plenè persuasus*, Deum *quod promiserat posse etiam facere*; θάρσος *fiducia*; Matth. IX, 22. θάρσει θύγατερ, *Confide filia, fides tua te servavit*; παρρησία *libertas*; Eph. III, 12. *In quo habemus* παρρησίαν καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, *libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius*; item, *Accedamus* μετὰ παρρησίας, *cum fiducia, ad thronum gratiæ* Hebr. IV, 16. καύχησις *gloriatio*; Rom. V, 3. *Et gloriamur*, καὶ καυχώμεθα, *sub spe gloriæ Dei*; ἐλπιζομένων ὑπόστασις, *id quo extant* vel *existunt quæ sperantur* Hebr. XI, 1. Et quamvis omnis fiducia dicatur
plerisque Scholasticis spes corroborata, (de quo P.
tamen posset quis meritò dubitare, cùm alii meliùs distinguant fiduciam fidei, à spei fiducia) deberet tamen fiducia ad fidem pertinere, à qua & illi nomen, eo ipso quod spes, quamvis ex rei natura à fide in multis distincta sit, ut nudum futuri respectum & nudam illius exspectationem notat, unde *hæc tria* distinguuntur, *fides, spes, charitas* 1 Cor. XIII, 13. sæpè tamen veræ fidei innectitur; Sic enim Abraham *contra spem sub spe credidit* Rom. IV, 18. & dicitur *spes non pudefacere, eo quod effusa est charitas Dei in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* Rom. V, 5. Imò fides ipsa Paulo describitur *subsistentia eorum quæ sperantur, & demonstratio eorum quæ non cernuntur* Hebr. XI, 1. Ideo ut fiduciæ sic fidei unus metus opponitur, prout præfe-

cto

a II. *Assensus, firmus, &*

b *Fiducialis.*

cto Synagogæ dicitur Marc. v, 36. *Ne metue, solummodo crede*; & Luc. VIII, 28. Apostolis metuentibus sibi à tempestate, *Ubi est fides vestra?*

P. XXXII. Quâ ergò fronte audent Pontificii fiduciam & applicationem specialem à fide salvifica removere, cùm promissiones salutis æternæ, quæ fidei proponuntur, hanc peculiarem applicationem exigant, quæ frequentissimè venit in sacris literis? Quò potissimum spectat arrhabo & signaculum, de quo 2 Cor. I, 21. 22. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum & qui unxit nos, Deus est, qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordibus nostris.* Sic idem Spiritus adoptionis quo *sumus obsignati*, dicitur *arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur* Eph. I, 13. IV, 30. Eodem pertinet *Manna occultum* & *calculus* ille *albus*, absolutionis nempe judicialis τεκμήριον, in quo *nomen novum scriptum est quod nemo novit nisi qui accepit*, de quo agitur Apoc. II, 17. Hanc specialem quoque applicationem per fidem, insinuat in Symbolo verbum *Credo*, quod quisque pro se usurpat, ut scilicet credat non tantum in genere peccatorum remissionem, sed in specie remissionem suorum: Eandem quoque implicat locus Pauli Rom. X, 9. *Si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris corde tuo quod Deus eum suscitavit ex mortuis*, (pro te scilicet) *servaberis*, collatus cum Rom. IV, 25. ubi Christus proponitur *traditus propter offensas nostras & suscitatus ad nostri justificationem.*

XXXIII. (*a*) Objectum fidei vulgò in *Materiale* & *Formale* distribuitur, ut illud denotet res creditas, hoc rationem sive causam sub qua creduntur, ac principium ipsum credendi, quod est prima veritas revelans, ut revelans, non authoritas Ecclesiæ, ut nonnulli Pontificii statuunt;

P. Unde fides non resolvitur in authoritatem Ecclesiæ; quæ potest esse credituris motivum ad fidem, & instrumentum ac medium humanum & accidentarium illius, quale fuit Philippus Nathanaëli, ei dicendo, *Invenimus illum de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ* Joh. I, 46. & Samaritana suis concivibus, quibus dixerat, *Venite, videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci: Num iste est Christus ille?* unde *ex urbe illa multi crediderunt in eum propter sermonem mulieris illius testantis, Certè dixit mihi omnia quæ feci* Joh. IV, 29. 39. non fidei principium; Sed in Dei Verbum ultimò, tanquam in objectum formale; prout illi ipsi Samaritani *multò plures crediderunt propter sermonem Christi; & mulieri dicebant, Non amplius propter tuos sermones credimus, ipsi enim audivimus* Joh. IV, 41. 42. At tanquam in causam efficientem principalem, ultimò in interiorem motionem ac persuasionem Spiritus Sancti, rerum revelatarum certitudinem conscientiis nostris imprimentis; quo etiam respectu omnes pii dicuntur διδακτοὶ τοῦ θεοῦ Joh. VI, 47. Huc potissimum spectat illud Christi; *Si quis voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar* Joh. VII, 17. Et *hoc est fœdus meum cum istis, ait Iehova, Spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent ex ore tuo* Esa. LIX, 21. Et per hunc Spiritum *retegit* Deus *oculos* nostros *ut intueamur mirabilia legis suæ* Psal. CXIX, 18. Hac spirituali clavi Christus *aperuit* Discipulorum suorum *mentem ut intelligerent Scripturas* Luc. XXIV, 45. & *cor* Lydiæ, *ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo* Act. XVI, 14. Sic nempe *is qui dixit ut ex tenebris lux splendesceret, splendet in cordibus nostris, ad præbendum lucem notitiæ Dei, in facie Iesu Christi* 2 Cor. IV, 6.

XXXIV. Sed de Fidei objecto in genere sequentia notentur: I. Fides est invisibilium, hoc 1.
est eorum quæ nec sensibus, nec solo rationis lumine apprehenduntur. Est enim ἔλεγχος οὐ βλεπομένων Hebr. XI, 1. & *Beati qui non viderunt & crediderunt* Joh. XX, 29. Imò *animalis homo non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur* 1 Cor. II, 14. II. Est rerum 2.
divinarum, non simpliciter quà talium, sed quà supernaturaliter revelatarum: unde non repugnat idem sciri & credi diverso respectu. III. Fidei igi- 3.
tur Canon & Mensura est revelatio divina, quâ crescente etiam crescit fides & ad plura extenditur.

XXXV. IV. Ita fertur in præterita & futu- 4.
ra, ut aliàs tempore vel loco distantia, præsentia faciat; sicut fide conjugali adhæret uxor marito, etiam absenti & peregrè profecto: Id liquet exemplo Abrahami *videntis diem* Christi Joh. VIII, 56. & Patrum in deserto *eandem escam spiritualem edentium, & eundem potum spiritualem bibentium* nobiscum 1 Corinth. X, 3. 4. Hinc Galatis *ob oculos Iesus Christus priùs fuerat depictus & inter eos crucifixus* Galat. III, 3. & ipse *per fidem habitat in cordibus nostris* Ephes. III, 17. eàdem-

a. Objectum, *Quod consideratur primùm in communi.*

que *sursum* quæritur, *ubi est ad dextram Dei sedens* P.L. Colloss. III, I. Ut mirum sit Pontificios & Ubiquitistas asserere, non posse fidei præsens esse in Eucharistia Christi corpus, nisi pani præsens sit per indistantiam localem. V. Vera fides in solo Deo acquiescit; *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine & statuit carnem brachium suum, à Iehova autem recedit animus ejus*: sed *benedictus vir ille qui fiduciam habet in Iehova & cujus confidentia Iehova est* Jerem. XVII, 5. 7. Unde contra S. Socinianos Divinitas Christi benè asseritur, quod in illum credendum sit, juxta illud ipsius Joh. XIV, 1. *Ne turbator cor vestrum; creditis in Deum, etiam in me credite*: perperam illis hæreticis distinguentibus inter objectum fidei *primarium* & *secundarium*, cùm secundarium fidei objectum Scriptura non agnoscat, & Christo competant omnia ad primarium requisita: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat*; *Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicatum dedit Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem* Ioh. V, 21. 22. 23. P. Hinc etiam benè colligitur contra Pontificios, solum Deum esse invocandum, ex Pauli loco Rom. X, 14. *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Credidit quidem populus *Deo & Mosi servo ejus* Exod. XIV, 13. sed illi ut authori, huic ut ministro revelationis: Laudatur etiam Philemonis *charitas* & *fides quam habebat erga Dominum Iesum & erga omnes sanctos* Philem. 5. sed ita tamen ut per ὕστερον πρότερον fides Christum spectet, charitas Sanctos, ut patet ex Ephes. I, 15. ubi Paulus agit gratias pro Ephesiis, *auditâ*, inquit, *eâ quæ in vobis est fide in Dominum Iesum & charitate in omnes sanctos*: Simile quid exstat 1 Cor. VI, 11. *Et hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Iesu & per Spiritum Dei nostri*; cùm tamen ex stylo Scripturæ & per appropriationem personalem, Sanctificatio sit Spiritus Dei, & ablutio ac Justificatio sanguinis Christi.

XXXVI. (*a*) Speciatim verò *objectum* fidei *adæquatum* est Dei Verbum; *Hæc scripta sunt ut credatis Iesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus* Joh. XX, 31. *Fides* enim *est ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. X, 17. Unde laudantur Thessalonicenses, quod exceperint sermonem Apostoli, *non ut sermonem hominum, sed sicut est verè, ut Dei sermonem, qui etiam agit*, inquit Paulus, *in vobis qui creditis* 1 Thes. II, 13. Et quamvis primariò & per se non sint de fide omnia quæ continentur in Dei verbo, hoc est, non pertineant ad fidei dogmata & articulos, ut omnia illa scire *explicitè* sit de necessitate salutis; tamen est de fide & salutis necessitate credere omnia illa θεόπνευστῶ ad plenitudinem cognitionis Ecclesiæ fuisse consignata. (*b*) Objectum autem proprium, speciale & proximum fidei justificantis, ut sic, est doctrina de Jesu Christo & promissio remissionis peccatorum in ipsius sanguine; *Hæc est vita æterna ut te cognoscant illum verum solum Deum, & quem misisti Iesum Christum* Joh. XVII, 3. Ideo Paulus confidit nihil pios separaturum *à charitate Dei quæ est in Christo Iesu* Rom. VIII, 38. 39. & fidem suam his verbis exprimit, *Unà cum Christo crucifixus sum; vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me* Gal. II, 20 *Certus* enim *est hic sermo & dignus modis omnibus qui recipiatur, Christum Iesum venisse in mundum ut peccatores servaret, quorum*, inquit Paulus, *primus sum ego; verùm ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet mihi Christus omnem iræ suæ cohibitionem, ut essem exemplar credituris in eum ad vitam æternam* 1 Timoth. I, 15. 16.

XXXVII. (*c*) Atque hinc colligitur errare graviter Socinianos & Remonstrantes, (quibus hoc in capite & Scholastici nonnulli & Veterum S. R. quidam præluxerunt) dum negant Jesu Christi P. cognitionem ad fidem justificantem requiri; contra authoritatem Scripturæ; *Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me* Joh. XIV, 6. *Hic est lapis ille pro nihilo habitus à vobis ædificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo quod datum sit inter homines per quod oporteat nos servari* Act. IV, 11. 12. Nec aliter quam *per gratiam Domini Iesu Christi* & servari sunt *Patres nostri* & nos *servatum iri credimus* Act. XV, 11. Posse autem dari fidem & gratiam Christi sine illius cognitione in adultis, nemo sanus dixerit. Item dum ne- S. R. gant, fidem esse certam fiduciam de parta nobis salute & peccatorum remissione per meritum Christi; cùm tamen Euangelii doctrina cui fides adhibenda, & Sacramentorum administratio, non aliò ducant: Sed id omne haustum est ex Ponti-

a *Deinde magis* speciatim, 1. *Quà* adæquatum. b 2. *Quà* proprium *& salvificum*. c *Nempe Christus*, *absque quo nulla salus*.

P. Pontificiorum lacunis, cùm & illi negent objectum fidei juſtificantis proprium eſſe miſericordiam Dei in Chriſto propoſitam; reclamante totâ Scripturâ; *Ita enim Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam* Joh. III, 16. *Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui credit in eum* Act. x, 43 Ideo dicimur *juſtificari gratis, Dei gratiâ, per redemptionem factam in Ieſu Chriſto, quem præſtituit Deus ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius* Rom. III, 24. 25. & Chriſtus ipſe ſtatuitur *finis Legis ad juſtitiam cuivis credenti* Rom x, 4. prout *nobis factus eſt à Patre Sapientia & Juſtitia & Sanctificatio & Redemptio* 1 Cor. I, 30 Huc ſpectat commiſſum *nobis miniſterium reconciliationis, quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis offenſas eorum* 2 Cor. v, 18. 19. Nec aliter juſtificamur *quam per fidem Ieſu Chriſti* Gal. II, 16. cujus reſpectu *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus; non dicit & ſeminibus ut de multis, ſed ut de uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus*, cujus item reſpectu *Abraham credidit Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam* Gal. III, 6. 16.

XXXVIII. (*a*) Hæc cùm ita ſint, debet homo verè fidelis eſſe certus ſibi remiſſa eſſe ſua peccata & ſalutem conferendam per Chriſtum, idque certitudine non *morali* tantum, aut *conjecturali*, P. uti contradictoriè loquuntur Pontificii, ſed *abſolutâ* & fidei divinæ, hoc eſt, citra revelationem ſpecialem, ex ipſius fidei intrinſeca natura: Etenim fides importat non tantum certitudinem objectivam rerum creditarum, ſed etiam ſubjectivam in ipſo credente; qui non modò perſuaſum habet certa eſſe & indubitata quæ credit, ſed etiam illam ſuam fidem, quâ hæc credit, veram & P. certam eſſe: adeoque dum Pontificii, & qui cum S.R. illis faciunt Sociniani & Arminiani, fidei & ſalutis certitudinem impugnant, eo ipſo impudenter repugnant, I. Luculentis Sanctorum exemplis, nominatim Pauli, cujus fiduciam & pro ſe & pro omnibus credentibus ſuprà vidimus expreſſam ex Rom VIII, 38. 39. Gal. II, 20. 1 Tim. I, 15. 16. Quibus adde quod ait 2 Tim. I, 12. *Novi cui crediderim & mihi perſuaſum eſt eum poſſe depoſitum meum in illam diem conſervare*; & 2 Tim. IV, 7. 8. *Certamen illud præclarum decertavi, curſum peregi, fidem ſervavi, quod reliquum eſt repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, juſtus ille judex; non ſolum autem mihi ſed & omnibus qui expectaverint illuſtrem ipſius adventum.* II. Diſertis Scripturæ teſtimoniis; nam *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur* Marc. XVI, 16. nec *peribit quiſquis credit in* Chriſtum Joh. III, 16. Jam autem ut *quiſquis credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo genitus eſt*, ſic *qui credit in Filium, Dei habet teſtimonium in ſeipſo*, & eo ipſo *ſcit ſe vitam æternam habere* 1 Joh. v, 1. 10. 13. *Ipſe enim Spiritus teſtatur unà cum Spiritu noſtro nos eſſe filios Dei; quod ſi filii, etiam hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* Rom. VIII, 16. 17.

XXXIX. (*b*) Talis igitur eſto in unoquoque fideli Syllogiſmus practicus; Omnis qui credit in Filium & in ipſius merito acquieſcit, illudque apprehendit & ſibi applicat, habebit vitam æternam: Atqui ego credo: Ergò habiturus ſum vitam æternam. De majori dubitari non poteſt: Minor quoque unicuique fideli ex teſtimonio interno Spiritus Sancti & conſcientiæ, ac propria ſpirituali ſenſatione, certa eſt, uti modò vidimus ex Rom VIII, 16. Et *gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium videlicet conſcientiæ noſtræ* 2 Cor I, 12. maximè per *Spiritum illum promiſſionis, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ* Eph. I, 13. 14. Et niſi quiſque poſſet ſuam in ſe ſentire fidem per actum quendam reflexum, ei haud abſimilem quo ſentimus nos ſentire, fruſtrà diceret Apoſtolus, *Vos ipſos tentate an ſitis in fide, vos ipſos explorate; annon agnoſcitis voſmet ipſos, videlicet Ieſum Chriſtum in vobis eſſe? niſi rejectanei eſtis* 2 Cor. XIII, 6. Huc pertinet formula illa confeſſionis Apoſtolicæ, *Nos credidimus & ſcimus te eſſe Chriſtum* Joh. VI, 69. & quod dicebat *pater pueri*, etiam *cum lachrymis, Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ* Marc. IX, 24. necnon Paulus, Gratiæ præco, *Novi cui crediderim* 2 Tim. I, 12. Hæc verò certitudo nec evertit preces, quibus potiùs obtinetur & firmatur; nec timorem ſollicitudinis & vigilantiæ excutit, quo munitur; nec adverſatur bonorum operum ſtudio, ex quo à poſteriori colligitur. Neque tamen ſtatuimus fidelem ſemper eſſe certum de ſua ſalute; cum è contrario ſæpè ejus fides vacillet & titubet; ſed aſſerimus & fidelem omni ope ad hanc certitudinem eniti debere, & nullum eſſe fidelem qui eam aliquando non conſequatur, & actus fidei elicitos eam vel expreſſè, vel interpretativè & ex conſequenti inferre.

a *Unde ſalutis* certitudo. b *Et* teſtimonium Spiritus Sancti *in conſcientia noſtra.*

XL. (*a*)Hac verò certitudine fidei & per ipſam
remiſſionis peccatorum ac vitæ æternæ poſitâ,ina-
miſſibilitas & perſeverantia veræ fidei neceſſariò
1. ſequitur : Reſultat autem ex Electionis immu-
tabilitate, juxta quam *poſſibile non eſt* electos *ſe-
duci* Matth. XXIV, 24. quia *ſolidum ſtat Dei fun-
damentum* 2 Tim. II, 19. Dei cuſtodiâ, obſi-
2. gnatione & confirmatione; nam *fidelis eſt Deus
qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed
unà cum tentatione præſtabit etiam exitum* 1 Cor. X,
13. Quinimò *virtutis Dei præſidio cuſtodimur per
fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tem-
pore ultimo* 1 Petr. I, 5. *Et qui nos confirmat in
Chriſtum & qui unxit nos Deus eſt, qui etiam obſi-
gnavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordi-
bus noſtris* 2 Cor. I, 21. 22. Chriſti precibus &
3. interceſſione; nam *oravi pro te*, Petre, inquiebat
Chriſtus, *ne deficiat fides tua* Luc. XXII, 32.
Neque id fuit ſpeciale pro Petro, ſed de omnibus
ſuis dicit, *Non pro mundo rogo, ſed pro iis quos de-
diſti mihi, quia tui ſunt*; imò ne quis id reſtringe-
ret ad ſolos Apoſtolos, ſubjicit deinde, *Non tan-
tum pro iſtis rogo, ſed pro iis qui per ſermonem eo-
rum credituri ſunt in me, ut omnes unum ſint, ſicut
4. tu Pater in me & ego in te* Joh. XVII, 20. 21. Spi-
ritus Sancti præſentiâ & ſemine perpetuo in cordi-
bus fidelium, *Quiſquis natus eſt ex Deo peccato
non dat operam, quoniam ſemen ipſius in eo manet*
5. 1 Joh. III, 9. Promiſſionum divinarum con-
ſtantiâ & firmitate; unde illud Paulinum, *Quis
nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. VIII, 39.
item hoc, *Dona illa & vocatio Dei ejuſmodi ſunt
ut eorum ipſum pœnitere non poſſit* Rom. XI, 29.
6. Denique ipſius fidei ſalvificæ veritate & naturâ,
quæ cum ſalutis certitudinem importet, exigit
perſeverantiam, abſque qua nulla ſalus: ut mi-
L. rum ſit Lutheranos tueri contra Pontificios &
Remonſtrantes certitudinem ſalutis, & nihilo-
minus cum iiſdem propugnare Sanctorum apo-
ſtaſiam.

XLI. Labuntur quidem interdum Fideles &
Sancti, etiam graviſſimè, ſed tamen cum *ca-
dunt non dejiciuntur, quia Iehova ſuſtentat manum
eorum* Pſal. XXXVII, 24. Nam revocantur ad
pœnitentiam, & Spiritus Dei, fidei donum &
ignem ſub cineribus magis latentem quam totali-
ter extinctum, iterum ἀναζωπυρεῖ, ita ut ne-
mo verè fidelium & electorum pereat unquam;
nec verè fidelis, ſed tantum æquivocè fuerit ta-
lis, profeſſione tenus & ad tempus, qui penitùs
& finaliter defecerit: E *nobis egreſſi ſunt, ſed non
erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis manſiſſent
utique nobiſcum; ſed egreſſi ſunt ex nobis, ut ma-
nifeſtum fieret non omnes eſſe ex nobis* 1 Joh. II, 19.
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu; & ſtella
cadens, non ſtella fuit, ſed cometa. Tantum au-
tem abeſt ut perſeverantiæ certitudo & doctrina
ſit carnis pulvinar, ut è contrario ſit ſtimulus ef-
ficaciſſimus ad ſtudium pietatis; *Dilecti, nunc fi-
lii Dei ſumus, ſed nondum manifeſtum factum eſt
quod erimus; Scimus autem fore ut cum ipſe fuerit
manifeſtus, ſimiles ei ſimus, quoniam videbimus
eum ſicuti eſt; & quiſquis habet hanc ſpem in eo ſi-
tam, caſtum ſe conſervat, ſicut & ille caſtus eſt,*
ſive *purus* 1 Joh. III, 2. 3.

XLII. (*b*) Hujus porrò fidei ſalvificæ forma,
charitas perperam ſtatuitur à Pontificiis, ut ridi- P.
culam ſuam diſtinctionem fidei in *formatam* & *in-
formem* utcunque propugnent; cùm implicet
contradictionem, fidem dari informem, quo-
niam forma eſt quæ dat eſſe rei: nec charitas,
cùm ſit virtus per ſe completa & totâ ſuâ naturâ à
fide diſtincta, fidei forma eſſe poteſt; Quin tan-
tum abeſt ut charitas det fidei ſuum eſſe, ut è con-
trario ab ipſa fide fluat & pendeat; Nam *finis
mandati eſt charitas, ex mundo corde & conſcien-
tia bona & fide minime ſimulata* 1 Tim. I, 5. &
fides *per charitatem efficax* dicitur Gal. V, 6. non
quod per charitatem fiat viva & operoſa, ſed quod
veram charitatem operetur, & ſuam illi largia-
tur perfectionem & conſummationem, adeoque
per illam ſe manifeſtet ut cauſa per effectum, vita
in corpore per halitum; *Nam ſicut corpus abſque
ſpiritu mortuum eſt* (id eſt mortuum eſſe dignoſ-
citur cùm omnis reſpiratio extincta eſt) *ita &
fides quæ eſt abſque operibus mortua eſt* Jac. II, 26.
(*c*) Unde etiam contra eoſdem Pontificios inſepa- P.
rabilitatem fidei ſalvificæ à bonis operibus & cha-
ritatis ſtudio meritò adſtruimus: quamvis hæc
non ſemper comitentur fidem miraculorum,
juxta illud Pauli 1 Cor. XIII, 2. *Etſi habeam to-
tam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem
autem non habeam, nihil ſum.*

XLIII. (*d*)Non ſaniores ſunt Sociniani & Re- S.R.
monſtrantes, qui formam fidei conſtituunt in
obedientia quæ Deo ad Chriſti normam & præ-
ſcriptum defertur, quò ſic operum juſtitiam, ut-
ut tam expreſsè diſtinctam à juſtitia fidei in Scrip-

turis

a *Imò ipſius Fidei* inamiſſibilitas, *cujus notantur fundamenta.* b 5. Forma; *non Charitas.* c *Ab ipſa tamen inſeparabilis.* d *Vel Obedientia.*

turis, Pharisaicè retineant. Quamvis enim fidei actus sit obedientialis & Euangelio præscriptus, prout Apostolus dicit se *gratiam & Apostolatum* accepisse *ad obedientiam fidei inter omnes gentes* Rom. I, 5. ac Christus dicitur *factus author salutis omnibus ei auscultantibus* Hebr. v, 9. & *hoc est illius præceptum ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi & diligamus alii alios* 1 Joh. III, 23. imò, *hoc est*, inquit Christus ipse, *illud opus Dei ut credatis in eum quem ipse misit* Johan. VI, 29. Tamen obedientia illa fidei, quâ, Deo ita jubente, per veram fidem in obedientia & morte Christi recumbitur, formaliter distinguitur ut à charitate, sic ab ea nova obedientia quæ in Sanctificationis operibus & studio præstatur; unde operum & fidei in negotio Justificationis perpetua antithesis apud Paulum; *Ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam* Rom. IV, 5. *Et quod si per gratiam jam non ex operibus; sin ex operibus non est ex gratia* Rom XI, 6 *(a)* Quare formalis ratio fidei justificantis consistere debet in firmo, certo & fiduciali assensu, apprehendente & sibi applicante Christi meritum, & gratuitæ salutis promissiones per ipsum. Hæc est illa *Rebecca*, quæ pretiosis & *desideratissimis vestimentis* primogeniti *nostri* nos *induit*, ut paternam *benedictionem* consequamur Gen XXVII, 14 17.

XLIV. *(b)* Finem Fidei esse gloriam gratiæ Dei, prout Abraham fuit *corroboratus fide, tributâ gloriâ Deo* Rom. IV, 20. & exinde *salutem* nostram, quæ non utique effectivè aut meritoriè, sed tantum consecutivè *merces* fidei appellatur 1 Petr. I, 19. est extra dubium. *(c)* Illa enim & nos inserit Christo, juxta id quod ante citavimus ex Paulo Gal. II, 20. & quod ait Eph. III, 17. Christum *per fidem in cordibus nostris inhabitare*, & *remissionem peccatorum per nomen ipsius consequitur* Act. X, 43 & *corda purificat* Act XV, 9. & accessum dat ad Deum, sive *libertatem & aditum cum fiducia* Eph III, 12. & precum exauditionem obtinet, quia *efficax est deprecatio justi* Jac. V, 16. *si postulet cum fide nihil ambigens* Iac. I, 6. & *victoria est quæ vicit mundum* 1 Ioh. V, 4. & tranquillat conscientiam, quatenus *justificati fide pacem habemus erga Deum* Rom. V, 1. & ceu *scutum* impenetrabile omnia *Mali illius ignita tela extinguit* Eph. VI, 16. Uno verbo ei debetur tum Justificatio, tum Sanctificatio nostra; illa equidem instrumentaliter & apprehensivè, hæc vero originaliter & productivè; adeo ut, quod ante monuimus, vera fides & bonorum operum studium non magis queant separari quam calor & lux in igne.

XLV. *(d)* Cùm autem fidei primarius & principalis effectus sit nostra Justificatio apud Deum, hæc paulo distinctiùs venit explicanda. Vox *Iustificandi*, δικαιοῦν καὶ δικαιοῦσθαι, respondens Hebræorum *Hitsedik*, præsertim ubi agitur de Justificatione nostra coram Deo, non significat, ut volunt perperam Pontificii, ex injusto 1 P.
facere justum per infusum & adauctum habitum justitiæ; nequidem Daniel. XII, 3. Ubi fit mentio eorum qui *justificaverint multos*, nempe *ministerio reconciliationis* sibi commisso de quo 2 Cor. V, 18. aut Jac. II, 21. ubi dicitur Abraham *ex operibus justificatus* & homo *justificari ex operibus, non ex fide tantum*: cùm hìc metonymicé per opera intelligatur fides operosa, aut saltem agatur de ea justificatione ostendenda & comprobanda quâ in foro Dei absolvimur; aut Apoc. XXII, 11. ubi dicitur, *Qui justus est*, nempe quandantenus legaliter, inculpaté vivendo coram hominibus, *justificetur ad huc* coram Deo per remissionem peccatorum, illi suæ justitiæ non confisus; prout Paulus dicebat *Nullius rei mihi conscius sum, sed non per hoc justificatus sum* 1 Corinth. IV, 4. & licet *quoad justitiam quæ est in lege irreprehensus* foret, *justitiæ* illi suæ quæ *ex lege est* renunciabat, ut *eam quæ est per fidem Christi justitiam* consequeretur Phil, III, 8. 9. Et quî justificaremur per habitualem justitiam, cùm absque operibus justificari tam sæpè dicamur? Maximè Rom III, 20. 21. 28. ubi negatur *ex operibus legis* ulla *caro justificari*, statuitur nunc *absque lege justitiam Dei manifestari*, & concluditur *fide justificari hominem operibus legis* *(e)* Sumitur ergo vox illa semper sensu merè forensi, aut saltem cum respectu ad illum, ac primariò denotat Judiciariam actionem *condemnationi* oppositam, quâ quis à reatu peccati absolvitur & insons ac justus pronunciatur; Ita condemnantur qui *justificant*, sive *absolvunt, propter munus*, & justos condemnant, sive *justitiam justorum abjudicant ab unoquoque eorum* Esa. V, 23. Et *qui justificat improbum & qui condemnat justum, ambo sunt abominationi Iehovæ* Prov. XVII, 15. Ita petit David *ne* Deus *congrediatur in judicio cum servo*

si

a *Sed fiducialis Christi apprehensio.* b 6. Finis. c 7 Effectaque *varia.* d III. IUSTIFICATIO; *Cujus expenditur,* 1. Nomen *quod non est ex* injusto justum subjectivè facere. e *Sed* absolvere *sensu forensi.*

ſuo, *nam*, inquit, *non juſtificabitur coram te*, ex ſuis operibus, *ullus vivens* Pſal. CXLIII, 3 Hinc *reatui qui eſt ex una offenſa ad condemnationem*, opponitur *quod Deus gratificatur ex multis offenſis ad juſtificationem* Rom. V, 16. & accuſationi atque condemnationi opponitur juſtificatio Rom. VIII, 33. 34. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt* &c.

XLVI. Juſtificatio equidem, ſupponens aliquam juſtitiam *perſonæ* (quæ non debet confundi cum juſtitia *cauſæ*, quam ſæpè urget David, ut Pſ. XVIII, 21. *Tribuit mihi Iehova ſecundum juſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum reſtituit mihi*;) duplex eſt, nempe Legalis ex operibus, & Euangelica ex fide: Sed cùm illa poſt peccatum non detur, ut pote planè impoſſibilis ex Rom. VIII, 3. (*a*) hæc demum nobis eſt, *Opus gratuitum Dei tanquam juſtiſſimi Domini & judicis æquiſſimi, Electos ſuos, quamvis in ſeipſis ſontes & morti æternæ obnoxios, à reatu peccati abſolventis, & juſtos declarantis per & propter meritum Chriſti eis gratis imputatum, à Spiritu Sancto applicatum, & verâ ſincerâque fide receptum, ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, quâ nos gratis effecit ſibi gratos in illo ſuo dilecto, ſuorumque glorificationem æternam.*

XLVII. (*b*) Author tanti beneficii eſt Deus unus & trinus, qui ſolus, ceu Rector ſupremus habet jus, ut puniendi in æternum, ſic abſolutè remittendi & condonandi peccata; *Ego ipſe deleo defectiones tuas propter me & peccatorum tuorum non recordor* Eſ. XLIII, 12. Neque peccarunt Phariſæi in illo axiomate generali, *Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?* ſed in eo quod Chriſti poteſtatem divinam non agnoſcerent, quam ipſe illicò evidenti miraculo comprobat, dicens, *Vtrum eſt facilius dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata? aut dicere, Surge & ambula?* Luc. V, 21. 23. Uno verbo, Deus eſt *unus ille legiſlator qui poteſt ſervare & perdere*, abſolvere & condemnare Jac. IV, 12. Nec Patri ſolum debetur, qui *is eſt qui juſtificat* Rom. VIII, 33. ſed etiam Filio; nam *juſtus meus ſervus juſtificabit multos cognitione ſui* Eſ. LIII, 12. unde paralytico dicebat, *Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua*, & pertendebat ac comprobabat præſenti miraculo *poteſtatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata* Luc. V, 20. 24. Matth. IX, 2. 6. Imò quoque Spiritui Sancto, cujus eſt ſententiam illam abſolutoriam in mentis noſtræ domicilio pronunciare; quò illud Pauli poſſet referri 1 Cor. VI, 11. *Et hæc eratis quidam; ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu & per Spiritum Dei noſtri*; Sic tamen ut œconomicè Pater judicis pro tribunali ſententiam ferentis, Filius vadis & promiſſoris pro ſuorum peccatis ſatisfacientis, Spiritus Sanctus arrhabonis & quaſi cancellarii cœleſtis in cordibus Electorum abolitionis ſuæ diploma inſinuantis & *obſignantis* Eph. 1, 13. vices ſuſtineat.

XLVIII. (*c*) Ejus cauſa impulſiva & meritoria apud juſtiſſimum Deum, adeoque materia juſtitiæ noſtræ ſolidæ in illius conſpectu, Non eſt, ut Oſiander cum Swenckfeldio deliravit, eſſen- F.
tialis Dei juſtitia, quâ non poſſemus formaliter & ſubjectivè juſti eſſe, quin Dii quoque eſſemus; Non ipſa fides actuſque credendi, per acceptilationem gratuitam, quæ ſolutio foret imaginaria, loco plenioris juſtitiæ nobis imputatus, ut volunt Arminiani; tunc enim in hoc negotio cum ope- R.
ribus, quibus tam conſtanter opponitur, fides eſſet componenda; & ubi fides dicitur *imputari ad juſtitiam* Rom. IV, 5. 9. ea debet intelligi metonymicè de Chriſto fide apprehenſo; Non obedientia novæ vitæ, quæ itidem pro perfecta juſtitia gratis apud Deum admittatur, ut iidem cum Socinianis, Anabaptiſtis, Weigelianis de- S.R.
lirant; Non, ut fingunt Pontificii, habitualis A w.
& inhærens juſtitia in fide & charitate aliiſque bo- P.
nis operibus conſiſtens. quibus promereamur vitam æternam. (*d*) Sed Chriſti Satisfactio, Juſtitia & Meritum; Ideo enim appellandus erat *Iehova juſtitia noſtra* Jer. XXIII, 6. & dicimur *juſtificari gratis, Dei gratiâ per redemptionem factam in Ieſu Chriſto* Rom. III, 24. imò *juſtificati ejus ſanguine, multis per unius* illius *obedientiam juſtificatis*, ſicut *per contumaciam unius peccatores conſtituti erant multi* Rom. V, 9. 19. *Factus* enim eſt *nobis Sapientia & Iuſtitia & Sanctificatio & Redemptio* 1 Cor. 1, 30. imò factus *pro nobis peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo* 2 Cor. V, 21. Ut non immeritò optaverit Paulus *comperiri in eo, non habens*, inquit, *meam juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, ideſt juſtitiam quæ eſt ex Deo per fidem* Phil. III, 9.

XLIX. Etenim in foro exactæ juſtitiæ divinæ ſolu-

a 2 Definitio *Euangelica*. *b* 3. Author. *ſolus Deus*. *c* 4. Cauſa meritoria. κατ᾽ ἄρσιν. *d* κατὰ θέσιν Juſtitia & ſatisfactio *Chriſti*.

solutione adæquatâ debitis cùm opus sit, acceptilationi, quæ nec est actus Jurisdictionis vel Judicialis, cujusmodi est nostra Justificatio & remissio peccatorum, locus esse non potest. (*a*) Ea verò est omnis nostræ justitiæ & obedientiæ imperfectio, & in partibus & in gradibus, sive cum Legis ἀκρίβεια, sive cum vitæ futuræ infinita gloria, conferatur, ut plusquam Pharisaicum & Pelagianum sit velle illi apud Deum confidere: Hinc pii Israëlitæ hac confessione utuntur; *Sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ* Esa. LXIV, 10. Et David, *Ne congrediaris judicio cum servo tuo, nam non esset justus coram te ullus vivens* Psal. CXLIII, 2. Imò *cùm feceritis*, inquit Christus, *omnia quæ edicta sunt vobis*, (quis tamen illa fecisse jactabit?) *dicite servi inutiles sumus* Luc. XVII, 10. Nec enim *pares sunt*, aut *condignæ*, *præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ* Rom. VIII, 18. Et siquidem *quisquis impegerit in uno* ex mandatis Legis, *damnas fit omnium* Iac. II, 10. quî possemus nostris operibus justificari, cùm *in multis impingamus omnes* Iac. III, 2. & *si dixerimus nos peccatum non habere nos ipsos fallimus & veritas non est in nobis?* 1 Joh. I, 8. Quin ita soli gratiæ Dei, non gratis datæ, sed gratum facienti, ad quam nos habemus *objectivè*, non *subjectivè*, passim in Scripturis adscribitur nostra Justificatio; *Vt qui justificemur gratis ejus gratiâ per redemptionem factam in Iesu Christo* Rom. III, 24. *imputatâ* nobis *mercede ex gratia*, non *ex debito* Rom. IV, 4. Unde *gratia Dei & donatio per gratiam quæ est unius illius hominis Iesu Christi, in multos exundasse* dicitur Rom. V, 15. & statuimur *servati* & *vocati ab ipso*, *non ex operibus nostris*, *sed ex suo proposito*, *ex gratia quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæculorum* 2 Tim. I, 9. Ita removentur ab ea opera Legis & propriæ justitiæ, omnisque nostra gloriatio; quia enim *ex operibus Legis nulla caro justificabitur*, inde colligitur *fide justificari hominem absque operibus Legis* Rom. III, 20. 28. *Sicut etiam David declarat beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam absque operibus* Rom. IV, 6. 11. Adeo ut *Israelitæ consectando Legem justitiæ ad legem justitiæ non pervenerint, quia non ex fide sed velut ex operibus Legis* Rom. IX, 31. 32. *Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti* Rom. X, 3. Et quamvis *nullius rei* sibi esset *conscius* Apostolus, nempe quod ad homines, *per hoc* tamen *non justificatus* erat 1 Cor. IV, 4. Imò eousque non *justificatur homo ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi*, ut *si per Legem sit justitia, Christus sine causa mortuus sit* Gal. II, 16. 21. ac *nullum per Legem justificari apud Deum manifestum est, quoniam justus ex fide vivet* Gal. III, 11. & demum *per* Christum *quivis credens justificetur ab omnibus à quibus non potuimus per Legem Mosis justificari* Act. XIII, 39. & Deus *non ex operibus justis quæ fecerimus, sed ex sua misericordia servarit nos* Tit. III, 5. Ita facta docetur, non tantum sine meritis nostris, sed etiam contra illa, cùm sit justificatio impii; *Omnes enim peccaverunt ac destituuntur gloriâ Dei* Rom. III, 23. & *ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam* Rom. IV, 5. Ita uni Christi obedientiæ, justitiæ, sanguini, nomini, merito, redemptioni, adscribitur passim; Ut nihil nostri, aut quod in vel à nobis sit, eò possit materialiter & meritoriè pertinere.

L. (*b*) Si quæ repromittitur *merces* & retributio bonis nostris operibus, ea est merè gratuita, non propriè dicta ex merito, debito, vel condigno; nam quæ *merces* dicitur Matt. V, 46. *Si dilexeritis eos qui diligunt vos quam mercedem habebitis?* *gratia* appellatur Luc. VI, 32. *Quod si diligitis eos qui vos diligunt quæ vobis erit gratia?* Et Paulus satis apertè duplicem *mercedem* dari docet, alteram gratuitam, alteram debitam, cùm ait, *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito; ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam* Rom. IV, 4. 5. Et tam facile est extare mercedem impropriè sic dictam absque prævio merito, quam dari emptionem sine pretio, ut Esa. LV, 1. *Emite absque pecunia & absque pretio vinum & lac:* Ipsa quoque *condignitas* expressis verbis removetur Rom. VIII, 18. ubi juxta V. V. sic habetur, *Existimo quod non sunt condignæ passiones* (ergo nec actiones) *hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Vita æterna illis adscribitur, non ut ipsius pretio & causæ meritoriæ, vel ullo modo efficienti, sed tanquam fidei fructibus, effectis & signis, cùm sequantur justificatum, non præcedant justificandum, sintque via ad regnum non causa regnandi: Quare illis adscribitur vitæ *consequentia* non *efficientia*; & media sunt ad vitam,

a *Non autem nobis* inhærens *ulla sanctitas & dignitas.* b *Remotis* scrupulis *qui in contrarium moveri solent*

tam, sed *transitionis*, *suppositi* & *per quæ*, non *quibus*, *efficacitatis* & *virtutis* : & habent necessitatem *præsentiæ* non *efficientiæ*, ac uno verbo nihil aliud propriè sunt quam adjuncta & conditiones in homine justificato & possessionem vitæ æternæ adeunte. Et si quæ causalitas sit adscribenda bonis operibus & sanctificationi ad vitam æternam, ea propriè efficiens non erit, nec principaliter nec instrumentaliter, sed potiùs formalis, aut materialis, quatenus pietatis studio auspicamur vitam æternam, & sanctificatio hujus vitæ sub *glorificatione* comprehenditur à Paulo Rom. VIII, 30.

LI. Τὸ κατεργάζεσθαι 2 Cor. IV, 17. non denotat propriè efficientiam, sed iter & medium; quatenus momentaneam afflictionem excipit & consequitur gloria æterna : sic enim habet textus, *Momentanea levitas afflictionis nostræ excellenter excellentis gloriæ pondus* κατεργάζεται ἡμῖν, *conficit nobis*. Et Phil. II, 12. *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem* κατεργάζεσθε, *conficite*, tantum inculcatur studium vehemens salutis consequendæ; cùm istud verbum Græcis quandoque idem sit ac κρατῆσαι, *potiri* & *obtinere*; prout etiam apud Latinos aliquando *conficere* & *consequi* idem sunt. Iac. II, 24. *Videte igitur ex operibus justificari hominem & non ex fide tantum*, tribuitur operibus justificationis ostensio & manifestatio à posteriori, non meritum & materia à priori; Nisi potiùs opera illic metonymicè sumi dicantur pro fide viva & per opera efficaci, cùm fidei duntaxat mortuæ & æquivocæ opponantur. Τὸ ὅτι Luc. VII, 47. *Remissa sunt ejus peccata multa*, ὅτι, *nam dilexit multum*, non meritum & causam efficientem denotat, sed signum consequens, sive, ut vulgò loquuntur, causam consequentiæ : Unde colligitur quoque sensus loci Matth. XVIII, 36. *Ita & Pater meus faciet vobis, nisi remiseritis quisque fratri ex cordibus vestris lapsus eorum*; Nec enim unquam reviviscunt apud Deum peccata semel absolutè remissa; sed remissio hæc nec proponitur nec promittitur in Euangelio, nisi sub conditione officii præstandi, adeo ut illius nequeat esse aut statui unquam particeps, qui hoc neglexerit. Idem statuendum de illativa γὰρ Matth. XXV, 35. *Esurivi enim & dedistis mihi quo vescerer*; Hanc enim particulam *rationalem* esse, non propriè *causalem*, sive causam consequentiæ denotare, non consequentis, ut cùm dico Sol ortus est, lucet enim, ostendunt omnes circumstantiæ textus, ex quibus patet hæreditatem cœlestem dari ex æterna Dei Electione & gratuita Adoptione in Christo; & bona opera ibi commemorantur, non ut causæ propter quas cœlum piis conferatur, sed ut effecta fidei & signa sensibilia eorum qui jus habent ad illud.

LII. (*a*) Nec tamen ideò quod in Christi satisfactione, justitia & merito reponimus nostram apud Deum justitiam, cujus respectu justi pronunciamur ab ipso, desinit esse nostra Justificatio merè gratuita, ut Sociniani cavillantur; nam S. gratuium est planè quod sponsor hic vel expromissor in locum nostrum est suffectus, quodque illius obedientia & justitia, quam ipsi ex Legis rigore præstare debuissemus, nostra apud Deum censetur ac nobis imputatur, sicque *jus Legis in nobis impletur* Rom. VIII, 4. Atque ita Justificatio desinit esse ex operibus Legis à nobis præstitis, ut fiat tamen non contra Legem sed juxta illam, & *Lex* non modò *inutilis non reddatur*, sed potiùs *stabiliatur* Rom. III, 31. Cùm enim *exsecrabilis* pronuncietur *quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea*, Christus *nos redemit ab exsecratione Legis*, *dum pro nobis factus est exsecratio*, idque juxta *Legem in qua scriptum est*, *Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno* Gal. III, 10. 13. Factus est enim *Legi subjectus*, *ut eos qui Legi erant subjecti redimeret* Gal. IV, 4. 5.

LIII. (*b*) Hinc ergò liquet Justificationis formam, non in justitia vel gratia habituali & inhærente esse constituendam, ut fit à Pontificiis; P. non etiam in ulla acceptilatione fidei vel novæ obedientiæ, loco justitiæ perfectioris, ut Novatores & Sociniani fingunt; (*c*) sed in Christi me- S.R. riti & justitiæ imputatione, sive quod idem est, in solemni remissione omnium peccatorum (quæ ita omnis culpæ condonationem importat, ut eo ipso omnis pœnæ & reatus ablationem significet, nec ampliùs supersit ulla *condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu* Rom. VIII, 1.) & gratuita nostri acceptione apud Deum, quæ illam absolutionem necessariò consequitur; ut quemadmodum nostra peccata fuerunt Christo imputata ad pœnam, ita ejus obedientia, satisfactio & meri-

a Sic tamen ut sit justificatio nostra gratuita. *b* 4. Forma, *Negativè*. *c Positivè*. Imputatio *justitiæ Christi* & Remissio *peccatorum*.

meritum, nobis imputetur ad justitiam & coronam: *Ei* enim *qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam; sicut etiam David declarat beatum eum hominem cui imputat justitiam absque operibus dicens, Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum obtecta sunt peccata, Beatus vir cui non imputarit Deus peccatum* Rom. IV, 5. 6. 7. Nec aliter Christus *nobis justitia* factus est 1 Cor. 1, 30. & *factus peccatum pro nobis, ut efficeremur justitia Dei in ipso* 2 Cor. V, 20. 21. unde *per unius obedientiam justi constituuntur multi* Rom. V, 19. Cùm itaque Paulo justificatio fidei, & justitiæ imputatio, ac remissio peccatorum, & eorum non imputatio, idem sint, prout nullum esse discrimen reale inter Satisfactionem Christi & illius Meritum, suo loco ostensum, non est necesse subtiliùs inter hæc duo distinguere, eò quod remissio illa sit peccatorum tum commissionis tum omissionis, & per eam jus plenum ad vitam æternam habeamus. Equidem imputatio Justitiæ & Satisfactionis Christi, ceu loco nostro præstitæ, ut sit ex parte Dei, potest distingui à nostri plena absolutione & restitutione in integrum, quæ inde enascitur, ceu causa ab effectu; sed actus quo immunes pronunciamur à reatu per remissionem peccatorum, & is quo justi reputamur per imputationem justitiæ Christi, non aliter possunt distingui quam in hominis sanatione, depulsio morbi & sanitatis pristinæ inductio. Quod si aliquis non reputaretur justus per plenissimam Christi obedientiam quâ in nobis impletur δικαίωμα omne *Legis* Rom. VIII, 4. eo ipso quod illi per & propter eandem obedientiam ac satisfactionem omnia sua peccata remittuntur, ac vice versâ, posset dari status medius inter non peccatorem & justum, & propugnari status *puræ*
P. *naturæ* Jesuitarum, quem omnis sana Theologia respuit.

LIV. Imputationem igitur Justitiæ Christi
P S. dum rejiciunt protervè Pontificii, Sociniani,
R. A Arminiani, Anabaptistæ, eorumque asseclæ,
A. & ipsius satisfactionem pro nobis, quam suo loco adstruximus, evertunt, & remissionem peccatorum per illius sanguinem & meritum abnegant, & contradicunt universæ Scripturæ statuenti *fidem imputari ad justitiam*, & Deum *imputare* suis *justitiam absque operibus* (illis nempe sua peccata remittendo) Rom. IV, 3. 5. 6. Gal. III, 6. idque per & propter illam *unius* Christi *obedientiam* quâ *justi constituuntur multi* Rom. V, 19. Et quamvis nemo possit fieri aut dici justus *inhæsivè* alterius justitiâ, potest tamen *imputativè*; cùm inter homines id frequenter obtineat, ut expromissoris & vadis persolutio primario debitori imputetur & pro sua veniat apud creditorem.

LV. (*a*) Jam autem illud beneficium in Dei quidem Verbo offertur, prout Euangelium dicitur *potentia Dei ad salutem cuivis credenti* Rom. I, 16. (*b*) & per Sacramenta obsignatur, cùm eorum cuilibet competat, ut Circumcisioni, esse *signum & sigillum justitiæ fidei* Rom. IV, 11. Unde jus peccata remittendi, annunciativè nempe & ministerialiter, (ne quid hîc Pastores sibi tribuant cum Pontificiis de supercilio Pharisæorum, ut P.
vel damnare se pro tribunali innocentes, vel solvere noxios arbitrentur,) ex potestate clavium competit legitimis Ecclesiæ ministris; *Si quorum remiseritis peccata remittuntur eis, si quorum retinueritis retenta sunt* Joh. XX, 23. Quibus verbis id confertur omnibus Apostolis, quod ipsis in Petro promissum erat Matth. XVI, 19. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cælis, & quicquid solveris in terra erit solutum in cælis*; quod repetitur in communi omnibus Apostolis Matth. XVIII, 18. Sunt enim Ecclesiæ Pastores *Ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei* 1 Cor. IV, 1. qui dedit illis *ministerium reconciliationis* ejusque *sermonem posuit* in ipsis 2 Cor. V, 18. 20. Et inde dicuntur *justificantes* alios Dan XII, 3. (*c*) Sed tamen illud ipsum beneficium per solam fidem apprehendere, & nobis applicare possumus; Hinc *fide*, *ex fide*, & *per fidem*, nunquam tamen propter fidem, tam sæpè dicimur justificari, ut nominatim Rom. III, 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem, absque operibus Legis* & Gal. II, 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi, etiam nos in Iesum Christum credidimus ut justificaremur ex fide Christi & non ex operibus Legis.*

LVI. (*d*) Fide ergò justificamur, eaque nobis ad justitiam imputatur; non *dispositivè* aut *meritoriè*, ut volunt Pontificii, sed *instrumentali-* P.
ter, relativè, objectivè & *apprehensivè*; túm quod speciale fidei objectum, nempè Christus, sit vera nostra coram Deo justitia; túm quod obedientiæ Christi in justitiam acceptandæ, ut pote nobis per

a 5. Instrumentum, *quo* 1. *Offertur.* b 2. *Obsignatur.* c 3. *Apprehenditur*, Fides. d *Unde constat nos* fide justificari.

Euangelii gratuitas promissiones oblatæ, fides unicum esse possit ex parte nostri internum instrumentum, illi apprehensioni conveniens & proportionatum: Ideo volebat Apostolus comperiri in Christo, *non habens suam justitiam quæ est ex Lege, sed eam quæ est per fidem Christi, id est justitiam quæ est ex Deo per fidem* Phil. III, 9. Sic namque habet promissio Euangelica, *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam* Joh. III, 16. (*a*) Quinimò *solâ* fide justificari hominem asserimus, (etsi hanc P. exclusivam nolint admittere Pontificii, quæ tamen non uno modo colligitur ex Scripturis, prout dicebatur præfecto Synagogæ, *Ne metue, solummodo crede* Marc. v, 36. & Paulus asserit non justificari hominem, *ἐὰν μὴ διὰ πίστεως nisi per fidem* Gal. II, 16.) tùm quod obedientia Christi in quam fides respicit, omnia excludat opera, tùm quod eam sola fides apprehendat & nobis applicet: Licet enim fides justificans nunquam sit sola & absque operibus, cùm ea quæ *opera non habet, mortua* sit Jac. II, 17. viva autem & vera *per charitatem agat* Gal. v, 6. sola tamen justificat; ut solius oculi est videre, licet solus, sive à capite revulsus, non videat.

LVII. (*b*) Triplex verò fidei actus venit in Justificatione considerandus & distinguendus: Unus *Dispositivus*, quo credo Christum suis meritum esse remissionem peccatorum juxta doctrinam Euangelii, adeoque & mihi remissum iri mea peccata si resipuero & verâ fiduciâ acquievero in merito Christi: Et cùm hunc fidei actum comitentur miseriæ nostræ ex Dei Lege agnitio, & illa *fames* & *sitis justitiæ* de qua Matth. v, 6. his simul reus ponitur *in statu*, ut loquuntur Pragmatici, sententiæ suæ absolutoriæ consequendæ & audiendæ: Quare ut fides, quoad hunc actum, præcedit actualem remissionem peccatorum in foro poli & conscientiæ, ita etiam præexigitur in Verbo ad illam obtinendam. 2. *Iustificatorius* formaliter, quo ubi per Spiritum adoptionis ipsa justificatoria & absolutoria sententia mihi pronunciatur & intimatur, credo in præsens mihi de peccatis dolenti & serium emendationis studium deinceps pollicenti Deo, per Christum esse remissa omnia mea peccata, tum ea quæ hactenus commisi, tum ea in quæ possum labi deinceps per infirmitatem; & Deum nunquam illa mihi imputaturum ad condemnationem, sed ex imputata Servatoris mei justitia, me pro innocente habiturum & certò donaturum vitâ æternâ. Atque hic actus simul est tempore cum actuali justificatione & remissione peccatorum. 3. *Consolatorius*; quo in præterito credo fuisse jam mihi remissa omnia mea peccata & me *nulli* amplius subesse *condemnationi*, ut loquitur Paulus Rom. VIII, 1. atque confido illam sententiam absolutoriam mihi antea intimatam, extensum & applicatum iri Dei misericordiâ ad peccata quotidianæ incursionis, quorum etiam quotidie eo sensu remissionem peto in Oratione Dominica: Et hic fidei actus Justificationem ac remissionem peccatorum subsequitur. Unde liquet quo sensu & quo usque fides sit conditio ad illam prærequisita: nam priori respectu fides se habet ad Justificationem *antecedenter*; secundo *simultaneè*; tertio *consequenter*.

LVIII. (*c*) Tum etiam Justificatio nostra potest considerari I. *Activè* & à parte Dei, non solum in suo consilio ac ubi actu præstita fuit, admittentis Christi Satisfactionem pro peccatis nostris, & constituentis apud se nobis illa non imputare ad pœnam, sed planè & plenè condonare, verùm etiam in illius propositi executionem actualem illud suum decretum & consilium per Spiritum Sanctum nobis intimantis, ac revera sententiam justificatoriam & absolutoriam, judicialiter ex *throno gratiæ*, uti dicitur Heb. IV, 16. super & ad nos pronunciantis, his ferè verbis, *Confide, fili, remissa sunt tibi peccata tua* Matth. IX, 2. II. *Passivè* & à parte nostri, quatenus hoc Dei decretum & consilium in foro conscientiæ per Spiritum Sanctum intimatum, illamque ex Christi obedientia & satisfactione pro nobis apud Deum admissa absolutoriam sententiam, cum fide, gaudio & gratitudinis protestatione admittimus & suscipimus. Priori sensu Justificatio est quadantenus prior fide, etiam quoad actum suum justificatorium, saltem *naturâ*; cùm objectum sit prius operatione quæ circa illud versatur; *tempore* vix prior est, cùm parum interstitii possit concipi inter sententiæ justificatoriæ pronunciationem ac promulgationem per Spiritum adoptionis, & ejus cum firma fiducia apprehensionem & admissionem: tantum abest ut activa nostra Justificatio natales nostros præcedat, ut nonnulli somniant, aut vocatione nostrâ prior sit, cui tam expressè succenturiatur Rom.

a *Eâque* solâ. b *Cujus* actus *triplex expenditur.* c *Et quomodo se habeat ad Iustificationem, distinctam in* activam *&* passivam, *explicatur.*

Rom. VIII, 30. *Quos vocavit eos etiam justificavit.* Posteriori, fides videtur posse dici prior *naturâ* Justificatione, prout recipiens est prius receptione, & organum sensatione; atque etiam sic exigitur fides ab homine peccatore ut peccatorum remissionem *passivè* consideratam consequatur: sed revera sunt simul *tempore*, quia illa ipsa actualis promulgatio & intimatio nostræ absolutionis apud Deum & reconciliationis per Christum, est ipsamet illuminatio ad fidem formaliter justificatoriam, à qua nonnisi ratione ac pro nostro concipiendi modo distinguitur, & ad quam quoad primum instans nos habemus merè passivè; sic tamen ut postea ex illo ipso fidei lumine jam affuso mentibus nostris, varios actus fidei eliciamus subinde, ad nostram consolationem & judiciariæ illius absolutionis ac justificationis determinationem, applicationem & extensionem ad quotidiana nostra peccata, reflectendo versus meritum Christi & reconciliationem nobis in eo partam & oblatam.

LIX. (a) Finis nostræ Justificationis ultimus est gloriæ Dei illustratio, quæ in mira conjunctione & κράσει justitiæ simul & gratiæ elucet: Proximus ex ipsius effectis intelligitur, cujusmodi sunt,
1. I. Adoptio in filios Dei; nam ut *nulla nunc est condemnatio iis qui sunt in Iesu Christo qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant*, ita *quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, adeoque etiam *hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* Rom. VIII, 1. 14. 17. quem *quotquot exceperunt dedit eis hoc jus ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus*
2. Joh. I, 12. II. Libertas Christiana; nam liberandis dicitur, *Si vos Filius in libertatem vindicarit, verè liberi eritis* Joh. VIII, 36. liberatis verò, *In libertate quâ Christus nos liberavit perstate, & ne regredientes implicamini servitutis jugo*
3. Gal. V, 1. III. Pax conscientiæ; nam *justificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam per quam stamus* Rom.
4. V, 1, 2. IV. Aditus liber ad Deum, juxta illud Paulinum Heb. IV, 16. *Accedamus cum loquendi libertate ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad opportunum*
5. *auxilium.* V. Tolerantia crucis; unde per Christum *etiam gloriamur de afflictionibus, scientes quod afflictio tolerantiam efficit, tolerantia verò experientiam, experientia autem spem, porrò spes non pudefacit* Rom. V, 3. VI. Sanctificatio & 6.
studium bonorum operum; *Illuxit enim gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus, erudiens nos ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & piè & justè vivamus in præsenti sæculo* Tit. II, 11. 12. tantum abest ut doctrina gratuitæ justificationis sit pulvinar carnis & esca vitiorum. VII. Glorificatio & salus 7.
æterna; *Nunc* enim *liberati à peccato servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam* Rom. VI, 22.

LX. (b) Ut fides salvifica est tantum Electorum, ita soli Electi, sed omnes & toti, prout toti erant naturâ filii iræ, apud Deum justificantur, juxta Paulum Rom. VIII, 30. (c) Ejus verò Justificationis variæ sunt proprietates observandæ. I. Est *unica*, quæ fit ex parte Dei unico actu & semel, mox à vocatione salutari, eo ordine quem suprà proposuimus: Quare respuimus duplicem justificationem Pontificiorum, primam & secundam, cui statuminandæ nunquam subserviet locus Ap. XXII, 11. *Qui est justus justificetur adhuc*, cùm ibi Justificatio expressè à Sanctificatione distinguatur, quas Adversarii confundunt, & illud debeat intelligi vel de Iustificationis nostræ semel partæ manifestatione & declaratione per bona opera, vel potiùs de abjicienda justitiæ legalis & innocentiæ propriæ fiducia, ut per Christum insuper justificari quæramus, prout supra §. 45. explicavimus. Distinctio justificationis *activæ* & *passivæ*, terminos illius spectat à quo & ad quem, non gradus aut species. Multiplices & subsequentes fidei actus non multiplicem arguunt Justificationem activam; sed circa illius determinationem, applicationem, extensionem ad peccata quotidiana, ejusque sensum & πληροφορίαν, atque consolationem fidelis ex ea, occupantur.

LXI. (d) II. Est *perfecta*, expers quoad se incrementi & decrementi, licet quoad ejus apprehensionem & certitudinem ita gradatim provehatur fides nostra, ut etiam suos labores, instar lunæ, interdum patiatur: Nec tamen ideò admittimus Pontificiorum perfectionem habitualem, de qua subinde contra Scripturam & conscientiæ suæ testimonium, si illud audiatur, Pharisaicè gloriantur. (e) III. Est *æqualis* omnium Electorum, tam V. quam N. T. ut malè Sociniani

a 6. Finis & Effecta. b 7. Objectum, *soli electi.* c 8. Proprietates *juxta quas est*, 1. *Unica.* d 2. *Perfecta.* e 3. *Æqualis.*

S. ciniani cùm Pelagianis illos ex Lege, hos ex fide justificatos asserant. (*a*) IV. Est planè *immutabilis*, juxta naturam ipsius Dei, cui repugnat peccata semel remissa iterum punire: Ideo Paulo *persuasum* erat *neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam, posse nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro* Rom. VIII, 37. 38. Et sicut *apud eum non est transmutatio aut conversionis obumbratio* Iac. I, 17. ita etiam *solidum stat ejus fundamentum* 2 Tim. II, 19. & *sunt dona & vocatio ipsius* eousque ἀμεταμέλητα Rom. XI, 29. ut *electos* suos *seduci possibile* non sit Matth. XXIV, 24. Hinc dicitur *subigere iniquitates nostras, imò projicere in profundissimum maris omnia peccata nostra* Mich. VII, 19. & *virtutis Dei præsidio custodimur per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore* 1 Pet. I, 5. Quare quæ de revivifcentia peccatorum semel remissorum fabu-
P. lantur Pontificii, ut meritorum quoque suorum revivifcentiam adstruant, meritò respuimus: Nec eò trahi potest parabola Matth. XVIII, 23. & seqq. in qua magis promissa & proposita sub conditione remissio debiti servo nequam intelligitur, quam absolutè concessa.

LXII. (*b*) Tandem ut absoluta est remissiò peccatorum in semel justificatis, ita ipsa Justificatio *absoluta*, nec ex incerta ac potestativa conditione (licet fidem & resipiscentiam exigat Euangelium, sed quas Deus in suis certò operatur,) suspensa est; & malè ad justitiam verè Euangelicam & fidei, quæ est inamissibilis, traducuntur quæ de justitia legali, qualis fuit Adami, vel externa & putativa, aliquando dicuntur; ut Ezech. XVIII, 24. *Quùm avertens se justus à justitia sua facit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas fecerit improbus facit, hiccine viveret? Omnia justè facta ejus quæ fecerit, non commemorabuntur; propter prævaricationem ipsius quâ prævaricatur, & propter peccatum ipsius quo peccat, propter hæc morietur*: Item Heb. VI, 4. 5. *Fieri non potest ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum illud cæleste, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, gustaverintque bonum Dei verbum ac virtutes futuri sæculi, si prolabantur denuo renoventur ad resipiscentiam: Melius enim eis fuisset*, inquit Petrus, *non cognovisse viam justitiæ, quam cognitâ illâ regredi à sancto præcepto sibi tradito; sed accidit eis quod vero proverbio dici solet, Canis reversus est ad suum ipsius vomitum & sus lota ad volutabrum cœni* 2 Petr. II, 21. 22. (*c*) Atque hinc colligitur Justificationis adeòque Electionis & salutis certitudo in credentibus; quam ut agnoscimus ultrò, variis impeti tentationibus, sic eas negamus humilitatis prætextu esse fovendas, cùm potiùs ex obsignatione interna Spiritus adoptionis, fidei actu, tranquillitate conscientiæ, renovationis studio, verbi Dei firmitate, imò *fame* & *siti justitiæ*, quâ qui laborant *beati* pronunciantur Matth. V, 6. per *scutum* illud *fidei quo extingui* debent *omnia jacula ignita mali illius* Eph. VI, 16. & Dei invocationem, jugiter ei dicendo cum Apostolis, *Adauge nobis fidem* Luc. XVII, 5. sint expugnandæ.

a 4. *Immutabilis.* b 5. *Absoluta, adeòque* c 6. *Certissima.*

LOCUS

LOCUS DUODECIMUS;

De

SANCTIFICATIONE

& Bonis Operibus.



Nter(*a*)Juſtificationem & Sanctificationem neceſſatió eſt diſtinguendum; cúm Chriſtus non ſolum *iuſtitia*, ſed etiam *ſanctificatio nobis* ſit *factus* á Patre 1 Cor. I, 30. & eam diſtinctionem expreſſé retineat Apoſtolus 1 Cor. VI, 11. *Et hæc eratis quidam; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*; nam ablutione baptiſmali utrumque beneficium confirmatur & obſignatur: Huc ſpectat & illud Apoc. XXII, 11. *Qui juſtus eſt juſtificetur udhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc*. Conveniunt quidem authore Deo per meritum Chriſti, & ſcopo generali, & quod fidei utraque tribuatur, illa per acceptionem, hæc per productionem. Sed tamen differunt in mul-
1. tis: Nam Juſtificatio ſpectat reatum peccati;
2. Sanctificatio illius maculam. In illa homo ſe ha-
bet ex parte Dei abſolventis, objectivè; ad hanc
ex parte Dei renovantis, ſubjectivè. Illâ Deus
3. nobis imputat juſtitiam Chriſti; hac operatur in
nobis Spiritus Sanctus juſtitiam inhærentem.
4. II. Juſtificatio quoque fit ſimul & ſemel;
Sanctificatio non niſi gradatim & ſucceſſivè peragitur. Tum illius eſt & nos juſtos ſiſtere coram
5. Deo & tranquillare conſcientias; quod Sanctifi-
catio per ſe nec poteſt nec præſtat. Ordine quoque & naturæ & quadantenus temporis Juſtifica-
6. tio prior eſt Sanctificatione & Regeneratione; ut
P. perperam Pontificii in hujus operibus illam con-
S. ſtituant, ac ſtatuant vitioſè Sociniani, neminem
juſtificari priuſquam ſe præceptis Chriſti obſequentem præbuerit & virtutibus ornatiſſimus fuerit; nam juſtificatur impius & peccator; *Ei enim qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam* Rom. IV, 5. Renovatur verò ſivè paulatim ſanctificatur fidelis & pius; fidelibus namque & piis dicitur, *Manete in me & ego in vobis; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, ideſt niſi manſerit in vite, ita nec vos niſi in me manſeritis; Ego ſum vitis, vos palmites; is qui manet in me & in quo ego maneo, hic feret fructum multum; nam ſeorſum à me nihil poteſtis facere* Iohan. XV, 4. 5.

III. (*b*) Sanctificatio itaque eſt *gratuita Dei actio, quâ fideles per fidem Chriſto inſitos ac juſtificatos, efficaciâ Spiritus Sancti eorum corda inhabitantis & Verbi ſui miniſterio, magis magiſque à nativa vitioſitate liberat & ad ſuam imaginem reformat, ut ad eum glorificandum bonis & ſanctis operibus idonei reddantur*. Sanctificare igitur hoc loco, non eſt ſimpliciter ab uſu civili & profano ſegregare, ac ſanctis uſibus conſecrare & deſtinare; quo potiſſimum ſenſu *ſancti* ſunt fœderatorum *liberi* 1 Cor. VII, 14. *Iſraël* quoque *eſt ſanctitas Iehovæ* Ier. II, 3. & Deus *ſanctificat Sabbathum* Exod. XX, 8. imò quilibet cibi *per verbum Dei & preces ſanctificantur* 1 Tim. IV, 5. conſecrantur denique & ſanctificantur elementa ad uſum Sacramentalem; prout poculum Euchariſticum dicitur *poculum benedictionis cui benedicimus* 1 Cor. X, 16. Sed novis inditis qualitatibus habitualiter & inhæſivè ſanctum facere.

IV. (*c*) Varia in Scripturis ſortitur nomina. Aliquando dicitur *Converſio*; quatenus nempe notat, non ipſam Dei vocationem efficacem, quâ ex poteſtate tenebrarum ad lucis regnum traducimur, quæ præcedit omninò & ordine naturæ ipſam Juſtificationem; *quos* enim *vocavit eos & juſtificavit* Rom. VIII, 30. Sed averſionem & fugam mali ac ſtudium & proſequutionem boni, per eam *ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum* Heb. XII, 14. (*d*) Quandoque *Regeneratio* appellatur, quatenus id nominis non ſumitur præciſè pro illo inſtanti quo per incorruptibile ſemen verbi divini renaſcimur ex Dei Spiritu & ſimus filii Dei, cohæredes Chriſti; quo ſenſu dictum à Chriſto, *Niſi quis genitus ſit iterum, non poteſt videre regnum Dei* Joh. III, 3. & à Iacobo, *Is quia voluit progenuit nos ſermone veritatis, ut*

eſſe-

a SANCTIFICATIO; *diſtinguenda* à Juſtificatione. b *Ejus* 1. Definitio. c 2. Nomina. *Converſio*. d *Regeneratio*.

essemus primitiæ quædam eorum quæ creavit Iac. I, 18. & à Petro, *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam*, idque *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, quod est sermo Dei vivus & manens in æternum* 1 Pet. I, 3. 23. Sic enim regeneratio coincidit cum fidei donatione, & nostram quoque ex illa Justificationem complecti videtur; Sed prout per Spiritum adoptionis quicquid est carnis in nobis paulatim atteritur, ut *deposito quod ad pristinam conversationem attinet veteri illo homine qui de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit, renovemur spiritu mentis nostræ, & induamus novum illum hominem qui secundum Deum, conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram* Ephes. IV, 22. 23.

V. (*a*) Nonnunquam *Renovatio* vocatur; *Ne vos configurate seculo isti, sed transformamini per renovationem mentis vestræ* Rom. XII, 2. & quod *est lavacrum regenerationis* etiam *lavacrum renovationis Spiritus Sancti* dicitur Tit. III, 5. monetque Apostolus ut *exuto illo vetere homine cum factis ipsius, simus induti novo illo qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit* Col. III, 9. 10. Per illam enim exuitur paulatim nativa illa corruptio quæ à primo homine in nos derivatur; indeque *vetus* homo appellatur: & *novus*, quem Christus Spiritu suo in nobis effingit, induitur, & ita *expurgando vetus fermentum*, simus Domino *nova massa* I Cor. V, 7. eo quod *si quis est in Christo* debeat esse *nova creatura*; *vetera* enim *præterierunt* & *ecce nova facta sunt omnia* 2 Cor. V, 17. Quò etiam spectat *novum* illud *nomen calculo albo* inscriptum Apoc. II, 17. & promissum *vincenti* Apoc. III, 12. Et sane sic decebat sub novo Fœdere omnia nova fieri, nobis insuper *exspectantibus novos cœlos & novam terram in quibus justitia habitet* Esa. LXVI, 22. 2 Pet. III, 13.

VI. (*b*) Renovationis sive Sanctificationis istius author est Spiritus Sanctus: *Nisi enim quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei; quod genitum est ex carne caro est, & quod genitum est ex Spiritu Spiritus est* Joh. III, 5. 6. Ideo Regeneratio nostra statuitur *Renovatio Spiritus Sancti*, quam ille in nobis operatur Tit. III, 5. Quin ab hoc potissimum effectu Spiritus Dei, *Sanctus* & *Sanctificationis* sæpè dicitur, & illius fiunt participes omnes justificati, Christi beneficio & juxta illius promissionem, *Nisi abiero, Paracletus ille non veniet; sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos* Joh. XVI, 6. *Nam lex Spiritus vitæ qui est in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis*, inquit Apostolus, & *si quis Christi Spiritum non habet is non est ejus* Rom. VIII, 2. 9. *Nos verò non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus* I Cor. II, 12. & quo qui carent filii Dei non sunt: nam ut *quotquot Spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei* Rom. VIII, 14. ita eo agi convenit quotquot filii Dei revera sunt. Qui ergo ex Pontificiis nos judicant superbos, P. vel melancholicos, quod de præsentia & efficacia Spiritus Sancti in cordibus nostris gloriemur, illi nesciunt quid sit esse Dei filium & Christianum. Nam ut Patris amorem non nisi per Filium consequimur, ita Filii beneficiorum per solum Spiritum Sanctificationis simus participes; imò *per hoc cognoscimus nos in eo habitare & ipsum in nobis quod de Spiritu suo dedit nobis* I Joh. IV, 13. Nec dubium quin per certa τεκμήρια ex Dei verbo desumpta, cùm hæc duo Spiritus & Verbum divelli non debeant Anabaptistico more, possit A. quisque fidelis illius præsentiam & operationem in se ipso sentire; prout vult Apostolus *ne cuivis Spiritui credamus, sed probemus Spiritus an ex Deo sint* I Iohan. IV, I. Quod verò nugantur Sociniani, S. Spiritum Sanctum non nisi regenitis & jam sanctificatis dari, ne author regenerationis agnoscatur, tam dilutum est ut refutatione non egeat; cùm *nemo possit dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum* I Cor. XII, 3. nec aliàs *victuri* simus quam *si Spiritu actiones corporis mortificemus* Rom. VIII, 13. Jam quidem credentibus & resipiscentibus, charismata extraordinaria Spiritus Sancti collata quandoquè legimus, sed tamen Spiritui adoptionis eorum fides & resipiscentia debebatur.

VII. (*c*) Hic verò Spiritus Sanctificationis ad eam promovendam efficax est ordinariè per Dei Verbum, tum Legis, ut subservit Euangelio, tum ipsius Euangelii; & ei annexa Sacramenta; accedentibus quandoque mediis extraordinariis, quibus Deus aut elata dejicit aut dejecta erigit, cujusmodi sunt tribulationes extraordinariæ, terrores, &c. Nam *omnia cooperantur simul ad bonum iis qui diligunt Deum* Rom. VIII, 27. (*d*) Ejus verò

a Renovatio b 3. Author *Spiritus Sanctus*. c 4. Media, *ordinaria & extraordinaria*. d 5. Causa exemplaris.

verò idea & exemplar perfectissimum est Deus; *Estote Sancti quia Sanctus sum, ego Iehova Deus vester* Lev. XIX, 2. *Estote perfecti ut Pater vester qui est in cœlis perfectus est* Matth. V, 48. *Estote imitatores Dei ut filii dilecti* Ephes. V, 1. Christus item crucifixus, cum quo nos unà crucifigi & resurgere decet; *Discite à me quod mitis sum & humilis corde & invenietis requiem animabus vestris* Matth. XI, 29. *Consepulti* etenim *sumus ei per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita nos in nova vita ambulemus; nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus; illud scientes veterem nostrum illum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato* Rom. VI, 4. 5. 6. Hinc illud Paulinum Gal. II, 20. *Unà cum Christo crucifixus sum; vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus, cum* quo nempe Deus *nos unà vivificavit* & *suscitavit* Eph. II, 5. 6. ipsius scilicet tum efficaciâ tum exemplo, quatenus *pro nobis passus reliquit nobis exemplar ut subsequeremur vestigia ejus* 1 Pet. II, 21. Sed & multum confert ad Sanctorum exempla crebriùs respicere, cùm sint honorandi propter imitationem, licet non adorandi propter religionem: Ideo Paulus dicebat, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi* 1 Cor. XI, 1. ac nos hortatur, ut *quùm tanta nos circumstet testium nubes*, alacriter *propositum nobis stadium decurramus* Heb. XII, 1.

VIII. (*a*) Illius forma consistit in errorum mentis depulsione, voluntatis, affectuum & actuum emendatione, ac membrorum omnium ad justitiam usurpatione; Ideo Paulus non solum ait Thessalonicensibus, *hanc esse voluntatem Dei, nempe sanctificationem* eorum, *ut abstinerent à scortatione* & *sciret* ipsorum *unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum*, sed insuper optat ut *Deus pacis sanctificet* eos *totos, & integer eorum spiritus & anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Iesu Christi conserventur* 1 Thess. IV, 3. 4. 5. V, 23. Huc faciunt quoque illæ exhortationes; *Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis, neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra arma justitiæ Deo* Rom. VI, 12. 13. Item, *Ne vos configurate sæculo isti, sed transformate vos per renovationem mentis vestræ* Rom. XII, 2. quâ etiam *renovari* decet Eph. IV, 23. *mortificatis membris nostris terrestribus* & *induto novo* homine Col. III, 10. (*b*) Quin revera incipit à corde & facultatum animæ per peccatum corruptarum restitutione, etsi id negent Sociniani, eam solâ actuum emendatione, quia naturæ corruptionem non agnoscunt, vitiosè definientes; undè sequeretur nec infantes, nec adultos in extremo vitæ curriculo ad Deum conversos, verè renasci. (*c*) Totus ergo homo quantus est debet renovari, I. ad Dei gloriam; Nam *empti estis pretio, glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ sunt Dei* 1 Cor. VI, 20. II. ad ædificationem Ecclesiæ ac proximi, cui *unusquisque nostrûm debet placere in bonum ad ejus ædificationem* Rom. XV, 3. III. ad Salutis denique suæ aditionem & confirmationem; cùm nullum certius sit electionis divinæ & fidei nostræ ex illa à posteriori signum ac τεκμήριον, quam studium, sensus & progressus Sanctificationis; *Solidum* enim *Dei fundamentum* habet *sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui; & Abscedat ab injustitia, quisquis nominat nomen Christi: Si quis ergo sese ab his expurgarit, erit vas ad decus sanctificatum & accommodum usibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum* 2 Tim. II, 19. 21. *Et quisquis habet hanc spem in eo sitam, purum se conservat sicut & ille purus est* 1 Joh. III, 3. Nec magis efficaciter possemus quoad nos *vocationem & electionem nostram firmare* 2 Pet. I, 10.

I(*d*)X. Ad Sanctificationem itaque pertinet studium & exercitium Bonorum Operum, quæ Spiritus Sancti gratiâ ex vera fide & ad Legis præscriptum præstantur. Quamvis *Virtutes* dici possent, tamen eo nomine ceu magis Philosophico & superbo, datâ operâ ferè semper abstinet Dei Verbum: Extat tamen Phil. III, 8. *Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si quæ virtus & si quæ laus est, hæc reputate*; & 2 Pet. I, 5. 6. *Omni collecto studio adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti scientiam, scientiæ continentiam.* Sæpissimè verò dicuntur *Bona opera*; *Splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera glorificentque Patrem vestrum qui est in cœlis* Matth. V, 16. *Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona quæ præ-*

a 6. Forma. *b Incipità corde.* *c* 7. Finis. *d Ad quam pertinet exercitium in genere* BONORUM OPERUM, *quorum expenduntur* 1. Nomina.

paravit Deus ut in eis ambulemus Eph. II, 10. Item
Fructus Spiritus; *Fructus Spiritus est charitas*,
gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas,
fides, lenitas, continentia Gal. v, 22. Item *Opera*
fidei; *Vides fidem administram fuisse operum ipsius*
& ex operibus fidem ad finem perductam fuisse Jac.
II, 22. Item *Dei cultus*; *Adhortor vos, fratres*,
per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra ho-
stiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationa-
lem illum cultum vestrum Rom. XII, 1. Non-
nunquam per synedochen *Charitatis* nomine ex-
primuntur; *Porrò finis mandati est charitas ex*
mundo corde & conscientia bona & fide non ficta
1 Tim. 1, 5. (*a*) Eorum norma non sunt, ut fingunt
P. Pontificii, Vel Consilia Euangelica ex quibus
præstentur *opera supererogationis* & majoris per-
fectionis quam teneamur; cùm id ipsum ad quod
tenemur nemo sit qui perfectè præstet, *diligendo*
Dominum Deum ex toto corde suo & ex tota anima
sua & ex tota cogitatione sua Matth. XXII, 37.
& nemo verè possit dicere *se peccatum non habere*
1 Joh. 1, 8. Vel Ecclesiæ Traditiones & hominum
mandata, de quibus est constans regula, *Frustra*
me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata ho-
minum Esa. XXIX, 13. Matth. XV, 9. Sed Dei
Lex: quandoquidem id demum è contrario per
se, directè & ex natura rei, peccatum est, quod
in illam committitur; *Nam peccatum est, quod*
est contra legem, sive *legis transgressio* 1 Joh.
III, 4.

X. (*b*) Bonorum operum principium *quo* est
Spiritus Sanctus *per fidem* efficax ad illa producen-
da: nam *qui incœpit in nobis bonum opus, illud perficiet*
usque ad diem Christi, efficiendo scilicet *& ipsum velle*
& ipsum agere pro gratuita sua benevolentia Phil. 1,
6. II, 13. (*c*) Sed principium *quod* est homo fidelis
& regenitus; cùm *omnis arbor bona ferat fructus*
bonos, putris autem arbor fructus putres, nec possit
arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala
fructus bonos Matth. VII, 17. 18. & irregeni-
torum virtutes splendidiora tantum sint vitia;
An mutare potest Æthiops cutem suam; aut pardus
liventes maculas suas? Etiam vos possetis benè
facere, edocti malè facere Jer. XIII, 23. Quare
P. ut Pontificiorum opera & merita *de congruo*, tan-
quam incongrua detestamur, ita errori non sub-
S. scribimus eorum ac Socinianorum docentium &
homines non renatos posse bona opera edere,
quæ tamen Jesuitis *infructuosa* sunt; quo elogio
insigniuntur opera tenebrarum Eph. V, 11. &
bonorum operum rectitudinem & bonitatem ex
fide in Jesum non pendere; contrarium statuente
Scripturâ, quæ docet quod *seorsum à Christo*, ut
palmites extra *vitem*, *nihil possimus facere* Joh. XV,
4. 5. sitque *peccatum quicquid ex fide non est*
Rom. XIV, 23. absque qua *impossibile est placere*
Deo Heb. XI, 6.

XI. (*d*) Bona opera sunt necessaria, necessitate
præcepti ex quo & *medii* per quod adeunda est
hæreditas cœlestis: Nec enim arbitramur cum L.
quibusdam rigidioribus Lutheranis, hanc pro-
positionem, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*,
esse rejiciendam; ut nec Antinomorum blasphe- F.
miæ, quicquid Pontificii calumnientur, vel- P.
lemus acquiescere, opera bona ad salutem esse
perniciosa. His enim debemus I. Veram fidem 1.
ostendere, quæ absque illis nec vera nec viva erit;
Si enim *opera non habeat, mortua est per se* Iac. 2.
II, 17. II. Obsequium ac gratitudinem nostram
erga Deum approbare, cùm dicat *Lavate vos*,
purificate vos, amovete malignitatem actionum
vestrarum è conspectu oculorum meorum; Desinite
malè facere, discite benè facere Es. I, 16. 17. Sa-
lutis enim beneficium promisit *se nobis daturum*,
ut sine metu è manu inimicorum liberati, serviamus
ipsi Luc. 1, 73. 74. *Empti* etiam *pretio*, debemus
ipsum *glorificare in corpore nostro & in spiritu no-*
stro, quæ sunt Dei 1 Cor. VI. 20. Ita matronæ
Christianæ debent esse *temperantes, castæ, domi*
manentes, bonæ, quæ sese subjiciant suis viris, ne
sermo Dei blasphemetur Tit. II, 3. III. Proxi- 3.
morum saluti atque ædificationi consulere; *Splen-*
deat lux vestra coram hominibus, ut videant ve-
stra bona opera, glorificentque Patrem vestrum qui
est in cœlis Matth. V, 16. *ut si qui nondum assenti-*
antur sermoni, per honestam piorum *conversa-*
tionem, absque sermone lucrifiant 1 Pet. III, 1.
IV. Nos Dei filios atque immortalitatis candi- 4.
datos exhibere; *Filius* enim *honorat patrem &*
servus dominum suum Mal. I, 6. V. Pœnas pec- 5.
catoribus & impœnitentibus debitas vitare; *Omnis*
enim *arbor non ferens fructum bonum exciditur &*
in ignem abjicitur; *& jam securis* eum in finem
ad radicem arborum posita est Matth. III, 9. 10.
VI. Ad cœleste brabeum anhelare, *propositum* 6.
nobis stadium decurrendo Heb. XII, 1. VII. *Vo-* 7.
cationem ac electionem nostram subjectivè *firmare*
2 Pet. 1, 10. certitudinem illius consequendo
per bona opera, ut addit V. V.

XII. (*e*) Hæc verò necessitas restringenda est ad
defi-

a 2. Norma. *b* 3. Principium, *Quo*: *c Quod*. d 4. Necessitas, & usus *multiplex*, *e In adultis solis*.

fideles adultos, qui bona opera externa præſtare poſſunt; Infantes enim fidelium abſque illis ſervantur, (ut ſine ſuo ullo actu propriè perſonali erant peccatores,) & ſi non abſque inclinatione ad illa per gratiam ac Spiritum regenerationis. (*a*) Et cùm multiplicem neceſſitatem in bonis o-
L. peribus agnoſcant omnes Doctores Lutherani, demandati obſequii, tranquillitatis conſcientiæ, charitatis erga proximum, potuiſſent rigidiores quidam ex illis, æquè concedere ea neceſſaria eſſe ad ſalutem, non quidem efficiendam, ſed adeundam; tam expreſſè Paulo dicente quod per illa *ſalutem* noſtram *cum timore ac tremore* conficiamus, ideſt adeamus & conſequamur Phil. II, 12. Nec enim in iis qui vel in extremo agone convertuntur, ſimpliciter deficiunt; nam Latro in cruce, cujus exemplum nequicquam urgent, & ſodalem redarguit, & delicta ſua agnovit, & Chriſtum confeſſus & precatus eſt.

XIII. (*b*) Non ſunt tamen neceſſaria neceſſitate aut meriti, aut cauſæ efficientis, ſive principalis, ſive inſtrumentalis, propriè dictæ, ac in ipſam ſalutem influentis; vel, ut alii loquuntur, habent neceſſitatem *præſentiæ*, non *efficientiæ*; Sunt enim, ut benè Bernardus, *via ad regnum non cauſa regnandi*; media item *tranſitionis*, per quæ eò pervenitur, non verò *effectionis*, ſive quibus obtineatur; Et qui hoc crudum paradoxon tueri vellet, bona opera eſſe cauſam propriè & per ſe dictam & in ipſum effectum influentem ſalutis & vitæ æternæ, is meritorum
P. cauſam cum Pontificiis propugnare teneretur: Sunto ergo neceſſaria ad ſalutem conſequendam, non tamen operativa credantur ad illam efficiendam; & ſe habeat ad illa vita æterna ut merces ad laborem, aut meſſis ad ſementem, conſecutivè, non productivè vel effectivè. Nec enim aliter *præteriens levitas afflictionis noſtræ excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis* 2 Cor. IV, 17. quam quod illa hac terminatur, & prout *oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei* Act. XIV, 22. *ſi modò cum Chriſto patimur ut & cum eo glorificemur* Rom. VIII, 17. Ita de muliere pia dicitur 1 Tim. II, 15. quod *ſervabitur liberos gignendo, ſi manſerit in fide ac charitate & ſanctificatione cum modeſtia.* (*c*) Quare omnes Juſtitiarios hujus ævi ſuis operibus juſtifi-
P.S. cari & ſalvari volentes, ut Pontificios, Socinia-
R.W. nos, Anabaptiſtas, Remonſtrantes, Weigelianos, ſtatuimus expreſſo Dei verbo & gratuitæ per Chriſtum Juſtificationi palam reluctari: *Ubi enim gloriatio? Excluſa eſt; Per quam Legem; Operum? Non, ſed per legem fidei; Colligimus igitur fide juſtificari hominem, abſque operibus Legis* Rom. III, 27. 28. Unde *David declarat beatum eum hominem cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus* Rom. IV, 6. & Eph. II, 9. 10. dicimur *gratiâ ſervari per fidem, non ex operibus, ut nequis glorietur.*

XIV. Nec enim bona opera magis quam fides V.
præcedunt juſtificandum, ut nugabatur Vorſtius; aliàs non foret *juſtificatio impii*; ſed ſequuntur juſtificatum; Opera verò quæ excludit Sacra Scriptura à Juſtificatione, non ſunt tantum P.
opera legis Ceremonialis, ut volunt aliquot Pon- R.S.
tificii & hodierni Remonſtranto-Sociniani; aut opera ex naturæ viribus non ex auxilio gratiæ & P.R.
fide facta, ut alii ex Pontificia communione, ad quos accedunt quandoque Arminiani, cùm illa nequidem bona opera ſint; Sed ea quæ à piis & regenitis juxta Dei mandata præſtantur, qualia fuêre opera Abrahami, ex quibus tamen non fuit juſtificatus. Quamvis ergo non ſint magis ſeparabilia à fide, quam halitus à vivente, aut in igne calor à luce, quicquid contra ogganniant Pontificii, tamen ad Juſtificationem non perti- P.S.
nent antecedenter aut efficienter, ſed tantum conſequenter, declarativè & oſtenſivè; ut conſtitutivè ad Sanctificationem, & antecedenter ad ipſam Glorificationem.

XV. (*d*) Quæ ergò de meritis bonorum operum, etiam *ex condigno*, docet Eccleſia Romana, cujus P.
Doctores in eo quoque capite, ut in aliis, variè diſſentiunt, tanquam Phariſaica & gratiæ Divinæ repugnantia deteſtamur; nec enim hîc *abuſivè* merendi vocabulum uſurpamus, prout, ipſo Caſſandro obſervante, apud Veteres ferè idem valet quod *conſequi, ſeu aptum idoneumque fieri ad conſequendum*; ſed in proprio ſignificatu, quatenus denotat obtinere ſivè lucrari debitam mercedem, ſecundum juſtitiam commutativam, ex legali & intrinſeca operis præſtiti condignitate. Huic meritorum doctrinæ opponimus non ſolum ea quæ de Juſtificatione gratuita ex fide in Chriſtum, remotis operibus noſtris, docet Scriptura, uti ſuo loco viſum, cùm opera à Juſtificatione noſtra excludantur ac fidei & gratiæ opponantur; ſed etiam quod conditiones ad meritum propriè dictum requiſitæ à bonis operibus fidelium exulent.

a *Etiam* ad ſalutem. b *Sed* præſentiæ, *non efficientia aut meriti*. c *Quare non juſtificant*. d *Nec ſunt* meritoria.

XVI. (*a*) Etenim I. Opus propriè meritorium debet esse simpliciter *nostrum*; id verò nostris operibus, quæ Dei gratiæ sunt adscribenda, non convenit; *Ei enim qui operatur merces non imputatur ex gratia, sed* datur ceu rependitur *ex debito* Rom. IV, 4. At Deus nemini debitor est; nam *quis prior dedit illi & reddetur ei?* Rom. XI, 35. Et *quid habes quod non acceperis? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* 1 Cor. IV, 7. Adeo nemo est qui non debeat illud Paulinum usurpare, *Gratiâ Dei sum id quod sum; & gratia ejus quæ in me collata est non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est* 1 Cor. XV, 10. Eò magis quod *non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus id ex Deo est* 2 Cor. III, 5 Nam *etiam*, ô Jehova, *omnes res nostras confecisti nobis* Esa. XXVI, 12. (*b*) II. Debet esse *indebitum*; quod item est alienum à nostris operibus; *Quùm feceritis omnia quæ edicta sunt vobis* (quis tamen id de se jactet vel præsumat?) *dicite, Servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus* Luc. XVII, 10. (*c*) III. Debet esse præmio referendo *proportionatum* & *condignum*: quod etiam de nostris operibus ad vitam æternam dici non potest; Hinc Iacob de seipso, *Impar sum omnibus tuis beneficiis, totique illi fidei quam præstitisti servo tuo* Gen. XXXII, 10. & Daniel, *Penes te Domine est justitia ipsa, & penes nos pudor faciei*; item, *Penes Dominum Deum nostrum sunt miserationes quia rebellavimus contra ipsum* Dan. IX, 7. 9. Hinc *ultimi qui unam horam opus fecerant* in vinea, *æquales* fiunt iis qui videbantur sibi *portasse pondus diei & æstum* Matth. XX, 12. & momentanea nostra afflictio, citò *præteriens*, nullam habet proportionem ad *pondus æternum gloriæ excellentis* quod illam excipiet 2 Cor. IV, 17. nec *sunt paria quæ præsenti tempore perpetimur*, sive ut habet V. V. *non sunt condignæ passiones hujus temporis, gratiæ in nobis retegendæ* Rom. VIII, 18. Unde glorificatio & salus nostra tam sæpè gratiæ & misericordiæ divinæ tribuitur; nam Deus est *qui vindicat à fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate & miserationibus* Psal. CIII, 4. & *Beati misericordes quoniam ipsis*, non sanè proportionata merces suis meritis, sed *misericordia tribuetur* Matth. V, 7. Estque *donum Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro* Rom. VI, 23.

XVII. (*d*) Opera denique nostra, ut propriè apud Deum mererentur, deberent esse *perfecta*; at imperfecta illa esse quotidianæ quæ subrepunt infirmitates docent, & ipsa uniuscujusque conscientia palam evincit. Quamvis enim non doceamus, ut calumniantur Pontificii ac Sociniani, omnia justorum opera esse peccata; cùm denominatio debeat fieri à meliori parte, & ex illis subjectivè ac formaliter justi dicamur justitiâ inchoatâ & inhærente, quæ ideo non est æqualis omnium; tamen absolutam & omnimodam perfectionem, quam Justitiarii crepant, comparatè præsertim ad jus & Legem Dei, à nostris operibus removemus, tum in communi, propter intercurrentia vitia, tum in singulari, propter scorias admixtas carnis & peccati; Huc facit illa piorum confessio; *Sumus ut immundus omnes, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ; diffluimusque velut folium omnes nos, & iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos* Esa. LXIV, 10. & regula illa generalis quod *non est qui faciat bonum*, perfectè & accuratè, *ne unus quidem* Psal. XIV, 4. & *nemo qui non peccet* 1 Reg. VIII, 46. ut *si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est* 1 Joh. I, 8. *In multis enim impingimus omnes* Iac. III, 2. *Qui autem impegerit in uno* ex mandatis Legis, *damnas factus est omnium* Iac. II, 10. Ideo Job his utebatur verbis; *Si lavero me aquis nivalibus, emundavero benignitate manus meas, tum in foveam demerges me & abominabuntur me vestes meæ* Job. IX, 30. 31. Et David istis, *Ne congrediaris judicio cum servo tuo, nam non esset justus coram te*, propriâ suâ justitiâ, *ullus vivens* Psal. CXLIII, 2. Et Paulus illis, *Novi non habitare in me, idest in carne mea, bonum; nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est efficiam non assequor; non enim facio bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago* Rom. VII, 18. 19.

XVIII. (*e*) Atque hinc patet cur cùm peccatis homines mereantur mortem, vitam tamen bonis suis operibus non mereantur; quia videlicet quælibet Legis transgressio hominem subjicit Divinæ maledictioni, & ex rigore justitiæ Dei omnes illius justitias antecedentes corrumpit; *Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt; Scriptum est enim, Exsecrabilis est quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea* Gal. III, 10. Quare *quùm avertit se justus à justitia sua & facit iniquitatem, propter iniquitatem suam quam facit, moritur* Ezech.

a *Ut pote destituta conditionibus* Meriti *propriè dicti, Sunt enim*, 1. *Non nostra*; b 2 *Debita*; c 3. *Inadæquata præmio.* d 4. *Imperfecta.* e *Sublatis scrupulis in contrarium à Pœnis peccatorum*;

P. Ezech. XVIII, 20. Ipſimet Pontificii agnoſcunt per novum peccatum mortale, omnia præcedentia merita mortificari & interimi. At in operibus meritoriis vitæ æternæ, omnimoda perfectio & partium & graduum requiritur, quia plura deſiderantur ad rei conſtitutionem quam ad illius deſtructionem. (*a*) Placent nihilominus noſtra opera Deo, qui ſuorum conatus debiles admittit & defectus tegit merito Chriſti, ex dignitate non operis, ſed perſonæ & operantis; Sic *Abel per fidem majoris pretii ſacrificium obtulit Deo quam Cain, per quam teſtimonio fuit ornatus quod eſſet juſtus; teſtimonium perhibente Deo de donis ejus* Heb. XI, 4. Ita tamen ut dicatur Deus *reſpexiſſe* primò *ad Abelem*, tum *ad munus ejus* Gen. IV, 4. Hoc modo *omnia quidem munda ſunt mundis, pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia* Tit. I, 15.

XIX. (*b*) Vocabula ἀξίας & ἀξιοῦσθαι non inferre meritum, conſtat ex uſu Scripturæ: Sic enim Baptiſta ſuos auditores invitat ad *faciendum fructus* ἀξίους τῆς μετανοίας Matth. III, 8. & Paulus hortabatur gentes *ut ſe converterent ad Deum, facientes opera* ἄξια τῆς μετανοίας Act. XXVI, 20. ac 2 Theſſ. I, 11. petit pro illis ut Deus eos ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως, *dignetur vocatione ſua*: Quin Apoſtoli Act. V, 41. gaudent quod κατηξιώθησαν, *digni habiti eſſent, qui pro nomine Ieſu contumeliâ afficerentur*, cùm tamen dicatur alibi quod nobis ἐχαρίσθη, *gratis datum eſt, in negotio Chriſti non ſolum in ipſum credere, ſed etiam pro eo pati* Phil. I, 29. Tum dignitas perſonæ Euangelica & gratuita, qualis deſcribitur Luc. XX, 35. *Qui digni habiti fuerint qui ævum illud conſequantur & reſurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores neque nuptum dantur*, in meram Dei dignationem refundenda eſt, non verò præpoſterè trahenda ad dignitatem operum legalem & meritoriam: unde Paulus Col. I, 12. 13. *gratias* agit *Patri qui idoneos nos fecit ad participandam ſortem Sanctorum in luce; qui inquàm eripuit nos ex poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum Filii ſui dilecti*. (*c*) Hinc merces nobis promiſſa propriè talis non eſt, ſed ex gratia; prout Paulus duplicem facit mercedem, alteram quæ *non operanti imputatur ex gratia*, alteram quæ rependitur *ex debito* Rom. IV, 4. Et ſuo loco obſervatum quod quæ *merces* dicitur Matth. V, 49. VI, 1. *gratia* appelletur Luc. VI, 31. 32. 33. 34. Adeoque non magis hæc gratuita merces, quæ id tantum habet mercedis quod certiſſimè noſtros conſequatur labores, meritum arguit, quam emptio pretium & pecuniam apud Prophetam dicentem, *Emite abſque pecunia & abſque pretio vinum & lac* Eſa. LV, 1. (*d*) Reddetur unicuique ſecundum opera ſua, at non propter illa; & illud, *ſecundum*, reſpectu præmii, operum non notat proportionem vel æqualitatem, ſed tantum qualitatem: quò poſſet utcunque pertinere, quod idem præmium rependitur iis qui *ultimi* & iis qui *primi* fuerant in vinea Matth. XX, 1. 2. 3. 9. 10. ſi illa paraboſa non commodiùs de evocatione communi ad gratiam fœderis, quam de ſuprema omnium glorificatione intelligeretur. Opera quoque piorum adferentur in die judicii, *Eſurivi enim & dediſti mihi quod veſcerer* Matth. XXV, 34. in teſtimonium fidei & electionis æternæ, non in cauſas meritorias vitæ & ſalutis: cùm ſalus *non ſit ex operibus ſed ex vocante* Rom. IX, 11. unde dicimur *ſervati* & *vocati non operibus noſtris, ſed ex propoſito* Dei *& gratia quæ data nobis eſt in Chriſto Ieſu* 2 Tim. I, 9. ipſo nos ſervante *non ex operibus juſtis quæ fecerimus, ſed ex ſua miſericordia* Tit. III, 4. & particula γὰρ quæ extat Matth. XXV, 34. ſæpè magis rationalis eſt quam cauſalis, ſive potiùs notat cauſam conſequentiæ quam conſequentis.

XX. (*e*) Liceat ergo benè agere, etiam intuitu mercedis & remunerationis æternæ, contra quam cenſuit Antignus Sochæus Sadducæorum parens; ſed hæc μισθαποδοσία uti vocatur Heb. XI, 26. ubi Moſes dicitur in eam reſpexiſſe, expectetur non ex debito, ſed ex gratia; non ex dignitate operis, ſed ex miſericordi dignatione acceptantis; non ut præmium labori debitum, ſed ut ſtadii meta, quam anhelare perpetuò debemus; Et cùm ipſe Bellarminus tutius judicet in ſola Dei miſericordia fiduciam reponere, quam in bonis operibus, propter defectum propriæ juſtitiæ & ſuperbiæ periculum, nullam omninò fiduciam (licet ei Jeſuitæ patrocinentur,) in propriis noſtris meritis reponere decet, (id enim foret arundini quaſſatæ inniti,) ſed ad ſolam Dei gratiam cum Publicano confugere, ac Deo dicere, *Deus, placator mihi peccatori* Luc. XVIII, 13. Nec enim Chriſtus noſtris operibus vim meri- P.

a *Bonorum operum admiſſione*; b *Vocibus* ἀξίας & ἀξιοῦσθαι; c *Mercede* d *ac Retributione ſecundum opera*; e *& Fiducia remunerationis*.

toriam suo sanguine contulit, quem fudit ad detergendas nostras sordes, non ad tingenda nostra opera; sed merito suo perfectissimo omnia nostra merita exclusit; ideo *rubidus fuit vestibus suis*, quod *torcular* iræ divinæ *calcarit solus*, ut ex illo salutem nobis exprimeret Esa. LXIII, 2. 3. Hinc illa oppositio gratiæ & operum constans in Scripturis, non ut bonorum operum studium in piis restinguatur, sed ut eorum meritoria vis & fiducia eliminetur; *Quod si per gratiam, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia; sin ex operibus, jam non ex gratia; alioquin opus jam non est opus* Rom. XI, 6. & Eph. II, 8. 9. *Gratiâ servati estis per fidem*, & *hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ut nequis glorietur.*

XXI. (*a*) Etsi bonorum operum specificatio ex Lege Dei sit petenda, neque hoc loco retractanda, cùm tamen Oratio, quæ est *mentis ad Deum ascensio*, Sanctificationi promovendæ potissimum inserviat, & Sanctificatio viceversa ad eam requiratur ut grata sit Deo, qui non *audit peccatores* Joh. IX, 31. nec *exaudit orationem* eorum quorum *manus sanguine plenæ sunt* Esa. I, 15. aliquid etiam de illa dicendum est. Quatuor illius species commemorantur Paulo I Tim. II, 1. δέησις quæ propria mala deprecatur, προσευχὴ quæ propria bona petit, ἔντευξις quæ funditur in gratiam aliorum, & εὐχαριστία quæ in gratiarum actione sita est; Ita enim loquitur Apostolus; *Adhortor ante omnia ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus.* (*b*) Ad orationem incitamur I. Dei mandato, etiam sub V. T. licet id negent Sociniani; S. *Invoca me tempore angustiæ, & eripiam te ut honore afficias me* Psal. L, 15. *Petite & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis* Matth. VII, 7. II. Promissione certâ; *Propinquus est Iehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide; placitum timentium se efficit, & vociferationem audiens salutem dat eis* Psal. CXLV, 18. 19. *Eritque nondum clamantibus ut ego respondeam, adhuc ipsis loquentibus ut ego exaudiam* Esa. LXV, 2. *Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis* Joh. XVI, 23. III. Propriâ indigentiâ, cujus quilibet sibi conscius esse debet. IV. Exemplis frequentibus piorum. Denique invocationis efficaciâ & fructu multiplici; & quod eâ ratione sacrum cum Deo commercium foveamus, & cultum ipsi debitum tribuamus; quò maxime spectat illud Joëlis citatum Petro Act. II, 21. *Et futurum est ut quicunque invocaverit nomen Domini servetur.*

XXII. (*c*) Solus Deus est invocandus, hoc est eximio illo adorationis genere colendus, contra quam obtinet in religione Pontificia, quæ Angelorum Sanctorumque, imò & creaturarum P. insensibilium, religiosam invocationem idololatricè frequentat; Nam ille *solus novit corda omnium filiorum hominum* I Reg. VIII, 39. vera autem precatio ex corde debet fieri; Solus quoque est fidei nostræ objectum; *Maledictus* enim *vir ille qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum*, sed *benedictus vir ille qui fiduciam habet in Iehova* Jer. XVII, 5. 7. Iam autem *quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Rom. X, 14. Solus est omnipotens, omnipræsens, omniscius, ut omnes se invocantes ubicunque fuerint, & nosse, & audire, & exaudire possit. Illi soli *hostiæ* istæ *spirituales* I Pet. II, 5. & *vituli labiorum* Hos. XIV, 2. debentur, longè potiori jure quam sacrificia externa juvencorum & hircorum, quæ tamen adversarii ad cultum latriæ soli Deo debitum referunt. Et cùm sanctas preces in nobis formet *Spiritus gratiæ & deprecationum*, uti nominatur Zach. XII, 10. qui *quod* ipsi *quod oremus ut oportet non noverimus, sublevat infirmitates nostras, & intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus* Rom. VIII, 26. ac insuper in nomine Christi, qui pro omnibus solus intercedit, sint offerendæ; nam *quodcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis* Joh. XVI, 23. estque is *unus* sive *unicus mediator Dei & hominum* I Tim. II, 5. & *solus advocatus quem habemus apud Patrem* I Joh. II, 1. rectà ad Deum ire debent.

XXIII. (*d*) Dei autem nomen hic sumo οὐσιωδῶς, ita ut cum Patre in objecto invocationis Filius & Spiritus Sanctus, contra quam sentiunt Sociniani, necessariò includantur; S. Nam conjunguntur tum in Baptismi formula invocatoria, cùm administretur *in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti* Matth. XXVIII, 19. tum in voto Pauli 2 Cor. XIII, 13. *Gratia Domini Iesu Christi, charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis;* tum in precatione Johannis, *gratiam* & *pacem* precantis Ecclesiis Asiæ,

a *Occasione* Bonorum Operum *agitur* I *De* ORATIONE. *Cujus proponuntur* 1. Definitio *& speciei*
b 2. Argumenta *ad ejus exercitium.* c 3. Objectum *solus Deus.* d *Unus & Trinus.*

Asiæ, ab eo *qui est & qui erat & qui venturus est, & à septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt*, id est à septiformi Spiritu, *& à Iesu Christo* Apoc. 1, 4. 5. Licet enim non concesserim
L. Lutheranis naturam Christi humanam esse invo-
P. candam, ut nec Jesuitis quibusdam eandem esse adorandam latriâ, ut loquuntur, personæ tamen θεανθρώπυ id honoris debetur; eo quod non minus in ipsum quam in Patrem credere debeamus; *Creditis in Deum etiam in me credite* Iohan. XIV, 1. & *nomen* obtinuerit, *quod est supra omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flectat* Phil. II, 9. 10. vel ideo maximè, quod Mediator noster unicus est, non tantum Redemptionis, ut fingunt adversarii, sed etiam Intercessionis; ut
P. Mariæ, Angelorum, Sanctorumque intercessioni subordinatæ locus esse non possit.

XXIV. (a) Legitimæ verò Orationis conditiones hæ sunto. I. Fiat ex fide; *Postulet cum fide*
1. *nihil ambigens; nam qui ambigit similis est fluctui maris qui ventis agitatur & jactatur; non ergo existimet homo ille se quicquam accepturum à Do-*
2. *mino* Jac. 1, 6. 7. II. Cum attentione & intelligentia; *Quid est igitur? Orabo Spiritu, orabo etiam intelligentiâ; Psallam Spiritu, sed psallam etiam*
P. *intelligentiâ* 1 Cor. XIV, 15. Non enim labiorum vitulos sed labia vitulorum offerunt Deo, qui linguâ, nedum aliis, quod carpebat Paulus, sed quod longè tetrius est, sibi ipsis ignotâ, ut fit
P. in Papatu, precari Deum volunt: Neque sufficit, ut volunt Scholastici, intentio generica precandi, sed requiritur attentio specifica, tum ad verba quæ proferuntur, tum per illa & in illis ad
3. res quæ petuntur. III. Cum zelo & vehementia; *Multum enim valet deprecatio justi vehemens*
4. sive *efficax* Jac. V, 16. Adeoque IV. non ex solis labiis, sed ex intimo cordis affectu, ut *Anna loquebatur cum animo suo; tantum labia ejus movebantur, vox autem ejus non audiebatur* 1 Sam. 1, 13. & Deus aversatur populum hypocritam, qui sibi *appropinquat ore suo & labiis suis honorat eum, cor autem suum procul amovet ab ipso* Esa. XXIX, 13. Possunt esse Deo gratæ preces quæ solo cordis motu absque sermone & lingua fiant; at non contra illæ quæ absque ulla cordis dispositione fierent. Ethnicorum tamen vitetur πολυλογία & βαττολογία, damnata Christo Matt. VI, 7. *Precantes ne eadem blaterate ut Ethnici, putant enim fore ut suâ illâ loquacitate exaudiantur;*
P. quam revocant Pontificii suis in Litaniis, Rosariis, & deproperata Officii, quod vocant, recitatione ex opere operato.

XXV. (b) In rebus à Deo petendis, spectetur directè ipsius gloria: Nihil vanitati aut vindictæ petatur; *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in voluptates vestras insumatis* Jac. IV, 3. Quinimò debemus etiam *precari pro iis qui nobis infesti sunt & persequuntur nos* Matth. V, 44. Nihil quod pugnet cum Dei voluntate; Nihil nisi secundum ipsius voluntatem; Major quoque ratio habeatur vitæ futuræ quam præsentis, rerum cœlestium quam terrestrium; *Quærite primò regnum Dei & justitiam ejus, & omnia ista adjicientur vobis* Matth. VI, 33. Illa enim ut absolutè promissa fidelibus sunt, sic absolutè peti possunt, cætera non nisi conditionaliter. (c) Denique omnes nostræ preces ad Orationem Dominicam exigantur, ceu ideam perfectissimam legitimæ orationis, quæ præfatione, conclusione, (quam Pontificii vitiosè resecant, cùm potiùs ex Matth. P.
VI, 13. veniat supplenda Luc. XI, 4. quam hinc isthìc inducenda) & sex petitionibus, non septem ut illi volunt, absolvitur.

XXVI. (d) Quamvis autem non inficiamur preces plerumque ferventiores esse quas urgens necessitas extorquet & suggerit Spiritus precum per illa *suspiria inenarrabilia* quorum meminit Paulus Rom. VIII, 26. quasque extemporaneas & eiaculatorias meritò dixeris, tamen ad stata Pietatis exercitia tam privata quam publica, præconceptis uti formulis quibus mens & lingua in officio dirigantur & licet & expedit; quicquid scrupulosi Brownistæ, Independentes & Ana- A.
baptistarum non pauci, contra liturgias Ecclesi- F.
asticas, ipsiusque Orationis Dominicæ recitationem, sibi imaginati fuerint; Hæc enim fuit Ecclesiæ omnium temporum constans praxis, nixa quoque firmissimis Scripturæ sacræ testimoniis; Nam Deus specialem formulam præscripserat servandam in benedictione Sacerdotali; *Sic benedicitote filiis Israëlis, dicendo eis, Benedicat tibi Iehova & custodiat te* &c. Num. VI, 23. 24. & in consecratione Templi *Sacerdotes in observationibus suis consistebant & Levitæ cum instrumentis musicis Iehovæ, quæ fecerat David Rex ad celebrandum Iehovam, quoniam in seculum benignitas ejus, per hymnum Davidis traditum in manum ipsorum* 2 Paralip. VII, 6. *Edixitque Ezechias rex & principes Levitis ut laudarent Iehovam verbis Davidis & Asaphi videntis* 2 Paral. XXIX, 30. Christus quoque non ideam tantum sed formulam

a 4. Conditiones. b 5. Materia. c 6. Forma *& exemplar.* d 7. Formulæ *item Ordinariæ.*

lam precandi suggessit nobis, cùm discipulis dicentibus, *Domine doce nos orare, prout & Iohannes docuit discipulos suos*, respondit, *Quùm oratis dicite, Pater noster* &c. Luc. XI, 1. 2. Ita Paulus vult *ut loquamur inter nos mutuò psalmis & hymnis spiritualibus, cum gratia canendo in nostro corde Domino* Ephes. V, 19. Col. III, 16. & Jacobus, *Æger est animo aliquis? Oret: bono animo est aliquis? Psallat* Iac. V, 13. Hæc autem omnis Psalmodia, quæ pertinet proculdubio ad precationem, ex statis & ordinariis formulis peragi debet.

XXVII. (a) Gestus etiam corporis in precibus adhibendus est, qui & Numinis reverentiam seriam veramque humiliationem coram Deo testetur, & animi attentionem in sacro hoc exercitio juvet. Scrupulosas tamen Hermetis & Montani stationes, & quod Veteres detrectabant de geniculis orare diebus Dominicis ac toto illo tempore quod fluit inter Pascha & Pentecostem, non probamus; multo minus processiones theatricas
P. & ambaruales Pontificiorum, & quod eorum Flagellantes more Baalitarum, *qui clamabant voce magna, & incidebant sese pro ratione ipsorum gladiis & spiculis, adeo ut perfunderent se sanguine* 1 Reg. XVIII, 38. inter precandum contra carnem suam sæviant, & scuticis scapulas ad sanguinem usque distringant. (b) Ita etiam *semper precandum* ex authoritate Scripturæ Luc. XVIII, 1. Eph. VI, 18. 1 Thess. V, 17. ut nec more veterum Messalianorum & Euchetarum, quos
P. Monachi in Papatu bellè imitantur, precum prætextu litemus pigritiæ, cæteraque officia omittamus; & præter extraordinarias & subitaneas cordis ad Deum elevationes in opere nostro peragendo, stata sint tempora, & quotidiana precum privatarum atque domesticarum, exemplo Davidis qui *vespere & mane atque meridie* se meditaturum & precaturum profitebatur Psal. LV, 18. & Danielis qui *in cœnaculo suo ex adverso Ierosolymorum & temporibus tribus de die procumbens in genua sua, orabat & confitebatur coram Deo suo* Dan. VI, 11. & hebdomadalia publicarum; Sic enim *hora nona*, quæ erat hora Sacrificii vespertini, erat quoque tempus Sacri conventus in templo & *hora precationis* Act. III, 1. Horæ ta-
P. men Canonicæ Pontificiorum multâ refertæ superstitione & idololatriâ non possunt approbari.

XXVIII. (c) Nulli loco, præsertim nunc sub N. T. ad hoc Pietatis exercitium alligamur; *Nam*, inquit ipse Deus, *ab ortu Solis usque ad occasum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco suffimentum* (spirituale precum) *afferetur nomini meo & munus purum* Mal. I, 11. Quò apertè respexit Paulus cùm dixit 1 Tim. II, 8. *Volo viros orare in quovis loco, puras manus attollentes absque ira & disceptatione*; Iam enim *venit tempus & nunc est, quùm veri adoratores*, neque *in hoc monte* Garizitano, *neque Hierosolymis*, sed indiscriminatim ubi vis locorum, *adorabunt Patrem in Spiritu & veritate* Joh. IV, 21. 23. Quare ut publicis cœtibus ac precibus loca quidem publica expedit destinari, prout *scriptum est, Domus mea, domus precationis vocabitur* Matth. XXI, 13. & Act. XVI, 16. προσευχὴ denotat locum quò Paulus cum aliis fidelibus solebat proficisci ad communia Pietatis exercitia; qui locus etiam Latinis scriptoribus *Proseucha* dicitur; ita privatæ semotis arbitris sunt concipiendæ; *Tu quùm precaris introito in conclave tuum, & clauso ostio tuo precare Patrem tuum in occulto; & Pater tuus qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo* Matth. VI, 6. Ita Christus paululum secessit à suis discipulis *usquedum precatus* esset Marc. XIV, 32. 35. & *Petrus ascendit in solarium ut oraret circa horam sextam* Act. X, 9. Quare perperam Pontificii pri- P.
vatas etiam preces Deo acceptiores esse in templis quam in ædibus privatis statuunt; & volunt imagunculas semper habere oculis suis præfixas inter precandum; & tædiosas peregrinationes ad loca remota suscipiunt ut illic Deum precentur; & scrupulosè se obvertunt Orienti dum precantur; qui mos licet antiquus & à Christianis primùm usurpatus ut se à Judæis, versus occasum adorantibus, distinguerent, tamen ab Essæis & Samseis Solem ipsum colentibus, primam originem accepisse videtur.

XXIX. Quod verò scrupulosè nonnulli Idololatriæ participatæ, uti vocant, accusant eum qui in templo ad Orientem conversus & versus chorum precaretur, nullo tamen studio Pontificios imitandi, aut hanc mundi plagam potiùs quam aliam eligendi, item eum qui sub arbore consecrata Idolo, quam tamen consecratam nesciverit & ad quam iter faciens contra æstum vel pluviam se receperit, sanctas ad Deum preces funderet, propiùs ad Judæorum deliria, aut somnia febricitantium, quam solidæ Theologiæ placita accedit. Non detrectavit Samson præcari in ipso

a 8. Gestus b 9. Tempus. c 10. Locus.

ipſo idolcio dicendo, *Domine Iehova, recordare mei obſecro*, & *confirma me obſecro tantum hac vice, ô Deus, ut ſumam de Philiſteis ultionem ſeme propter ambos oculos meos* Jud. xvi, 28. Sed hæc
F. ſunt Præciſiſtarum, Independentium & Browniſtarum paradoxa, juxta quæ ſacrilegæ cenſendæ ſunt preces publicæ piorum in templis quondam idololatriâ pollutis, quæ adhuc vel formam crucium, vel faſtigiis ſuis impoſitas cruces, etſi nulli alii rei ampliùs inſervientes quam ſpiraculis ventorum dignoſcendis, vel denique quidpiam aliud, quod veteris idololatriæ monumentum poſſet cenſeri, retineant.

XXX. (a) Ad preces, quas impetratorias ſcimus Dei beneficiorum ex ipſius gratia & Chriſti interceſſione, neutiquam tamen meritorias eorundem aut ſatisfactorias pro peccatis, ut abſurdè
P. ſtatuunt Pontificii, accedunt proximè Vota, quæ & Græcis εὐχαὶ dicuntur; nam Actor. xxi, 23. commemorantur *viri quatuor* εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν, idest, *voto obnoxii*: (b) His autem *conſultò & ſponte nos Deo obſtringimus ſanctâ & religioſâ pollicitatione, ad aliquid aut faciendum aut omittendum quod ipſius gloriæ illuſtrandæ, noſtræque ſaluti juvandæ & promovendæ, aut gratitudini conteſtandæ, inſerviturum arbitramur.* Hæc ſi illicita fuerint non obligant, cùm vitioſè promiſſum ſit quod abſque crimine in Deum præſtari non poteſt. Varia votorum exempla & genera huc congerere nihil refert; Sufficiat Mo-
P. naſtica aliaque Pontificiorum vota, ex legitimorum Votorum cenſu diſturbaſſe, quod in omnes eorum conditiones arietent.

XXXI. (c) I. Vota ſoli Deo ſunt nuncupanda.
1. *Si voveris votum Iehovæ Deo tuo, ne differto ſolvere illud* Deut. xxiii, 21. Item, *vovete, & reddite Iehovæ Deo veſtro* Pſal. lxxvi, 12. Unde apud ipſoſmet Scholaſticos vota pertinent ad la-
P. triam; At illi ſua nuncupant Sanctis, quos blaſphemè faciunt Deos per participationem, Reliquiis, Imaginibus, & Cœnobiarchis ſuis; quod planè eſt idololatricum. II. Vota non de-
2. bent eſſe de rebus ſuâ naturâ malis; quale matris Micæ dicentis, *Omninò ſanctificavi iſtud argentum Iehovæ, è manu mea filio meo, ad faciendum ſculptile & fuſile* Jud. xvii, 3. & Judæorum illorum *qui factâ coitione devoverunt ſeſe dicentes, neque eſuros neque bibituros, uſque quo interemiſſent Paulum* Act. xxiii, 12. At Pontificii votis ſuis ab-
P. ducuntur à Dei præceptis, nominatim his tribus; *In ſudore vultus tui veſcitor cibo, donec revertaris in humum* Gen. iii, 19. *Hic eſt filius meus dilectus ille in quo acquieſco, ipſum audite* Matth. xvii, 5. *Propter ſcortationes ſuam quiſque uxorem habeto, & propriam quæque virum habeto* 1 Cor. vii, 2. Si enim ad hæc tria, Mendicitatis, Obedientiæ & Cœlibatus, triplex votum Monachale exigatur, neceſſe eſt ut corruat: Nec ſolum otioſa mendicitas, votivus cœlibatus & promiſſum obſequium mandatis hominum religionis ergo, cum *empti pretio*, *ſervi hominum* eſſe non debeamus 1 Cor. vii, 23. ſed inſuper Imaginum
& Reliquiarum cultus, Sanctorum invocatio & P.
ſimilia, quæ vovent Pontificii, res ſunt naturâ P.
ſuâ malæ ac vitioſæ. III. Votis majus bonum 3.
non debet impediri, ut fit votis Monachorum, quibus ineptos ſe præſtant ad pauperum ſubſidium, & cætera officia Reipublicæ, parentibus & proximis præſtanda.

XXXII. IV. Si res quæ vovetur non ſit 4.
ſimpliciter neceſſaria & præcepti divini, (has
enim etiam ſub votum cadere ſaniores è Ponti- P.
ficiis agnoſcunt, & conſtat exemplis tùm Iacobi voventis Gen. xxviii, 20. 21. futurum ſibi *Iehovam Deum*, ſi *Deus* foret ſecum in hac ſua *profectione*, tùm Annæ quæ *vovit votum dicens, Iehova exercituum, ſi omninò reſpiciens ad afflictionem ancillæ tuæ, recordaberis mei & non obliviſceris ancillæ tuæ, ſed dabis ancillæ tuæ ſemen maſculum, utique dabo ipſum Iehovæ omnibus diebus vitæ ejus* 1 Sam. i, 11. cùm tamen ipſamet Dei Lege, ſive quà *Levita*, ſive quà *primogenitus, Sanctus Domino*, filius ipſius eſſe deberet Num. viii, 16. imò etiam noſtrimet Baptiſmi in quo fit *ſtipulatio* expreſſa *bonæ conſcientiæ apud Deum* 1 Pet. iii, 21.) ſed arbitraria & judicii tantum noſtri, debet tamen eſſe & licita & poſſibilis vo-
venti: quod de continentia perpetua dici non P.
poſſe, experientia ipſa palam loquitur. V. De- 5.
bent quoque vota de rebus mediis ſponte ſuſcipi & cum maturo judicio, quod Jephte non adhibuit in ſuo Jud. xi, 32. 33. cùm vovit *futurum Iehovæ, aut offerendum in holocauſtum quodcunque primum* ex ſuis ædibus ſibi victori Hammonitarum *obviam* procederet; & ab iis qui ſimpliciter ſunt ſui juris; nam & *pater* filiæ ſuæ votum Iehovæ nuncupatum, & uxoris *maritus* po-
terat reſcindere Num. xxx, 48. At Pontificii ſta- P.
tuunt juvenes & puellas, etiam minorennes & ſub

a I I. *De* VOTIS, *quorum proponuntur* b Definitio c & Conditiones.

ſub patria poteſtate conſtitutos, poſſe invitis parentibus, item conjugum alterum, alio etiam reclamante, ſi hic fuerit hæreticus, aut conjugium nondum ſit conſummatum, monaſteria ſubire & Monaſticam vitam profiteri.

6\. XXXIII. VI. A Votis etiam circa res medias ſuſceptis debet abeſſe omnis opinio cultus neceſſarii & meritorii apud Deum; cùm ſint tantum adminicula ad Dei cultum alacriùs peragendum.
P. At Pontificii in ſuis votis excellentius quoddam bonum quam quod Lege præſcriptum fuerit, & Phariſaico tumore opus *Supererogationis*, imaginantur. Non poſſunt ergo tanquam votifragi traduci illi, qui cuculli capiſtro abjecto
P. Euangelicam libertatem amplectuntur; cùm in turpi voto mutandum ſit decretum; & quas Diſpenſationes in votis Romæ alii fruſtrà emendicant, illi in foro conſcientiæ ex Dei verbo conſequantur; neque teneatur, ex ipſorum Jeſuitarum placitis, vovens religionem, graviter deceptus nec voturus ſi ſciviſſet.

XXXIV. (*a*) Porrò quamvis nunc ſub N. T. non admittamus Ceremonialia & typica vota, qualia fuerunt Nazaræorum, quorum ritus & leges fuſè deſcribuntur Num. VI, 2. 3.4.5.6.7.8. Item Rechabitarum à *vino* bibendo ex domeſtico inſtituto abſtinentium Ier. XXXV, 5. 6. (ſi tamen hi non magis ex obſequio patri debito, quam ex ſpeciali voto egerunt) nec non Pauli ipſius qui Act. XVIII, 18. *totondit caput Cenchreis*, quaſi abſolvendo *votum* Nazareatus quod ante ſuſceperat, non tam religionis ergo, quam ut ſeſe infirmioribus è Judæis accommodaret, uti liquet ex Act. XXI, 23. 24. & 1 Cor. IX, 20. Quamvis
P. etiam vota Papiſtica, tanquam in multis vitioſa, reſpuamus: Tamen arbitramur etiam hoc tempore vota eſſe licita, ceu actus religionis partim elicitos, partim imperatos; elicitos quidem quatenus aliquid Deo promittitur; imperatos verò quatenus ipſâ Numinis reverentiâ nos volumus ad hoc vel illud officium ſolemniùs obſtringere.

a\. XXXV. (*b*) Admittimus ergo Vota, I. de rebus neceſſariis & ex Dei præcepto perpetuæ obſervationis; quale unuſquiſque noſtrum Deo
P. nuncupavit in Baptiſmo, licet id nolint Pontificii, & renovat ſæpiùs in ſacra Cœna; quò *Sacramenti* nomen ex uſitatiſſima apud Latinos ſignificatione traduci poſſet. Talium votorum, quibus fortiùs ad officium adſtringimur, exempla proſtant in Iacobo, uti ſuprà retulimus ex Gen. XXVIII, 23. & Davide dicente Pſal. LXVI, 13. 14. *Ingrediens domum tuam cum holocauſtis, rependam tibi vota mea, quæ nuncupaverint aperta labia mea, & eloquutum fuerit os meum in anguſtia mea:* Tenetur quiſque abſtinere ab ebrietate, fornicatione, alea; qui tamen poſtquam in hæc, vel per illa in calamitatem quandam inciderit, voto ſpeciali ſe inſuper obſtringat ad ea vitanda, benè fecerit.

XXXVI. II. De rebus ſimpliciter licitis & arbitrariis, ſub conditionibus antea expoſitis: 2.
licet enim illæ voto ſecluſo & ex ſua natura ſint indifferentes, tamen accedente voto & ordinatione ad finem bonum & utilem, fiunt neceſſariæ & religioſæ: *Si voveris votum Iehovæ Deo tuo, ne differto ſolvere illud; nam omninò repoſceret illud Iehova Deus tuus abs te, & eſſet in te peccatum: Quod ſi* tamen *abſtinueris à vovendo, non erit in te peccatum* Deut. XXIII, 21. 22. V. G. ut expedit quandoque à licitis abſtinere quò faciliùs illicita vitentur, ſic ad aliquam rei aliàs licitæ abſtinentiam poteſt quis ſe voto obſtringere, ne incidat in illicitam; ut ſi voveat aliquam abſtinentiam à vino in ordinario paſtu, ne ſcandalo ſit fratri, aut edomandæ libidinis gratiâ, aut ad ebrietatem, quæ ipſi aliàs cauſa alicujus mali extiterit, vitandam: ita cùm hanc vel illam ſummam pauperibus erogare ſit indifferens, poteſt tamen quis voto ſolemni eleemoſynis deſtinare hanc vel illam pecuniam, hos vel illos reditus, vel abſolutè, vel ſub conditione talis aut talis eventus.

XXXVII. Hæc & ſimilia vota quibus vel juvaremur ad præcavenda vitia ad quæ eſſemus propenſiores, vel excitaremur ad præſtanda officia ad quæ eſſemus ſegniores, debent populo Chriſtiano commendari; adhibitâ ſemper hac cautelâ, ut nemo temerè laqueum ſibi injiciat, non niſi ægré & reluctante poſtea animo voto ſuo defuncturus: *Deus* enim *amat hilarem datorem* 2 Cor. IX, 7. & præſtaret non vovere, quam votum ſuum aut irritum facere, aut non alacriter perſolvere; uti factum ab Anania *intervertente ex pretio prædii: Nonne enim*, inquiebat Petrus ad ipſum, *ſi ſervaſſes manebat tibi, & venundatum in tua erat poteſtate?* Act. V, 3. 4. Neque ſic tamen ἐθελοθρησκείαν, quam in Pontificiis damnamus meritò ex Apoſtolo Col. II, 23. ipſi approbamus. Nam in Pontificiis, novas *ſpecies* P.
religionis & cultus deteſtamur, quales conſtituunt in Monachatu varii coloris; Nos verò hîc,

a Vota ſunt adhuc licita ſub N. T. b Et qualia

actus quidem materialiter indifferentes per votum fieri religiosos asserimus, sed ordinatè & relatè ad eum specie cultum quem Deus nobis præcepit in Verbo suo.

XXXVIII. (*a*) Quia verò precibus accendendis Jejunium plerumque inservit, undè sæpè in Scripturis conjungitur Orationi, illud nobis est *Abstinentia à cibo & potu ad certum tempus ideò suscepta, ut carnis lascivia retundatur, & Deus ardentiùs colatur.* Nec enim hic intelligimus simplicem abstinentiam, vel ex diæta ad valetudinem curandam; vel ex mœrore & tristitia; ut cùm David propter *puerum* suum ægrotantem, *usus est jejunio, pernoctavit & cubavit humi* 2 Sam. XII, 16. vel ex occupatione aliqua; ut cùm *Saul exsecratione obstrinxit populum dicendo, Maledictus esto vir ille qui comederit cibum usque ad vesperam, usque dum ultionem sumpsero de inimicis meis; neque gustavit totus ille populus cibum* 1 Sam. XIV, 25. vel ex penuria & egestate, aut saltem nausea & fastidio; ut cùm *Paulus omnes* in navi *hortabatur ut caperent cibum, dicens, Dies hic est decimus quartus, ex quo expectantes jejuni permanetis nullo cibo sumpto* Act. XXVII, 33. vel ex miraculo, ut fuerunt Quadragesimæ Mosis, Eliæ, Christi; Sed religiosam & ultroneam, cujus exempla frequentia sunt in sacris litteris.

XXXIX. (*b*) Ecclesiasticum jejunium vulgò dicitur, non confundendum cum simpliciter Mystico, etsi hoc illi annexum esse debeat, dicente Domino, *Nonne hoc est jejunium quod ego eligo, ut solvatis nexus improbitatis, dissolvatis fasces loris vinctos, ac dimittatis conquassatos ut sint liberi, & omne lorum disrumpatis? Nonne ut partiaris esurienti panem tuum, & pauperes ejectos introducas domum; cùm videris nudum ut tegas eum & à carne tua non abscondas te?* Esa. LVIII, 6. 7. (*c*) Hoc quisque aut sibi privatim imponit propter causas vel publicas vel privatas, ut cùm Nehemias audito patriæ desolato statu, *sedens flevit ac luxit aliquot dies, quibus jejunavit ac oravit coram Deo cœli* Neh. 1, 4. aut publicè à Magistratu & Ecclesia publicis de causis, & imprimis calamitatibus ingruentibus, præcipitur; ut cùm Josaphat, ingruente sibi gravi à Moabitis & aliis hostibus tempestate, *composuit faciem suam ad quærendum Iehovam, & indixit jejunium toti Iudæ* 2 Chron. XX, 3. & Esthera dixit Mardochæo, J, *congrega omnes Iudæos qui præstò sunt Susis, & ne comedatis, neque bibatis tribus diebus noctu & interdiu: similiter ego quoque cum puellis meis jejunabo* Esth. IV, 16. Jejunandum esse aliquando, etiam Christianis, ex Dei Verbo constat; dicente Christo de suis discipulis Matth. IX, 15. *Aderunt dies cùm tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt,* & Apostolo conjugibus piis, *Ne fraudate alter alterum, nisi siquid ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus* 1 Cor. VII, 5. Sed temporis determinatio privato cujusque judicio vel publicæ authoritati relinquitur; Estque hæc non solum penes Ecclesiæ Ministros, sed etiam penes Magistratum, si pius fuerit & fidelis, cùm ejus sit justitium in Repub. indicere; Hoc fecit Rex Ninives, subditis suis tale edictum promulgando; *Homines & jumenta, armenta & greges, ne gustanto quidquam, ne pascuntor & aquas ne bibunto, sed operiunto se ciliciis homines cum jumentis, & inclamanto Deum fortiter, & revertunto quisque à via sua pessima, & ab ipsa violentia quæ inest manibus ipsorum* Jon. III, 8. 9. Sic Achabi Regis nomine Jezabel curavit per Seniores urbis *indici jejunium* cùm insidias struebat Nabotho, ad ejus vineam consequendam 1 Reg. XXI, 9.

XL. (*d*) Jejunia legitima fiunt, I. Si suscipiantur 1.
ad edomandam carnis petulantiam, contestandum reali hac confessione peccatorum (quâ nos profitemur indignos usurâ hujus vitæ) nostrum dolorem coram Deo, resipiscentiæ & precum studium acuendum, & sic mala præsentia vel imminentia averruncanda seriâ ad Deum conversione; juxta istud Prophetæ, *Quapropter etiam nunc, dictum Iehovæ, convertimini ad me ex toto animo vestro in jejunio & fletu & planctu; Lacerate corda vestra & non vestes vestras, & revertimini ad Iehovam Deum vestrum* Joël II, 12. 13. Non verò more illius Pharisæi qui apud Deum jactabat *se jejunare bis hebdomade* Luc. XVIII, 12.
ut obtinet in Papatu, opinione merendi apud P.
Deum, & ejus justitiæ per opera hæc pœnalia satisfaciendi. II. Si non constituantur in Iudaico 2.
Pythagorico-ve ciborum quorundam delectu superstitioso, qualis olim Montanistarum, Tatianorum, Encratitarum, hodie Pontificiorum, P.
contra expressa Scripturæ testimonia; Etenim *non quod ingreditur in os polluit hominem, sed quod egreditur ex ore* Matth. XV, 4. 11. Adeoque *quæ Deus sanctificavit, tu ne pollutum ducito* Act. X, 15.

a III. De IEIUNIO, *Quod definitur.* b *Distinctè à Mystico; Ejus,* c 1. *Indictio.* d 2. *Conditiones.*

Siquidem *novi & persuasum habeo nihil esse impurum per se*; *non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum* Rom. XIV, 14. 17. *Nec esca nos commendat Deo; neque enim si edamus amplius habemus, neque si non edamus minus habemus* 1 Cor. VIII, 8. *Quicquid* igitur *in macello venditur edite, nihil discriminantes propter conscientiam*: *Quod si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogantes propter conscientiam* 1 Cor. X, 25. 27. Quin Paulus non vult eos audiri qui dicunt, *Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris*, scilicet quasi *non parcentes corpori* Col. II, 21. 23. & doctrinis dæmoniorum annumerat mandatum *abstinendi à cibis quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione* 1 Tim. IV, 1, 3. Sed in omni abstinentia, quamdiu durant, à cibo & potu, aut si ad multos dies prorogentur in tenuissima diæta; prout Daniel dicit quod *cibum rerum desiderabilium non comederat, nec caro aut vinum intraverat os suum, nec unguento unxerat se, donec complerentur trium septimanarum dies*, quos suo *luctui* assignaverat Dan. X, 2. 3. Ac mirum est Pontificios, apud quos liquidum non frangit jejunium, vinum & aromata quælibet ac delicatissimos pisces, quibus magis incenditur libido, indulgere jejunantibus, dum tam scrupulosè volunt abstineri à solis volatilium & quadrupedum carnibus.

XLI. III. Si hypocritica non fuerint, ad vanæ gloriæ coram hominibus aucupium & destituta omni vitæ in melius mutatione; Hinc illa Dei querela per suum Prophetam, ad hypocritas dicentes, *Quare dum jejunamus non respicis? dum affligimus animam nostram, non agnoscis? En*, inquit, *quo die jejunatis, præstatis id quod delectat, ut omnes labores vestros exigatis; En ad contentionem & jurgium jejunatis & ad percutiendum pugno improbissimo? Non jejunatis ut sunt hæc tempora, ut efferatis in excelsum vocem vestram: An hujusmodi esset jejunium quod eligo, dies quo affligit homo animam suam? An incurvare ut juncum caput suum? An ut quis cilicium ac cinerem sibi sternat? An hujusmodi vocabis jejunium & diem acceptum Iehovæ?* Esa. LVIII, 3. 4. Sic alibi; *Quùm jejunatis & plangitis quinto & septimo mense, ut illis septuaginta annis, an ullo pacto mihi inquam jejunatis? Et quùm comeditis aut quùm bibitis, nonne vos comeditis & vos bibitis vobis?* Zach. VII, 5. 6. Huc maximè respiciebat Christus dicendo, *Quùm jejunatis, ne estote ut hypocritæ tetrico vultu; deformant enim facies suas ut appareant hominibus jejunare; amen dico vobis retulerunt mercedem suam* Matth. VI, 16. Hujusmodi iterum sunt jejunia de quibus Pontificii & Monachi tantopere gloriantur. IV. Si denique non ad certos præcisè dies adstringantur, uti fatemur factum Ceremoniarum tempore sub V. T. Siquidem *mense septimo, die decimo illius*, erat *convocatio sancta* Israelitis, *ut affligerent animas* suas Levit. XVI, 20. XXIII, 27. 32. Sed pro ingruentibus necessitatibus indicantur; *Num possunt filii thalami lugere quamdiu cum eis est sponsus? Aderunt autem dies cum tolletur ab eis sponsus & tunc jejunabunt* Matth. IX, 15. Temporum enim scrupulosam observationem non ferunt tempora N. T. *Dies observatis & menses & præstituta tempora & annos; metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos* Gal. IV, 10. 11. *Nequis* ergo *vos damnet ob cibum aut potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut Sabbatorum; quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi* Col. II, 16. 17. Quâ observatione corruunt Pontificia jejunia Quadragesimæ; item feriæ quartæ, sextæ & Sabbathi, (ut ut hoc in primitiva Ecclesia execrationi fuerit non secus ac diei Dominicæ) item quatuor temporum, nec non Adventus, Vigiliarum & Rogationum: quæ omnia cum Jugum invehant intolerabile & superstitionum plena sint, falsò in Apostolorum traditionem, aut legitimæ Christi Ecclesiæ institutionem, rejiciuntur.

XLII. (a) Jejunium verò sanctificatur potissimum operibus misericordiæ & eleemosynis, quibus quasi sacrâ adspersione omnia mundantur & peccatorum cursus interrumpitur & quasi sistitur; *Beati qui sunt misericordes quoniam ipsis misericordia tribuetur* Matth. V, 7. *Estote ergo misericordes, prout & Pater vester misericors est* Luc. VI, 36. Immò *ea quæ penes vos sunt date in eleemosynam, & ecce omnia* vestra vasa & esculenta, *erunt vobis munda* Luc. XI, 41. Eò facit Danielis consilium, *Peccata tua justitiâ*, sive eleemosynâ, *abrumpe, & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos* Dan. IV, 27. & quod ex illis operibus vel exercitis vel neglectis sententia feretur de bonis & malis in die judicii Matth. XXV, 35. Etsi falsò statuant Pontificii, illis aut satisfieri Deo, aut meritoriè comparari regnum cœlorum. In Eleemosynis distribuendis vitanda est ostentatio Pharisaica; *Attendite ne justitiam vestram exerceatis coram*

(a) IV. De ELEEMOSYNIS.

coram hominibus ut ſpectemini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui eſt in cœlis; Itaque quùm præſtabis eleemoſynam, ne curato buccinâ cani coram te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in plateis, ut gloriam conſequantur ab hominibus; Amen dico vobis retulerunt mercedem ſuam; Quùm vero tu das eleemoſynam, ne noverit ſiniſtra tua quid faciat dextra tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto; Pater autem tuus qui te aſpicit in occulto reddet tibi in propatulo Matth. VI, 1. 2. 3 4. Sed tamen adhibenda diſcretio Chriſtiana; illis enim verè pauperes debent ſuſtentari, non ali otioſa mendicitas, aut Monachorum P. & Sacrificulorum ingluvies, quibus ſolemne viduarum domos devorare pietatis & prolixarum orationum prætextu: Si fiant Eleemoſynæ ex furtis aut malè & injuſtè partis, à quibus perpe- P. ram arcent Pontificii Meretricum queſtum, Deo gratæ eſſe nequeunt.

XLIII. (*a*) De his operibus ſpeciatim diximus, non quod in illis ſolis tota Sanctificatio ſita ſit, ſed quod de illis ſpeciales agitentur Controverſiæ variæ inter nos & Pontificios. Ad ipſam porrò Sanctificationem, multa ſunt quæ nos hortentur: Nam *ſine illa nemo videbit Deum* Hebr. XII, 14. *Dico enim vobis niſi abundaverit veſtra juſtitia pluſquam illa Scribarum & Phariſæorum, vos nequaquam ingreſſuros in regnum cælorum* Matth. V, 20. Reparat imaginem Dei in nobis, cùm induendus *novus ille homo, ſecundum Deum conditus ſit ad juſtitiam & ſanctimoniam veram* Eph. IV, 24 Electionis noſtræ finis eſt, prout dicimur *electi in Chriſto ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ejus cum charitate* Epheſ. I, 4. Sine illa nulla vera fides, juſtificatio aut adoptio in filios Dei, poteſt conſiſtere; tùm quia *fides illa quæ eſt abſque operibus mortua eſt* Jac. II, 20. tùm quia pietatis exercitio *ſtudemus vocationem & electionem noſtram firmam efficere* 2 Petr. I, 10. Illi autem retinendæ & augendæ inſerviet multum, Si ſemper ad Dei præcepta reſpiciamus; *Tunc non erubeſcam cum intuebor in omnia præcepta tua* Pſal CXIX, 6. Si peccata quælibet, etiam minima, ſedulò declinemus, ac quicquid nos ad peccatum poſſet deducere; *Supra omnem obſervationem cuſtodi cor tuum, ex eo prodeunt actiones vitæ* Prov. IV, 23. & *Beatus homo qui admodum pavet jugiter* Prov. XXVIII, 14. *ab omni ſpecie mali abſtinendo* 1 Theſſ. V, 22. & *odio habendo vel eam tunicam quæ à carnis contactu ſit maculata* Jud: 23. Denique ſi ſemper finem ſupremum tum noſtri tum omnium rerum ante oculos habeamus; *Æquitas veſtra innoteſcat omnibus hominibus, Dominus propè eſt* Phil. IV, 5. *Omnium finis imminet; eſtote igitur temperantes & ſobrii ad preces* 1 Petr. IV, 7. *Fac ut experiar, Iehova, finem meum, menſura dierum meorum quid ſit, experiar quam durabilis ſum; ecce palmares diſpoſuiſti dies meos, & tempus meum nihil eſt coram te* Pſal. XXXIX, 5. 6.

XLIV. Qui autem Sanctificationi veræ ſtudet, ſe totum Verbo Dei ſubjiciat, *Sanctifica eos tuâ veritate, ſermo ille tuus veritas eſt* Joh. XVII, 17. Hoc enim *ſemine non corruptibili, ſed incorruptibili* peragitur regeneratio noſtra 1 Petr. I, 23. Chriſtum ſibi applicet per fidem, non ſolum ad juſtitiam, ſed etiam ad ſanctificationem, tum reſpectu mortis ad mortificationem veteris hominis, tùm reſurrectionis reſpectu ad vivificationem novi; *Conſepulti* enim *ſumus ei per baptiſmum in mortem, ut ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus; Nam ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus, nimirum etiam reſurrectionis aſſimilatione cum eo coaleſcemus; illud ſcientes veterem noſtrum hominem cum eo crucifixum eſſe ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius ſerviamus peccato* Rom. VI, 4. 5. 6 Attendat ad promiſſiones ſingulariter ipſam Sanctificationem ſpectantes, qualis hæc, *Beati qui ſunt mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* Matth. V, 8. & Spiritui Sancto ſeſe totum tradat, eum nec contriſtando, nec extinguendo, ut ab eo agatur & ducatur in omnibus; *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſed ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis* Rom. VIII, 3. *Et ne triſtate Spiritum illum Sanctum Dei per quem obſignati eſtis in diem redemptionis* Eph. IV, 30. item *Spiritum ne extinguite* 1 Theſſ. V, 19.

XLV. (*b*) Porrò Sanctificationi convenit, I. Imperfectio & inæqualitas; Similis eſt telæ Penelopes, in quâ ſemper aliquid ſupererat pertexendum: Etſi enim illius principium primo regenerationis noſtræ inſtanti accepimus, ipſa tamen non niſi gradatim & ſucceſſivè peragitur: Perfectio non eſt viæ ſed patriæ; Non itaquè perficitur in hac vitâ, ſed quod ſupereſt nativæ corruptionis in fideli regenito, per mortem ipſam extinguitur, cùm *ex hoc corpore mortis liberatur*,

a *Ab his reditur ad* Sanctificationem *in communi, cujus proponuntur* Incitamenta, Subſidia & Officia. b *Necnon* Adjuncta *duo* 1. Imperfectio,

juxta Pauli votum Rom. VII, 24. & illo ipso instanti quo amittit suum esse naturale, acquirit ultimum gradum sui benè esse spiritualis; *Etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renovatur in dies* 2 Cor. IV, 16. *Etenim qui mortuus est, liberatus* (sive ut Græcus habet textus *justificatus*) *est à peccato* Rom. VI, 7. quia in foro humano, morte reatus finitur, nec potest qui mortuus est novum reatum contrahere ex quo veniat condemnandus & puniendus. Mors est animæ ad regenerationem complendam, quod est nativitas corpori ad generationem absolvendam, ut nullâ ad id opus sit morâ inter mortem & glorificationem fidelium; *Beati qui in Domino moriuntur, nam requiescunt à laboribus suis* Apoc. XIV, 13. idque illicò; cùm in hora mortis cuique dicatur à Christo quod Latroni converso, *Hodie mecum eris in paradiso* Luc. XXIII, 43.

XLVI. (a) II. Perseverantia; cùm enim ex fide tanquam sua radice pendeat, hæc verò etsi non semper actus suos exerat, nunquam tamen penitùs deficiat, necesse est ipsam Sanctificationem à fide fluentem & ex electione Dei ac semine ipsius intra nos manente pendentem, sic perseverare, ut *Deus qui incœpit in nobis opus bonum*, illud *perficiat usque ad diem Iesu Christi, efficiendo & ipsum velle & ipsum agere pro gratuita sua benevolentia* Philip. I, 6. II, 13. neque *ab operibus manuum suarum desistat* Psal. CXXXVIII, 8. *cùm dona & vocatio ipsius sint* ἀμεταμέλητα Rom. XI, 29. Quamvis enim eodem semper tenore non continuetur, sed varias alioquin remoras & interruptiones per inhabitans peccatum patiatur, & in illius progressu sentiant fideles sibi evenire quod experiuntur qui remis & contis contra fluentum navigant, ut parum spacii magno nisu emetiantur, & multum retrocedant, si tantillum ab opere destiterint; tamen peragitur etiam per illas difficultates, ut accretio infantis non obstantibus morbis quibuscum conflictatur.

XLVII. (b) Hinc fit quod fideles & regeniti incidant quandoque in peccata etiam gravia, ut Petri, Salomonis, Davidis, aliisque exemplis constat; Nec enim Pontificiorum, Socinianorum,
P.S. A.F. Swenckfeldianorum, Anabaptistarum & aliorum Perfectistarum, impeccantiæ cum Pelagio patronorum, probamus commentum, de consummata renatorum obedientia, quâ ita circumspectè vitam suam traducant ut nunquam labantur: reclamante universâ Scripturâ, omnium sæculorum experientiâ, & cujusque conscientiâ. Non absolutè, sed pro subjecta materia intelligendus est Paulus dicens *Omnia valeo*, (nempe quæ spectant ad præsentis vitæ qualemcunque conditionem vel patienter vel moderatè ferendam) *per eum qui me corroborat, nempe Christum* Phil. IV, 13. *Omnia* quoque *sunt possibilia credenti* Marc. IX, 23. quoad extraordinaria Dei beneficia consequenda, non ut possit esse simpliciter absque omni peccato: Corona etiam non nisi vincenti promittitur; *Si quis vicerit & observaverit ad finem usque mandata mea, dabo ei potestatem in gentes* Apoc. II, 26. Sed pugnatur in hac vita, victoria demum in morte consummatur, & cursu peracto corona obtinetur; unde Paulus jam metæ proximus dicebat, *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi; quod reliquum est reposita est mihi justitiæ corona* 2 Tim. IV, 7. 8.

XLVIII. Non solum potest Deus suos ἀπταίστους καὶ ἀμώμους servare, idest eos *custodire à lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exsultatione* Jud. 24. sed etiam præstat, nempe per Justificationem gratuitam, non imputando illis suos lapsus, & per Sanctificationem inchoatam; non ut in plerisque non cæspitent in hac vita; contrarium docet Jacob. III, 2. *In multis impingimus omnes*; sed ut penitùs & ad internecionem non corruant, ut impii, (*Ubi enim cadunt operarii iniquitatis, ita impelluntur ut non possint surgere* Psal. XXXVI, 13.) & quantumvis claudicando, ut Jacob, Bethelem tamen perveniant; Et cùm non nisi post mortem gloriæ suæ sisti debeant, non ante quoque planè ac perfectè quod ad Sanctificationem erunt ἀμώμοι.

XLIX. Ad perfectionem quidem, Scriptura sæpè fideles invitat, proposito & Dei & Christi exemplo; *Estote vos perfecti, sicut Pater vester qui est in cœlis perfectus est* Matth. V, 48 imò *inculpati & simplices Dei filii, inculpati in medio gentis pravæ & perversæ, inter quos homines splendetis, ut faces in mundo* Philip. II, 15. prout *adultorum*, sive *perfectorum*, *est solidus cibus, eorum videlicet qui propter habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali* Hebr. V, 14. Et sanè *qui dicit se in Christo habitare debet ut ipse ambulavit etiam ambulare* 1 Joh. II, 6. Sed ita con-

a 2. Perseverantia. b Refutatis Perfectistis.

connotat quid sit officii nostri, non quid nostrarum virium. Eam etiam ceu metam debemus anhelare, sed illam tamen in stadio non consequimur. Et si quæ justitia & perfectio tribuitur aliquando piis & sanctis in hac vita, ea debet intelligi vel non personæ sed causæ, ut cùm David dixit, *Restituit mihi Iehova secundum justitiam meam, secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis* Psal. XVIII, 25. Vel non inhærens sed imputata, quatenus Christus *factus est peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso* 2 Cor. V, 21. Vel non absolutè, sed comparatè ad impios; ut cùm Noach dicitur fuisse *vir justus & integer in ætatibus suis* Gen. VI, 9. Vel non coram Deo, *coram* quo *non esset justus ullus vivens* Psal. CXLIII, 2. sed apud homines, prout Zacharias & Elisabetha *erant justi ambo in conspectu Dei* (idest synceri, & absque fuco studentes integritati) *incedentes* præ aliis, *in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpatè* Luc. 1, 6. Vel non Legaliter sed Euangelicè, partim ex perfecta peccatorum remissione, in qua nostra Justificatio sita est, ut suo loco probatum abundè, partim ex serio & sancto studio omnia Dei mandata servandi, perfectione saltem partium, non graduum. Hæc autem perfectio partium quæ vulgò tribuitur Sanctificationi in hac vita, non tam significat Sanctificationem completam esse omnibus partibus integrantibus & materialibus illius subjectivè constitutivis, quam objectivè se extendere ad omnes partes & facultates hominis paulatim sanctificandas & renovandas.

L. Nec ideo efficaciùs Satan agit in impiis, quos sic occupat ut nihil nisi quod flagitiosum sit moliantur, quam Deus in piis, etsi hi suis non careant nævis; Nam longè majoris est efficaciæ lapsum erigere & mortuum suscitare, quam ruentem impellere: Infinitam quoque vim & efficaciam Deus exerit in nobis primum vivificandis, & deinceps contra Satanam & peccatum, ne prædominentur, muniendis & conservandis; Sed tamen in ipsa Sanctificatione perficienda eam demum adhibet efficaciam, quæ subjecto in quod agit contemperetur, & rei non nisi gradatim perficiendæ conveniat.

LI. (a) Cur verò totum hoc Deus sic dispenset, ut Sanctificatio momento vel in hac vita non perficiatur, multæ sunt rationes. Sic enim discrimen apparet inter Justificationem & Sanctificationem, Ecclesiam militantem & triumphantem, viam & patriam. Tum pii infirmitatum suarum sensu & conscientiâ ad humilitatem formantur, ex sola Dei gratia salutem expectant, & avidiùs ad Cœli fœlicitatem adspirant, mortemque excipiunt alacriùs. Et sicut Israëli Cananæorum, ita nobis reliquiæ peccati inserviunt ad exercitium spirituale, unde tot exhortationes ad bonum certamen decertandum. (b) Hinc lucta illa Carnis & Spiritus, qualis describitur Paulo dicenti, *Spiritu ambulate, & quod concupiscit caro ne perficite; Nam caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem; hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis* Galat. V, 16. 17. & quam in seipso experiebatur Rom. VII, 22. 23. *Delector*, inquit, *Lege Dei quod ad interiorem hominem, sed cerno aliam Legem in membris meis belligerantem adversus Legem mentis meæ & captivum me reddentem Legi peccati quæ est in membris meis:* Paulum enim hîc loqui de se tanquam regenito, quicquid contra pertendant Arminii & Socini sequaces, & quotquot ex illis conantur inde, vel arbitrii vires in corrupta natura, vel renatorum impeccantiam adstruere, multa evincunt. A. S.

LII. Agit enim de eo qui velit bonum, (*nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est efficiam non assequor* vers. 18.) hoc est serio ardentique desiderio tenetur vitandi quævis peccata, etiam interiores concupiscentiæ motus inordinatos, ut gratitudinem suam adprobet Liberatori per Christum; in quem etiam respicit vers. 24. 25. Nam post optatam liberationem *ex isto corpore mortis*, subjicit, *Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum:* Hoc verò θέλειν est à Deo regenerante; *Deus enim is est qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum agere* Phil. II, 13. etsi non assequatur statim is qui ita vult omne quod volebat. Tum is de quo Paulus, peccatum, detestatur & summo conatu illi resistit; *Non quod volo hoc ago, sed quod odi id facio* vers. 15. & mori optat ut à peccato liberetur, morbique medicinam in Christo quærit & reperit; *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis? Gratias ago Deo per Iesum Christum*, vel ut habet V. V. *Gratia Dei per Iesum Christum*, vers. 24. 25. Quæ omnia arguunt salutarem dolorem de peccato & *tristitiam* non κατὰ τὸν κόσμον, quæ etiam

a Et reddita ratione cur Sanctificatio non peragatur momento; b *Ubi de* Lucta Carnis & Spiritus.

tiam cadit in irregenitos *& mortem efficit*, sed *κατὰ τὸν θεὸν*, *quæ resipiscentiam efficit ad salutem cujus nunquam pœniteat* 2 Cor. VII, 10. & graphicam hominis regeniti descriptionem continent, prout talis *nec segnis* est & *abrenunciat pudendis latebris* 2 Cor. IV, 1. 2. Quin idem homo Paulinus *delectatur Lege Dei κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον* vers. 22. qui idem est Apostolo quod regenitorum novus homo; Sic enim pro Ephesiis petebat à Deo ut corroborarentur *per Spiritum suum in interiore homine* Eph. III, 16. & *etiamsi*, inquit alibi, *externus homo noster corrumpitur*, *internus tamen renovatur in dies* 2 Cor. IV, 15.

LIII. Describitur tamen *ceu omni concupiscentiæ* per *peccatum* obnoxius, *carnalis & venditus sub peccato*, *mortuus*, sive mancipatus morti per peccatum *occasione & adventu præcepti* in se *reviviscens*, detentus à *corpore mortis*, faciensque *malum* quod nolit, &c. quatenus nempe talis est fidelis naturâ suâ, & comparatè ad rigorem Legis; quæ *Spiritualis* cùm sit retegit atque exaggerat peccata, & consummatissimam exigit obedientiam, nostrosque defectus nobis ob oculos ponit; quamvis juxta *ἐπιείκειαν* Euangelicam, *carnem crucifixisse* intelligatur *cum affectibus & concupiscentiis* illius Gal. V, 14. & censeatur per Christum vivificatus, spiritualis, liberatus à peccato & Lege mortis: *Ita vos colligite*, *vos tum mortuos esse peccato*, *tum vivere Deo per Christum*; *Peccatum enim vobis non dominabitur*, *quia non estis sub Lege sed sub Gratia*; *Et liberati à peccato servi facti estis justitiæ* Rom. VI, 11. 14. 18. 22. *Nam Lex Spiritus vitæ qui est in Christo Iesu liberavit nos à Lege peccati & mortis*, nos inquam *qui non secundum carnem ambulamus sed secundum Spiritum* Rom. VIII, 2. 4. Non quod sit planè *ἀναμάρτητος*, sed quod reluctetur nativæ illi suæ corruptioni, liberationem in Christo oblatam verâ fide amplectatur, nec ultrà subsit absoluto dominio peccati, illudque pro hoste ac tyranno habeat contra quem dimicet, non pro Rege legitimo cui ultrò pareat.

LIV. (*a*) Fateor etiam in irregenitis aliquam pugnam reperiri inter appetitum & rationem, quæ oritur ex dictamine conscientiæ & metu servili pœnæ, & duntaxat circa crassiora scelera quæ omnes naturali lumine abominantur, & potest consistere cum quotidiano peccandi exercitio, efficitque quidem aliquando ut fiat bonum, non tamen ut benè fiat, ac potiùs reprimit peccatum, quam perimit: Sed Lucta Spiritus & Carnis in fideli, ut Jacobi contra Esavum in utero Rebeccæ, consistit in oppositione novæ cujusdam supernaturalis qualitatis, quæ non minùs viget in facultate irascibili & concupiscibili, quam in rectrice & rationali, contra pravas inclinationes peccati inhabitantis, ex filiali Dei timore, etiam circa ea quæ in hominum foro externo nec pœnæ nec ferè ulli vituperio subsunt, & efficit attrito paulatim peccato, ut quamvis in multis impingatur, tamen vitæ cursus & series instituatur secundum Dei voluntatem; *Quisquis enim natus est ex Deo*, *peccato non dat operam*, *quoniam semen ipsius in eo manet*, *nec potest peccare eo quod ex Deo natus est*, *& per hoc manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli*; *quisquis non dat operam justitiæ non est ex Deo* 1 Joh. III, 9. 10.

LV. Sed quamvis incidant fideles in gravia quandoque peccata contra suam scientiam & conscientiam, tamen (etsi negent Lutherani & alii Apostasiæ Sanctorum patroni) à peccato simpliciter *regnante*, ut scilicet manu elatâ contra Deum peccent, immunes conservantur, juxta Dei electionem, curam & promissiones firmissimas; *Erunt mihi populus & ego ero ipsis Deus: Indam enim illis cor unum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus*, *ad bonum ipsorum & filiorum ipsorum post ipsos*; *Et pangam ipsis fœdus perpetuum fore ut non avertam me à prosequendis ipsis benefaciendo ipsis*, *& reverentiam mei indam animo ipsorum ut non recedant à me* Jer. XXXII, 38. 39. 40. Quò maximè spectat quod monet Apostolus, eum *qui natus* est *ex Deo* non *facere peccatum*, nec *posse peccare eò quod ex Deo natus sit* 1 Joh. III, 9. V, 18. Electos sane *non posse seduci*, totaliter nempe & finaliter, docet Christus Matth. XXIV, 24. & Johan. XVII, 11. 12. apertè Patrem rogat ut *servet* suos *per nomen* suum, quos ipse hactenus ita *custodivit ut nemo ex eis perierit nisi filius perditionis*, *ut Scriptura impleretur*. Ac sicut Paulus de Philippensibus *persuasum habebat*, *hoc ipsum fore*, *ut qui incepit in illis opus bonum*, *perficiat usque ad diem Christi* Phil. I, 6. ita Petrus testatur pios *virtutis Dei præsidio custodiri per fidem*, *ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo* 1 Petr. I, 5. Hominem enim eundem sæpiùs posse regenerari, aut semel regenitum à sua regeneratione & filiorum hæreditati excidere, tam est absurdum, licet sic placate Arminianis, quam verum est *nos renasci non ex* L. R. P.

semi-

a *Quæ non est irregenitorum.*

semine corruptibili, sed incorruptibili, idest per sermonem Dei vivi & manentis in æternum 1 Petr. 1, 23.

LVI. Et cùm Caro & Spiritus, homo vetus & novus, sint quasi in fideli duplex principium *quo* suarum actionum, in quibus per vices prædominantur, sicut propter reluctantiam Carnis actiones quæ Spiritum sequuntur nunquam ita sunt ab omni labe depuratæ quin aliquid habeant nævi & vitii, adeo ut nec ipse Petrus martyrium pro Christo adierit citra aliquam pugnam; *Cùm senueris extendes manus tuas, & alius te cinget & transferet quò nolles* Joh. XXI, 18. ita illæ in quibus Caro præpollet, nunquam eousque peccato inhabitanti mancipantur, quin semper per Spiritus oppositionem, vel in continenti & simultaneam, vel succedaneam & ex postfacto, illius plenipotentia & tyrannis impediatur & infringatur.

LOCUS DECIMUS TERTIUS,
De
RESIPISCENTIA
& Libertate Christiana.



Regenerationis (*a*) & Sanctificationis adjuncta Beneficia sunt Resipiscentia & Libertas Christiana; Illa quidem, tùm quia in prima hominis conversione salutari, Pœnitentia se habet ad Sanctificationem inchoandam, ut Fides ad Justificationem consequendam; unde summa prædicationis Euangelicæ hæc est, *Resipiscite & credite Euangelio*; tùm quia toties per Resipiscentiam resurgendum est à lapsu in progressu Sanctificationis, quoties in lucta spirituali caro ullo modo prævaluerit. Hæc verò, quoniam ubi est *Spiritus ille Dominus* & Sanctificator *illic est libertas* 2 Co. III, 17.

II. (*b*) Non nescio sæpè in Scripturis & apud Theologos, Regenerationem, Renovationem, Sanctificationem, Conversionem, Resipiscentiam, esse synonyma; Quo significatu hoc ultimum vocabulum venire videtur Matth. III, 2. 8. *Resipiscite, appropinquavit enim regnum Dei; Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ*; & Matth IX, 13. *Non veni vocatum justos sed peccatores ad resipiscentiam*; & Luc. XXIV, 46. 47. *Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertio die, & prædicari ejus nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum apud omnes Gentes*; & Actor. V, 31. *Hunc Deus dexterâ suâ sursum sublatum constituit, ut det resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum*; & Act. XXIV, 20. *Iis qui sunt Damasci primùm & Hierosolymis & in omni regione Iudææ, deinde & Gentibus annunciavi ut resipiscerent & converterent se ad Deum, opera facientes convenientia resipiscentiæ*: Quamvis enim in prioris parte pericopæ conversio & resipiscentia videantur distingui, tamen in posteriori, utraque nomine resipiscentiæ continetur. Sed nobis hîc paulò arctiùs sumitur, pro illo hominis actu, quo seriò & secundum Deum dolet de peccatis commissis, & veniâ deprecatâ, sibi proponit illa non ampliùs committere.

III. De voce priùs dicendum. (*c*) Falluntur qui Hebræorum *Theschubha*, quod propriè conversionem notat, putant idem esse quod *Resipiscentia*; Latiùs enim patet, unde nunquam exprimitur per μετάνοιαν vel μεταμέλειαν, sive nominaliter, sive verbaliter, ab interpretibus Alexandrinis, qui LXX. vulgò dicuntur. Sed quod Hebræis est *Nicham*, illud ipsis est μετανοεῖν & μεταμελέσθαι; Interea tamen μεταμέλεια, videtur propriè sonare anxietatem & sollicitudinem ex admisso peccato ob pœnæ metum: Με-

a. *Sanctificationis* adjuncta *beneficia dua*, b 1. RESIPISCENTIA *cujus exutitur*, c 1. Nomen, d Hebraicum,

τάνοια insuper sanctum consilium propositumque serium emendationis in melius. (*a*) Omnis μετάνοια, μεταμέλειαν præsupponit, unde sæpè promiscuæ sunt significationis; tamen omnis μεταμέλεια non ponit μετάνοιαν; quod constat exemplo Judæ qui *videns* Jesum *damnatum*, μεταμεληθεὶς, *pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos numos ad primarios Sacerdotes & Seniores, dicens, Peccavi prodito sanguine innoxio* Matth. XXVII, 3. 4. (*b*) Idem statuendum de nominibus *Pœnitentiæ* & *Resipiscentiæ*. Illud quod tædium & dolorem rei perperam gestæ denotat, maximè metu pœnæ, (à qua illi nomen) non
P. verò, ut malè Pontificii, quod per eam homo puniat in se quod perperam fecit, (quamvis is ipse dolor qui pone sequitur peccatum, sit quædam prima ejus ultio;) ad μεταμέλειαν spectat; istud verò ad μετάνοιαν, sive mentis mutationem, cùm resipiscere sit ad mentis sanitatem redire; cujus exemplum est luculentum in filio prodigo, qui *quum ad se rediisset dixit, Quot mercenarii patris mei redundant panibus, ego verò fame pereo? Surgens proficiscar ad patrem meum, & dicam ei, Pater ego peccavi in cœlum & in tuo conspectu, neque amplius sum dignus vocari filius tuus, fac me ut unum ex mercenariis tuis*; quod consilium prudenter cœptum, illicò executioni dedit Luc. XV, 17. 18. 19.

P. IV. Perperam ergo Pontificii ad *pœnam* duntaxat externam, Pœnitentiæ nomen coarctant, quamvis illi accelerandæ inserviat metus pœnæ, ut ejusdem deprecatio ei inter alia constituendæ: & cùm officiis hominis Christiani sit annumeranda, imò *virtus* dicatur Adversariis, formalis ejus ratio pœnalis esse non potest. (*c*) Sed ne in limine impingamus, non est pœnitentia interior & in foro conscientiæ, confundenda cum externa & in foro Ecclesiæ; quarum hæc illi vel contestandæ, vel excitandæ, vel promovendæ, debet inservire.

V. (*d*) Olim enim fideles, qui jus habebant communionis Sacramentorum, distinguebantur tùm à Catechumenis nondum ad illa admissis, tùm à Pœnitentibus à Sacrorum communione abstentis & suspensis per potestatem clavium, donec per varia eaque publica humiliationis exercitia, communi *Exomologeseôs* nomine ut plurimùm expressa, idoneè reparato scandalo Ecclesiæ, eâdem iterum potestate publicè reciperentur & admitterentur. Pertinuit hæc Pœnitentia ad Disciplinam Ecclesiæ & morum severiorem censuram, quæ quàm rigida fuerit constat ex antiquis Canonibus pœnitentialibus, qui tractu temporis in desuetudinem abierunt. (*e*) Hæc dum non satis accuratè distinguunt Pontificii, in varios errores de Pœni- P.
tentia & aliis ad eam pertinentibus incidunt, quorum πρῶτον ψεῦδος est quod Pœnitentiam simul Virtutem & Sacramentum propriè dictum asserunt.

VI. Utrumque tamen simul esse nequit, imò propriè loquendo neutrum est: Non potest esse simul Virtus & Sacramentum, cùm hæc duo toto genere differant. (*f*) Virtus etiam non satis P.
propriè dicitur, præsertim ex Adversariorum hypothesi, qui statuunt non esse eam mentis, cordis & affectuum interiorum mutationem, sed exteriorem duntaxat pœnam, quam aut homo sibi irrogat, aut Sacerdos imponit peccatori confitenti. Et cùm respiciat peccata cujuslibet ordinis, non solùm præcavenda, sed etiam jam admissa, malim eam referri ad commune studium virtutis & officium pietatis, quàm ex illa specialem virtutem, ut faciunt Scholastici, constituere: siquidem nec Theologicis, nec moralibus virtutibus potest annumerari, & absurdissimè Justitiæ speciebus accensetur ex præconcepto *Satisfactionis* per illam errore: Nec enim honestas actus sufficit ad virtutem constituendam, cùm ipse Aristoteles verecundiam, cui tamen sua inest honestas, virtutibus nolit accenseri: Quæ ergo Pontificii disputant de Pœnitentia ut virtus est P.
specialis, planè sunt superflua.

VII. (*g*) Multò ineptiùs Sacramentum propriè P.
dictum constituitur, quod ante Lombardi tempora nemo fecit; cùm ex officio sive virtute, uti hæc dicitur Adversariis, ritum externum & ceremoniam facere, sit absurdum: Nec ad aliam Pœnitentiam tenemur in foro conscientiæ, quàm quæ à Prophetis sub V. T. & Johanne Baptista atque ipso Christo inculcatur, quam Sacramentalem fuisse, ne ipsa quidem impudentia ausit dicere: & ineptè dicerentur Ministri Ecclesiæ Pœnitentiam administrare & porrigere fidelibus, ut illis distribuunt & administrant Sacramenta. Nullum etiam hîc Symbolum & Elementum externum potest adferri, ad quod accedat Verbum ut fiat Sacramentum: Et si quod detur Sacramentum Pœnitentiæ, illud est Baptisma,
ut

a *Græcum* b *Latinum*. c *Cum distinctione Pœnitentiæ duplicis*; d *Exterior quæ?* e 2. *Quid non sit*. f *Nec virtus propriè*. g *Nec* Sacramentum.

ut ajebat Joannes; *Ego baptizo vos aquâ ad resipiscentiam* Matth. III, 4. Is siquidem *baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicendo populo ut in eum qui venturus erat post se crederent, hoc est in Christum Iesum* Actor. XIX, 4. Hinc dicimur *consepulti* Christo *per baptismum in ejus mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ ambulemus* Rom. VI, 4.

P. VIII. Ipsis quoque Pontificiis hæret aqua in definienda materia & forma hujus Sacramenti; communior hodie sententia illam actibus pœnitentis, Contritione, Confessione, & Satisfactione definit, hanc Absolutioni Sacerdotis tribuit. Scotistæ tamen pœnitentis actus dispositivè tantùm volunt ad Sacramentum concurrere, & solam Absolutionem illud essentialiter constituere. Qui verò actus illius cui Sacramentum aliquod debet conferri, possunt esse illius Sacramenti tota materia? Et hæc cùm debeat esse sensibilis & externa, cur ad eam trahitur contritio cordis, quæ in sensus non incurrit & soli Deo nota est? Imò, si Becano fides, omnes fatentur contritionem non esse necessariam in Sacramento Pœnitentiæ, quod ibi sufficiat attritio: Et cùm Satisfactio injungatur à Sacerdote in ipsa confessione, & demum post absolutionem præstetur, quâ ratione cùm sit posterior formâ imaginarii hujus Sacramenti, & ad eam plures interdum anni requirantur, spectabit illius materiam quæ formæ illi introducendæ præexistere debet? Quid enim absurdius, quàm formam introductam & perfectionem Sacramenti alicujus fingere, cujus tamen pars quædam materialis & essentialis nondum existit, & non nisi fortè decennio post est extitura? Et quæ certitudo potest haberi ullum hîc esse Sacramentum, cùm de materia nihil constare possit Ministro, nec ipsi etiam pœnitenti, qui tamen eam conferre tenetur?

IX. Absolutio item Sacerdotalis ad pœnitentiam, de qua disputamus, non potest essentialiter pertinere; cùm remissio peccatorum non quidem absque vera pœnitentia, sed tamen absque Sacerdotali absolutione possit obtineri, statuentibus ipsis Pontificiis nullum esse peccatum, etiam mortale, quod per veram contritionem, etiam extra Sacramentum & sine Sacramento Pœnitentiæ, cùm Deus suam gratiam Sacramentis non alligaverit, deleri non possit, citato loco Ezech. XVIII, 20. *Quum improbus conversus ab omnibus peccatis suis quæ fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus ac justitiam; omninò vivet & non morietur.* Imò ipsa Pontificiorum absolutio imaginaria, cùm opera pœnalia imponat peccatori deinceps ab ipso præstanda, ordine planè præpostero & contra quam in pœnitentia Ecclesiastica veteri observabatur, non tam absolutio, quam ligatio dicenda est.

X. (a) Perabsurdè verò ad Pœnitentiæ Sacramentum proferuntur loca Matth. XVI, 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cœlis, & quicquid solveris in terra solutum erit in cœlis*; & Matth. XVIII, 17. 18. *Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus; Amen dico vobis quæcunque ligaveritis in terra erunt ligata in cœlo, & quæcunque solveritis in terra erunt soluta in cœlo*; & Joh. XX, 23. *Si quorum remiseritis peccata remittuntur eis, si quorum retinueritis retenta sunt.* Nam quæ spectant in communi Ministerium reconciliationis, quod *nobis dedit* Deus, cujusque *sermonem in nobis posuit*, unde *nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos, oramus Christi nomine, Reconciliamini Deo* 2. Cor. V, 18. 19. 20. & sanctæ Disciplinæ exercitium in Ecclesia, neque huc speciatim trahi possunt, nec pertinent ad Judiciales hos processus, tribunal-ve propriè dictum, in quo Sacerdos judicem agat & jurisdictionem exerceat inter Deum & peccatorem. Ligant ministri Ecclesiæ & retinent peccata, impœnitentibus & scandalosis denuntiantes iram Dei, & eos, si exigat ædificatio Ecclesiæ, donec resipuerint, à Sacramentis arcentes: Solvunt verò & remittunt peccata ministerialiter, (cùm aliàs principaliter hoc solius sit Dei, in quem peccavimus & qui jus habet pœnas exigendi; *Quis* enim *potest remittere peccata nisi solus Deus*? Marc. II, 7. unde Davidi dicenti ad Nathanem, *Peccavi Iehovæ*, Nathan, ceu reconciliationis minister, respondit, *Etiam Iehova transtulit peccatum tuum, non es moriturus* 2. Sam. XII, 13. Is sanè *unus est ille Legislator qui potest servare & perdere* Jac. IV, 12,) tùm pœnitentibus & credentibus in communi annunciando per Christum remissionem peccatorum, tùm etiam in speciali eos recipiendo iterum ad Sacramenta & sigilla remissionis peccatorum, qui post abstentionem aut excommunicationem, humiliationis seriæ & veræ pœnitentiæ signa dederint.

a *Potestas ligandi & solvendi huc non facit.*

XI. (*a*) Vera autem & salutaris pœnitentia, his tribus demum partibus sive actibus essentialibus non constat, uti volunt Pontificii, nempe *contritione* cordis, *confessione* oris, & *satisfactione* operis; nam hæc tria etiam possunt observari in pœnitentia Judæ proditoris, cujus μεταμέλεια dolorem cordis significat; peccatum quoque suum confitetur, dicendo Sacerdotibus, *Peccavi prodito sanguine innoxio*; & ad operis satisfactionem pertinet, quam nullæ flagellationes Pontificiæ æquant, quod *projectis numis argenteis in templum, secessit, & abiens strangulavit se* Matth. XXVII, 3. 4. 5. nequis hic fingat eum apoplexiâ perculsum decessisse, ut quidam somniant. Tantum etiam abest, ut intentio satisfaciendi Deo pro culpa sit primus & potissimus actus pœnitentiæ, prout iidem statuunt, ut è contrario talis intentio, tanquam superciliosa Christique satisfactioni & gratuitæ peccatorum remissioni è diametro contraria, resipiscentiam omnem salutarem corrumpat & evertat. Quantum verò ad auricularem confessionem, non esse eam de essentia pœnitentiæ, ut saltem habet rationem virtutis sive potius officii, nec ipsimet Adversarii diffitentur.

P.

P.

XII. Pœnitentiæ quoque salutaris pars essentialis non est contritio cordis, ut præcisè significat merum remorsum conscientiæ & tristitiam *secundum mundum*, uti vocatur Paulo, *quæ mortem efficit* 2. Cor. VII, 10. cùm cadat etiam in impios, & sit illis suburbium inferni. Nova item obedientia, ad *fructus* pœnitentiæ, sive *convenientes resipiscentiæ* Matth. III, 8. ad quos Christus Ephesinam Ecclesiam invitabat, ceu ab ipsa resipiscentia manantes, *Memor esto unde excideris, & resipisce, & priora opera facito* Apoc. II, 5. non propriè ad illius essentiam spectat. Fides quoque perperam à nonnullis partibus resipiscentiæ annumeratur, cùm passim hæc duo in Scripturis distinguantur; *Resipiscite & credite Euangelio* Marc. I, 15. *Attestans Iudæis simul & Græcis conversionen ad Deum, & fidem quæ est in Dominum nostrum Iesum Christum* Act. XX, 21. Et quamvis in vocandis & convertendis, aliquis ex peccato dolor & iræ divinæ metus præcedat fidem, attamen & in ipsa conversione fides & pœnitentia totalis ita simul sunt tempore, ut illa quadantenus ordine naturæ prior sit, & in vocatis & conversis ex fide fluat eique innitatur: Eum nunquam verè pœnitebit qui non credat sibi seriò resipiscenti remissum iri peccata, cùm resipiscentia ad remissionem gratuitam consequendam ac sentiendam ordinetur.

XIII. Malè etiam statuit Episcopius pœnitentiæ naturam intimè constituere dolorem de peccato & illius merito; quia sic pœnitentia ultra *tristitiam mundi, quæ efficit mortem*, 1. Cor. VII, 10. non progrederetur. (*b*) Quid ergò nos? Varios actus ad integritatem pœnitentiæ seriæ & salutaris requirimus; quorum primus est cordis sancta *Contritio*, id est *tristitia secundum Deum*, quæ oritur non tam ex timore servili & metu pœnæ, quam ex timore filiali & amore virtutis, per veram severamque detestationem peccati, ejus magnitudine, gravitate & turpitudine, ex Dei Lege, naturâ & beneficiis, nostroque officio benè æstimatis; De hac loquitur David cùm ait, *Sacrificia Dei sunt spiritus fractus, animum fractum & contritum, ô Deus, non spernis* Ps. LI, 19. Imò eadem tenebatur dicendo, *Non est integritas in carne mea propter detestationem tuam, non est pax ossibus meis propter peccatum meum; Nam iniquitates meæ transcendunt caput meum ut onus grave, graviores sunt quam ut perferre queam* Ps. XXXVIII, 4. 5. Ejus quoque meminit Propheta cùm ait, *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus; nam postquam conversus fuero pœnitebit me, & postquam ostensum fuerit mihi applaudam femori; erubesco etiamque suffundor rubore quod feram opprobrium pueritiæ meæ* Jer. XXXI, 18. 19. Ad eandem invitamur patheticè Joel. II, 13. *Lacerate corda vestra ac non vestes vestras, & revertimini ad Iehovam Deum vestrum.* Uno verbo, illa est *tristitia secundum Deum quæ resipiscentiam efficit ad salutem cujus nunquam pœniteat* 2. Cor. VII, 10. & quâ ducebantur primæ concionis Apostolicæ auditores in Pentecoste, qui *compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres?* quibus fuit responsum, *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum* Act. II, 37. 38.

R.

XIV. (*c*) Debet hæc sancta contritio esse seria & sincera; Sed quod volunt Pontificii eam adæquandam esse peccato, si non *extensivè*, aut *intensivè*, saltē *appreciativè*, aliàs abituram in simplicem *attritionem*, solis venialibus expiandis extra Sacramentum pœnitentiæ aptam, (plerique enim volunt eam cum Sacramento mortalibus etiam inducendis sufficere, quamvis de eo litigent Jesuitæ

P.

a 3. Partes κατ' ἄρσιν. b κατὰ θέσιν, 1. Contritio secundum Deum. c Qualis.

ſuitæ & Janſeniſtæ ;) laqueum deſperationis injicit conſcientiis, & ab hominibus finitis exigit contritionem infiniti pretii, ſi adæquatè debeat appreciari peccato, cujus malitia eſt ſuo modo infinita; imò illa ipſa diſtinctio inter *attritionem* & *contritionem*, quæ multa abſurda & contradictoria ſecum involvit, nullo Scripturæ teſtimonio, nulla probabili ratione, defendi poteſt.

XV. (*a*) Secundus pœnitentiæ ſalutaris actus eſt *Confeſſio* peccatorum (h. e. non divinæ *laudis*, de quâ Rom. x, 10. *Corde creditur ad juſtitiam, fit autem ore confeſſio ad ſalutem*, ſed noſtræ corruptionis & *fraudis*) quæ veniæ deprecationem & Miſericordiæ Divinæ implorationem conjunctam habeat; quò ſpectat dictum Davidis; *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam; Dixi, Confitebor defectiones meas Iehovæ, & tu ſuſtuliſti pœnam peccati mei maximi* Pſal. xxxii, 5. & Salomonis, *Qui tegit defectiones ſuas non proſperabitur, qui verò fatetur & derelinquit, afficietur miſericordiâ* Prov. xxviii, 13. & Johannis, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate* 1. Joh. 1, 9. Illius ſpecimen videre eſt in prodigo dicente, *Pater peccavi in cœlum & in tuo conſpectu, neque amplius dignus ſum vocari tuus filius* Luc: xv, 21. nec non in Publicano, qui *procul ſtans nolebat vel oculos in cœlum attollere, ſed cædebat pectus ſuum dicens, Deus placator mihi peccatori* Luc. xviii, 13. Hæc confeſſio fit apud Deum, cui *ſoli* propriè peccatur Pſal. li, 6 & qui ſolus poteſt peccata vel condonare vel punire, uti viſum § 10. (*b*) Fit itidem tum verbis, quorum jam nonnulla retulimus exempla, quibus addi poteſt & illud Danielis, qui *orans Iehovam, confeſſus eſt ac dixit, Obſecro Domine Deus fortiſſime, & maxime, & ſummè reverende, ſervans fœdus & benignitatem amantibus ipſum & obſervantibus præcepta ipſius, Peccavimus, perverſe egimus, improbèque fecimus, ac rebellavimus, & quidem recedendo à præceptis tuis & à juribus tuis; non enim auſcultavimus ſervis tuis Prophetis qui alloquebantur nomine tuo, reges noſtros, principes noſtros & patres noſtros, ac totum populum terræ; penes te, ô Domine, eſt juſtitia ipſa, ac penes nos pudor faciei, qualis eſt die hac* Dan. ix, 4. 5. 6. 7. (*c*) tum quandoque geſtibus ad externam humiliationem & *reatus* profeſſionem ſolemnem pertinentibus; (*d*) quò ſpectabant olim jejunium, ſaccus & cinis; tum potiſſimum ejuſmodi rebus quæ peccati agnitionem & implorationem veniæ important.

XVI. Sic realis erat confeſſio eorum qui veniebant ad Johannem baptizandi in remiſſionem peccatorum; *Baptizabantur* enim *ab eo in Iordane confitentes peccata ſua* Matth. iii, 6. Ut & illorum quorum fit mentio Act. xix, 18. 19. *qui cùm crediſſent, veniebant confitentes & indicantes facta ſua; multi verò qui curioſa exercuerant, comportatos libros exuſſerunt in omnium conſpectu.* (*e*) Præter eam confeſſionem quæ fit ſoli Deo in foro conſcientiæ, agnoſcimus I. Publicos & ſcandaloſos peccatores adigendos eſſe ad publicam peccati ſui agnitionem, priuſquàm à cenſuris Eccleſiaſticis abſolvantur; *Eos qui peccant in conſpectu omnium argue, ut & reliqui metuant* 1 Tim. v, 20. Eò ſpectarunt in veteri Eccleſia diſtincti illi quatuor pœnitentiæ gradus qui dicebantur 1. πρόσκλαυσις, *Fletus* ſive *adploratio*, ad oratorii januam, ubi peccator conſiſtens, fideles ingredientes orabat ut pro ſe precarentur; 2. ἀκρόασις, *Auditio* verbi divini in porticu oratorii, unde erat diſcedendum quam primum preces incipiebant, quibus intereſſe illi nefas erat; 3. ὑπόπτωσις, *Proſtratio*, intra templi portam, ubi cum Catechumenis conſiſtebat, & cum ipſis egredi tenebatur; 4. σύστασις, *Conſiſtentia*, cùm jus habebat inter ipſos fideles conſidendi nec amplius exeundi cum Catechumenis; eam enim tandem ſequebatur μέθεξις *Communio*, ſive participatio Sacramentorum II. (*f*) Privatos quoſlibet debere ſibi invicem ut condonare ſic confiteri offenſas mutuas; *Nam ſi remiſeritis hominibus ſuos lapſus, remittet etiam vobis Pater ille Cœleſtis* Matth. vi, 14. Unde illud Jacobæum pendet, *Confitemini alii aliis offenſas, & precamini alii pro aliis ut ſanemini* Jac. v, 17.

XVII. Nec etiam improbamus ut fideles ſenſu peccatorum ſuorum preſſi, ſuos Paſtores, ceu Reconciliationis & Euangelii Miniſtros, adeant, ipſiſque conſcientiarum ſuarum vulnera aperiant, conſilia & conſolationes Verbi Divini ex illorum ore percepturi: (*g*) Sed Confeſſionem *auricularem* Pontificiorum, quâ quiſque adultus & bapti-

a 2 Confeſſio *ad* Deum *Solum*, b *Verbâ*, c *Geſtibus*; d *Rebus*. e *Non negatâ tamen* publicâ *pœnitentiâ*, &. f *Privatâ Satisfactione* g *Sed* auricurilari Confeſſione *Pontificia rejectâ*,

baptizatus teneatur ſaltem ſemel in anno, peccata ſua mortalia omnia, quorum poſt diligens & exactum ſcrutinium conſcientiæ meminiſſe poterit, cum omnibus eorum circumſtantiis, confiteri Sacerdoti, ut eorum remiſsionem conſequatur, tanquam conſcientiarum carnificinam, ſcelerum & impuritatum ſcholam, tyrannidis & rapacitatis Pontificiæ machinam, nuſquam à Deo inſtitutam aut mandatam, homini Chriſtiano & ἀνυπόκειτῳ impoſſibilem, *Nam delicta ſua quis intelligat? abſolve me ab occultis* Pſal. xix, 13. & quam ipſi Canoniſtæ in Papatu, licet reclamantibus Theologis, juris Pontificii non Divini eſſe agnoſcunt, meritò deteſtamur.

P. XVIII. Quæ igitur hîc diſputant Pontificii de confeſſionis integritate, veritate, neceſſitate, ſaltem in articulo mortis; item de confitentium ætate & Confeſſariorum conditionibus & electione; item de caſibus reſervatis, nec non de ſigillo confeſſionis intemeratè ſervando, etiam in iis quæ ſpectarent proximi vitam, Principum ac Regum incolumitatem, Reip. & Patriæ ſalutem; item de confeſſione per ſigna, vel internuncios & veredarios, quam nonnulli Jeſuitæ, Molina nominatim, introducere conati ſunt; & ſexcentis iſtius generis in quibus mirè ſe torquent Scholaſtici aliique communionis Pontificiæ Doctores, tanquam abſurda & inficeta illis relinquimus.

XIX. (*a*) Tertium actum veræ & ſalutaris pœnitentiæ conſtituimus in ſolidæ *emendationis* propoſito & voto; unde novæ obedientiæ opera, *fructus reſipiſcentiæ* dicuntur Matth. III, 8. Ut ridiculè Leo X. hoc axioma damnaverit in Luthero, potiorem pœnitentiam eſſe emendationem vitæ, ſive, optimam pœnitentiam eſſe novam vitam. Ad illam pertinet tum reſtitutio & reparatio damni proximo quocunque modo illati, ad quam Zachæus converſus ſe obligabat dicendo, *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum* Luc. xix, 8. tum reparatio ſcandali Eccleſiæ dati; (*b*) Quò ſpectarunt veterum opera pœnalia & per gradus ſupra enumeratos Canonicæ ſatisfactiones admodùm rigidæ, adeò ut per plures annos, nonnunquam per totam vitam, eſſent continuandæ, intercluſo peccatori reditu ad communionem & pacem Eccleſiæ, niſi in articulo mortis.

P.

XX. (*c*) Cùm autem propter illum rigorem multi ad deſperationem adigerentur, multi ad Gentiliſmum relaberentur, repertum fuit temperamentum Indulgentiarum, quas peccatores, vel à ſuis Epiſcopis ultrò conſequebantur, animadverſo eorum ſerio dolore, ne abſorberentur à triſtitia, vel per martyrum ad metalla damnatorum interceſſionem obtinebant; quibus laxatâ illâ ſeveritate, ante tempus Canonibus præſtitutum, communioni reſtituebantur, & pœnarum Canonicarum illis remiſſio & gratia fiebat. (*d*) At Pontificiæ indulgentiæ, quæ primam reformationi Eccleſiæ apud Helvetios & Saxonas occaſionem dederunt, & quarum fœdiſſima eſt in Papatu nundinatio, quò ſpectat & Jubilæi commentum à Bonifacio VIII. bipedum nequiſſimo, primùm excogitatum, nihil habent commune cum veteri illa Diſciplina. P.

XXI. Nituntur enim hæ Papales indulgentiæ variis hypotheſibus falſis; ut I. Quod condonatâ culpâ apud Deum, ſatisfaciendum nobis reſtet pro pœna temporali; cùm tamen remiſſio culpæ omnem pœnam exhauriat, nullamque aliam ſatisfactionem Deo præſtitam agnoſcere debeamus præter Chriſti. II. Quod extet in Eccleſia Theſaurus ſatisfactionum ſuperfluentium Chriſti & Sanctorum, ex quo Papa ſuarum Indulgentiarum liberalitates hauriat; cùm iſtius theſauri ne γρὺ quidem extet in Scriptura, & Sancti non ſatisfecerint Deo pro peccatis ſuis, nedum pro alienis. Paſſiones Sanctorum conferuntur in commune bonum Eccleſiæ, ad Ædificationem, non ad Satisfactionem; juxta illud Pauli Col. I, 24. *Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis* (ædificandis, ſcilicet, & confirmandis in fide) *& reliquias afflictionum Chriſti* (ideſt portionis illius crucis pro Chriſto mihi impoſitæ) *viciſſim expleo in carne mea*, (ſicut ipſe pro me paſſus eſt; videtur enim id ſignificare verbum ἀνταναπληρῶ) *pro corpore ipſius* (colligendo & confirmando) *quod eſt Eccleſia*. III. Quod licet per Indulgentias nemo ſolvatur à reatu ullius culpæ, tamen poſſint diſtribui Indulgentiæ plenariæ remiſſionis, ſed auxiliares manus porrigentibus, *non obſtantibus quibuſlibet hiſce contrariis*, juxta ſtylum Curiæ, ideſt reverâ invitis Deo & hominibus; cùm implicet contradictionem dari plenariam remiſſionem, ubi non eſt abſolutio à reatu qui culpam ſequitur, ideſt, ab obligatione ad pœnam.

XXII.

a 3. Serium emendationis propoſitum. b *Cui excitando & conteſtando inſerviebant* Canones pœnitentiales. c *Contra quorum rigorem olim adhibitum fuit* Indulgentiarum *remedium*, d *Illæ nihil ad* Papales, *multis falſis hypotheſibus nixas*.

XXII. IV. Quod pœnæ Canonicæ in foro externo Ecclesiæ (quibus post illos Canones pœnitentiales abrogatos, nemo restat obnoxius) habuerint rationem satisfactionum Deo præstitarum, ac etiamnum præstandarum, vel in hac vita, vel in Purgatorio, nisi quis sibi in tempore per Indulgentias prospexerit; cùm Satisfactiones Canonicæ, quæ ad Scandali reparationem pertinebant, non propriè Deo penderentur ut satisfieret rigidæ illius justitiæ, sed Ecclesiæ, ut ejus ædificationi per Disciplinam consuleretur. Quid, quod cùm Indulgentiæ debeant adferre, juxta hos, relaxationem operum pœnalium, pro pœna temporali expianda suscipiendorum, debebunt Pontificii per Indulgentias dispensari ab exercitio Precum, Eleemosynarum & Jejunii; (hæc enim sunt illis opera laboriosa, quibus Deo satisfit pro pœnis temporalibus) de quo ipsi viderint; ut & de eo quòd opera pœnalia & satisfactoria, pecuniâ redimi vel à delicatioribus in alios transferri possunt, ut quis eodem temporis articulo heluetur personaliter, & in alio agat pœnitentiam & satisfaciat pro peccatis suis.

XXIII. Nec prætereundum, quod cùm olim nemo ferè nisi semel admitteretur ad pœnitentiam publicam, ut quidam observant, nec diffitentur Adversarii, undè dicta est veteribus *secunda tabula post naufragium*, & in eo differrent Catholici à Montanistis & Catharis sive Novatianis, quod hi lapsis nullam pœnitentiam publicam & exinde pacem Ecclesiæ indulgerent, illi unicam, quæ vel ad aliquot annos, vel ad summum toto vitæ tempore duraret, ultra eam verò non prorogaretur; tamen conceduntur interdum Indugentiæ ad plures annorum centurias & chiliadas, etsi tamdiu nec mundus, nec tempus, nec Purgatorium, durare queant: In quo triplex absurditas latet; I Quod satisfactio canonica, semel tantùm in pœnitentia publica Veterum imponi solita, præsupponatur & sæpiùs deberi, & sæpiùs repetenda. II. Quod pœnarum Deo in foro Justitiæ suæ debitarum supputatio fiat juxta pœnas canonicas fori Ecclesiastici, ut ille per 40000 annorum veniat apud Deum affligendus, qui ea peccata admisit, pro quibus sigillatim satisfaciendo juxtà Canones pœnitentiales, deberet per annos 40000. si tamdiu viveret, inter pœnitentes extra communionem fidelium considere. III. Quòd pœnarum illarum imaginariarum extensionem, quam vident non posse subsistere cum longè breviori duratione mundi, ad earum intensionem reducunt.

XXIV. Sed de actibus veræ & salutaris resipiscentiæ hactenus: Ἀθροισμὸς Pauli dicentis, *Ecce enim istud quod secundum Deum contristati fuistis, quantum in vobis effecit studium? imo defensionem, imo indignationem, imo ti[illegible]orem, imo vehemens desiderium, imo zelum, imo vindicationem? per omnia testatum fecistis vos esse puros in hoc negotio* 2 Cor. VII,11. non notat, ut visum plerisque, actus pœnitentiæ, sed modum agendi Corinthiorum resipiscentium & veternum excutientium ad vocem Pauli, in censura & excommunicatione incestuosi: Sic enim ostenderunt σπουδὴν suam, promtè obsequendo monitis Apostoli; ἀπολογίαν, se publicè ab illo scelere purgando; ἀγανάκτησιν, illi sceleri uti par erat indignando; φόβον, metuendo ne serpente vitii contagio & propter tam grande vulnus neglectum, Dei ira accenderetur; ἐπιπόθησιν, cupiendo se immunes præstare ab illa labe; ζῆλον, in illum peccatorem gladio sanctæ disciplinæ insurgendo; & ἐκδίκησιν, vindicando probrum illatum Ecclesiæ: ut hîc nec vola nec vestigium extet satisfactionis propriè dictæ præstandæ apud Deum.

XXV. (a) Ejus salutaris resipiscentiæ author est Deus, *indens* suis *cor novum, & spiritum novum ponens in medio* illorum, *amovens inquam cor lapideum à carne eorum & indens eis carneum, ut in statutis* suis *ambulent & jura* sua *observantes faciant illa* Ezech. XI, 19. 20. *Nempe etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam* Act. XI, 18. Non solùm quatenus passivè se habet homo ad suam conversionem, quæ *universalis* resipiscentia dici potest, & Deus est *qui incipit in nobis opus bonum* Phil. 1, 6. sed etiam quatenus gratiam suam specialem adhibet ad omnes actus resipiscentiæ *particularis*, & *omnem* palmitem *qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat* Joh. XV, 2. Quod utique præstat non minus in resipiscentia ordinaria, quam fideles toto vitæ cursu ex conscientia quotidianorum lapsuum agere tenentur, gemendo cum Apostolo *sub isto corpore mortis* Rom. VII, 24. quam in singulari & extraordinaria, quando fidelis in peccatum aliquod grave & altè conscientiam vulnerans incidit, quale fuit Davidis & Petri.

XXVI.

a 4. Author, *Deus*.

XXVI. (*a*) Ad promovendam Resipiscentiam
suorum, Deus varia adhibet media extraordi-
naria, cujusmodi sunt tam ejus benedictiones,
inquantum *benignitas Dei ad resipiscentiam* nos
deducit Rom. II, 4. quàm correctiones; Nam
dum judicamur, à Domino erudimur ne cum mundo
condemnemur 1 Corinth. XI, 32. (*b*) Sed ordinaria
ejus instrumenta sunt, non τὸ γνωστὸν Dei na-
turale, ut nonnulli fingunt, sed Verbum & Sa-
cramenta; & quamvis terrores Legis etiam suum
in eo usum habeant, quatenus videlicet subservit
P. fœderi Euangelico, tamen frustra sunt Pontificii
in assignando Legis speciali præcepto quo pœni-
tentia mandetur, cùm officium hoc sit magis E-
uangelicum quam Legale; & Lex potiùs præci-
piat non committere deflenda, quàm perperam
commissa deflere, ipsaque merè Legalis pœni-
tentia, non tam Lege præcipiatur, quàm à con-
scientiâ Legis comminationibus perturbatâ pro-
ficiscatur: Etenim vel ipsi Gentiles *ostendunt opus*
Legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium
reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese
mutuo accusantibus aut etiam defendentibus Rom.
II, 15.

XXVII. (*c*) Pœnitentiæ subjectum quod at-
tinet, I. Ex actibus quibus constat, satis patet
P. eam non esse solius voluntatis, ut placet Jesuitis,
1. cùm etiam occupet memoriam recordatione pec-
cati, intellectum illius cognitione & æstima-
tione, affectus ejusdem odio & detestatione.
II. Ut non negaverimus esse in infantibus rege-
2. nerationis gratiam, cujus vi eluenda est inhærens
corruptionis nativæ macula, tamen actus illi re-
sipiscentiæ quos descripsimus, in infantes cadere
non possunt; Etenim *non norunt discrimen inter*
dextram suam & sinistram suam Jon. IV, 11. Nec
Ioel. II, 15. 16. infantes pœnitentiæ capaces de-
clarantur, cùm *parvuli & sugentes ubera* adjici-
untur *populo* & *senibus*, sponsis item & reliquis
convocatis *ad jejunium* & *ad diem interdicti*; sed
erant in cœtum adducendi, ut sic parentes scirent
suâ se resipiscentiâ mala imminentia aversuros &
3. à se & à suis liberis. III. Pœnitentia benè à
P. Christo, malè à B. Virgine per Pontificios re-
movetur, contrà quàm dicitur Luc. II, 35. *Quin*
& *tuam ipsius animam trajiciet gladius*, & cùm
etiam ipsa proculdubiò orationem Dominicam
cum aliis quotidie recitaverit.

4. XXVIII. IV. Sicut fides quædam tempo-
raria, sic temporaria quædam pœnitentia potest
cadere in non electos; cujusmodi fuit in Achabo
& fortè in Ninivitis; sed origine, modo, ob-
jecto, differens à vera & salutari, quæ est pro-
priè solorum Electorum, non minus quàm per-
petua & indivulsa ejus comes, Fides salvifica.
V. Ejus studium & exercitium convenit non so- 5.
lum Catechumenis & Baptizandis, imò omnibus
Euangelii præconio invitatis ad Christum, prout
Deus temporibus ignorantiæ connivendo dissimulatis,
nunc mandat omnibus ubique hominibus ut resi-
piscant Act. XVII, 30. & *patiente est animo erga*
nos, nolens allos electorum perire, sed omnes ad
resipiscentiam tendere 2 Petr. III, 9. sed etiam fi-
delibus & piis jam adultis in peccata relabentibus
humanâ infirmitate, licet contradicentibus No- A.
vatianis & Catharis veteribus ac novis. Nam Da-
vid proposito fructu & eventu suæ resipiscentiæ,
subjicit, *Propter hoc oraturus est ad te quemcunque*
benignitate prosequeris quo tempore obvenerit Psal.
XXXII, 6. Nec favet istorum errori locus Hebr.
VI, 4. 5. 6. de iis de quibus fieri *non potest ut se-*
mel illuminati, & postquam *gustaverint donum*
cœleste, & bonum Dei verbum, & virtutes futuri
sæculi, si prolabantur, denuò renoventur ad resi-
piscentiam, ut qui rursum crucifigant filium Dei &
ignominiæ exponant; item Heb. X, 25. 27. 29. *Si*
ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veri-
tatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia; sed
horrenda quædam exspectatio judicii & ignis fervor
qui devoraturus est adversarios: acerbissimo enim
supplicio dignus est qui filium Dei conculcarit, & san-
guinem fœderis per quem fuerat sanctificatus, profa-
num duxerit, & Spiritum gratiæ contumeliâ affece-
rit. Hæc namque spectant peccatum perseverans,
ad mortem, in Spiritum Sanctum; non peccata
ex infirmitate commissa, & quorum seria pœnitu-
dine ducimur. Quod enim clamitant Anabaptistæ A.
renovatos pœnitentiâ non egere, tam falsum est,
quam falsum renatos in hac vitâ nulli peccato ob-
noxios esse.

XXIX. (*d*) Objectum pœnitentiæ sunt peccata
quælibet; Tum in communi ea quæ quotidie sub-
repunt; etsi omnia illa & singula quoad nu-
merum & speciem non sint sigillatim recogi-
tanda, ut Pontificii volunt saltem in Sacramento
Pœnitentiæ; cùm tale examen extra illud negent P.
plerique ex illis esse necessarium, & supra im-
possibile esse ostenderimus ex Psal. XIX, 13. Hinc
David, *Iniquitates meæ transcendunt caput meum,*
ut onus grave, graviores sunt quam perferre queam

Psal.

a 5. Media *Extraordinaria &* b *Ordinaria*, c 6. Subjectum, d 7. Objectum, *peccata qualibet*.

Psal. XXXVIII, 5. Tum in specie graviora; quæ altius conscientiæ nostræ vulnus inflixêre, & quale fuit Davidis adulterium, abnegatio Petri, & eorum qui olim in Ecclesia *lapsi* dicebantur. Nec enim aliter peccata naturâ suâ mortalia, fiunt nobis venialia ex Merito & Satisfactione Christi, quam per fidem & resipiscentiam; *Nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis* Luc. XIII, 2. P. Frustra verò statuunt Pontificii etiam peccatum in Spiritum Sanctum, de quo ita loquitur Christus, *Quisquis fuerit loquutus adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro* Matth. XII, 32, per pœnitentiam fieri remissibile; cùm impœnitentia & obduratio finalis sit de illius peccati natura & essentia; *Est* enim *peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget* 1 Joh. V, 16.

XXX. (*a*)Hinc autem colligitur Resipiscentiæ Necessitas, quam in adultis, ut Fidei, agnoscimus absolutam ad salutem & remissionem peccatorum: idque necessitate tum præcepti, tum medii. (*b*) Hoc autem præceptum Euangelicum non obligat tantum, ut volunt Pontificii I. in P. periculo mortis; II. cùm Sacramenta recipi vel administrari debent; III. in die festo; IV. in communi calamitate Ecclesiæ; V. in periculo oblivionis peccatorum: Sed etiam, contra quam illi negant, illicò post peccatum admissum & quovis tempore (in hac vita scilicet, nam post hanc vitam locus ei non superest;) ut absque novo in Deum peccato procrastinari & de die in diem trahi non possit; etenim neque *differre votum* Deo nuncupatum Eccl. V, 4. neque protelare resipiscentiam oportet. Nec refutatione, sed solâ bonorum indignatione, digni sunt Liber- F. tini & David-Jorristæ, qui sublato honesti & turpis discrimine, resipiscentiam non tam officiis viri pii, quam morbis humanæ mentis, non satis repurgatæ à præconceptis opinationibus, deputant.

XXXI. (*c*) Necessitatem quoque medii hîc agnoscimus, cùm impœnitentibus neque salus, neque remissio peccatorum, queat obtingere: unde utriusque tam arcta est in Scripturis cum resipiscentia conjunctio; *Expletum est tempus & appropinquavit regnum Dei; resipiscite & credite Euangelio* Mar. I, 15. *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum* Act. II, 31. *Resipiscite & convertite vos ut deleantur peccata vestra* Act. III, 19. *Nempe etiam Gentibus Deus dedit resipiscentiam ad vitam* Act. XI, 18. Et *quæ secundum Deum est tristitia, ea resipiscentiam efficit ad salutem* 2 Corinth. VII, 10. P. Negamus tamen Pontificiis esse medium *quo* satisfiat Justitiæ Divinæ & homo remissionem peccatorum mereatur; hæc enim merè est gratuita & solius Christi Satisfactione nititur: sed est duntaxat medium *per quod*, transitionis, & viæ; Ac sicut se habet *concomitanter* ad fidem & justificationem, ita *antecedenter* quidem, non tamen ullo modo *efficienter*, se habet ad glorificationem & salutem; Quare nec *formaliter*, nec *meritoriè*, nec *satisfactoriè*, ei competit remissio peccatorum; sed ad summum I. *Conditionaliter*, prout hæc nobis sub resipiscentiæ & fidei conditione offertur in Euangelio; II. *Dispositivè*, quatenus ejus certitudinem & sensum intimum nequimus consequi & consolationem ex illo, nisi quamdiu & quantum seriò resipuerimus; III. *Indicativè* & ostensivè, quatenus est comes veræ fidei quâ solâ justificamur & oblatam in Christi sanguine remissionem peccatorum firmiter apprehendimus.

XXXII. Absit ergo à nobis, ut eam remissionem cum Pontificiis, à quibus hîc non pe- P. S. nitùs abludunt Sociniani, statuamus effectum propriè dictum resipiscentiæ, cùm illa soli Dei gratiæ per Christi meritum & satisfactionem, ut suo loco fusiùs ostensum est, non hominis contritioni debeatur; Sed est illius partim adjunctum, partim consequens necessarium, quatenus sub illa conditione, ut & novæ obedientiæ, licet non propter illam, nobis proponitur & offertur remissio peccatorum in sanguine Christi: cùm inconveniens sit remitti peccata perseveranti in peccatis; *Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato ut gratia auctior fiat? Absit: Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* Rom. VI, 1. 2. Adde quod cùm resipiscentia fidem quoque præsupponat in homine & ex illa fluat, potest hactenus per metonymiam remissio peccatorum illi tribui, quòd ea per fidem salvificam obtingat, cujus fidei effectus proximus & adjunctum perpetuum & certissimum τεκμήριον resipiscentia est.

XXXIII. Ut igitur in primo fidei & conversionis nostræ salutaris actu, ita credimus Deo promittenti, remissionem peccatorum nos consecuturos, si resipuerimus & verâ fiduciâ in uno Christi merito acquiescamus, ut inde universim resipiscentes, fiduciali assensu apprehendamus beneficium crucis, & audiamus Dei Spiritum sen-

a 8. Necessitas. *b* 1. *Præcepti.* *c* *Medii ad quid, & quomodo se habeat ad* Remissionem *peccatorum.*

sententiam irrevocabilem Justificationis nostræ nobis pronunciantem, atque in cordis domicilio dicentem, *Confide fili, nam tua peccata sunt tibi remissa*; Sic etiam in subsequentibus deinde peccatis, eodem Dei & fidei Spiritu ad resipiscentiam particularem excitamur; & precibus nostris impetramus veniam commissorum, ac gratiæ justificantis per fidem consolatoriam applicationem, extensionem & determinationem ad particularia illa delicta; Unde percipere est quo sensu semel nobis remissa sint peccata in Justificationis nostræ actu, & tamen remissionem nostrorum peccatorum quotidiè petamus & consequamur per fidem & resipiscentiam quotidianam in decursu regenerationis nostræ; illic enim remissio in genere & in communi atque indefinitè promissa & data est; hic in specie & in particulari determinatur & applicatur.

P. XXXIV. (*a*) Sic autem remissio peccatorum fidem & resipiscentiam partim comitatur, partim consequitur, ut semel peccata dimissa, nec *formaliter* redeant per subsequentia, ut quidam Pontificii volunt, nec *virtualiter* per ingratitudinem, ut alii ex eo grege censent, quamvis minus periculosè, si intrinsecum duntaxat peccati & ingratitudinis meritum attendatur; Reclamat enim Scriptura potissimum primæ sententiæ, quatenus hoc remissionis beneficium *donis* illis Dei, *quorum ipsum pœnitere non potest* Rom. XI, 29. annumerari debet; *nulla* enim *apud* eum *inest mutatio aut conversionis obumbratio* Iac. I, 17. Parabola servi illius ingrati qui post majorem summam sibi à suo domino dimissam, crudeliùs voluit agere cum conservo suo, & ideo traditus fuit *tortoribus usquequo redderet* Regi *id omne quod ei debebat* Matth. XVIII, 23. & seqq. ostendit conditionaliter propositam remissionem peccatorum ad eum non pertinere in quo conditio defecerit, non verò peccata verè semel dimissa iterum reviviscere & redire. Pœnæ temporales infliguntur fidelibus ob sua peccata, non ad satisfactionem & vindictam judiciariam, sed ad emendationem & correctionem paternam, & sic in præterito fundantur ut futurum maximè respiciant.

XXXV. (*b*) Quod verò Pontificii præter remissionem peccatorum, pœnitentiæ tribuunt revi-
P. viscentiam meritorum quæ per peccatum fuerant mortificata, innititur falsæ hypothesi eorum de meritis, & bonorum operum triplici ordine, quorum alia sint *viva* & meritoria, hominis in statu gratiæ; quasi verò eò quod sint *viva* originaliter, debeant esse effectivè *vivifica*; alia *mortua*, quæ fiunt ab homine existente in peccato mortali, ut ajunt, nec vim habent eum perducendi ad vitam; alia *mortificata*, quæ primùm facta in gratia, postea per peccatum impediuntur. Bona certè opera proficisci ab homine gratiâ destituto, est contradictorium: & quamvis Legaliter, meritoriè, intrinsecè & ex parte rei, per subsequens peccatum pereat omne decus præcedentis justitiæ, prout de justo *se avertente à justitia sua ut faciat iniquitatem*, dicitur quod *omnia justè facta ejus quæ fecerit non commemorabuntur, propter prævaricationem ipsius* Ezech. XVIII, 24. Euangelicè tamen, de facto, & ex parte Dei eam acceptare misericorditer dignantis, inter admixta peccata remanet ut lilium inter spinas: *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri & laboriosæ charitatis quam ostendistis erga ipsius nomen* Hebr. VI, 10.

XXXVI. Sed & cùm agnoscant illam suam doctrinam de meritorum reviviscentia per pœnitentiam non esse de fide, tacitè confitentur nec esse de fide quod operum nostrorum meritis consequamur vitam æternam. Quid igitur? Pœnitentiâ tolluntur peccata quo sensu antea dictum est, ne nobis imputentur ad condemnationem; & inchoatæ nostræ sanctificationi inusta fuligo & injecta remora formaliter abstergitur & aufertur, ut in illa pertexenda porrò procedere valeamus: Sed tamen nec ipsa pœnitentia meritoria est apud Deum, nec restitutiva præcedentibus bonis nostris operibus aut acquisitiva subsequentibus, ullius facultatis meritoriæ, quæ nunquam illis vel competiit vel competere potest.

XXXVII (*c*) Porrò invitandis ad resipiscentiæ praxim proponatur quàm miser sit & periculosus impœnitentium status, & quanta beneficia temporalia & spiritualia pœnitentibus obtingant. Hàc itur ad cœlum, & preces nostræ sanctificantur, & calamitates hujus vitæ vel averruncantur, vel leniuntur. Ea verò non est comperendinanda; *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis animum vestrum ut in contentione* Psal. XCV, 7. 8. cùm de crastino non simus certi, & vix seria sit quæ sera est; tunc enim homo potiùs à peccato deseritur, quam peccatum deserit. Nemo tamen peccator desperet quasi seriùs sit; nulla enim nimis sera quæ vera & seria. Talis verò ea quæ iis con-

a *Quæ semel remissa non reviviscunt.* b *Vt nec* merita *per resipiscentiam.* c 9. Motiva *ad eam, quæ nusquam nimis sera, si seria.*

conſtat actibus quos antea deſcripſimus, in qui-
bus ſuperantes nævi & imperfectiones non obe-
runt apud miſericordem Deum, ſinceri modò
hi & ἀνυπόκριτοι fuerint; cùm *Beati* ſint, ju-
dice Chriſto, vel *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*
Matth. v, 6. *Lachrymis* ſuis Eſau *non reperiit pæ-
nitentiæ locum*, apud patrem ſcilicet ſuum, ut
mutaret ſententiam Hebr. XII, 17. at nos la-
chrymis & precibus apud Deum ſalutaris pœni-
tentiæ affectum & effectum per Chriſtum conſe-
quemur.

XXXVIII. (*a*) Sanctificationis adjunctum
aliud ſupereſt, nempe *Libertas Chriſtiana*, quæ
non eſt immunitas ab omnibus legibus Divinis &
humanis, aut licentia vivendi ex animi ſententia
& indulgendi concupiſcentiis carnis, ut placeret
F. forte Antinomis & Libertinis, *libertatem* perpe-
ram arripientes *ut datam carni occaſionem* Gal. v,
13. ideſt ſiniſtrâ ſumentes, quod dextrâ daba-
tur; Non exemtio à civili obligatione, ſervituti-
bus & tributis, ac Magiſtratuum jurisdictione,
A. qualem ſibi Anabaptiſtæ quondam imaginaban-
P. tur, & hodie ſibi vindicat clerus Pontificius, con-
tra Sacram Scripturam; *Omnis anima poteſtatibus
ſupereminentibus ſubjecta eſto* Rom. XIII, 1.
Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ 1 Cor. VII, 21.
*Servi auſcultate dominis ſecundum carnem, cum
timore ac tremore; cum ſimplicitate cordis veſtri ut
Chriſto* Eph. VI, 5. Non civilis, temporalis &
J. externa libertas, qualem nequicquam Judæi per
ſuum Meſſiam præſtolantur; Non paradoxa
Stoicorum ſolum ſuum ſapientem, etſi va-
nitatis mancipium, liberum pronunciantes;
(*b*) Sed eſt *ſpiritualis ac myſtica manumiſſio nobis par-
ta ſanguine Chriſti, quâ è ſpirituali ſervitute cujus
vinculis antea conſtringebamur, in filiorum Dei li-
bertatem aſſerimur.*

XXXIX. (*c*) Liberamur autem in hac vita
1. I. A Reatu peccati per Juſtificationem; *Nulla
igitur nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ie-
ſu; qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecun-
dum Spiritum; nam Lex Spiritus vitæ qui eſt in Ie-
ſu Chriſto liberavit me à lege peccati & mortis*
Rom. VIII, 1. 2. II. Ab illius dominio, &
2. inchoativè ab ejus macula, per Sanctificationem;
*Ne regnato igitur peccatum in mortali veſtro corpore
ut auſcultetis ei in cupiditatibus corporis; peccatum
enim vobis non dominabitur* Rom. VI, 12. 14.
3. III. A Legis moralis, quæ *eſt peccati vis* 1 Cor.
XV, 56. tum maledictione, tum rigore; *Chri-
ſtus nos redemit ab exſecratione Legis, dum pro no-
bis factus eſt exſecratio; Non enim eſtis ſub Lege, ſed
ſub Gratia* Gal. III, 13. etſi non ab illius obe-
dientia; *Quid igitur? Peccabimus quod non ſimus
ſub Lege, ſed ſub gratia? Abſit* Rom. VI, 14.
cùm officii noſtri ſit norma perpetua. IV. In re- 4.
bus ad Dei cultum & Religionis actus elicitos
ſpectantibus, ab omni jugo traditionum huma-
narum; *Fruſtra me colunt docentes doctrinas quæ
ſunt mandata hominum* Matth. XV, 9. item, *Pre-
tio emti eſtis, ne eſtote ſervi hominum* 1 Cor. VII,
23. *Vnus* quippe *eſt legiſlator qui poteſt ſervare &
perdere* Jacob IV, 12. V. Nunc ſub Euangelio 5.
à Legis ceremonialis obſervatione & jugo; *Nunc
quid tentatis Deum ad imponendum jugum cervici
diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos por-
tare valuimus?* Act. XV, 10. *State igitur in li-
bertate quâ Chriſtus nos liberavit, & ne regredien-
tes implicamini ſervitutis jugo* Gal. V, 1. Nec ſo-
lum *hoc rituum chirographum quod erat nobis ſub-
contrarium*, Chriſtus *cruci affixum è medio ſuſtulit*
Col. II, 14. ſed inſuper nos quoque à Lege Mo-
ſaica judiciali & forenſi ulteriùs obſervanda præ-
ſtitit immunes, prout ſuo loco indicatum eſt.

LX. (*d*) Hinc liquet majorem eſſe libertatem fi-
delium ſub N. quàm ſub V. T. Unde comparatè
loquendo, quatenus *hæres, quamdiu infans eſt,
licet omnium ſit dominus*, tamen *ſub tutoribus &
curatoribus uſque ad tempus quod pater præſtituerit,
nihil differt à ſervo* Gal. IV, 12. eorum Spiritus
ſervitutis dicitur, noſter *libertatis* & adoptionis:
*Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis rurſum ad
metum, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis per quem
clamamus Abba Pater* Rom. VIII, 15. In quem
impegerunt quotquot veteres Hæretici legum Ce-
remonialium obſervationem urgere & retinere
voluerunt; *Dies obſervatis & menſes & præſtitu-
ta tempora & annos; metuo de vobis ne fruſtra fa-
tigatus ſim apud vos* Gal. IV, 10. *Ecce ego Paulus
dico vobis, Si circumcidamini, Chriſtum nihil vobis
profuturum; Teſtor enim omni homini qui circumci-
ditur eum eſſe debitorem totius Legis ſervandæ;
inaneſque facti eſtis à Chriſto, quicunque per Legem
juſtificamini & à gratia excidiſtis* Gal. V, 2. 3. 4.
Nec Abyſſini erant à Cajetano ſimpliciter & ab- P.
ſolutè excuſandi quod Chriſtianum nomen pro-
fitentes circumciſionem tamen adhuc retineant;
quamvis id illis ſi non à toto ſaltem à tanto libe-
randis inſerviat, quod profiteantur ſuam circum-

a II. LIBERTAS CHRISTIANA: 1. *Hæc quid* non *ſit*. b 2. Quid & qualis *ſit*, c 3. *Ejus* objectum. d Major *ſub N. T. quam ſub V.*

cisionem, merè politicam, neutiquam verò sacram & religiosam esse.

XLI. (*a*) Ad Libertatem Christianam pertinet, *Libertas conscientiæ*, per quam conscientia unius Dei imperio directo & immediato ita subjacet, ut I. Nullâ humanâ authoritate possint licitè fideles adigi ad actus ullos contrarios illius dictamini. In quo tyrannis detestanda elucet Papæ &
P. Pontificiæ Inquisitionis, inter Christianos prementis libertatem conscientiarum: Quæ tamen ita debet esse in salvo, ut libertas publica *Religionum* quarumlibet, & quæ eodem ferè redit *pro-*
S.V. *phetandi* Vorstiana, Socinianorum & Remon-
R. strantium delitiæ, in præjudicium quietis politicæ & unitatis Ecclesiasticæ inde non colligatur. II. Nullæ hominum leges sint directè & immediatè ejus obligatoriæ, etsi illis indirectè & mediatè per & propter Dei legem sit obnoxia. III. Nulli rei adiaphoræ & mediæ subjiciatur; *Omnia mihi licent, at ego non redigar sub ullius rei potestatem* 1 Cor. VI, 12.

XLII. Cùm enim per imaginis Dei in nobis reparationem, simus consecuti dominium omnium rerum, (*Omnia namque vestra sunt; & Paulus, & Cephas, & mundus, & vita, & mors, & præsentia, & futura; omnia inquam vestra sunt* 1 Cor. III, 21. 22.) non quidem civile & politicum atque individuorum, sed specierum, spirituale & quoad conscientiam (ut hinc omnium
A. bonorum κοινωνίαν civilem, Anabaptistæ nequeant colligere,) non convenit conscientias nostras ulli earum rerum ad quas suum istud dominium extenditur iterum subjici & mancipari. In hanc autem libertatem peccatur multipliciter a-
P. pud Pontificios; cùm in genere authoritate quam sibi Papa Ecclesia-ve Papalis tribuit, obligandi conscientias sub peccato mortali ad sua placita; & extra ac præter Dei Verbum instituendi cultus religiosos qui corda ad Gratiam præparent & impedimenta Gratiæ removeant: tùm in specie legibus variis, quibus conscientiæ contra Dei verbum & earum libertatem circa dies, vestes, cibos, conjugium, infinitorum rituum jugum intolerandum, duriter constringuntur; licet moneat Paulus *bonum esse quicquid condidit Deus, nec quicquam rejiciendum si cum gratiarum actione sumatur* 1 Tim. IV, 4. *nec regnum Dei esse escam & potum, sed justitiam, & pacem, & gaudium per Spiritum sanctum* Rom. XIV, 17. Cui fundamento nititur hoc ejusdem dictum, *Quicquid venditur in macello edite, nihil discriminantes propter conscientiam* 1 Cor. X, 25. Item, *Nequis igitur vos damnet ob cibum vel potum, respectu festi, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi* Col. II, 16. 17.

XLIII. (*b*) Non equidem negamus licere Ministris Ecclesiæ, ea quæ ad decorum & ordinem externum spectant constituere & determinare, ex regula generali Apostoli, *Omnia decenter & ordine fiant* 1 Cor. XIV, 40. esseque prudentiæ Christianæ ritibus jam introductis & receptis, si nullam Idololatriam implicent, nec apertè pugnent cum Dei Verbo, non temerè obluctari; cùm dissensiones & schismata plus sæpè damni adferant, quam rituum quorundam, utut quadantenus incommodorum, continuata observatio; Sed tamen ut in illis ritualibus constituendis præcaveri velimus altare Damascenum, hoc est imitationem præposteram Idololatrarum, omnemque Superstitionem damnosam, ne istiusmodi externis religio magis obruatur & oneretur quam ornetur aut juvetur; sic etiam non statuimus aliam necessitatem urgendam eorum quam decori & ordinis, non verò qualem ceremoniis suis affingunt Pontificii, simplicem & absolutam P.
religionis & cultus per se, quâ aliàs actus indifferentes evadant absolutè necessarii, efficaces quoque ex opere operato & in se boni: *Observabitis ut faciatis quemadmodum præcepit Iehova Deus vester vobis; ne recedatis dextrorsum aut sinistrorsum; Tota illa via quam præcepit Iehova Deus vester vobis, itote ut vivatis* Deut. V, 38. 39. *Ne facitote secundum ea quæ nos hic facimus hodie, quisque quicquid rectum videtur in oculis ejus*, sed *unamquamque rem quam ego præcipio vobis observantes facite; ne addito ei, neque detrahito ex eo* Deut. XII, 8. 32. *In statutis patrum vestrorum ne ambuletis, & jura illorum ne observetis, sed in statutis meis ambulate & jura mea observate ac facite ipsa* Ezech. XX, 18. 19. *Irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram* Matth. XV, 6. *Videte ne quis sit qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum* Col. II, 8.

XLIV. (*c*) Sed & illi Libertati Euangelicæ plurimùm detrahunt, qui *culicem colantes & deglutientes camelum* Matth. XXIII, 24. nodumque in scirpo quærentes, grandes movent scrupulos

a *Quo pertinet* Libertas Conscientiæ. b *Cum qua consistit* moderata Potestas *Ecclesiastica*. c Libertas *retinenda in* indifferentibus.

pulos circa rerum externas denominationes, earum usurpationem merè civilem quæ olim aliqua fœdatæ Idololatriâ fuerint, (licet talia quandoque ipsa Scriptura ad sacros usus traducat, ut metaphoræ à ludis & certaminibus publicis, nomen *mysterii*, & similia sexcenta ostendunt) nec non pocula convivialia, vestes, capillos, & si quæ sunt ejusmodi; Dum enim hisce minutiis & verè Anabaptisticis ac Monasticis præcisitatibus, uti nuperi isti Casuistæ eas vocant, mordicùs inhæretur, solida negligitur pietas, inducitur hypocrisis, & Pharisaismus per posticum revocatur, atque Montani & Brownistarum ac Independentium morosus Spiritus in arce collocatur; Sic innatum est mortalibus *decimare mentham, anethum & cuminum, & omittere quæ graviora sunt Legis, judicium ac misericordiam & fidem*, & sollicitè *purgare exteriorem patinæ poculique partem, dum intus plena sunt rapinâ & intemperantiâ* Matth. XXIII, 23. 25.

XLV. Ecquid enim ad pietatem juvat, nolle in alterius sanitatem bibere, admotis sobriè ad calicem labris, si interea scrupulum non facias te turpiter ingurgitare & profunda evacuare pocula in illius memoriam? Aut quid proderit tonsos supra auriculas habere capillos, vel collare duobus digitis brevius quam vulgi fert consuetudo gestare, vel hærere in dierum septimanæ aut planetarum nominibus proferendis, (cum & *Asiarchæ* dicantur, quod nomen est Sacerdotii Ethnici, illi pii Pauli amici qui de ejus salute solliciti, illum *rogarunt ne se daret in theatrum* Act. XIX, 31. nec ipsi Apostolo grave fuerit eam subire navem cúi *insigne erat Castor & Pollux*, aut Lucæ eam sic nominare Act. XXVIII, 11.) si interea internam illam sanctitatem quam Deus exigit, ut pote *qui veritate delectatur in præcordiis* Psal. LI, 8. negligens, cor habeas charitatis vacuum, plenum invidiæ, odii, superbiæ, nec scrupulum duxeris maledicentiis, conviciis, calumniis, proximi tui famam proscindere, aut pacem publicam Ecclesiæ conturbare, & uno verbo potiùs velis videri quam esse pius, Christianus & Reformatus?

XLVI. Charitas ergò, Sobrietas, Modestiaque Christiana seriò apud populum inculcentur; sed Euangelica Libertas in adiaphoris per novos & antea in Ecclesia inauditos scrupulosarum præcisitatum casus, non temerè circumscribatur, contra leges Apostolicas quæ docent quod *omnia munda sunt mundis* Tit. 1, 15. *nec quicquam rejiciendum est si cum gratiarum actione sumatur* 1 Tim IV, 4. Sic etiam *abstineatur* & *ab omni mala specie*, ut habet V. Versio, qualis est extrinsecùs ficta pietas & vana scrupulositas in adiaphoris, & *ab omni mali specie* 1 Thess. V, 22, ut in illa specie constituenda non quorundam fanaticorum læsam imaginationem & fastidium, aut vulgi consuetudinem ac mores, vel hominum quorumcunque præjudicium, sequamur; cùm *ea quæ sunt Dei nemo noverit nisi Spiritus Dei*, nec *animalis homo capax sit* eorum 1 Corinth. 11, 11. 14. sed solam recti & obliqui normam, Dei Legem. Cùm enim in foro conscientiæ nihil debeat habere speciem mali, nisi quod malum esse ex Dei Verbo constet, & aliàs apud homines hujus mundi, speciem mali plerumque habeant res optimæ, malim in Paulo speciem sumere *Logicè* quam *Ethicè*; Sola enim mala sunt cavenda, non ea, quæ cùm mala non sint, talia tamen quibusdam distorti judicii possent videri.

XLVII. (*a*) Quamvis autem circa adiaphora, talis Libertas absoluta nobis Christi sanguine sit acquisita, tamen usum illius duplici lege ac fibulâ coercet Scriptura; nempe (*b*) I. *Fidei*, ut sis de ea planè persuasus & nihil facias dubitante conscientiâ; *Vnusquisque in animo suo planè certus esto*; nam ei *qui reputat aliquid impurum esse, id ei impurum est*; *Beatus autem qui non condemnat seipsum in eo quod approbat*; *Quicquid verò ex fide non est, peccatum est* Rom. XIV, 5. 14. 22. 23. eamque omnem referas ad Dei gloriam juxta Pauli monitum 1 Cor. X, 31. *Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* (*c*) II. *Charitatis*, ut spectes non solum quid licet, sed etiam quid expediat; *Omnia* enim *mihi licent, at non omnia conducunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant* 1 Cor. VI, 12. X, 23. & habitâ fratrum infirmorum ratione, eâ non abutaris ad scandalum; sed utaris cum ædificatione; *Nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur & quæ ad mutuam ædificationem; nec cibi causâ destrue opus Dei; omnia quidem munda, sed malum est homini qui edens impingit; Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam facere in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus est: Tu fidem habes, apud temet ipsum habe in conspectu Dei* Rom. XIV, 19. 20. 21. 22. *Quapropter si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo* 1 Cor. VIII, 13. Nam *si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non jam secundum charitatem ambulas: ne escâ*

A. (margin)

a *Libertatis hujus* circumscriptio *duplex*; b 1. *Fidei*. c 2. *Charitatis*.

eſcâ tuâ illum perdito pro quo Chriſtus mortuus eſt Rom. XIV, 15.

XLVIII. (*a*) Jam verò circa *Scandali* ſive offendiculi vitandi doctrinam, hæ regulæ ſerventur. I. Ab omni ſcandalo dando, vel doctrinâ vel actione, Dei verbo contrariis, quibus alii in errorem vel vitium induci poſſint, aut juſtè de tuo errore vel vitio contriſtari debeant, ſedulò abſtinendum; *Væ mundo ab offendiculis; neceſſe eſt enim ut eveniant offendicula, veruntamen væ homini illi per quem offendiculum evenit* Matth. XVIII, 7. Hoc eſt ſcandalum ſimpliciter Datum, quod alii *Activum* vocant; Semper eſt conjunctum cum gravi peccato dantis, quod ex natura rei vergat in aliorum offendiculum; etſi pii & robuſtiores in fide, non tam impingunt & offendunt ad illud, quam ex eo offenduntur & indignantur ex zelo veritatis & juſtitiæ; quomodo dicebat Paulus, *Quis offendiculo afficitur quin ego urar?* 2Cor. XI, 29. (*b*) II. *Paſſivum* ſive Acceptum ſimpliciter ſcandalum, nec admittere debet pius aut poteſt abſque peccato, ut præpoſterè offendatur in re vel doctrina naturâ ſuâ bona & Dei Verbo conformi, nec ſolicitè præcavere; cùm non quid ſit hominum judicii, ſed quid ſui erga Deum officii, debeat inquirere: Nec enim *proximo unuſquiſque noſtrum placere debet* niſi uſque ad aras, *in bonum* ſcilicet *& ad ejus ædificationem* Rom. XV, 2. Siquidem *obedire oportet Deo potius quam hominibus* Act. V, 29.

XLIX. (*c*) III. In Adiaphoris, *Infirmorum* quidem eſt habenda ratio, ut ea temerè non facias, licet naturâ ſuâ indifferentia & tibi ex verbo Dei licita, ex quibus probabiliter putes eos aut ſiniſtram de tua pietate & conſtantia in religione opinionem concepturos, aut tuo exemplo minus benè percepto abuſuros, vel ad religionem orthodoxam deſerendam, vel ad ea facienda quæ ſimpliciter ſunt illicita: ut ſi quis videns te veſci Idolothytis ex libertate Chriſtiana, putet te iis veſci ex conſcientia Idoli, & ſic ad Idoli cultum directè vel indirectè redeat: Sed interea tamen hîc multa veniunt obſervanda, quæ ſi negligantur diſſidiis haud paucis januam aperient in Eccleſia.

L. (*d*) Infirmorum enim nomine intelligendi, ſunt fratres neophyti & qui nondum ſufficienter edoceri potuerunt de libertate Chriſtiana; quales plerique ex circumciſione Apoſtolorum tempore, recens ad fidem converſi, quorum ideò habita eſt ratio Act. XV, 21. in *neceſſaria* eo reſpectu ſanctione de *idolothytis*, *ſanguine & ſuffocato*; item in *Timothei* per Paulum circumciſione, *propter Judæos qui in illis locis erant* Act. XVI, 3. Sed horum numero non veniunt, I. Obſtinati in errore, & qui libertati noſtræ vellent inſidiari; Sic enim *Titus* Pauli comes, *quamvis eſſet Græcus, manſit incircumciſus, nempe propter irreptitios falſos fratres, qui fuerant clam ingreſſi ad explorandam libertatem* piorum, *quam habemus in Chriſto Ieſu, ut* eos *in ſervitutem adigerent*; *Quibus* ſanè Paulus *ne ad momentum quidem cedere* voluit; quin etiam Antiochiæ *in os obſtitit* Petro, quod propter nonnullos tales, quùm antea unà *cum Gentibus edixſſet, ſubterfugiebat ac ſeparabat ſeſe ab iis, metuens eos qui erant ex circumciſione* Gal. II, 3. 4. 11. 12. II. Qui non ſolum circa adiaphora nobiſcum litigant, ſed etiam errant graviſſimè in fidei capitibus & noſtram communionem in cœteris averſantur, ut Judæi v. g. & Pontificii; Licet enim non ſit prudentiæ & ſocietatis civilis, ſi quis invitet Pontificium, eos demum illi apponere cibos quos ſit ex ſua Superſtitione averſaturus, aut illos tibi tunc expetere; tamen non debes neceſſitatem tibi imponere ejuſmodi cibis abſtinendi, etiam domi tuæ in Pontificiorum gratiam, ex ratione conſcientiæ, & ſcandali vitandi gratiâ. J.P.

LI. Nec infirmioribus, ſed malitioſis, quorum ratio non eſt habenda, ii ſunt annumerandi qui probabiliter cenſeri poſſunt non neſcire quid ſit libertatis Chriſtianæ, ſed ſuis aliis affectibus ſcandali nomen ſpecioſum, ut ſæpè fit, prætexere. In hoc autem Scandalo *Mixto* ſive infirmorum, quod mediæ eſt conditionis inter Datum & Acceptum, ut peccatur ex parte dantis, I. imprudentiâ, II. quandoque pertinaciâ; ſic peccatur ex parte accipientis, I. ignorantiâ, II. plerumque defectu charitatis, quæ cùm non ſit ſuſpicax, proximi actiones debet non in ſequiorem, ſed in benigniorem ſenſum interpretari.

LII. Tali autem oborto in Eccleſia ſcandalo, debent Rectores Eccleſiæ ita dantium pertinaciam vel imprudentiam corripere, ut tamen accipientium partibus ſe non adjungant, etſi major eſſet numerus ſcandalum prætexentium, quam ſcandali cauſam ſubeſſe negantium; Sed è contrario infirmos & errantes ſedulò edoceant; & ne ſuperſtitiones ſenſim ingraveſcant, propugnent

a *Qua occaſione agitur de* Scandalo. I. Dato; *b* 2. Accepto; *c* 3. Mixto *infirmorum*; *In* Adiaphoris *quomodo verſandum.* d. *Infirmi qui?*

nent gnaviter communem libertatem : Nec enim
infirmitas & ignorantia est fovenda in populo aut
illius membris, sed omni ope excutienda & cor-
rigenda : Quod tamen dextrè & prudenter faci-
endum, ne res erumpat in nervum, & Schisma
inter fideles oriatur.

LIII. (*a*) Neque solum liberi simus per Chri-
stum, cùm naturâ *servi* essemus non *ingenui*,
(nam *quisquis operam dat peccato servus est pecca-
ti*, at *si nos Filius in libertatem vindicarit verè libe-
ri erimus* Joh. VIII, 34. 36.) sed etiam Dei filii
& liberi, gratuitâ illâ *Adoptione* quam in ipso
consequimur; *Quotquot* enim *eum exceperunt*,
dedit eis hoc jus ut filii Dei sint facti, *nempe iis qui
credunt in nomen ejus* Joh. I, 12. Hæc enim omnia
Beneficia sunt conjuncta nostræ unioni & *Commu-
nioni* cum Christo, imò ex illa fluunt quodam-
modo & eam consequuntur. Ea verò non est es-
sentialis quædam nostri Deificatio, sive in ipsius-
met Christi essentiam transmutatio & transitio,
F.W. ut somniant Osiandristæ, Swenckfeldiani, Wei-
geliani; non etiam corporea introductio corpo-
ris Christi in nostra per oralem illius manducatio-
nem, ut volunt Pontificii & Lutherani; Sed sic
P.L. realis, intima & vera nostri cum ipso conjunctio,
ut sit mystica & spiritualis, & fiat Spiritus adop-
tionis & libertatis habitatione, præsentiâ & ope-
ratione in cordibus nostris : Hac enim demum
ratione *manemus in ipso & ipse in nobis* Joh. XV, 4.
& in Patre ac Filio *unum* sumus, sicut *Pater est
in* Filio & Filius in Patre Joh. XVII, 21. *An ig-
noratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti
qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque vos esse
vestri juris?* 1 Cor. VI, 19. & sanè *per hoc cognos-
cimus nos in eo habitare & ipsum in nobis*, *quod de
Spiritu suo dedit nobis* 1 Joh. IV, 13. unde *Chri-
stus per fidem in cordibus nostris habitat* Eph. III,
17.

LIV. (*b*) Arctissima hæc nostra cum Christo
Communio, variis similitudinibus exprimitur;
1. Membrorum cum capite; nam Pater *omnia sub-
jecit ejus pedibus*, *eumque constituit caput super om-
nia Ecclesiæ*, *quæ est corpus ipsius & complementum
ejus qui omnia implet in omnibus* Eph. I, 22. 23.
2. Uxoris cum viro, juxta hanc promissionem;
Desponsabo te mihi in seculum, *desponsabo te inquam
mihi justitiâ*, *judicioque*, *& benignitate ac mise-
ricordiâ*, *& desponsabo te mihi fide*, *ut agnoscas
Iehovam* Oseæ II, 19. 20. Quin ab ea similitudi-
ne colligit Apostolus officia conjugum : *Vir est
caput uxoris*, *ut & Christus est caput Ecclesiæ*;
itaque sicut Ecclesia se subjecit Christo, *ita & uxo-
res suis viris se subjiciunto in omnibus*; *Viri diligite
uxores vestras*, *sicut & Christus dilexit Ecclesiam*;
Quin quod de conjugibus dictum fuerat, *Prop-
terea derelinquet homo patrem suum ac matrem &
agglutinabitur uxori suæ*, *& qui duo erant fient una
caro*, ad hanc spiritualem unionem nostri cum
Christo traducit, *Mysterium hoc magnum est*, *loquor
autem de Christo & Ecclesia* Eph. V, 23. 24. 25. 3.
31. 32. Ædificii cum fundamento; *Ad quem ac-
cedentes qui est lapis vivus* (is nempe super quem
ædificaturus erat *Ecclesiam* suam Matth. XVI, 18.)
ipsi quoque veluti vivi lapides ædificati, simus *do-
mus Spiritualis* 1 Petr. II, 4. 5. Domus cum in- 4.
quilino & hospite; *Siquis diligit me sermonem me-
um observabit*, *& Pater meus diliget eum*, *& ad
eum veniemus & apud eum habitabimus* Johan.
XIV, 23. *Inhabitat* autem *per fidem cordibus* no-
stris Eph. III, 17. & *Ecce*, inquit, *sto ad ostium
& pulso*; *si quis audierit vocem meam & aperuerit
ostium*, *ingrediar ad eum*, *& cœnabo cum eo &
ipse mecum* Apoc. III, 20. Corporis cum veste; 5.
Nam quicunque in Christum baptizati fuistis, *Chri-
sto fuistis induti* Galat. III. 27. Palmitum cum 6.
vite, & ramorum cum trunco & radice; *Ego
sum vitis vos palmites*, *is qui manet in me & in quo
ego maneo hic fert fructum multum*, *nam seorsim
à me nihil potestis facere* Joh. XV, 5. Eorum qui 7.
nutriuntur cum cibo; *Qui edit meam carnem &
bibit meum sanguinem*, *in me manet & ego in eo*
Joh. VI, 56. Ut solidè ineptiant qui huic ultimæ
justo pertinaciùs insistentes, inde oralem suam P.L.
manducationem volunt adstruere.

LV. (*c*) Denique Libertatem *Gratiæ*, cujus si-
mus participes in hac vita ærumnosa & per quam
sub ipsa Cruce, de Cruce, Tribulationibus &
Tentationibus triumphamus & gloriamur, ex illa
spe gloriæ Dei quæ *non pudefacit* Rom. V, 2. 5.
excipiet suo ordine & tempore Libertas *Gloriæ*,
quâ non solum ex *metu mortis* Hebr. II, 15. sed
etiam ab ipsa morte, corruptione, & ea *vanitate*
cui sumus adhuc obnoxii, plenè ac planè libe-
rabimur, cùm & *ipse conditus mundus vindicabi-
tur ex servitute corruptionis & vanitatis* illius cui
subjectus est, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*
Rom. VIII, 20. 21.

a *Libertati Christianæ innectitur* Adoptio & Communio *cum Christo*, b *Hæc variis similitudinibus expressa*.
c *Eam excipiet* Libertas Gloriæ.

LOCUS

LOCUS DECIMUS QUARTUS;

De

GLORIFICATIONE

Sanctorum & Impiorum Condemnatione.



Ors(*a*)qundecunque dicatur, vel à *mora*, vel à *morsu*, vel à Græco *μοῖρα*, vel ab Hebræo *Mor*, perperam ultima linea rerum censetur; cùm è contrario ex illo momento pendeat æternitas, vel præmiorum vel Pœnarum; *Sive deciderit planta ad meridiem, sive ad aquilonem, quo loco ceciderit, ibi futura est* Eccl. x i, 3. *Et illud statutum est hominibus ut semel moriantur, postea verò judicium* Heb. i x, 29. Et sanè ut in illa, ceu viæ meta, peragitur Sanctificatio piorum, sic per illam eorundem Glorificatio, ut ab ista distinguitur, & sonat actualem Cœli adeptionem ac Beneficiorum nobis in Christo pactorum culmen, inchoatur; quandoquidem corporis exuviæ sepulchro committuntur in spem futuræ resurrectionis, anima verò in cœlum defertur & ad beatificam Dei visionem admittitur; prout dictum fuit latroni converso, *Hodie mecum eris in paradiso* Luc. x x i i i, 43. & pronunciantur *beati* qui *in Domino moriuntur* quod *requiescant à laboribus suis* Apoc. x i v, 13. Quâ potissimum consideratione fideles sese muniunt contra mortis horrorem & metum, cujus necessitatem peccatum invexit, & modum ac tempus immutabilis Dei Providentia unicuique præfixit; *Præcisi sunt dies ejus; numerus mensium ejus penes te est; determinationes ejus fecisti quas non transgredietur* Job. x i v, 6.

I I. (*b*) Glorificatio itaque, sive *Summi boni æterna & immutabilis possessio*, & quæ illi opponitur æterna impiorum condemnatio & abdicatio, potest considerari vel *inchoatè* respectu animæ separatæ à corpore, vel *completè* respectu totius compositi: Nam hîc supponendum contra Servetianos, Socinianos, Anabaptistas, Psychopannychitas, veterum quorundam Arabicorum & Joh. x x i i. Pontificis Romani impietatem propugnantes, animam remanere post animal, nec solum non interire, sed revera vivere & functionum suarum intellectualium & inorganicarum, adeoque gaudii & doloris, non quidem sensibilis sed intelligibilis, capacem permanere.

F.S. A.

I I I. (*c*) Quamvis enim in hac mentium nostrarum caligine vix aliquid certi possit statui de origine animæ rationalis, & varient de illa etiam Orthodoxorum sententiæ, dum alii volunt illam nobis inesse per immediatam creationem, alii per traducem seminalem, alii per propagationem & emanationem spiritualem ab anima parentum, ut lumen à lumine, & in divinis, si parva magnis conferre liceret, Filius à Patre & Spiritus Sanctus à Patre & Filio; tamen animam esse & naturâ spiritualem, adeoque in suo esse independentem à corpore, & conditione immortalem, non solum consensus omnium populorum & saniorum è Philosophis, ipsiusque conscientiæ dictamen & sensus, & argumenta plurima desumpta ab ipsius animæ operationibus inorganicis circa res spirituales & immateriales, ejus spiritualitatem & immaterialitatem comprobantibus, Justitia Divina, perpetuitatis naturali desiderio, demonstrant; (*d*) sed & Scriptura Sacra evidentissimè adstruit: Nec enim optasset Balaam *mori morte justorum* Num. x x i i i, 14. nisi sensisset justis benè esse post mortem, in quâ *redeunte ipso pulvere in terram, quemadmodum fuerat, spiritus redit ad Deum qui dederat illum* Eccl. x i i, 9. Quare Christus monet *ne timeamus ab iis qui trucidant corpus, animam vero trucidare non possunt*, sed *potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna* Matth. x, 28. Neque aliàs adstitissent Christo & *conspecti* fuissent ejus discipulis in monte Tabor *Moses & Elias cum eo colloquentes* Matth. x v i i, 3. si vel anima absolutè cum corpore periret, vel nulla spes esset melioris vitæ pro piis ante diem Judicii: Imò non procederet Christi argumentum contra Sadducæos, inde petitum quod Deus se vocet Deum *Abrahami, Isaaci & Iacobi*, cùm tamen *non sit Deus mortuorum sed viventium* Matth. x x i i, 23. nisi meliori sui parte Patriarchæ vixissent. Eodem spectat & para-

a GLORIFICATIO à Morte *incipit*. b Bifariàm *consideratur*; *nempe* 1. Inchoatè ANIMÆ *respectu*, *cujus* Immortalitas *adstruitur*. c *Rationibus*. d *Scripturis*.

rabola *Lazari* & *Epulonis*, quorum uterque post mortem, sortem diversam consecutus est Luc. XVI, 9. 22. 23. & promissio facta latroni converso, quam suprà retulimus ex Lucæ XXIII, 43. Huc facit quod monet Apostolus, *gratum esse nobis abesse è corpore & adesse apud Dominum* 2 Cor. v, 8. & ipse cupiebat ἀναλῦσαι *& esse cum Christo*, quod *multo melius* sibi reputabat quam *permanere in carne* Phil. 1, 23. 24. Huc faciunt quoque *visæ sub altari animæ eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei*, quibus expetentibus à Deo *sanguinis sui* vindicias, *datæ sunt singulis stolæ albæ*, *& dictum est ut requiescerent paululum usquequo compleantur etiam conservi eorum* Apoc. VI, 10. 11. id est, fruerentur tantisper illâ cœlesti & fœlici quiete, quam obtinent *à modo qui moriuntur in Domino* Apoc. XIV, 13.

IV. (*a*) Sic ergo vita effectivè & in *actu secundo* convenit composito per animæ præsentiam & conjunctionem naturalem cum corpore, ut formaliter, subjectivè & in *actu primo*, conveniat ipsi animæ etiam à corpore separatæ. Dicuntur enim mortui *non esse* Psal. XXXIX, 14. *Desiste à me ut recreem me, quum nondum abeo ut non amplius sim*, Et Matth. II, 18. Rachel *noluit consolationem admittere* de suis filiis, *eo quod non sint*, non absolutè & simpliciter; cùm Deus se Deum vocet Abrahami, Isaaci & Jacobi post eorum obitum, ut sapientissimè ostendit Christus, nec tamen vocari possit Deus eorum qui *non sunt* ullo modo; sed comparatè & secundum quid, tùm quia compositum desiit esse, tùm quia ipsi mortui inter homines esse & versari desierunt: *Vidi improbum magnâ vi erumpentem & sese explicantem tanquam arbor indigena virens; deinde præterii & ecce non erat amplius: quæsivi eum, sed non inventus est* Psal. XXXVII, 35. 36. Ita de Enocho dicitur quod *non exstitit amplius, quia assumpsit eum Deus* Gen. v, 24. *Fuit* enim *translatus ne videret mortem, nec fuit inventus, propterea quod transtulerat eum Deus* Hebr. XI, 5. Eodem sensu negantur mortui celebrare Deum, scilicet inter vivos: Quod enim dicit David Psal. VI, 6. *Non est in ipsa morte recordatio tui, in sepulchro quis celebraret te?* satis explicat Psal. XXX, 10. cùm ait, *Quid lucri erit in sanguine meo cum descendam in foveam? celebrabit te pulvis?* & Psal. LXXXVIII, 11. 12. *An mortuis efficies opus mirabile? aut expertes vitæ celebraturi te exsurgent potentissime? An enarraretur in sepulchro benignitas tua?* Eodem planè sensu dicebat Ezechias, *Non enim sepulchrum celebrat te, aut mors laudat te; Vivens vivens ipse celebrabit te, ut ego hodie; pater filiis notam faciet fidem tuam* Esa. XXXVIII, 18. 19. Mors autem sæpissimè confertur somno, propter quietem à laboribus hujus vitæ, non propter animæ cessationem à suis operationibus. Et Salomon dicens Eccl. III, 19. *eventum filiorum hominis similem esse eventui ipsius bestiæ & eventum eundem illis esse, ut moritur hæc ita mori illum, & spiritum eundem omnibus ipsis esse*, non suam, sed hominis carnalis ad solum externum & sensibilem eventum attendentis, promit sententiam; Nec de solis spiritibus piorum loquitur Eccl. XII, 9. dum ait in morte *spiritum redire ad Deum qui dederat illum*, cùm omnes omninò hominum animæ redeant ad Deum in morte, *judicium* illud subituræ quod mortem sequitur Hebr. IX, 27. Unde & Macedonibus Mors Δάνος dicta, ab Hebræo *Dan*, quod judicium significat.

V. Cùm itaque constet animam extra corpus existere, nec *somnum* illi propriè dictum competere, qui est solius animalis, unde Angeli, ad quorum naturam proximè accedit, *vigiles* appellantur Dan. IV, 17. dubitari non potest quin à corpore per mortem revulsa, vel cœlum & paradysi gaudia, vel tartarum & inferni tormenta consequatur; quod in Epulonis & Lazari parabola Luc. XVI, 22. 23. luce meridianâ clarius edocemur. Quin istius veritatis ipsa sibi anima conscia est; unde illa in morte agonia, trepidatio, anxietas & de seipsa solicitudo, qualem exhibuit quondam Adrianus Cæsar, quamque vel fortissimi Thrasones nunquam vitare potuerunt.

VI. (*b*) Solutis verò corpore spiritibus morte finali, quâ finitur absolutè, non tantum abrumpitur ad aliquot dies vel horas, cursus hujus vitæ, non nisi duo receptacula censemus tribuenda, Cœlum & Infernum; Cùm duplicis tantum viæ meminerit Scriptura, *latæ & spatiosæ quæ abducit in exitium, angustæ* item *& strictæ quæ ducit ad vitam* Matth, VII, 14. Nec possit esse nisi cum Dæmonibus in Inferno, qui non regnat cum Christo in Cœlo; quò nos rectà ducit parabola jam sæpè dicta Lazari & Epulonis, & quod viâ vitæ peractâ suus locus unicuique assignetur, prout dicitur *Iudas* ab Apostolatu aberrasse, *ut abiret in locum suum* Actor. I, 25. Loquor autem expressè de morte finali; Nam animabus reversuris ad hanc vitam mortalem per resurrectionem

a Cum objectionum refutatione. b Ei soluta finalater corpore, duo tantum sunt assignanda Receptacula.

miraculosam, cujus plura extant exempla in Scripturis, locus *dispensationis* est concedendus, in quo viâ nondum penitus emensâ, quasi suspensæ, necdum judicatæ, adeoque nec in Cœlo ornatæ æternâ beatitudine, quæ est inamissibilis, nec detrusæ in Infernum ex quo non datur redemptio, tantisper detentæ fuerint; ut ejusmodi exemplis nequeant Pontificii propugnare suum Purgatorium, ex quo, juxta illos met, non magis reditur ad hujus vitæ usuram quam ex cœlesti gloria vel ex tormentis inferni.

VII. (*a*) Cœli autem nomine intelligimus sedem illam Beatorum supra stellatas sphæras locatam, dictamque *Sinum Abrahæ*, quò per Angelos fuit translata anima Lazari Luc. XVI, 22. *Paradysum* item & *tertium cœlum*, quem latroni Christus promittebat Luc. XXIII, 43. & quò se *raptum* fuisse ajebat Paulus, etsi *an in corpore, an extra corpus*, ipse nesciret 2. Cor. XII, 3. 4. Quam item Christus sursum ascendens subiit, suis locum paraturus, prout dicebat Apostolis, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, proficiscor vobis paraturus locum* Joh. XIV, 2. 3. cùm *velit suos ibi esse ubi est ipse* Joh. XVII, 24. & quietis æternæ sedes nullibi certiùs quam supra universi motus omnes constituatur. Ut verò hîc non moramur distinctionem quorundam Lutheranorum inter cœlum Dei & cœlum Beatorum, atque illo ipsos Dæmonas concludentium, ita meritò pertendimus contra eosdem, cœlum Beatorum esse locum creatum, corporeum, situ supra cœlos aspectabiles constitutum, quo animæ piæ *definitivè*, corpora gloriosa *circumscriptivè* contineantur. L.

VIII. Quamvis enim Angeli dum mittuntur in terram ad sua munia, nihil de visione sua beatifica per lumen gloriæ intermittant, nihilominus tamen quoniam illius fœlicitatis & contemplationis sedem habent in cœlo, unde dicuntur *in cœlis per omne tempus intueri faciem Patris*, scilicet tanquam ipsius apparitores Matth. XVIII, 10. eam utique tantisper deserunt hominibus ministraturi, cùm *omnes sint Spiritus administratorii qui ministerii causâ emittuntur propter hæredes salutis futuros* Heb. 1, 14. *Moses* quoque & *Elias visi sunt* in monte cum Christo Matth. XVII, 3. sed per ὅραμα, id est miraculosam & œconomicam apparitionem, cujus gratiâ ad momentum illud cœlum beatorum reliquerunt. Et cùm Angelorum ministerio Deus utatur in animabus suorum ad cœlum deferendis, ut constat ex parabola Lazari Luc. XVI, 22. sitque eorum motus adhuc velocior ipso Cœli ac Solis motu, qui licet in tanta mole, tantum quotidie emetitur spatium, non debuit Grotius Purgatorio patrocinaturus, comminisci nescio quam moram pœnalem in illo ad cœlites itinere; promittente Christo latroni illum *eâ ipsâ die* secum futurum *in paradyso* Luc. XXIII, 43. P.

IX. (*b*) Per Infernum verò intelligimus *locum tormentorum*, ut expressè vocatur Luc. XVI, 28. justo Dei judicio diabolo & impiis paratum, qui & *Scheol* dicitur sæpè Hebraicè, & ᾅδης Græcè Matt. XI, 22. (quam vocem synonymam τῷ παραδείσῳ facere Grotius citra summam imprudentiam non potuit) & sæpiùs metaphoricè *Gehenna*, propter vallem Hinnon ex sacerrimis Sacris Molochi infamem, & in qua postea, ut volunt nonnulli Judæorum, omnes Urbis sordes omniaque corpora polluta jugi quasi igne absumebantur. Nec sollicitè quærendum ubi sit, sed potiùs quomodo effugiatur. Certum est locum esse specialem, qui & *abyssus* dicitur Luc. VIII, 31. Apoc. IX, 1. in quo cum impuris Spiritibus, animæ separatæ impiorum, pœnis spiritualibus torquentur; quæ per tenebras exteriores, vermem qui non moritur, & ignem qui non extinguitur, exprimuntur in Scriptura; Ita de eo qui ingressus erat vestitu nuptiali destitutus, rex edixit *suis ministris, Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum & ejicite in tenebras extimas; illic erit fletus & stridor dentium* Matth. XXII, 13. Ita *gehenna* describitur ceu *ignis inextinctus, ubi vermis eorum non interit, & ignis non extinguitur* Marc. IX, 43. 44. Ita de impio quolibet *bestiam & imaginem ejus* adorante, dicitur quod *torquebitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & in conspectu Agni: & fumus tormenti ipsorum ascendet in secula seculorum* Apoc. XIV, 10. 11. Ibidem post resurrectionem corporum, corpoream quoque pœnam eamque gravissimam ignis æterni, impii subibunt, cùm Christus in die judicii illis dixerit, *Exsecrati abite à me in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis ejus* Matth. XXV, 41.

X. (*c*) Præter hæc duo receptacula, alia non novimus: Non sanè subterraneos specus, in quibus piorum animæ exclusæ à Dei visione detinentur ad diem usque judicii, ut Veteribus plerisque visum, etsi eos nequicquam conetur excusa-
re

a 1. Cœlum, b 2. Infernum c Præterquæ nulla alia; Non Specus subterranei *Veterum*.

re Bellarminus. Hunc errorem per meram calumniam noſtris adſcriptum à Pontificiis, quem erravit ad minimum Johannes XXII. hodierni dicuntur propugnare Græci, & ſequuntur è Socinianis & Anabaptiſtis qui molliſſimè de anima ſeparata philoſophantur; reclamante totâ Scripturâ, præſertim in promiſſione ad latronem, ſuprà ſæpiùs relata Luc. XXIII, 43. & Pauli voto Phil. I, 23. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, ac prece ultima Stephani, *Domine Ieſu recipe ſpiritum meum* Act. VII, 59. *Altare* ſub quo *animæ* Martyrum *quieſcunt* Apoc. VI, 10. neutiquam terram ſignificat, ſed Chriſti beneficium, de quo dicitur Hebr. XIII, 10. *Habemus altare ex quo non habent jus edendi, qui tabernaculo deſerviunt*: Et ſic Apoſtolus ad diem judicii exſpectavit coronam gloriæ, quoad completam totius perſonæ ſuæ beatitudinem, cùm dixit 2. Tim. I, 12. *Novi cui crediderim & mihi perſuaſum eſt eum poſſe depoſitum meum in illum diem cuſtodire*, item 2. Tim. IV, 8. *Repoſita eſt mihi juſtitiæ corona quam reddet mihi Dominus in illo die*, ut incompletam & inchoatam animæ reſpectu exſpectarit in ipſa morte; quod liquet non tantùm ex illo deſiderio & voto, de quo modò dixi, ſed etiam ex Rom. VII, 24. ubi optat ſe *eripi ex iſto corpore mortis*, necnon 2 Cor. V, 1. ubi generaliter loquitur; *Scimus nos ſi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manufactum, æternum iu cælis: In hoc etenim ſuſpiramus expetentes domicilio noſtro quod è cælo eſt ſuperindui.*

P. S.A.

P. XI. (*a*) Non Limbos ullos à Pontificiis inter inferni contignationes excogitatos; Vel pro Patrum animabus; quia non minus ſub V. quam ſub N. F. ſpiritus fidelium cœlo receptos fuiſſe, ſuo loco viſum eſt; Vel pro ſpiritibus infantium qui decedunt abſque Baptiſmo, quorum etiam corpora, crudeliter admodum, non dignantur ordinariâ & honeſtâ ſepulturâ; Neque enim damnat Sacramenti nuda privatio, ſed merus contemtus qui in illos non cadit; imò eouſque *ſancti* ſunt liberi fidelium, judice Paulo 1 Cor. VII, 14. eorumque, teſte Chriſto, *eſt regnum cælorum* Matth. XIX, 14. ut vel ideò ſint baptizandi, non è contrario ideo baptizandi, ut ſancti ſint & hæredes regni cœlorum. Nec poſſunt inficiari Pontificii hunc infantium limbum, in quo pœnam damni ſuſtineant non ſenſus, imò, ſi Deo placet, fruantur etiam neſcio quâ beatitudine naturali, excluſi licet à Dei viſione & lumine gloriæ, eſſe Pelagianorum commentum, ridiculè diſtinguentium inter vitam æternam & regnum cœlorum.

XII. (*b*) Non illud ipſum Purgatorium à Poetis & Platonicis atque ſomniis Origenis, (cui nullæ pœnæ erant poſt hanc vitam niſi purgatoriæ,) in Papatu mutuatum, in quo tanquam in carcere, fidelium animæ, quæ vel obſtrictæ adhuc reatu alicujus temporalis pœnæ, vel onuſtæ etiam quibuſdam peccatis venialibus ex corpore migrarunt, torqueantur & crucientur ac ſatiſpatiantur, donec ritè expurgatæ beatitudinem cœleſtem conſequi valeant: Quanti ſit emolumenti hoc commentum Pontificiis, nemo neſcit, ut pro illo retinendo, tanquam pro aris & focis acerrimè pugnent; Quin Cottonus Jeſuita à Diabolo petere voluit locum aliquem Scripturæ illi firmando aptiſſimum, quem huc uſque reperire iſti homines non potuerunt. P.

XIII. (*c*) Quicquid enim ea de re docent, nititur I. Hominum otioſorum fictitiis revelationibus. II, Falſis ſpirituum qui ſe in illo detineri referebant apparitionibus; quæ ſi contingant, malis angelis, ut in Pſeudo-Samuele per Pythoniſſam evocato magicis carminibus, quibus animæ piorum non ſubſunt, ad inſtantiam hominis reprobi, nempe Saulis, cui Deus *nec per ſomnia, nec per Vrimos, nec per Prophetas reſpondebat* 1 Sam. XXVIII, 6. 12. ſunt adſcribenda. III. Hypotheſibus inanibus & erroneis; ut Quod naturâ ſuâ peccata alia ſint mortalia, alia venialia; cùm tamen *ſtipendium peccati* in genere ſit *mors* Rom. VI, 23. Quod culpâ dimiſſâ pœna adhuc luenda reſtet; licet remiſſio culpæ ſit impunitatis præſtatio ſive indemnitas & immunitas à pœna; Quod Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis mortalibus & pœna æterna, ſed noſtrum ſit pro venialibus & pœna temporali ſatis facere vel ſatiſpati; cùm tamen Deus pro eodem debito duplicem pœnam non exigat, & pœnæ ſive calamitates quibus ſuos exercet ſint caſtigatoriæ ac emendatoriæ, non ſatisfactoriæ, & *ſanguis Chriſti nos purget ab omni peccato* 1. Joh. I, 7.

XIV. Corruit igitur tota hæc doctrina de Purgatorio & prato florido quod ei annectere voluit Bellarminus, ex campis Elyſiis Gentilium, ad animarum recreationem, ſi cogitemus Chriſtum *feciſſe per ſemetipſum purgationem peccatorum noſtrorum* Hebr. I, 3. *Nullam* Dei filiis apud Pa- P.

a *Non* Limbi *ulli*. b *Non* Purgatorium. c *Cujus fundamenta oſtenduntur & refutantur.*

trem misericordem *condemnationem superesse* Rom. VIII, 1. Mortem, in qua sanctificatio nostra peragitur, esse verè metam sive viæ finem, unde Paulus illi proximus, & cùm jam *tempus* suæ *dimissionis instaret*, dicebat, *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi* 2 Tim. IV, 6. 7. Animas spiritualis naturæ ab igne materiali nec affici, nec torreri; Sub ipsa morte ad immortalitatem transiri; & in cœlum recipi ac paradysum, quiescereque à laboribus suis, quotquot in Domino moriuntur, uti jam antè ostensum ex Luc. XXIII, 43. 2. Cor. V, 1. Apoc. XIV, 13. succinente Esaiâ cùm ait, justos in in morte *ingredi pacem, & requiescere in cubilibus suis* Es. LVII, 5. 7. Huc verò rapere quæcunque extant in Scripturis metaphorica de *igne*, vel Spiritus Sancti, vel Tribulationum, vel Verbi ac Judicii Divini, aut apud Patres de *igne* ultimæ conflagrationis, nihil aliud est quàm suaviter delirare.

XV. (*a*) Cùm autem animæ corporibus suis plenè solutæ statim vel ad pœnam Tartari detrudantur, vel ad gaudia Cœlestia rapiantur (nam Metempsychosin Judaicam & Pythagoricam meritò respuimus) hinc liquet (*b*) vanas & superfluas esse, tum Indulgentias Papales, tum Preces, Missas, Peregrinationes, Supererogationes, aliaque istiusmodi suffragia pro mortuis, quarum tanta est in Papatu nundinatio, sub prætextu speciosi Purgatorii; licet non satis ibi constet quid vel quantum hæc omnia valeant sublevandis illis spiritibus, siquidem irrevocabili Dei decreto tamdiu debeant hæc tormenta subire donec ultimum quadrantem persolverint.

J.

P.

XVI. Harum precum pro mortuis nullum extat vestignium in Sacris literis; nullumque pro illis Sacrificium Deus sub Lege instituit; & quamvis Jasonis abbreviator 2 Maccab. XII, 44. Sadducæis infensus, Judæ factum *cùm ex capitatione confectis ad drachmas bis mille argenti, misit Jerosolymas ut offerretur sacrificium pro peccato*, ad spem resurrectionis trahere conetur, tamen, si vera narrat, mens Judæ fuit non propitiari pro mortuis, qui sacrilegii & idololatriæ rei justo Dei judicio sub gladio hostili perierant, sed superstites expiare, & castra sua sacrilegio polluta lustrare: ut ferè fiebat casu descripto Deut. XXI, 1. & seqq. cùm videlicet Urbs proxima loco in quo latens homicidium fuisset perpetratum, solemni ritu veniebat expianda, ejus Senioribus inter solemnia sacrificii ad id præscripti dicentibus, *Expia populum tuum Israëlem quem redemisti Iehova, & ne impone reatum sanguinis innoxii in medio populi tui Israelis.* Lachrymas & planctus Sanctorum super defunctis legimus, nullas pro illis preces; Quin Deus suis immoderatum luctum eo casu interdixerat, ut & in N. T. 1. Thess. IV, 13. *Nolim vos in ignorantia versari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne contristemini, sicut & reliqui qui spem non habent*: quia enim sperare debemus benè illis esse juxta Dei promissiones, ideo præter modum non sunt deflendi.

XVII. Preces superstitum nihil prodesse reprobis & damnatis in inferno, nec admittendas fabulas de Falconilla & Trajano ex orco liberatis viventium suffragiis, ipsi agnoscunt adversarii; quamvis interdum precentur pro animabus defunctorum, ut liberentur *de pœnis inferni & de profundo lacu*; Nihil quoque inservire illas Comprehensoribus, quos vocant, & beatis, cùm injuriam faciat Martyri qui orat pro illo, ultrò confitentur; At mortui ad alterutrum ordinem necessariò pertinent: Baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν 1 Cor. XV, 20. non est pro illis agere pœnitentiam eosque velle juvare per modum suffragii; sed vel in spem resurrectionis baptizari in cœmiteriis, ut olim fiebat, vel jamjam morituros & lectulariós sive Clinicos, baptismum suscipere. Mutuæ quoque preces ad quas nos adhortatur Scriptura, officia sunt inter viatores commutanda, non extendenda ad defunctos, qui de periculis vitæ erepti, nec peccato nec tentationibus sunt amplius obnoxii.

XVIII. Non diffiteor ritum precandi pro mortuis esse antiquum inter Christianos; Sed I. Consuetudine non præscribitur contra veritatem. II. Iste ritus irrepsit ex Paganismo & parentalibus Ethnicorum. III. Non spectabat Purgatorium, cujus solius respectu Pontificii eum volunt retinendum; precabantur enim Veteres etiam pro damnatis, ut eorum pœna fieret mitior; item pro Prophetis, Patriarchis, B. Virgine, Martyribus & Sanctis, iisque quos disertè testabantur fœlices, & tantùm in spem resurrectionis, ut illius inter primos fierent participes: Quin Oblationes pro defunctis erant initio duntaxat eucharisticæ in usum pauperum & gratiarum actionem. Quare eum ritum nullo probabili fundamento nixum apud Veteres, imò falsis hypothesibus de duplici resurrectione & piorum exclusione à facie Dei ante illam, præstitisset omisisse, ut multa alia

a *Corollarium inde efflorescens.* b *Speciatim adversus* Suffragia & Preces *pro mortuis.*

alia omittunt nunc Pontificii quæ vident olim perperam uſurpata fuiſſe, quam pertinaciter retinere, aut ad quæſtum traducere.

XIX. Ecquid verò precaremur pro animabus quæ finguntur eſſe in Purgatorio, cùm juxta quoſdam Pontificios, pro illis non precentur ipſi Sancti qui ſunt in cœlo? An noſtris ſuffragiis inde liberarentur, quæ ab illis pœnis, Merito, Satisfactione, Sanguine, Interceſſione Chriſti, eximi non potuerunt? An miſeriùs etiam ageretur cum eorum Spiritibus, qui vel nullos vel duros ſortiti proximos, neminem reliquerunt qui pro ſe precaretur, nec annuos reditus quibus Eccleſiæ preces redimerent? Et cùm decennii tempore nonnulli definiant hunc carcerem, cui bono Preces & Miſſæ pro iis qui ante aliquot ſæcula obdormierunt, aut de quibus nobis non conſtat an ſint in Purgatorio nec-ne? Ut taceam ipſas Pontificiorum preces pro mortuis, qui *dormiunt in ſomno pacis*, ut loquuntur eorum Ritualia, plurimum obeſſe Purgatorio, quod etiam Græcæ Eccleſiæ, etſi ſuas ex inolito illo ritu habeant preces pro mortuis, nunquam tamen admiſerunt.

XX. (*a*)His itaque miſſis, ſtatuimus piorum animas poſt mortem, in cœlo conſequi ſummum bonum, ex cujus fruitione verè beatæ conſtituuntur: Dari enim aliquod ſummum hominis bonum cujus adeptione beatus efficiatur, teſtatur inſitum illud à natura beatitatis alicujus perfectæ deſiderium; & neceſſitas finis alicujus ultimi, ad quem omnia noſtra & ſtudia & opera referantur, ut vitetur progreſſus in infinitum; & univerſalis omnium, præcipuè verò Philoſophorum, conſenſus, qui etſi in varias & propè infinitas de ſummo bono abierint ſententias (Varro apud Auguſtinum 288. numerabat) rixæ tamen eorum non erant de quæſtione an ſit, ſed tantum de quæſtione quid ſit.

XXI. (*b*)Cùm verò perperam illud quæratur, vel in *Fortunæ*, ut loquuntur, muneribus, quod vulgus facit; vel in dotibus *corporis*, aut corporeis *voluptatibus*, ut volebant Epicuri de grege porci; vel in neſcio quarum *virtutum* externis ſimulachris, quæ miſeriam potiùs noſtram indicant quam auferunt; (*c*)ſupereſt ut id honoris ſoli Deo Opt. Maximo deferatur, ſic docente Scripturâ Gen XV, 1. *Ne timeas Abram, ego* (inquit Dominus) *ſum clypeus & merces tua ampliſſima*; item Pſal. XVI, 5. *Iehova portio prædii mei & poculi mei*; item Pſal. XXXVI, 10. *Quandoquidem penes te eſt fons vitæ, in luce tua fruemur luce*; item Joh. XVII, 3. *Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; item 1 Cor. XV, 28. *Deus erit omnia in omnibus.* Adſtipulatur & ſanior ratio, quæ Deo ſoli, omnes ſummi boni vendicat conditiones; quia continet omne bonum vel formaliter vel eminenter, ut manna dicebatur in ſe omnem delicatiſſimum ſaporem continere; eſtque finis ſimpliciter ultimus, ut cauſa ſimpliciter prima; & ſolus perfectè ſufficit ſatiando appetitui noſtro, adeoque ſummè eſt deſiderabilis, ut teſtatur Propheta regius cùm ait, *Sicut cervus glocitat aſpirans ad alveos aquarum, ſic anima mea glocitat aſpirans ad te, Deus*; *Sitiens eſt anima mea Dei, Dei fortis viventis*; *Quando accedam ut appaream in conſpectu Dei?* Pſal. XLII, 2. 3.

XXII. Nec mirum ſi bonum infinitum hoc pacto nobis deligamus: licet enim *intrinſecè* & entitatis ſuæ reſpectu finitus ſit appetitus rationalis, ita ut etiam intrinſecè ſatiari poſſit actione finitâ, *extrinſecè* tamen ſive terminativè infinitus eſt quoad objectum; quia nempe voluntas intellectui proportionata, non poteſt in ullo bono finito acquieſcere; quod nunquam ei proponit intellectus, modò benè judicet, quin indicet eodem lumine quonam vitio & defectu laborat.

XXIII. (*d*)Eſt verò Deus ſummum hominis bonum, non *Morale*, ut deliravit Oſiander, qui juſtitiâ Dei eſſentiali nos juſtificari cenſuit; nec P.
Abſolutum, quaſi formaliter conſtituat noſtram bonitatem entitativam, qui fuit erreor Priſcillianiſtarum à Pythagoricis mutuatus: ſed *Relativum*, quatenus eſt homini maximè conveniens, adeoque etiam ſub ratione ultimi finis appetendus, appetitu quidem nec ſenſitivo, nec innato, nam talis appetitus ad Deum non eſt in nobis; ſed appetitu rationali, imperato ab ultimo judicio rationis divino lumine colluſtratæ, & elicito ab ipſa voluntate ad imaginem Dei reformata.

XXIV. (*f*)Quamvis autem Deus ſit ſummum hominis bonum *objectivè* ſumptum, non tamen cenſendum eſt, formalem hominis beatitudinem eſſe quid increatum, ut nonnulli olim Pariſien- P.
ſes, quibus à Scholaſticis Johannes de Ripa annume-

a *Quare animæ piæ ſtatim ab obitu* Cœlo *donantur &* Summo bono. b Quid *illud ſit*; κατ᾽ ἄρσιν. c κατὰ θέσιν, Deus. d *Non Moraliter vel Abſolutè*, e *Sed Relativè*. f *Objectivè item non formaliter.*

numeratur, dicuntur censuisse; quasi formalis ratio beatitudinis nostræ sit ipsa Dei operatio increata quâ seipsum videt & seipso fruitur; Nam creatura formaliter capax non est vitæ increatæ; & actus beatificus quo objectum suum pertingit debet illi esse aliquo modo peculiaris & proprius; & meritò damnatus est olim error Monotheletarum, qui docebant humanitatem in Christo nihil velle nisi formaliter voluntate Divinitatis. Nec etiam cum Henrico Gandavensi statuendum illapsu essentiæ divinæ in animas beatorum, eas formaliter beatas constitui; tunc enim deberet Deus uniri cum illis hypostaticè, quod absurdum; nam illapsus Dei generalis in omnes creaturas ratione omnipræsentiæ suæ, per quam *in ipso sumus, vivimus & movemur* Act. XVII, 28. formaliter beatificus dici non potest.

XXV. (*a*) Superest igitur formalem beatitudinem consistere in nobili quadam operatione animæ circa Deum tanquam suum summum bonum, per quam illi arctissimè uniatur & ἀδιαλειπτῶς adhærescat. Operationem dicimus potiùs quam habitum; quia habitus etiam dormientibus, solida beatitudo solis operantibus convenit, estque operatio ultima nostri perfectio ad quam ipsi habitus ordinantur: ideo beatitudo sæpissimè *Vita* dicitur in Scripturis, non quatenus vita sumitur pro ipso esse viventis; solius enim beatitudo Dei est suum esse, quo sensu κατ᾽ ἐξοχὴν *beatus & solus princeps* appellatur 1 Tim. VI, 15. sed prout est operatio viventis, secundùm quam principium vitæ in actum reducitur.

XXVI. (*b*) Operatio hæc beatifica, non *transiens* sed *immanens* est statuenda; tum quia debet esse operatio optima, per quam ipse operans maximè perficiatur, cùm transiens sit potius recipientis quàm operantis intrinseca perfectio; tum quia debet versari circa Deum, qui nec à nobis, nec ab alia re creata, ullum effectum potest in se recipere. Ad talem verò operationem, nullam habemus potentiam naturalem, sed tantùm obedientialem & supernaturalem, ita ut nonnisi auxilio & lumine divino ex hominum mentibus elici possit; cùm *animalis homo non sit capax eorum quæ sunt Spiritus Dei* 1 Cor. II, 14. & *Deus is sit qui efficit in nobis & velle & agere pro gratuita sua benevolentia* Phil. II, 13. Elici tamen debet ex aliqua facultatum naturalium, intellectu scilicet aut voluntate; contra quam sentiunt Scholastici Nominales, qui, ut eorum saltem adversarii dicunt, à solo Deo operationem beatificam produci volunt; quia aut proprio destitueretur subjecto, aut Deus suppleret vices causæ subjectivæ & materialis, quod absurdum; nec potest dari vera in homine aut cognitio aut volitio, quæ ab ipsius intellectu aut voluntate non eliciatur.

XXVII. (*c*) Debet quoque hæc operatio esse *intellectiva* non *sensitiva*; quia debet esse circa perfectissimum & nobilissimum objectum, omnium nobilissima & perfectissima; & ad sensitivam organa corporis requiruntur, absque quo tamen anima beata esse potest; & nulla est sensus operatio quæ Deum attingere possit, cùm *sit Spiritus*, teste Christo Joh. IV, 24. & ita invisibilis, ut meritò de eo dicat Apostolus, quod *solus habeat immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum neque videre potest* 1 Tim. VI, 16. Licet aliàs antecedenter ad beatitudinem concurrat in via, quoniam *fides est ex auditu* Rom. X, 17. & consequenter in patria, ubi ex animæ felicitate, gloria redundabit in corpus, & perficientur etiam operationes sensitivæ, illæ saltem quæ minimum materialitatis habent.

XXVIII. (*d*) Operatio denique hæc quoad *Adeptionem* summi boni, sive illius apprehensionem & possessionem, est solius intellectus, qui voluntate est nobilior; unde Beatitudo Dei contemplatione & visione, non oculari, sed intellectuali, definitur in Scripturis; *Ego novi Redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum, & postquam vermes confoderint istud, evigilante me, tum carne mea me visurum esse Deum; idem qui sum ac non alienus visurus sum mihi, & oculi mei eum aspecturi sunt* Job. XIX, 25. 26. 27. *Notam mihi facis semitam vitæ, satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum* Psal. XVI, 11. *Ego in justitia videbo vultum tuum, satiabor quùm expergiscar similitudine tuâ* Psal. XVII, 15. *Beati qui sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. V, 8. *Cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coram cernemus* 1 Corinth. XIII, 12. cùm nempe non amplius *per fidem*, ut nunc, sed *per aspectum* ambulabimus 2 Cor. V, 7. *Servique ejus colent eum & videbunt faciem ejus & nomen ejus in frontibus ipsorum erit* Apoc. XXII, 3. 4. (*e*) Sed quoad

a Formalis *Beatitudo quæ? nempe* Operatio *circa Deum: eaque,* b *Immanens.* c *Et intellectiva.* d *Ac solus intellectus quoad* Adeptionem, e *Sed etiam voluntatis quoad* usum *summi boni.*

quoad ejus *Vſum* & fruitionem eſt etiam voluntatis, quatenus bono adepto & apprehenſo per intellectum, voluntas utitur & fruitur; quæ voluntatis operatio conſiſtit tum in *amore*, tum in *gaudio* beatifico, atque plena *ſatietate* ex Dei viſione.

XXIX. Si itaque beatitudo ſumatur *aggregatè* pro omni actu animæ beatæ ad fœlicitatem requiſito, complectitur neceſſariò amorem & gaudium in voluntate cum viſione in intellectu; Si *præciſè* pro ſola ſummi boni apprehenſione & adeptione, neceſſariò tamen amor & gaudium illam conſequuntur. Quare hæc tria Viſio, Amor, Gaudium, in ſumma beatitudine indivulſè inter ſe cohærent; tùm ex parte *Dei*, quia vult amari à beatis; tùm ex parte *Rei*, quia cùm ſummum bonum & finis ultimus ſui deſiderio neceſſariò determinent voluntatem, ea non poteſt non moveri neceſſariò ſummo amore & ſummo gaudio circa ſummum bonum *intuitivè* cognitum & jam plenè acquiſitum atque poſſeſſum; *Quùm introduxerit me rex ipſe in conclavia ſua, exultabimus & lætabimur in te, commemorabimus amores tuos meliores vino, & quicunque rectiſſimè diligunt te* Cant. I, 4. item, *Vt malus inter arbores ſylvæ, ita eſt amicus meus inter filios; in umbra ejus ſummè deſidero ut ſedeam, nam fructus ejus dulcis eſt palato meo; introduxit me in locum convivii & vexillum ejus quod habeo Amor eſt* Cant. II, 3. 4.

XXX. (*a*)Hæc eſt igitur vera beatitudo quam animæ piorum corporibus ſuis ſolutæ in cœlo conſequuntur, & quæ nemini in hac vita mortali conſtituto poteſt contingere, quicquid olim P. Ætiani ſive Anomœi, itemque Begardi atque Beghinæ, ſenſiſſe dicantur. Nec enim meta cum ſtadio, merces cum labore, fides cum viſione, via cum patria, debet confundi: nec expletur omnis noſtrorum deſideriorum lacuna, quamdiu in cœno hujus ævi verſamur; nec Sole circumveſtietur Eccleſia donec Lunam & omnia ſublunaria pedibus calcet; dicique beatus, ante obitum nemo ſupremaque funera debet. Quare P. nec ipſe Chriſtus benè à Scholaſticis dicitur in terris ſimul viator & comprehenſor fuiſſe, cùm ſubeſſet miſeriæ noſtræ & multis infirmitatibus, quæ comprehenſorum (quos minus accuratè ita vocant, nam Appenhenſores potiùs dici debent) beatitati repugnant. Iidem perperam meP. dium ſtatum Enocho & Eliæ aſſignant, cùm nullum hîc poſſit fingi medium negationis, vel propriè dictum participationis, extremorum.

XXXI. Multis ſe fatigant Philoſophi & Scholaſtici circa ſtatum animæ ſeparatæ. Nos illi in cœlis, excepto incompleto illo & partiali exiſtendi modo præternaturali, item propenſione & deſiderio ad ſuum corpus, cujus glorificationem ſecum & ſuis votis expetit & certiſſimè ac indubitanter exſpectat, juxta Johannis ὅραμα quod jam ante commemoravimus ex Apoc. VI, 10. 11. omnem debitam perfectionem meritò tribuimus; in qua memoria præteritorum remaneat citra tædium; habitus boni acquiſiti conſerventur, abſque neceſſitate exercitii, aut amiſſionis periculo; infuſi autem fidei & ſpei quibus in via ſuſtentabatur, compleantur, ut pueritia per virilem ætatem; charitas verò ad ſummum intenſionis ſuæ gradum deducatur, qui propter lumen gloriæ à quo manat, nec remittere nec deficere poteſt.

XXXII. (*b*) Sed tamen in hac fœlicitate beatarum animarum concipienda, aliàs maxima & inenarrabili, ut pote *cui minimè pares ſunt præſentis temporis paſſiones* Rom. VIII, 18. & in qua *Deus erit omnia in omnibus* 1 Cor. XV, 28. ac jam obtinent *excellenter excellentis gloriæ pondus æternum* 2 Cor. IV, 17. & *ineffabilia* bona *quæ non liceat homini loqui* 2 Cor. XII, 4. ſedulò cavendum ne quid de Dei gloria illi ſoli debita delibemus. Nam I. (*c*)Circa *Cognoſcitivum*, quantacunque ſit earum notitia per lumen gloriæ, & proculdubio tantò major ſupra fidem, quantò fides rationem luſcioſam ſuperat, ut nec major in mentem humanam, exceptâ Chriſti animâ propter unionem hypoſtaticam, cadere poſſit, quia *cernunt coram* 1 Cor. XIII, 12. & *Deum vident ſicuti eſt* 1 Joh. III, 2. adeoque per ſuam eſſentiam; Attamen nec Dei ipſius eſſentiam, quæ infinita eſt propriè comprehendunt, licet eam ſuo modo attingant, apprehendant & videant; nec, ut placet Pontifi- P. ciis, qui hoc putre fundamentum Idololatriæ ſuæ ſubſternunt, diſtinctam habent notitiam eorum quæ hîc geruntur & cogitationum cordis; nam hæc ſoli Deo omniſcio competit; *Tu enim ſolus noſti animum omnium filiorum hominis* 1 Reg. VIII, 39. & illa mortuis abrogatur; *Viventes enim ſciunt ſe morituros eſſe, mortui autem neſciunt quicquam, & pars nulla eſt illis amplius unquam in ulla re quæ fit ſub Sole* Eccl. IX, 9. *Si augeantur filii ſui ignorat* mortuus, *ſin diminuantur non animadvertit ad eos* Job. XIV, 21. Ideo Joſiæ dicebatur

a *Hæc Beatitudo non eſt Viæ ſed Patriæ.* b *Circa quam ſcopuli vitandi.* c I. In Cognoſcitivo.

tur, *Ecce ego faciam ut aggregeris ad patres tuos, aggregeris ad sepulchra tua in pace, ut non videant oculi tui totum istud malum quod ego inducturus sum contra locum hunc* 2 Reg. XXII, 20.

XXXIII. Et cùm quatuor vias comminiscantur Pontificii per quas nostræ necessitates & preces cœlitibus innotescant, decedentium ex hac vita vel Angelorum relationem, ipsarummet animarum celeritatem & ἰσαγγελίαν, Dei revelationem, & speculum Trinitatis in quo omnia beatis appareant, tres priores tanquam insufficientes ipsimet rejiciunt; & meritò: cum ridiculè fingerentur Sancti à recens decedentibus aut Angelis expiscari quid novi fiat in terra, essentque sic Angeli viventium apud mortuos internuncii; & ἰσαγγελία cujus fit mentio Matth. XXII, 30. *In resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur, sed sunt ut Angeli Dei in cœlo*, paritatem gloriæ spectet, non officii aut naturæ; & Deus revelans preces nostras Sanctis, pro nobis apud illos intercederet, non ipsi apud eum. Sed nec quarta potest subsistere; Vident enim Sancti in facie Dei quicquid ad suam felicitatem pertinet; sed ad illam hæc notitia non requiritur; Angeli qui *perpetuò* eam *Patris* cœlestis *faciem intuentur* Matth. XVIII, 10. in ea tamen non vident quando sit futurum ultimum judicium; *De die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt* Marc. XIII, 23. Nec videbat Moses quid fieret ab Israëlitis in valle proxima, etsi *facie ad faciem* Num. XII, 8. in monte cum Deo colloqueretur, sed id ipsi demum per Deum innotuit; *Edixit enim Iehova Mosi, Abi, descende, nam corrupit se populus tuus quem eduxisti è terra Ægypti* Exod. XXX, 7.

XXXIV. (a) II. Circa *Volitivum*, quantacunque sit charitas animarum beatarum, juxta quam precentur in communi pro Ecclesia militante, & benè velint iis quos superstites reliquerunt in terris, etsi nesciant ubi sint vel quid agant, tamen cùm *non amplius quemquam cognoscant secundum carnem*, ut de se ipso profitebatur Paulus 2 Corinth. V, 16. omnes suas privatas Charitates alacriter submittunt voluntati divinæ, nec vellent ulla de causa illam suam fœlicitatem interturbare; ut ridicula sit fabula Pontificiorum de Sancta Christina, quæ in cœlum introducta maluit redire ad hanc vitam, satisfactura variis & ultroneis tormentis, quantum in se foret, pro animabus in Purgatorio laborantibus, quam oblatâ frui beatitate. P.

XXXV. (b) III. Circa *Potestativum*, Sanctis illis Spiritibus sic summam gloriam deputamus, ut tamen neutiquam cum Pontificiis iisdem, illis concedamus, Vel Intercessorium & Mediatorium munus, soli Christo ex officio competens; P. *Est* enim *unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus* 1 Tim. II, 5. & *Si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum justum* 1 Joh. II, 11. Vel tutelam ac patrocinium Provinciarum, Urbium, Artificiorum, Collegiorum, ipsius Ecclesiæ; in quo prioris bestiæ imagini vita datur, & exoleta Idololatria Ethnicorum, mutatis tantùm Nominibus & Numinibus, postliminiò revocatur: Nec enim de Urbium aut Provinciarum in terris præfectura propriè dicta, sed de gloria cœlesti analoga pietatis laboribus & operibus in terris, debet intelligi quod extat in parabola talentorum Luc. XIX, 7. *Bene est, serve bone, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem in decem urbes*; cùm præsertim apud Matth. XXV, 21. 23. nullâ urbium factâ mentione, simpliciter dicatur, *Bene est, serve bone & fidelis, super multa te constituam, ingredere in gaudium Domini tui*: Regnant verò Sancti cum Christo quoad fœlicitatis supernæ fruitionem, non quoad officii Mediatorii ac Regii exercitium & administrationem: Et promissa illis *potestas in Gentes, ut regant eas virgâ ferreâ, & tanquam vasa fictilia conterantur* Apoc. II, 26. 17. spectat duntaxat inclytam de hostibus suis Spiritualibus victoriam, quam in Christo & per eum consequuntur; non illam Regnorum & Provinciarum tutelam quam comminiscuntur Pontificii.

XXXVI. (c) Ex his autem liquet ad beatitudinem Sanctorum neutiquam pertinere, (quod somniant iidem Adversarii) ut ipsis publicè vel privatim Imagines sacræ ad cultum erigantur, P. eorum adorentur Reliquiæ, Peregrinationibus colantur, Vota illis nuncupentur tanquam Diis secundariis & per participationem, & tribuatur Cultus religionis & Invocationis soli Deo debitus; (Nam *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* Matth. IV, 10. & *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Rom. X, 14.) si præsertim Canonizatione Papali, recentis admodum instituti, & ad instar Apotheoseôs Ethnicæ excogitatâ, in Divorum album fuerint relati,

a *In* Volitivo. b 3. *In* Potestativo. c *Ut inde* Cultus Religiosus *Sanctorum adstrui non queat.*

relati; quaſi homo ſibi faciat Deos, & dum inſiſtit viam Inferni alios Cœlo locare queat; nam non canonizatos, beatos licet, ita colere non expedit. Eos verò invocare qui te non audiant eſt abſurdum; impium vero Omnipræſentiam & Omniſcientiam ulli creaturæ tribuere. Nec debet nobis eſſe religio cultus hominum mortuorum, qui honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, & abſurdè ſtatuitur id ad beatitudinis Sanctorum eſſentiam pertinere, cui non erit locus poſt conſummationem ſæculi; Vno verbo cultus illis debetur ſocietatis & dilectionis, neutiquam verò ſervitutis & religionis.

XXXVII. (*a*) Vt autem animarum beatarum fœlicitatem, viſione, amore, gaudio, definimus, ſic pœna impiarum, mentis dolore, conſcientiæ vermi, tenebris, odio & deſperatione conſtat, quamdiu ſcilicet ſeparatæ remanent à ſuis corporibus; Vbi enim illis redditæ fuerint accedent ad angores conſcientiæ, de quibus Rom. II, 9. *Afflictio erit & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Iudæi inprimis, tum etiam Græci*, pœnæ corporeæ, eò graviores & a-
S. cerbiores quod nunquam finientur, licet Sociniani impiè, omnes pœnas *ſenſus* poſt hanc vitam negent & mortem æternam ſolâ deſitione definiant. (*b*) Earum verò pœnarum vitandarum nulla alio ratio quam εὐθανασία, quæ fide & reſipiſcentiâ, quocunque demum genere mortis quis obeat, abſolvitur; nec enim crudum ad-
S. mittimus Socinianorum quorundam paradoxon, æternùm illos perire qui morte aut violentâ aut ſubitaneâ rapiuntur; contrarium demonſtratur Latronis & Martyrum exemplo, ac dicto Davidis Pſal. CXVI, 15. *Pretioſa eſt in oculis Iehovæ omnis mors eorum quos ipſe benignitate proſequitur.*

XXXVIII. (*c*) Ad illam vero εὐθανασίαν
P. nihil facit, vel Confeſſio auricularis Pontificiorum, vel præſertim eorum extrema Vnctio; quam non aliis quam ægris deſperatis, ex Heracleonitarum hæreticorum diſciplina, ſolent adminiſtrare. Vnctos apud Veteres, etiam Ethnicos, legimus mortuos; non verò morituros. Ex illa autem unctione ordinarium Eccleſiæ Chriſtianæ facere Sacramentum (quod tamen non concedatur ſontibus manu carnificis jam perituris, confeſſis licet, contritis & communicatis) tam eſt ridiculum, quam falſum huc pertinere miraculoſam unctionem cujus fit mentio Jac. V, 14. *Infirmatur aliquis inter vos? Accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſervabit laborantem, erigetque eum Dominus: Quod ſi peccata commiſerit remittentur ei;* & Mar. VI, 13. ubi de Diſcipulis Chriſti huc illuc emiſſis refertur, quod *dæmonia multa ejiciebant, ungebantque oleo multos ægrotos & ſanabant eos.* Hæc enim in ſanitatis recuperandæ τεκμήριον adhibebatur, illa verò hodie demum confertur in mortis imminentis teſtimonium; hæc ab Apoſtolis nondum presbyteris, ex hypotheſi Pontificiorum, conferebatur, illa à ſolis Sacrificulis adminiſtrari poteſt; plures ad illam presbyteri evocantur, hæc uni & ſoli parocho, aut ipſo abſente ejus vicario, concredi ſolet.

XXXIX. (*d*) Quamvis autem talis ſit *inchoatè* fœlicitas piorum & impiorum calamitas, utraque tamen demum completa erit poſt utrorumque reſurrectionem; Eam hîc intelligimus non myſticam & ſpiritualem à morte peccati, de qua Rom. VI, 5. ubi dicimur cum Chriſto *plantati coaleſcere aſſimilatione mortis & reſurrectionis ejus; Quapropter dicit, Excitare qui dormis & reſurge è mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus* Eph. V, 14. Ita dicimur *cum Chriſto ſuſcitati per fidem efficacis illius virtutis Dei qui ſuſcitavit eum ex mortuis* Col. II, 12. III, 1. Hæc illa eſt quæ *prima reſurrectio* dicitur Apoc. XX, 5. 6. *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima, in hos enim ſecunda mors non habet poteſtatem;* Sed externam & corpoream, quâ omnium qui antea vixerint animæ, ſuis reſtituentur corporibus, ut *quiſque in proprio corpore reportet congruenter ad id quod fecerit, ſive bonum ſive malum* 2 Cor. V, 10. (*e*) Hujus, ceu poſſibilis, fidem nobis facit non modò, reſurrectio ad gloriam Chriſti & eorum quorum fit mentio Matth. XXVII, 52. *qui ſcilicet egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem ejus introiverunt in ſanctam urbem & apparuerunt multis*, ſed & miraculoſa reſtitutio ad hanc vitam eorum qui antea obierant; cujus exempla leguntur 1 Reg. XVII, 21. 22. filii viduæ Sareptanæ qui *revixit* ad preces Eliæ; 2 Reg. IV, 34. 35. pueri Schunamitidis quem mortuum ſuſcitavit

a Pœna *animarum dam natarum.* b *Vitanda per* εὐθανασίαν, c *Ad quam nihil facit vel* Confeſſio auricularis, vel EXTREMA UNCTIO. d *Glorificatio* completa *erit per* RESURRECTIONEM, *Cujus exc…itur* 1. Nomen e 2. Poſſibilitas, *variis exemplis*,

Deus Elizæi ministerio; atque 2 Reg. XIII, 21.
illius qui elati ad sepulturam & projecti præ metu
in sepulchrum Elizæi, ad contactum *ossium* Pro-
phetæ illicò revixit: item filiæ Archisynagogi,
quam Christus excitavit adhuc ferè calentem
Marc. V, 14. & adolescentis filii viduæ Nain,
quem cùm jam efferretur, tacto loculo, vitæ &
matri suæ restituit Luc. VII, 11. 12. 13. 14. 15.
& Lazari quatriduani & jam fœtentis, quem vivi-
ficâ suâ voce excitavit ex sepulchro Joh. XI, 32. 33.
nec non Tabithæ Joppensis vitæ restitutæ preci-
bus Petri Act. IX, 36. 37. 38. 39. 40. ac deni-
que Actor. XX, 9. 10. 11. 12. Eutychi cùm *de-
cidisset ex tertia contignatione* & *sublatus esset mor-
tuus*, Pauli precibus & complexu illicò suscitati.

F. XL. (a) Futuram autem eorum qui mortui fue-
J.S. rint resurrectionem in die Judicii, frustra à Sad-
1. ducæis, Ebione, Phileto & Hymenæo olim, &
nostro tempore à David-Jorristis negatam, ab
Atheis irrisam, à Judæis & Socinianis ad solos
pios restrictam, universa docet Scriptura V. &
N. T. Primò quidem locis expressis; *Postquam
vermes confoderint istud, evigilante me, tum carne
meâ visurus sum Deum* Job XIX, 26. *Sic ait Domi-
nus Iehovi ossibus istis, ecce ego inducturus sum in
vos spiritum ut vivatis; nam addam vobis nervos,
obducam vobis carnem, & superindam vobis cu-
tem, ponamque in vobis spiritum & vivetis*
Ezech. XXXVII, 5. 6. *Tandem multi ex dor-
mientibus* (id est, *multitudo dormientium*) *in pul-
verulenta terra, expergiscentur, hi ad vitam æter-
nam, illi ad opprobria & contemptum æternum*
Dan. XII, 3. *Veniet hora quâ omnes qui in monu-
mentis sunt audient vocem ejus; & prodibunt qui
bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala
egerint in resurrectionem condemnationis* Joh. V,
28. 29. Hinc Martha de suo fratre, *Scio resurre-
cturum in resurrectione ultimo die* Joh. XI, 24. &
Paulus profitetur *se spem habere in Deo fore, quam
etiam ipsi expectant, resurrectionem mortuorum tum
justorum tum injustorum* Act. XXIV, 15. *& sicut
in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes
2. vivificabuntur* 1 Cor. XV, 22. Deinde exemplis
variis jam antè relatis hominum mortuorum ad
3. vitam revocatorum. Ut taceam curam quam
Veteres gesserunt suæ Sepulturæ; unde Joseph
suos fratres *adjuravit ut deportarent ossa sua* ex
Ægypto in terram Canaan Gen. L, 25. & quod
4. mors sæpissimè somno confertur (unde Sepul-
chreta, *Cœmiteria* dicta) à quo sumus tandem
excitandi voce Christi.

XLI. Justitia quoque Divina exigit ut cùm
actiones sint suppositorum, sive totius hominis, 5.
totus quoque homo earum præmia vel pœnas su-
stineat: Et sicut materia suam semper appetit for- 6.
mam à qua perficitur, sic forma separata suam
appetit materiam in qua operetur; adeo ut sup-
positâ immortalitate animæ, quam sanior ratio
& Philosophia ultrò admittit, resurrectio mor-
tuorum, etsi id Philosophi non perviderint, ne-
cessariò colligatur; quod factum à Christo, qui
allato Scripturæ testimonio in quo Deus vocatur
Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, probat Saddu-
cæis directè immortalitatem animarum, eo quod
Deus non est Deus mortuorum sed viventium, &
ex consequenti hoc loco agi *de resurrectione mor-
tuorum* Matth. XXII, 31. 32. Varias quoque 7.
Natura & Ars illius mysterii imagines nobis sup-
peditant, & quæ Platonici de Palingenesibus 8.
magnis, ac Poetæ de sua Medea agnum mortuum
vivificante dixerunt, eò possent referri.

XLII. (b) Eadem numero corpora quæ cecide-
rint, unde & *cadavera* dicta, debent resurgere;
prout & *carnis* in Symbolo Apostolico, imo *hu-
jus carnis* resurrectionem juxta Symbolum Aqui-
lejense, nos credere profitemur: Sic enim Chri-
stus, cui erimus in eo conformes, nam *transfi-
gurabit corpus nostrum humile ut conforme fiat ejus
corpori glorioso* Phil. III, 21. idem corpus retulit
ex sepulchro quod tumulatum fuerat. Et si quæ
aliis vel animalibus vel etiam hominibus in escam
cesserint, nihilominus Divinâ Potentiâ ita cine-
res unius à cineribus alterius separabuntur, prout
aurifices possunt in ære Corinthiaco metalla se-
parare, ut singuli referant quod suum est; nam
& *mare* & *mors* & *infernus* & sepulchra *reddent
mortuos quos habebunt*, ut *judicetur de singulis se-
cundùm opera ipsorum* Apoc. XX, 13. Quamvis e-
nim naturaliter à privatione totali ad habitum
non detur regressus, quod insinuat Job cùm ait,
*Vir moritur debilitate fractus; cumque expiravit
homo ubinam est? Abeuntibus aquis ex lacu ut flu-
men exsiccatum exarescit, ita vir quùm occubuit
non resurgit usque dum non erunt cœli; non excita-
buntur viri* (naturaliter) *neque expergiscentur à
somno suo* Job XIV, 11. 12. 13. Datur tamen
supernaturaliter, efficaciâ primæ causæ, quæ
omnium aliarum efficientium causalitatem sup-
plere potest.

XLIII. Sanior quoque Philosophia docet
non repugnare singulare aliquod compositum
quod semel perierit, idem numero reproduci,
præ-

a 3. Certa Futuritio *variis argumentis.*

b 4. Objectum proprium.

præsertim si eadem numero forma, ut in hominibus, remanserit, & eadem numero materia, quæ in minimo, ut arbor in suo semine, potest
J. conservari: Etsi non admittamus fabulam Judæorum de ossiculo in spina dorsi humani quod nunquam putrescat, contra dictum Scripturæ, *Pulvis es & in pulverem reverteris* Gen. III, 19. Qui ergo eadem duntaxat specie corpora, ut flores primo vere, è terra proditura fingunt cum
S. Socinianis, sed non eadem numero, carne & ossibus constantia, illi & Omnipotentiæ & Justitiæ Divinæ insolenter adversantur.

XLIV. (a)Eousque erit universalis omnium resurrectio, quod jam ante §. 40. contra Socinianos & Judæos probavimus, ut etiam qui super-
J.S. stites deprehendentur in die Judicii, sint momento transmutandi: *Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur momento & jactu oculi ad ultimam tubam* I Cor. XV, 51. Atque hæc transformatio morti æquipollebit, quò sua constet veritas dicto Apostoli, *Statutum esse hominibus ut semel moriantur* Hebr. IX, 27. uti etiam factum in Enocho & Elia, quos Deus in testimonium futuræ nostræ resurrectionis in corpore & anima assumpsit ad gloriam cœlestem:
P. Nam quæ fingunt Pontificii de eorum Martyrio olim futuro sub Antichristo, fabulis meris debent annumerari: Elias enim venturus juxta Mal. IV, 5. *Ecce ego missurus sum vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Iehovæ maximus & reverendus, ut convertat cor patrum ad filios & cor filiorum ad patrem ipsorum*, interprete Christo fuit Johannes Baptista; *Si vultis recipere, ipse est Elias ille qui venturus erat* Matth. XI, 14. Is enim *præcessit in conspectu Domini cum Spiritu & virtute Eliæ, ut converteret corda patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam justorum* Luc. I, 17. Quin Elias ipse pro simpliciter beato est habendus ab Adversariis, cùm inter reliquos Sanctos à Carmelitis solemniter colatur & invocetur. *Duo* autem illi *testes*, de quibus Apoc. XI, 3. qui *prophetaturi erant diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*, aliò plane spectant, ac paucos illos denotant veritatis assertores, quos Deus subinde erat oppositurus Tyrannidi & Idololatriæ Antichristi, etiam dum vehementiùs grassabatur, & ab ipso opprimendi erant donec tandem in ultima nostra Reformatione reviviscere visi sunt.

XLV. (b)Resurgent autem primò omnes homines, in quorum censum planè monstrosi partus, aut fœtus nondum animati vel perfecti, venire non debent: Secundò tam pii quàm impii, sed longè dispari sorte; Illi enim resurgent efficaciâ resurrectionis Christi, tanquam capitis sui, & per semen illud immortalitatis quod acceperunt in primitiis Spiritus Sancti, idque ad gloriam & vitam; *Quod si commortui sumus Christo, credimus fore ut etiam ipsi convivamus* Rom. VI, 8. & *si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis* Rom. VIII, 11. Hi verò non vi resurrectionis Christi, quicquid contra pertendant Lutherani, ut majori L.
probabilitate universalem gratiam propugnent ex I Cor. XV, 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, cùm tamen soli consepulti Christo, ejus resurrectionis sint participes; nec Paulus aliud sibi velit quam Christum omnes suos vivificaturum & fœlicitate donaturum æternâ, ut primus Adam suos omnes peccato morti mancipavit; Sed Dei omnipotentiâ & justitiâ, ad pœnas æternas.

XLVI. (c)Dispari quoque immortalitate & incorruptibilitate donabuntur; pii nempe ad gloriam, impii ad supplicium, ut illud æternum perferant, & sic se sentiant mori ut nunquam moriantur: Mors enim æterna, etsi impiè id statuant Sociniani, uti ante visum, quia impii sic S.
optant, non erit mera annihilatio & sola pœna damni, sed pœna sensus acerrima, cujus non erit finis. Cæterùm utrorumque corporibus post resurrectionem remanebit & sexus discrimen, contra quam statuunt aliquot Veteres Origenia- F.P.
ni, & Scholastici nonnulli, ad quos videtur accedere Grotius, cùm eadem numero corpora sint resurrectura I Corinth. XV, 53. *Oportet enim corruptibile istud induere incorruptibilitatem, & mortale istud induere immortalitatem*: & corporea natura & conditio, qualem in suo Christus retinuit; *Videte manus meas & pedes meos, nam ego ipse sum: contrectate me & videte, nam spiritus carnem & ossa non habet sicut conspicitis me habere* Luc. XXIV, 39. Deus enim *servat omnia ossa pii*, sic *ut unum ex illis non frangatur* Psal. XXXIV, 21.

XLVII. Quare Socinianorum, Anabapti- S.A. W.
starum & Weigelianorum somnia de corporibus spiritualibus, carne, cute, ossibus, & partibus organicis destitutis, hîc non sunt admittenda. Ἰσαγγελία filiorum resurrectionis, de qua Matth. XXII, 30. dotes & gloriam beatorum spe-

a 5. Adæquatum. b 6. Exitus *duplex, bonorum & impiorum*. c 7. Effectus *in qualitatibus corporum resurgentium*.

spectat, non corporum substantiam, contra Ezech. XXXVII, 5. 6. ubi ossa revictura dicuntur, Deo nervos, carnem & cutem illis restituente, & Iob. XIX, 25. ubi vir sanctus se post resurrectionem *in carne sua Deum visurum* certò confidit. Paulus verò dicens 1 Cor. XV, 50. quod *caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi, neque corruptio hæreditatem incorruptibilitatis*, non de natura corporea loquitur, sed de illius infirmitate & corruptione; idest carnem & sanguinem non sumit substantialiter & physicè, sed qualitativè & moraliter; ut cùm dixit Gal. I, 16. *Quando libuit Deo revelare Filium suum in me ut euangelizarem ipsum inter Gentes, non statim præterea contuli cum carne & sanguine:* Ita Christus dicebat Matth. XVI, 17. *Beatus es Simon Iona, quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis:* Partes organicæ, quæ nunc nutritioni & generationi inserviunt, supererunt non ad usum & operationem, hoc enim respectu Deus *abolebit & ventrem & escas* 1 Cor. VI, 13. sed ad integritatem & ornamentum, ut mammæ in pectore virili. Eruntque corpora beatorum πνευματικά, *Seritur enim corpus animale suscitatur corpus spirituale* 1 Corinth. XV, 44. non quoad essentiam, sed quoad dotes & dona. Remanebunt itaque tactilia, visibilia, quanta, extensa, suis dimensionibus constantia, certo locanda spatio, quicquid
E.P. contradicant Ubiquitistæ, ita ut nec se mutuò, quod fingunt Scholastici de damnatis, metuentes spatium nimis angustum fore in Inferno, nec alia corpora, penetrare queant.

XLVIII. Donabuntur tamen corpora piorum, gloriâ, splendore, levitate, agilitate, similibusque dotibus quæ illis erunt pro ornamento & vestibus (aliis enim, sublato jam penitùs peccato, opus non erit;) quas faciliùs præsentes cognoscemus, quam in hoc ergastulo vel concipere vel definire valemus. Sufficiat quod *Christus transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro vi illa quâ potest etiam subjicere sibi omnia* Phil. III, 21. Imò si quid habuerint mutili in hac vita, reficietur in futura, & ad eam staturam evehentur quæ gloriosis corporibus & præsentiæ ac perfectissimis operationibus animæ beatæ in illis apprimè conveniat: Erit enim tunc ἀποκατάστασις πάντων, ut loquitur Petrus Act. III, 21. *Seritur* enim *corpus cum corruptione, suscitatur cum incorruptione; seritur fœdum, suscitatur cum gloria; seritur omnium virium expers, suscitatur potens; seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale* 1 Cor. XV, 42. 43. 44. Adeoque corpus gloriosum non erit animæ oneri, sed honori; non carcer gravis, sed sella curulis, imo currus triumphalis, quo vehetur in gloria.

XLIX. (a) Resurget autem quisque suo loco; Nam Christus *mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & cogent electos ejus à quatuor ventis, à cælorum extremo ad eorum extremum* Matth. XXIV, 31. & *reddet mare mortuos quos habuerit, mors* item & *infernus* suos Apoc. XX, 13. Nec admittendum Judaicum delirium, omnes resurrecturos in terra Canaan; Aliò enim respexerunt Patriarchæ, cùm illic sepeliri voluerunt. J. (b) Eodem quoque tempore omnes resurgent; *Nam veniet hora quâ omnes qui in monumentis sunt audient vocem ejus, & prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in resurrectionem condemnationis* Joh. V, 28. 29. Ut non sit locus sententiæ veterum & hodiernorum Chiliastarum, F. duplicem statuentium resurrectionem à mortuis, quarum prima posteriorem antecedat mille annis, per quos qui primi resurrexerint lætabuntur & deliciabuntur in terris: Nam *prima resurrectio* Apoc. XX, 6. debet mysticè intelligi, ut suprà insinuavi, & *mille* illi *anni* per quos à Christo *è cælo descendente Diabolus vinctus fuit ut non seduceret amplius gentes* ibid. com. 2. 3. 6. 7. undecunque eos auspicemur, sive ab Incarnatione Christi, sive ab ejus passione, sive ab Euangelio per Apostolos ubique disseminato, sive à pace Ecclesiis sub Constantino restituta, jamdiu effluxerunt

L. (c) Porrò spes gloriosæ hujus resurrectionis nos docet I. Reverenter habendum hoc corpus, immortalitati, per Euangelii promissiones, Sacramentorum usum & inhabitationem Spiritus Sancti, consignatum: ut & abstineamus illâ ἀφειδίᾳ quam damnat Paulus Col. II, 23. in illis hæreticorum dogmatis *quæ rationem habent sapientiæ in cultu voluntario, & submissione animi, & in eo quod corpori non parcant*, nec in carnem nostram, Baalitarum & Flagellantium in Papatu P. more, crudeliter sæviamus; *nullus enim unquam (qui sapiat) suam ipsius carnem odio habuit, imò enutrit ac fovet eam, sicut Dominus Ecclesiam* Eph. V, 29. & illius membra non iniquitati, sed Justitiæ & Sanctitati applicemus; *Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis, neque sistite membra vestra*

a 8. Locus. b 9. Tempus. c 10. Usus.

vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite vos Deo ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo Rom. VI, 12. 13. Nam *empti estis pretio; glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ sunt Dei* 1 Cor. VI, 20. *Vt sciat vestrûm quisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum* 1 Thess. IV, 4. 5. II. Patienter ferendas esse ærumnas, calamitates & dolores corporis, quibus suo tempore succedent dotes gloriosæ. III. Mortem non horrendam nec timendam, sed ubi illius hora sonuerit ad horologium Providentiæ Dininæ alacriter excipiendam, sub spe certa nos messuros in gloria, id quod in ignominia severimus, juxta id quod §. 48. citabamus ex 1 Cor. XV, 42. 43.

LI. IV. Nec ægrè ferendum si sepulturâ debeamus carere, maximè ob nomen Christi; cùm omnia elementa suos mortuos sint restitutura; & quantum fieri poterit procurandam hominibus 'mortuis sub illa spe honestam sepulturam: Quò spectabat etiam cœco naturæ ductu ipsa Ethnicorum cura, eorumque solemne votum, *Sit tibi terra levis.* Quamvis enim partim superstitioni, partim ambitioni, debeatur mos ille sepeliendi homines in Urbibus & Templis, & optandum esset ut, juxta ritus veteres, Sepulchreta essent extra Vrbes, & nusquam insaniores fiant sumptus quam in exequiarum pompis; nec etiam improbanda sit Magistratuum severitas erga facinorosos, quorum cadavera ad terrorem & exemplum insepulta relinquuntur; tamen detestanda est meritò & veterum Persarum inhumanitas, suorum cadavera feris & volucribus
P. dilanianda exponentium; & sævitia Pontificiorum, eos quos vel Hæreticos vel Excommunicatos censuerint, non tantum à suis cœmiteriis arcentium, sed etiam refodientium, ritu planè ferali; Quid quod religionis prætextu Martyrum dilaniant corpora & sepulchra violant? Id avidè præstantes in eorum reliquiis, vel veris vel falsis, quod Satan moliebatur, sed Michael *Archangelus* impediebat, in *corpore Mosis* Jud. 9. quod in lucem protractum voluisset, in objectum cultus & adorationis proponendum Israëlitis. Vt taceam quod eorum Doctores statuunt licere vesci carne humanâ si alter cibus defuerit.

LII. *(a)* Jam autem & superstites derepentè mutati, & mortui è suis monumentis & somno mortis tubâ Archangeli excitati, illicò Christo sistentur, apparenti ad judicium illud solemne, universale, visibile, quod illi etiam quà homini commissum est à Patre; *Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicatum dedit Filio, auctoritatemque ei dedit judicium exercendi quatenus Filius hominis est* Johan. V, 22. 27. & ad quod redibit è cœlo *quemadmodum* Apostoli *spectarunt* quondam *eum proficiscentem in cælum* Act. I, 11. multâ circumdatus majestate & gloriâ; *Nam ipse Dominus, cum hortationis clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba, descendet è cælo, & qui mortui fuerint in Christo resurgent primùm; deinde nos vivi qui reliqui erimus rapiemur simul cum eis in nubibus in occursum Domini* 1 Thess. IV, 16. 17. *(b)* Vt tale credatur & expectetur judicium, *die quo* Deus *justè judicaturus est* orbem terrarum per *eum virum quem definiit* Act. XVII, 31. ipsa Dei justitia necessariò exigit; *Siquidem*, inquit Paulus, *justum est apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem, vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum, in revelatione Domini Iesu de cælo, cum Angelis suis potentibus* 2 Thess. I, 6. 7. Idem uniuscujusque comprobat conscientia; ut in Felice videre est, qui Paulo *differenti de justitia & continentia & judicio futuro, expavefactus respondit, Vt nunc se res habent abi, opportunitatem autem post nactus, accersam te* Actor. XXIV, 25. Id ipsum tota clamat Scriptura; Nam *omne opus Deus ipse adducet in judicium cum omni re occulta, sive bonum sive malum* Eccl. XII, 16. cùm videlicet *judicio considente, libri aperientur* Dan. VII, 10. adeò ut *quodcunque verbum otiosum loquuti fuerint homines, de eo sint reddituri rationem in die judicii* Matth. XII, 36. Tum *mittet Filius hominis Angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula & eos qui dant operam transgressioni Legis, projicientque eos in fornacem ignis; illic erit fletus & stridor dentium: Iusti* autem *effulgebunt ut Sol in regno Patris sui* Matth. XIII, 41. 42. 43. *Proinde ne ante constitutum tempus quicquam judicate, usquedum venerit Dominus qui & illustraturus est res tenebris occultatas, & manifesta faciet consilia cordium, ac tunc laus erit unicuique à Deo* 1 Cor. IV, 5. Quin ejus forma & ritus speciatim describitur Matth. XXV, 31. & seqq. ubi fusè refertur quomodo *Filius hominis quùm venerit cum gloria sua, sedebit in throno gloriæ suæ & cogentur coram eo omnes gentes & separabit eos alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hædis, & statuet oves ad dextram suam & hædos suos ad sinistram,* & utrisque suam distin-

a II. Adjunctum, JUDICIUM EXTREMUM, *cujus explicantur* b I. Veritas & Certitudo;

distinctam sente ntiã pronunciabit, illis absolutionis & vitę, his condemnationis & supplicii æterni.

LIII. Quisque sanè in morte sua consequitur judicium particulare, occultum, partiale, quia respectu animæ tantum, & quasi provisionale; quo sensu dictum à Paulo, *statutum esse omnibus hominibus ut semel moriantur, postea verò sequi judicium* Hebr. IX, 27. At in ultimo die erit commune, publicum, totale & peremptorium; Vt *non consistent improbi in* illo *judicio* Psal. I, 5. quatenus nihil habebunt quo se illic tueantur, sic viceversâ qui *credit* in Christum *non veniet in judicium* Ioh. V, 24. nempe condemnationis, *sed transivit à morte ad vitam*; & qui *non credit* ita *jam judicatus est* Ioh. III, 18. in Dei consilio & verbo, item in sua conscientia, & quod *ira Dei manet super eum* Ioh. III, 36. ut solemniter & personaliter judicandus restet in fine sæculi. Quod enim Christus negat se judicare quemquam Ioh. VIII, 15. *Vos secundùm carnem judicatis, ego non judico quemquam*, pertinet ad primum ejus adventum, in quo non judicatum sed judicandus venerat.

LIV. (*a*) Judex itaque Christus erit, in illa ipsa natura visibili in qua ipse quondam fuit pro nobis
L. condemnatus: Quod enim Lutherani quidam nostris affingunt eos negare Christum quà hominem futurum esse universalem omnium judicem, mera est calumnia; Potestate enim judiciariâ quæ ipsi quà Mediatori competit, visibiliter defungetur in natura humana, *respicientibus* ad eum *qui illum transfixerint* Zach. XII, 10 idque tum ad majorem suorum consolationem, tum ad majorem terrorem impiorum; atque eum in finem *visibiliter è cœlo redibit*, quo eum *oportet* tantisper *contineri* Act. I, 11. III, 21. Quod quantopere obsit Consubstantiationis &
P.L. Transsubstantiationis defensoribus, nemo non videt, abhibito præsertim loco Matth. XXIV, 26. 27. *Si vobis dixerint, Ecce* Christus *in deserto est, ne egredimini; ecce est ἐν ταμειοῖς*, (id est propriè in *ciboriis*) *ne credite; Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usque in occidentem, ita etiam erit adventus Filii hominis.*

LV. (*b*) Judicabuntur tunc cum Angelis rebellibus, (*An ignoratis fore ut Angelos judicemus* I Cor. VI, 3. quibus sanè Deus *non pepercit sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi servatos* 2 Petr. II, 4. & *judicio magni illius diei* Jud. 6. quo conjicientur *in stagnum ignis & sulphuris* Apoc. XX, 10.) omnes omninò homines, quos *oportet manifestos fieri coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet in corpore suo congruenter ad id quod fecerit sive bonum sive malum* 2Cor. V, 10. Et sic de eorum fide & incredulitate, operibus omnibus, dictis, factis, cogitatis, feretur sententia, nequidem *verbis otiosis* exceptis Matth. XII, 36. (*Illo* enim *die judicabit Dominus de rebus occultis hominum per Iesum Christum* Rom. II, 16. & *manifesta faciet consilia cordium* I Cor. IV, 5.) ut tamen solorum impiorum scelera retegantur; quatenus judicabuntur *ex iis quæ scripta sunt in libris secundùm opera ipsorum* Apoc. XX, 12. non publicatis glorificandorum peccatis, ut perperam Pontificii plurimi P.
sentiunt, utpote contectis propitiatione quæ est in Christo; *Ecce ego deleo defectiones tuas propter me & peccatorum tuorum non recordor* Ies. XLIII, 12. *Quotquot* enim *erunt* ex piis, *cognoscent me à minimo ad maximum, dictum Iehovæ, me condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordari amplius* Jerem. XXXI, 34. *Diebus itaque illis & tempore illo, dictum Iehovæ, si quæratur iniquitas Israëlis, nulla extabit, & peccata Iudæ, nulla invenientur, quia condonavero iis quos faciam reliquos* Ierem. L, 20. *projectis in profundissimum maris omnibus peccatis ipsorum* Mich. VII, 19. Adeoque hoc modo omnia opera adducentur in judicium, nempe bona piorum, & mala impiorum. Apostoli judicabunt mundum, cùm *sedebunt in thronis duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, juxta promissionem Christi Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30. sed potissimum suâ doctrinâ, *in die quo judicabit Dominus de rebus occultis ex Euangelio meo*, inquit Paulus Rom. II, 16. Sancti similiter; *An ignoratis sanctos mundum judicaturos? quod si per vos judicabitur mundus, indigni ne estis minimis judiciis? An ignoratis fore ut angelos judicemus?* I Cor. VI, 2. 3. Sed id præstabunt 1. in Christo suo capite, 2. comparatè ad impios qui damnabuntur, 3. potiùs approbativè, quam definitivè.

LVI. (*c*) Erit enim forma tremenda illius Judicii; Nam Christus eximiâ majestate & igne plusquam Persarum more conspicuus, *Ignis ante ipsum consumit, circa ipsum procellosus valde* Psal. L, 3. stipatusque Angelis, per eos oves ab hœdis separabit; bonos à dextris, utpote *solâ* ipsius *dextrâ* servatos Psal. XLIV, 4. malos à sinistris, quod sinistræ eorum fuerint actiones, collocabit: & post *apertos libros* Dan. VII, 10. I. Providentiæ divinæ, in quo scriptum quid quisque mali vel fe-

a 2. Judex. b 3. Objectum.

c 4. Forma & modus

fecerit vel passus fuerit; *Tu vagationes meas in numerato habes; pone quamque lacrymam meam in utre tuo: an non essent in numerato tibi* Psal. LVI, 9. II. Conscientiæ singulorum; *Dominus est illustraturus res tenebris occultatas & manifesta faciet consilia cordium* 1 Cor. IV, 5. III. Prædestinationis: *Vidi mortuos parvos & magnos stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est liber vitæ; judicatique sunt mortui ex iis quæ erant scripta in libris secundùm opera ipsorum* Apoc. XX, 12. IV. Legis & Euangelii; nam ex Euangelio boni absolventur, Lege approbante cui satisfactum à Christo; ex Lege mali condemnabuntur, comprobante Euangelio quod Christo non crediderint. Ex iisdem libris singulis sententiam suam pronunciabit; initio facto ab absolutione bonorum, quia pronior est ad misericordiam quam ad iram: Impiis exprobrabuntur potissimum peccata omissionis, quia non satis est à malo abstinuisse, nisi & bonum feceris. Sententiæ dictio incipiet à piis, sed executio ab impiis ad illorum majorem consolationem; *Lætabitur justus quum videbit ultionem, pedes suos lavabit in sanguine improbi* Psal. LVIII, 11.

LVII. In illo justo judicio rependetur unicuique *secundùm sua opera*, tum quia de eo quod apparuerit potissimùm visibile judicium fieri debet, tum quia mala opera impiorum meritoria sunt mortis æternæ, bona verò piorum consequentia, testimonia, effectaque fidei & gratiæ quam in Christo fuerint consequuti; suntque via ad regnum, licet non causa regnandi, nec præcedunt justificandum sed justificatum sequuntur: Quam enim id parum faveat meritorum doctrinæ Pontificiæ, suo loco visum est: imò Christus arcesset ipsorum salutem à benedictione Patris quam in se Filio fuerint consequuti; & electione æterna quâ ipsis à jactis mundi fundamentis paratum est regnum cœlorum; & adoptione gratuita per quam ad talem hæreditatem erciscundam fuerint evocati; *Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento* Matt. XXV, 34. Sic erit illa dies δικαιοκρισίας, prout dicitur *dies iræ & revelationis justi judicii Dei* Rom. II, 5. ut sit etiam ἀπολυτρώσεως, ἀναψύξεως & ἐλέους; *Resipiscite igitur & convertite vos, ut deleantur peccata vestra, quùm venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini, & miserit priùs prædicatum vobis Iesum Christum quem oportet cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium* Act. III, 19. 20. 21. *Et ne tristate Spiritum illum sanctum Dei per quem obsignati estis in diem redemptionis* Ephes. IV, 30. Hinc de Onesiphoro Apostolus, *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo* 2 Tim. I, 18.

P.

LVIII. (a) Habebitur quidem hoc judicium in terra, vel potiùs in aere terræ proximo; *Rapiemur* enim *in nubes in occursum Domini in aera* 1 Thess. IV, 17. Sed ubi locorum, nescitur; imò Christus noluit explicare, dicere contentus quod *ubicunque fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ* Matth. XXIV, 28. Quæ Pontificii cum Judæis de valle Josaphat hîc somniant, ad eorum deliria pertinent: nec enim eò facit dictum Joelis, III, 2. 12. 13. *Congregabo omnes gentes & deducam eas in convallem Iosaphati, ut disceptem cum eis ibi pro populo meo*; item, *Excitabuntur & ascendent gentes in convallem Iosaphati, nam ibi sedebo ad judicandum omnes istas gentes undique, dicens, immittite falculam, nam maturuit messis*; cùm sermo sit allegoricus de Ecclesia Dei ex improviso liberanda, eodem modo quo olim Josaphato insignem indulserat victoriam de Moabitis & Hammonitis circa *clivum Tzizi, in extremitate vallis, in fronte deserti Ieruelis*, ubi hostes sese mutuo confoderunt 2 Chron. XX, 16. & seqq. (b) Æquè nos latet illius tempus ipsismet Angelis ignotum, ut & Christo homini in carne peregrinanti; *De die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt, neque ipse Filius, sed Pater* solus Marc. XIII, 32. Et quam ex improviso sit venturus, constat ex Scriptura: *Vigilate ergo; nescitis enim quâ horâ Dominus vester venturus est* Matth. XXI, 42. *Cavete vobis ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate & solicitudinibus hujus vitæ, & repentè vobis superveniat dies ille; nam ut laqueus invadet in omnes qui habitant in superficie totius terræ* Luc. XXI, 34. 34. *Quùm enim dicent, Pax est & securitas, tunc repentinum eis instat exitium, sicut dolor partus mulieri gravidæ, & nequaquam effugient* 1 Thess. V, 3. Vult Deus homines id latere, (*Non est vestrum*, inquit Christus ad Apostolos ipsos, *nosse tempora sive opportunitates quas Pater in sua ipsius auctoritate statuit* Act. I, 7.) ad eorum curiositatem frænandam, & patientiam, spem atque fidem exercendam, eosque ad obedientiam & sobrietatem ac vigilantiam formandos; *Sint lumbi vestri succincti & lucernæ vestræ ardentes, & similes estote iis qui expectant quando*

J.P.

a 5. Locus. b 6. Tempus.

do dominus suus regressurus sit à nuptiis, ut quàm venerit ac pulsaverit statim aperiant ei Luc. XII, 35. 37. Fœlix ille in cujus aure resonat semper illa vox, Mortui surgite & venite ad judicium; nam illius exspectatio nos non minus monet officii, quam fiduciâ replet; tantumque abest ut pii debeant orare pro *mora finis*, quod fiebat Tertulliani tempore, ut potiùs piis votis illam diem liberationis suæ accelerent; *Veni igitur Domine Iesu* Apoc. XXII, 20.

LIX. Cùm ergo tempus hoc sit nobis indefinitum, temeritatis est velle illud & durationem mundi certò definire, ut perperam factum à non-
P. nullis; aut statuere, ut vulgò fit à Pontificiis, præcisè futurum diem judicii anno tertio & sex mensibus post revelationem Antichristi: Suo loco tamen relinquimus dictum Elianæ domus de sex mille annis durationi mundi assignatis, post quos magnum Sabathum erit; Hæc enim sententia nihil definit de anno, hora & die ultimi judicii. (*a*) Cujus jam plurima præteriêre signa, ac præcipuè gravis Ecclesiæ & veritatis persequutio, Antichristi revelatio, & illa quam invexit ἀποστασία, ejusque per Dei verbum attritio; *Nequis vos decipiat ullo modo: Non enim adveniet dies Christi quin venerit defectio priùs, & revelatus fuerit homo peccati, filius ille perditionis, quem Dominus absumet Spiritu oris sui, & illustri suo adventu abolebit* 2 Thess. II, 3. 8. Pergit quoque procedere illa *plenitudo gentium*, ob quam *tantisper dum introierit, obduratio ex parte evenit Israeli* Rom. XI, 25. quamvis locus Matt. XXIV, 14. *Prædicabitur istud Euangelium regni in toto terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus, & tunc veniet finis*, agat de Euangelio apud gentes disseminando ante eversionem Jerosolymorum, non verò ante diem judicii. Nunc etiam bella ex bellis seruntur, refrixit charitas iniquitate multiplicatâ, & ita fatiscit mundus sub mole vitiorum suorum, adeo verè dici potest ὐδὲν ὑγιὲς, ut brevi videatur Liberator expectandus.

LX. Signa in Cœlo, Sole & Luna, antecessura ultimum Christi adventum, quo *absque peccato conspicietur iis qui ipsum expectant ad salutem*
P. Hebr. IX, 28. non sunt, ut voluit Campanella, ad nova in cœlis Phænomena, aut Solis exorbitantias valde incertas, trahenda; sed intelligenda allegoricè, de magnis mutationibus & corruptelis Ecclesiæ & Reipublicæ; Etenim ea Christus prædicit futura illicò post Judaicæ gentis destructionem per Romanos: *Statim post compressionem dierum illorum, Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum, & stellæ cadent è cælo, & potestates cælorum concutientur* Matth. XXIV, 29. Et qui hoc Christi vaticinium contulerit cum Apoc. VII, 10. 11. 12. ubi ad clangorem tertiæ & quartæ tubæ, *cecidit è cælo stella magna* quæ *Absynthium* dicitur, *& percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum*, item cum Apoc. IX, 2. ubi *obscuratur Sol & aer à fumo putei*, item cum Apoc. XII, 3. 4. ubi draco *caudâ trahebat tertiam partem stellarum cæli quas abjecit in terram*, facilè mentem Domini percipiet. Signum concomitans de quo Matth. XXIV, 30. *Tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, & tunc omnes tribus terræ plagent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa*, nolim referri cum Pontificiis ad crucis in P.
nubibus apparituræ figuram, sed potiùs ad ignem conflagrationis ultimæ, qui eodem momento accendi incipiet; *Qui enim nunc sunt cæli & terra asservantur igni in diem damnationis & exitii impiorum; & veniet sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cæli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur* 2 Petr. III, 7. 10.

LXI. Videtur quoque ultimum Christi adventum immediatè præcessura magna quædam & solemnis ad Christum Judæorum conversio, cujus fit mentio Rom. XI, 12. 15. 25. 26. *Quod si eorum offensa est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium, quanto magis plenitudo ipsorum? Nam si abjectio eorum est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes) obdurationem ex parte Israeli evenisse tantisper dum plenitudo Gentium introjerit, & ita totus Israel servabitur*. Hæc enim expressiora sunt, quam ut spectare possint illorum Judæorum ad Euangelium conversionem, quæ facta passim legitur Apostolorum temporibus. Huic tamen adhuc sperandæ conversioni Judæorum, nonnulli perperam, ex F.
Prophetis mysticè non carnaliter intelligendis, adjiciunt eorum reditum in Patriam, & Politiæ Mosaicæ & Jerosolymorum restitutionem, contra dictum Christi Matth. XXIII, 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, & Matth. XXIV, 2. *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis*

lapis super lapidem qui non dissolvatur. Sed quoniam quale aut quomodo illud conversionis Judæorum opus debeat esse & fieri ignoramus, ut illam quidem oportet quâ par est diligentiâ promovere, sic non debemus arbitrari tamdiu necessariò differendum ultimum Judicium, quamdiu eam ex nostri judicii norma & præjudicio procedere non videmus.

LXII. (*a*) Hujus Judicii dies, erit quoque ultimus mundi, in hoc ordine in quo nunc est, & Consummationis sæculi; Peragetur illa igne, undecunque veniat (quis enim id definiat?) quo mundus conflagrabit; *Nam ecce Iehova cum igne venturus est; & curribus suis similibus turbini, ad reddendum cum excandescentia iram suam, & increpationem suam cum flammis ardentibus* Jes. LXVI, 15. & *qui nunc sunt cæli ac terra asservantur igni in diem damnationis* 2 Pet. III, 7. Quod nec ipsi Ethnici penitùs ignorarunt, statuentes *affore tempus, Quo mare quo tellus correptaque regia cœli Ardeat, & mundi moles operosa laboret.* An tamen ignis ille *creaturam* à *vanitate* & *servitute corruptionis*, cui per peccatum obnoxia facta est, *liberabit* Rom. VIII, 20. 21. destructione & interitu, an solâ παλιγγενεσία & renovatione, ut sint *novi cæli & nova terra in quibus habitet justitia* Jes. LXV, 17. 2 Pet. III, 13. haud facile est definire.

LXIII. Nos verò in posteriorem sententiam meritò propendemus ex locis plurimis Scripturæ; Tunc enim *erit lux ipsa Lunæ sicut lux Solis, lux autem Solis erit septupla ut lux septem dierum, quo die obligaverit Iehova fracturam populi sui, & fractionem plagæ illius curaverit* Jes. XXX, 26. Et oportet ut Christum *cæli capiant usque ad tempora restitutionis omnium de quibus loquutus est Deus à sæculo, per os omnium Sanctorum Prophetarum* Act. III, 21. *Ista ergo peritura sunt* (quod ad statum & qualitates, non quod ad substantiam) *tu autem permanes; ista inquam omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur*, prout vestis attrita ab una parte, cùm invertitur novum splendorem accipere videtur, Psal. CII, 27. Tamen arbitramur hanc renovationem maximè spectaturam ætherea corpora, supra quæ est *terra illa viventium*, in qua se *bonitate Iehovæ fruiturum* credebat David Psalm. XXVII, 13. & de qua Propheta ad pium quemlibet, *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui, spectabunt terram longinquissimam* Jes. XXXIII, 17. piorum felicitati & habitationi destinata; mundo interea elementari sive terreno, in stagnum ignis & sulphuris, instar Sodomæ & Gomorræ, ad dæmonum & impiorum habitationem & pœnam transmutato. Absolutam enim mundi annihilationem cum quibusdam Lutheranis Doctoribus, ut abrogentur corporibus glorificatis spatia corporea, imaginari est absurdum: cùm de re omni finita, maximè verò corporea, istud sit verissimum, Quod nusquam est, neque est. Utut sit, æternam mundi in hoc statu in quo nunc est durationem, cum Aristotele & plurimis Iudæorum sibi polliceri, ut solent impii, nihil est aliud quam somnia sibi fingere. (*b*) Tunc igitur completa erit impiorum miseria, qui æternos cruciatus in anima & corpore habebunt sustinendos & qui nunquam finientur, quicquid Origenistæ veteres & novi delirent; Adeò ut illis præstaret nunquam fuisse natis, prout dicebat Christus de Juda, *Væ homini illi per quem Filius hominis proditur; bonum erat homini illi si natus non fuisset* Matth. XXVI, 24. Nam *fumus tormenti ipsorum ascendet in secula seculorum* Apoc. XIV, 11. Habebunt enim pro sua portione ignem ἄσβεστον qui urit & non lucet, quippe *ejecti in tenebras illas exteras, ubi erit fletus & stridor dentium* Matth. VI, 11, 11. 12. Sic etiam complebitur piorum felicitas; cui multum accrescet, quoad beatitudinis accidentia, ex reunione animæ cum corpore & ipsiusmet corporis glorificatione: Licet Alcorani voluptates corporeæ, haræ porcorum magis quam cœlo Beatorum convenientes, in paradysum non sint introducendæ; *Nam in resurrectione, neque uxores ducent, neque nuptum dantur, sed sunt ut Angeli Dei in cælo* Matth. XXII, 30. Neque *est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum* Rom. XIV, 17. Nec Sancti isthîc *esurient amplius, neque in illos cadet Sol, neque ullus æstus; quoniam agnus Dei qui in medio throni est, pascet eos, & viæ dux eis erit ad vivos fontes aquarum* Apoc. VII, 16. 17.

L.
J.
F.
M.

LXIV. (*c*) Jam verò pœna sensus in inferno intensione & gradibus differet, quamvis sit futura extensione æterna: unde Christus, *Quicunque irascitur fratri suo temerè tenebitur judicio, quicunque verò dixerit fratri suo Raca tenebitur consessu, quisquis autem dixerit fatue tenebitur gehennâ ignis* Matth. V, 22. & Matth. XI, 24. docet *tolerabiliorem fore conditionem Tyri & Sydonis* quam *Chorazin & Bethsaida*, item *Sodomorum* quam *Capernaum*,

a *Erit autem dies Iudicii* CONSUMMATIO SÆCULI. b Post quam *completa erit* miseria *impiorum* & *piorum* fœlicitas. c *In utraque* æterna, *Graduum diversitas*, *tam in* Inferno *quam in* Cœlo.

naum, in die judicii; & *Ille servus qui novit voluntatem Domini sui, & neque se comparavit neque fecit ex illius voluntate, cædetur multis plagis, qui verò non novit & fecit digna plagis, cædetur paucis* Luc. XII, 47. 48. Nec dispar conditio futura Beatorum in cœlo, quod eorum æternum erit domicilium; *Ipsorum* enim est *regnum cælorum* & *merces* eorum *multa est in cælis* Matth. V, 10. 12. & sunt *accubituri cum Abrahamo & Isaaco & Iacobo in regno cælorum* Matth. VIII, 11. & possidebunt *thesaurum in cælis qui nunquam deficiet, quò fur non appropinquat & ubi tinea non corrumpit* Luc. XII, 33. recepti scilicet *in tabernacula æterna* Luc. XVI, 9. Unde Paulus, *Scimus nos si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manufactum æternum in cælis* 2 Cor. V, 1. item, *Nos ut municipes cælorum nos gerimus, unde etiam Servatorem expectamus Dominum Iesum Christum* Phil. III, 20. Quare non immeritò Moses *majores duxit divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros, intuebatur enim in præmii retributionem* Heb. XI, 26. id est *ad hæreditatem quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere*, electis *servatam in cælis* 1 Pet. 1, 4. Æternum itaque dico hoc domicilium piorum, quoniam verè Paradysi flores sunt ἀμιάντοι καὶ ἀμάραντοι, nec vera esset felicitas si unquam finienda. In illa autem cœlesti & æterna bonorum fœlicitate, posset quoque statui circa accidentalia quædam graduum diversi-
P. tas; non quidem, ut insaniunt Pontificii cum suis aureolis, ex meritorum distinctione, sed ex liberali & sapienti Dei dispensatione, prout etiam inæqualiter, sufficienter tamen cuilibet ad salutem, sua Charismata sunt distributa fidelibus: Singulorum vasa in hoc mare conjecta plena erunt, etsi alia aliis capaciora fuerint: *Erudientes enim splendebunt quasi splendore expansi, & justificantes multos ut stellæ in sempiterna sæcula* Dan. XII, 3 & sicut *alius est decor Solis & alius decor Lunæ & alius decor Stellarum, Stella enim Stellæ præstat decore, ita erit & resurrectio mortuorum* 1 Cor. XV, 41. 42. Et cùm *sint in domo Patris habitationes multæ* Iohan. XIV, 2 verosimile est aliquam in illis futuram præmiorum inæqualitatem, attemperatam & analogam inæqualitat donorum gratiæ in hac vita: prout in parabola *minarum, decem urbes* promittuntur ei cujus *mina decem* alias confecerat Luc. XIX, 16. 17. 18. 19. Quapropter Apostolus præter communem cum reliquis piis fœlicitatem, eos quos lucrifecerat Christo, vocat suam *spem & gaudium & coronam, quâ gloriabitur in conspectu Domini nostri Iesu Christi, in ejus adventu* 1 Thess. II, 19.

LXV. (a) Vix quoque dubitandum Beatos & agnituros impios adjudicatos inferno citra commiserationem, & se quoque mutuò cum summo gaudio per lumen gloriæ cognituros, ut Adam Evam cognovit illicò ceu *os ex* suis *ossibus* & *carnem ex carne sua* Gen. II, 23. & Apostoli *Mosem & Eliam* cum Christo *colloquentes* Matth. XVII, 3. Id enim pertinet ad jus supremæ illius societatis, quæ dicitur *conventus universalis & concio primogenitorum qui conscripti sunt in cælis* Heb. XII, 23. Etsi in solo Deo sint gavisuri, *die ac nocte sine intermissione dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ille omnipotens, qui erat & est & venturus est* Apoc. IV, 8. *Ideo* enim erunt *ante thronum Dei, ut colant die ac nocte in templo ejus* Apoc. VII, 15. Nec mentali tantum sermone Deum laudabunt, sed & vocali, quo etiam, ut Moses & Elias cum Christo, inter se sermocinabuntur; prout Paulus *raptus in paradisum audiverat ineffabilia verba quæ non liceat homini loqui* 2 Corinth. XII, 4. Quò etiam pertinere potest *canticum illud novum* quod viginti quatuor Seniores *cecinisse* Deo dicuntur Apoc. V, 9. Lingua verò non improbabiliter statuitur Hebræa, quia linguarum varietas, quæ ex peccato est, ibidem cessatura videtur, *Prophetiæ* enim *evanescent & linguæ cessabunt* 1 Cor. XIII, 8.

LXVI. Hæc igitur est Glorificatio & vita æterna, quam nobis suo merito peperit Christus, neutiquam ex nostris meritis, aut aliunde quam ex suo merè gratuito beneficio, exspectanda; siquidem *vita æterna est donum Dei in Iesu Christo Domino nostro* Rom. VI, 23. & cujus initia & signa obtinemus in hac vita, cognitione Dei salutari, fiduciâ in Christum, Sanctificationis studio, Sanctorum communione, & Conscientiæ pace. Fides & Spes communi vecte ex terra Canaan quosdam racemos prægustandos ad nos deferunt, quamdiu peregrinamur in hoc deserto: Si illius æternitatis verè candidati fuerimus, terrena, temporalia & evanida quælibet hujus Sæculi, facilè contemnemus.

a *Beatorum* cognitio & loquela.

LOCUS

LOCUS DECIMUS QUINTUS;

De

ECCLESIÆ NOMINE

& Partibs.



Uoniam(*b*)Beneficia Christi uni suæ Ecclesiæ destinantur, ut olim *ros* cœlestis soli *velleri Gedeonis* Iud. v I, 37. post illa explicata, de hac quoque dicendum est. Ei nomen ἀπὸ τȣ̃ καλεῖν & ἐκκαλεῖν, ut hoc ab Hebræo *Kahal*, unde & *Koheleth*, *Ecclesiastes*, qui verba habet ad Concionem: quo nomine tertius Salomonis liber, & ipse in eo, inscribitur. Hinc *calandi* vocabulum apud Latinos, & *calata comitia*; Duo quoque conventuum genera apud Athenienses, ἀγορὰ & ἐκκλησία; quorum ille populi confluxum promiscuum & voluntarium ad forum & mercatum, hic ejusdem concionem, cui nomen à *ciendo*, præconis voce evocatam, denotabat.

II. (*b*)Interpretes Græci V. T. nomen *Kahal*, promiscuè reddunt ἐκκλησίαν & συναγωγήν; sed nomem *Gnedah*, à *Iagnad*, nunquam aliter quam συναγωγήν. Attamen N. T. Syrus interpres hoc posterius sæpè usurpat ad ἐκκλησίαν significandam. Ut valde incerta sint quæ de discrimine illorum duorum vocabulorum apud Hebræos perhibent nonnulli. Id certum, *Synagogæ* nomen nunquam in N.T. tribui Christi Ecclesiæ, non, ut malè Augustinus, quòd Synagoga sit etiam bestiarum, Ecclesia tantùm hominum, quùm & hæc Grex ac Ovile dicatur; *Ne metue, parve grex, nam libuit Patri vestro dare vobis regnum illud* Luc. x I I, 32. *Alias etiam oves habeo quæ non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere; nam vocem meam audient, fietque unus grex & unus Pastor* Joh. x, 16. Sed quò discrimen constitueretur, etiam in nomine, inter populum Iudaicum & Christianum. Sanè Heb. x, 25. ἐπισυναγωγὴ, *Non deserentes* τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, *aggregationem nostri mutuam*, & συναγωγὴ Iac. I I, 2. *Si quis ingrediatur* εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, *in cœtum vestrum*, vel locum sacri conventus notat, ut loco posteriori, vel, ut priori, ipsam fidelium coitionem in unum ad exercitia pietatis, quæ nonnullis veterum *Collecta* dicebatur; unde postea dictæ *Collectæ*, Synaxes piorum & illæ preces quæ in cœtibus Christianorum publicè concipiebantur: non verò ipsam Ecclesiam: Hæc enim non *nostra* in Scripturis, sed Dei aut Christi dicitur.

III. Sed de Etymo aut Synonymis quicquid sit, vox Ecclesiæ in Scripturis est πολύσημος. Equidem nunquam sumitur sensu Pontificio pro P.
Pontifice Romano; quùm absurdum sit unum hominem, quem etiam possibile est ad Ecclesiam non pertinere, ex Adversariorum ipsorum placitis, si nempe non fuerit baptizatus, aut ipso facto propter Simoniam vel occultam hæresim excommunicatus, exprimi nomine Ecclesiæ, quod numerum & multitudinem suo conceptu dicit; Nunquam etiam, ut vulgi consuetudo nunc fert, id nominis loco conventus habendi tribuit Scriptura. Nam author apocryphus libri Iudithæ cap. v I, versu ult. nomen *Ecclesiæ* non habet in textu Græco, sed tantum quod *invocaverint Deum Israel in auxilium per totam illam noctem*, solo Latino Interprete vulgari dicente, quod *per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt*: Versu quidem præcedenti habetur quod *Ozias assumpsit* Achiorum ἐκ τῆς ἐκκλησίας *in suam domum*; Sed ibi ἐκκλησίας *cœtum* & *congregationem* notat, non locum sacri conventus: Quare Latinus interpres illa sic reddidit, *Tunc Ozias finito concilio suscepit eum in domum suam*. At 1 Cor. x I, 18. 22. *Quùm convenitis in Ecclesia, audio esse dissidia inter vos*; & *Num domos non habetis ad edendum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis & pudefacitis?* hæc vox Ecclesiæ significat non locum conventus, sed ipsum cœtum sacrum fidelium unà coeuntium ad exercitia pietatis.

a *Transitur ad* ECCLESIAM, *cujus considerantur hic* 1. NOMEN; *Nominis verò*, Etymon. b Synonymia. c Significatio *multiplex*. κατ᾽ ἄρσιν.

IV. (*a*) Verùm id nominis I. Sumitur in genere
1. pro quolibet cœtu; etiam tumultuantium & ma-
lignantium; Sic Actor. XIX, 32. *Alii aliud cla-*
mabant, erat enim ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη,
concio conturbata; & juxta V. V. ac Græcos in-
terpretes Psal. XXVI, 5. *Odivi Ecclesiam malig-*
2. *nantium*. II. Aliquando notat Christi corpus
Mysticum, ipsi ceu capiti suo juxta æternam
Electionem constanter & indivulsè adhærescens;
Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &
portæ inferorum non superabunt eam Matth. XVI,
18. *Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum expo-*
suit pro ea Eph. V, 25. *Accessistis πανηγύρει καὶ*
ἐκκλησίᾳ primogenitorum qui conscripti sunt in cœ-
3. *lis* Hebr. XII, 23. III. Quandoque significat
particulares cœtus fidelium loco conveniendi di-
stinctos, quales erant tempore Pauli, Ecclesiæ
Romanorum, Colossensium, Corinthiorum,
& quasi Parœciales illæ de quibus Rom. XVI, 5.
Salutate Ecclesiam quæ est in domo Aquilæ & Pri-
scillæ, & 1 Cor. XVI, 19. *Salutant vos in Domi-*
no multum Aquila & Priscilla, cum Ecclesia quæ
est domi ipsorum, & Col. IV, 15. *Salutate Nym-*
pham & Ecclesiam quæ in domo illius est; Ut vel
F. hinc convincantur Brownistæ & Independentes,
qui carpunt unius Ecclesiæ Urbanæ distributio-
nem in cœtus partiales, distinctis locis ad sacra
Pietatis exercitia, sub unius tamen Presbyterii
regimine, convenientes. Hos autem cœtus fide-
lium nomen *Ecclesiæ*, significat, vel conjunc-
tim cum suis Rectoribus & Pastoribus, ut cum
1. Corinth. 1, 2. Paulus inscribit suam epistolam
Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, & 1 Thess. 1, 1.
Ecclesiæ Thessalonicensium quæ est in Deo Patre &
Domino Iesu Christo, & alibi passim; vel distinctè
ab illis, ut cum Presbyteris Ecclesiæ Ephesinæ
dicitur Act. XX, 28. *Attendite animum ad vos ip-*
sos & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus
constituit episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei
quam suo proprio sanguine acquisivit, & Apoc. 1,
20. *Septem illæ stellæ Angeli sunt septem Ecclesia-*
rum. IV. Aliquando è contrario significat ipsos
4. Rectores & Ministros Ecclesiæ, sive eorundem
cœtuum particularium, distinctè à populo; ut
Mat. XVIII, 17. *Dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam*
audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publi-
canus, quæ sanè Ecclesia, nihil aliud notat quam
ipsum Presbyterium penes quod est potestas &
administratio clavium, de quo 1 Tim. IV, 14.
Ne negligito donum quod in te est, quod datum est
tibi per Prophetiam cum impositione manuum Pres-
byterii: Vulgò dicitur Ecclesia *repræsentativa*;
non quod agat quicquid agit nomine & delegatâ
potestate multitudinis, cùm ipsa multitudo sit
plerumque objectum illius potestatis quam exer-
cet nomine Christi; sed I. Quod in Rectoribus
& per ipsos Spiritus Sanctus sæpè integros cœtus
compellet & moneat sui officii, prout Ecclesiis
singulis dici intelliguntur quæ scribuntur *Angelis*
earum; *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus*
dicat Ecclesiis Apoc. II, II. II. Quod cuilibet
particulari Synedrio similis conveniat potestas in
Ecclesiam singularem sui regiminis, quæ com-
petit in plures Ecclesias inter se consociatas Classi
vel Synodo, quæ propriè repræsentat multa di-
stincta Presbyteria, per suos delegatos in unum
convenientia.

V. V. Sæpissimè verò Ecclesia in Scripturis 5.
notat universalem illam societatem & multitudi-
nem religiosam hominum, qui profitentur fi-
dem in Christum, ex universo genere humano
collectam Dei verbo, & ad Dei cultum æter-
namque fœlicitatem specialiter evocatam; de
qua 1 Tim. III, 15. *Vt noris quomodo oportet in*
domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi, co-
lumna & stabilimentum veritatis, & 2. Tim. II,
20. *Cæterum in magna domo non tantum sunt vasa*
aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea, &
alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus. Atque
hæc illa est quam nos in Symbolo Apostolorum
credere profitemur, & maximè distinctionis er-
go à statu V. T. sub N. F. *Catholicæ* nomine, id
est, universalis, non *prædicabiliter*, sed *inte-*
graliter, insignimus; Respectu, I. *Locorum*;
quia nulli regioni, urbi, aut loco, speciatim
affixa est; *Mulier crede mihi, venit tempus quan-*
do neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis
Patrem, sed veri adoratores, ubivis locorum
adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate Johan. IV,
21. 23. II. *Personarum*; quod nulli ætati vel con-
ditioni alligetur; *Verè deprehendo Deum non respi-*
cere ad personam, sed in quavis gente acceptum ei
esse qui eum timeat & operam det justitiæ Act. X,
34. 35. III. *Temporis*; quoniam omnes mundi
ætates indiscriminatim complectitur; *Quod erat*
à principio, quod audivimus, quod vidimus cum
oculis nostris &c. id ipsum annuciamus vobis
1 Joh. 1, 1. 3. Quamvis enim Ecclesia sub V. T.
formaliter Catholica non fuerit, sed uni Israeli-
ticæ

a κατὰ θέσιν.

ticæ genti adstricta, tamen Ecclesiæ sub N. T. Catholicismus illam quoque complectitur, cùm *Iesus Christus heri & hodie idem sit & in sæcula* Heb. XIII, 8. IV. *Partium*; quia omnes particulares Ecclesiæ quæ unquam exstiterunt, sunt aut erunt, licet aliæ aliis puriores, quamdiu & quousque sunt Christianæ, ad eam pertinent.

VI. (*a*) Quùm vox Ecclesiæ sit ita πολύσημος, non potest certâ definitione ejus quidditas exprimi, nisi cætera significata, tanquam analogata, ad primarium aliquod caput revocentur. Hoc verò statuimus esse Ecclesiam Electorum, ad quos solos pertinet vocatio Dei efficax, unde sæpè ἐκλεκτοὶ etiam κλητοὶ dicuntur, & quibus in Christo perficiendis, directè & primariò Ecclesiæ Ministerium in cœtibus particularibus, ex quibus Ecclesia Catholica constat, ordinatur. Hanc autem haud incommodè definieris, *Hominum societatem religiosam, ex universo genere humano per Ministerium Verbi juxta Dei beneplacitum, ad Christum evocatorum, ut in ipso Gratiæ & Salutis fiant consortes.*

VII. (*b*) Ut ut sit, quoniam varia Ecclesiæ attributa veniunt in quæstionem circa illius Partes, Formam, Notas, Adjuncta & Contraria, in his omnibus varia nominis significatio necessariò præmitti debuit. (*c*) Circa Ecclesiæ *Partes*, non possumus iis Angelos, quod quidam faciunt, annumerare; utpote ad quos nec Redemptionis in Christo beneficium, nec evocatio ad illud pertineat. Ad eandem quidem cum illis gloriam materialiter evocamur; *Accessimus enim ad montem Sion & civitatem Dei vivi, Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum* Heb. XII, 22. sed alio jure & titulo; Et sunt conservi nostri, ut ille ajebat ad Johannem, *Conservus tuus sum & fratrum tuorum qui habent testimonium Iesu* Apoc. XIX, 10. id est eundem Christum Dominum habent; sed non eodem modo quo nos, quos suo sanguine mercatus est, ut illius vi fœlicitatem æternam consequamur.

VIII. (*d*) Ut etiam Ecclesiæ *Partes* in caput & membra distribuantur, nobis non placet; Nam partes propriè dictæ se mutuò perficiunt; At Christus caput unicum & mysticum Ecclesiæ, eam quidem perficit; Pater enim *omnia subjecit ejus pedibus eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius & complementum ejus qui omnia implet in omnibus* Ephes. I, 22. 23. imò tale *caput* est *ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem* Eph. IV, 15. 16, Quare damnatur *non retinens* illud *caput, ex quo totum corpus per commissuras & connexus suppeditatum & compactum augescit Dei augmento* Col. II, 19. Verùm nihil perfectionis Christo capiti ab Ecclesia confertur; quin *ex plenitudine ipsius omnes accipimus & gratiam pro gratia* Joh. I, 16. (*e*) Sed hæ *Partes* possunt distingui multifariàm. I. Ratione *Temporum*, ut aliæ sint Veteris, aliæ Novi Testamenti; Fideles enim utriusque periodi ad eandem numero Ecclesiam pertinere, quicquid clamitent Ana- A.S.
baptistæ & Sociniani, & suo loco evicimus, & tota docet Scriptura; *Abrahamus pater ille vester gestivit videre diem istum meum, & vidit & gavisus est* Joh. VIII, 56. *Credimus nos servatum iri per gratiam Domini nostri Iesu Christi sicut &* patres nostri Act. XV, 11, qui *eandem escam spiritualem ederunt & eundem potum spiritualem biberunt nobiscum; bibebant enim ex sequente spirituali petra, Petra verò illa erat Christus* I Cor. X, 3. 4. *Christus* inquam, qui *heri & hodie idem est & in sæcula* Heb. XIII, 8. & dicitur *agnus mactatus jam inde à jacto mundi fundamento* Apoc. XIII, 8. Qui præcesserunt & qui sequuti sunt unanimi voce clamarunt, Hosanna Filio Davidis; & revera Christus Ecclesiam ex Gentilibus vocatam cum Israelitica *fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, inimicitiis, id est lege præceptorum quæ in ritibus posita est, per suam carnem abolitis, ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem, & utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem* Ephes. II, 14. 15. 26.

IX. II. (*f*) Ratione *Status*, ut aliæ dicantur jam triumphare cum suo capite in cœlis, aliæ verò adhuc militare & porrò militaturæ in terris, donec fratrum suorum numerus completus fuerit; ut dictum fuit animabus martyrum sub altari, *ut requiescerent adhuc paululum temporis usque quo compleantur etiam conservi eorum & fratres eorum qui occidendi sunt sicut ipsi* Apoc. VI, 11. Unde celebris distributio Ecclesiæ in *Triumphantem* & *Militantem*; Ut verò impudenter Sociniani ne- S.
gant illam datum iri ante diem resurrectionis, ita ridiculè Pontificii tertium his annumerant mem- P.
brum,

a *Harum significationum* primarium Analogatum. b II. PARTES. c *Ad quas non pertinent Angeli.* d *vel Christus propriè* e *Sed* distinguuntur *variè*, 1. *Ratione* Temporum, *in Ecclesiam* V. & N. T. f 2. *Ratione* Status *in Triumphantem & Militantem.*

brum, Laborantium in Purgatorio; cui utrique errori Loco præcedenti obviam itum est.

X. III. (*a*) Ratione *Situs, Cœtuum & Locorum* in quibus habentur, Ecclesiæ quæ in terris, Ductore Christo, sub crucis & veritatis vexillo per arma justitiæ militat, tot partes possunt concipi, quot sunt Ecclesiæ particulares, quæ vel latiùs juxta mundi plagas, aut nobiliores Patriarchatus, aut si dichotomia placet, in Orientalem & Occidentalem, Græcam & Latinam distribuuntur; vel strictiùs in Nationales, Provinciales, Singulares sive Parochiales: Etenim distinctio frequens Ecclesiæ in Universalem & Particularem, non est generis in species, aut totius in partes, sed vocis ambiguæ in sua significata.

XI. (*b*) IV. Ratione *Professionis & vocationis* Christianæ, quùm in aliis sit duntaxat externa, in aliis verò interna quoque & seria, Ecclesiæ membra sunt duûm generum; quædam enim *univocè* quædam verò nonnisi *æquivocè* talia dici debent. Æquivocè tantum & solum secundum dici, Ecclesiæ membra sunt hypocritæ, occulti infideles & reprobi; *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum, sed* egressi sunt ex nobis, *ut manifestum fieret non omnes esse ex nobis* 1 Joh. II, 19. Illi sunt in Ecclesia, ut mali humores aut lumbrici in nostro corpore. Univocè verò, propriè & secundum esse, soli electi & verè credentes; *Vos non creditis, non enim estis ex ovibus meis; Oves meæ vocem meam cognoscunt & ego eas cognosco & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea* Johan. X, 26. 27. 28. Electi non nati aut efficaciter vocati non sunt talia Ecclesiæ membra actu & in facto esse, sed solum ex Dei destinatione & infallibili consilio suo tempore certum eventum consequuturo; *Alias etiam oves habeo qua non sunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere, nam vocem meam audient, fietque unus Grex & unus Pastor* Joh. X, 16.

XII. Si itaque Ecclesia consideretur secundum externam multitudinem eorum, qui saltem extrinsecè nomen Jesu Christi ejusque veritatem profitentur, id proculdubio verum erit, multos lupos intus esse, multas oves foris; & ultrò con-
P. cedemus Pontificiis, juxta binas Christi parabolas, quarum alia est à zizaniis quæ *inimicus seruit inter triticum*, alia à *sagena jacta in mare quæ res cujusvis generis coegit* Matth. XIII, 25. 26. 27. hanc sagenam pisces bonos & malos complecti, atque in hoc agro tritico misceri lolium; imò & sæpè prædominari; nam *multi vocati pauci electi* Matth. XX, 16. (*c*) Si verò consideretur secundum efficacem Dei vocationem & tanquam verum & mysticum Christi corpus, cujus membra ipsi ceu suo capiti per veram & vivificam fidem uniuntur, quùm talis fides sit tantum *electorum* Tit. I, 1. prout dicuntur *credidisse quotquot erant ordinati ad vitam æternam* Act. XIII, 48. unde & Christus, *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis* Joh. VIII, 47. tum sanè verissimum erit, solos electos esse vera & germana membra Ecclesiæ.

XIII. Id non debent inficiari Lutherani, qui aliàs agnoscunt solos eos qui verâ & vivâ fide conjunguntur Christo, esse membra Ecclesiæ, quùm tales soli sint Electi. Nec possunt, quicquid contra moliantur, negare Pontificii; Ut quid enim P.
Ecclesiæ veris membris annumerarentur hypocritæ & reprobi, contra expressum locum 1 Johan. II, 19 jam citatum § 11. ad quos promissiones nobiliores Ecclesiæ, quod *spiritus & verba Iehovæ non sint recessura* ab illa Es. LIX, 21. nec *contra eam prævaliturae portæ inferorum* Matth. XVI, 18. neutiquam pertinent? Quomodo illi membra Ecclesiæ, cui Bellarmino teste, nomen à divinâ vocatione, de qua Rom. VIII, 30. *Quos prædestinavit eos etiam vocavit*, & Act II, 39. *Vobis facta est promissio & liberis vest[ris] & omnibus longe post futuris quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster*, ad quos hæc vocatio non spectat? Quis fando audivit malos humores in corpore nostro, quibus hos adversarii conferunt in corpore Ecclesiæ, ad membra nostra pertinere? Et qualis quæso Ecclesia Pontificia, ad cujus essentiam & definitionem nullam internam virtutem, Fidei, Spei, Charitatis, requiri volunt?

XIV. Non nescio quosdam ex adversariis in Ecclesiam Electorum sive in illam nominis Ecclesiæ acceptionem primariam, quâ pro solo Christi mystico corpore, cujus nonnisi Electi membra sunt, sumitur, graviter invehi; quod videant saltem eo sensu Ecclesiam invisibilem, cujus Papa caput esse nequeat, esse agnoscendam. Sed frustra eos esse patet, tum ex locis ante citatis, quibus adde locum 1 Pet. II, 9. *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat, ut* vir-

a 3. *Ratione* Situs Cœtuum *& Locorum in Orientalem & Occidentalem, Nationales, Provinciales, Particulares.*
b 4. *Ratione* Professionis *&* Vocationis, *alia sunt membra* æquivocè, *alia* univocè *talia ex quibus constat*
c Ecclesia Electorum.

virtutes prædicetis illius qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem; tum ex eo quod Ecclesia *Corpus* Christi, & ipsius sanguine redempta, mundata, servata, sæpè dicitur. Habet quidem Ecclesia nomen à *vocatione*, sed ab ea quæ fluit ex Prædestinatione, uti modò visum:. Et ei corpori mystico sua insunt organa vitæ & operationis spiritualis, nempe Spiritus Sanctus & Fides aliæque virtutes Theologicæ & Morales, quæ ab ipsa electione fluunt.

XV. Neque tamen ideo favemus errori Novatianorum, Catharorum, Donatistarum, Pelagianorumque veterum, (quem per calumniam Pontificii nobis affingunt) aut hodiernorum Anabaptistarum, qui non nisi perfectè Sanctis Ecclesiam constare volunt. Nam præterquam quòd rete Euangelicum, quoad externam fidei professionem, bonos & malos promiscuè capit, ipsi Electi, *qui formaliter* soli ad corpus Christi mysticum pertinent, quamdiu in hac miseriarum valle degunt, variis semper nævis & peccatis sunt obnoxii. Nunquam ita splendet luna, quin varias adhuc maculas retineat; *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est* 1. Joh. 1, 8.

XVI. (*a*) De *Catechumenis* & *Excommunicatis* (quos dum negant Pontificii esse membra Ecclesiæ, & nihilominus pertendunt posse servari, agnoscunt contra seipsos, non esse de necessitate salutis, ut quis sit visibile membrum visibilis Ecclesiæ) distinctè observamus, illos nondum esse membra Ecclesiæ, nec hos amplius, quoad Politiam illius externam; quùm illi nondum jus habeant ad communionem Sacramentorum, & hi eodem exciderint: tamen ut Catechumenus ante usum Sacramentorum potest verâ fide inseri Christo, ita potest injustè Excommunicatus communionem cum Christo per veram fidem semper retinere, ut sic uterque formaliter ad Ecclesiam Christi universalem pertineat. Si verò electus & verè fidelis eò deveniat ut justam Excommunicationem incurrat, tum etsi quoad statum præsentem sit quasi resectus ex Christi corpore, tamen quoad Electionis divinæ firmitatem & *semen Dei in ipso manens* 1 Joh. 111, 9. cujus vi etiam ab eo lapsu proculdubio resurget, extra Ecclesiam absolutè non est censendus.

XVII. (*b*) V. Ratione *Officii* & *Conditionis*, vulgò membra Ecclesiæ in Laicos & Clericos, sive Seculares & Ecclesiasticos distribuuntur; Sed quùm justo superbior sit hæc nomenclatura eorum qui Ecclesiæ inserviunt, ac si illi soli Clerum & Ecclesiam Dei constituerent, & vergat in contemtum populi Dei, cui tamen (negent licet Pontificii) utrumque hoc nomen competit, unde Pastores monentur versari in suo munere, *non ut dominantes cleris, sed ut qui sint exemplaria gregis* 1 Pet. v, 3. & *pascere Ecclesiam Dei* Act. xx, 28. malim Ecclesiam totam distribuere in Populum sive Gregem & Ministros.

XVIII. (*c*) Pontificii tertium hîc excogitant ordinem amphibium, scilicet Monachos ac Regulares discolores & versipelles; Cùm tamen cordatiores Hierarchici eos ad Hierarchiam Ecclesiæ pertinere negent, aut alium locum olim in Ecclesia obtinuisse quàm Energumenorum & Pœnitentium; unde etiam tonsio & detrusio in Monasterium, diu fuerit inter Christianos loco pœnæ. Et cùm Monachalia vota vitiosa esse alibi demonstraverimus, & consilia Euangelica, quibus dicuntur inniti, everterimus; Cùm etiam tot Monachorum & Monialium sectæ juxta hominum ἐθελοθρησκείας institutæ, quæ Paulo damnantur Col. 11, 23. & ab illis contra quàm oportebat fieri, denominatæ, *Etenim cùm dicit aliquis ego quidem sum Pauli, alter verò ego sum Apollo, nonne carnales estis?* 1 Cor. 111, 4. Ecclesiæ unitati & ædificationi multum obsint; Cùm denique Monachorum vetus institutum plangere fuerit, non docere; nec locus Monachis in Ecclesia est concedendus, nec tertium ex illis membrum Ecclesiæ est constituendum ab iis quos Seculares & Laicos vocant distinctum.

XIX. (*d*) Cùm autem in populo alii præsint & regant, alii subsint & obediant quoad regimen politicum, etsi illius discriminis nulla ratio habeatur in Ecclesia respectu unionis mysticæ cum Christo, & subjectionis per fidem & obedientiam præstandæ ipsius Verbo; quia ipsi populorum Pastores in Ecclesia accensentur ovibus Christi regendis pedo sanctæ disciplinæ & verbi Dei pabulo alendis, quod *in Christo Iesu non sit Iudæi vel Græci, servi vel liberi, maris vel fœminæ, Scythæ vel Barbari* discrimen Gal. 111, 28. Col. 111, 11. nec *cum acceptione personarum habenda sit fides Domini nostri Iesu Christi gloriosi* Jac. 11, 1. attamen suus est illi distinctioni usus multiplex quoad

a *Quid censendum de* Catechumenis *&* Excommunicatis. *b 5. Ratione* Officii *&* Conditionis *in Ecclesia, alii vulgò statuuntur Laici, alii Clerici, sed commodius distribuuntur in* Gregem *&* Ministros. c *rejecto tertio ordine* Monachorum. d *Cum ex Grege alii subsint alii præsint in Rep. ea occasione agitur*

quoad externam Ecclesiæ ipsius politiam; quod paulò explicatiùs ostendendum est.

XX. (*a*) Præsupponimus itaque Divinæ institutionis esse Magistratum, cui resistere sit resistere ipsi Deo; *Videte quid sitis facturi; non enim pro homine judicaturi estis, sed pro Iehova qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis*, inquiebat Josaphat ad judices à se constitutos 2 Chron. XIX, 6. & summa Sapientia sic loquitur; *Per me reges regnant & dominatores decernunt justitiam, per me principes gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ* Prov. VIII, 15. 16. Deus sanè est *qui mutat tempora & tempestates, transfert regna & constituit reges* Dan. II, 21. *Omnis* ergo *anima potestatibus supereminentibus subjecta esto; non enim est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates sunt à Deo ordinatæ*, (saltem genericè, etsi ut hæc vel illa forma regiminis specificè obtineat, partim sit ex hominum consensu, partim quandoque ex jure armorum) *ita quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit* Rom. XIII, 1. 2. Ideo Christus Pilati *potestatem in se* ei *datam supernè* agnoscebat Joh. XIX, 11. & Paulus volebat *preces* concipi etiam *pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis, ut tranquillam ac quietam vitam degamus* 1 Tim. II, 1. 2. *Proinde*, inquit Petrus, *subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, sive Regi ut supereminenti, sive præsidibus, ut qui per eum mittantur tum ad ultionem facinorosorum, tum ad laudem benè agentium, quoniam ita est voluntas Dei ut benè agendo os obstruatis desipientium hominum ignorantiæ*; item, *Deum timete, Regem honorate*, 1 Petr. II, 13. 14. 15. 17. & alibi invehitur in eos *qui dominatum contemnunt, & ut sunt audaces & sibi pertinaciter placentes non horrent dignitates probris incessere* 2 Petr. II, 10. Unde sequitur non repugnare hominis Christiani officio, ut quondam Tertullianus falsò putavit & pertendunt Anabaptistæ, Magistratum exercere; quùm multi pii & sancti olim sub utroque Testamento eo defuncti fuerint, & prædixerint Prophetæ, Reges & Principes futuros Ecclesiæ protectores & nutricios; *Erunt Reges nutricii tui & fœminæ principes erunt nutrices tuæ* Esa. XLIX, 23. nec ita repurgetur unquam Ecclesia ab omni vitio, quin plurimos foveat in sinu suo, qui authoritate Magistratus compesci & in ordinem cogi debeant.

A.

XXI. (*b*) Utverò Magistratum sustinere potest etiam vir pius, sic ei licet omnia quæ sunt legitimi Magistratus munia obire: Ut I. Jus dicere inter contendentes, & citra προσωποληψίαν ac δωροφαγίαν justitiam publicam administrare; *Iudices & moderatores constituito tibi in singulis portis tuis quas Iehovæ Deus tuus dat tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio justo; Ne pervertito judicium, ne accipito personam, neque suscipito munus, quia munus excæcat oculos sapientum & pervertit verba justorum; justissimam justitiam sectare ut vivas* Deut. XVI, 18. 19. 20. *Si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui nullo loco habentur in Ecclesia* (potius quam experiri judicio fratrem cum fratre sub infidelibus) *in subselliis collocate*, 1 Cor. VI, 4. Adeoque, quod Anabaptistæ nonnulli nefas esse ducunt, jus nostrum apud illos vel persequi vel defendere licet; *Esto amicus adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne quando te tradat adversarius judici, & judex te tradat ministerio, & in custodiam conjiciaris; Amen dico tibi nequaquam exibis illinc usque dum reddideris ultimum quadrantem* Matth. V, 25. 26. Hoc jure fretus Paulus Actor. XXV, 11. *Cæsarem appellavit*, in illius justitia & authoritate præsidium suæ innocentiæ quæsiturus. Debet autem judex particularis ut in rebus juris juxta leges, sic in rebus facti regulariter juxta allegata & probata judicare: at si ipsi soli contrarium constiterit, aut judicium protelare, aut judicio se abdicare debebit. II. Juramentum exigere ad veritatis elucidationem & *omnis controversiæ terminum* Hebr. VI, 16. quod etiam præstandum est exigente Magistratu, contra quàm volunt Anabaptistæ; nec ei illudendum retentionibus aut æquivocationibus Jesuiticis.

A. 2. A. P.

XXII. III. Capitalia in sontes exercere supplicia, licet id non placeat Socinianis & Anabaptistis; nam & id Deus præcepit in verbo suo; *Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effunditor, quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus* Gen. IX, 6. *Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt* Matth. XXVI, 52. & gladio eum in finem supremas armavit potestates; *Quod si feceris quod malum est, metue: Non enim frustra* Magistratus *gladium gerit; nam Dei minister est, vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit* Rom. XIII, 4. IV. Bellum gerere, non quidem solo animo fines suos ampliandi & ex alienis spoliis ditescendi, sed zelo gloriæ Dei & serio amore justitiæ, ac cum constanti desiderio pacis, & prout loquitur Paulus, *ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate* 1 Tim. II, 2.

3. S.A. 4.

a De MAGISTRATU; *cujus* institutio divina, & professio licita *Christianis*. *b* *In omnibus suis partibus*.

11, 2. hoc est, tum ad justam defensionem sui & suorum, non subditorum modò, sed etiam tam politicè fœderatorum, quam fratrum in Christo, tum ad graviorem injuriam ulciscendam, tum ad res violenter ereptas, injustè detentas, ac nequicquam repetitas, tandem recuperandas.
S. Quare falsò asserunt Sociniani & Anabaptistæ, quod & deliravit Tertullianus, nulli pio sub N. T. licere bellum gerere, aut militare, aut ea tractare artificia per quæ arma parantur; quùm tamen Baptista militarem vitam nemini suaserit relinquendam, sed è contrario interrogantibus eum militibus, *dicendo & nos quid faciemus?* responderit, *Neminem concutite, neque dolo opprimite, & contenti estote stipendiis vestris* Luc. 111, 14. & Centuriones ipsi quandoque à fide & pietate laudentur, ut ille de quo Capernaumi Christus dixit, *Amen dico vobis ne in Israële quidem tantam fidem inveni* Matth. VIII, 10. & Cornelius *ex legione Italica* qui describitur *ceu pius & timens Deum cum tota domo sua*, & factus fuit Gentium primitiæ Act. x, 1. 2.

5. XXIII. V. Leges positivas condere, ad bonum publicum ex æquo & bono ordinatas; quibus sic ipse Legislator intelligatur solutus, ut legi naturali & divinæ semper remaneat obnoxius, si non quoad coactionem externam, saltem quoad perpetuam directionem; prout Regi edicitur ut *describat sibi exemplum Legis in libro, ex eo qui erit in conspectu Sacerdotum Leviticorum, sitque penes eum, & legat in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Iehovam Deum suum, observare omnia verba hujus Legis & statuta ista, faciendo ea, ne efferatur ejus animus præ fratribus suis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorsum aut sinistrorsum* Deut. XVII, 18. 19. 20. Legibus autem positivis à Magistratu latis, etiam durioribus, modò ad nullam rem turpem & Lege Dei prohibitam obligent, subditorum est parere propter conscientiam; quæ illis tenetur indirectè & mediatè per Legem Dei, non verò directè & ex se ipsis immediatè, ut legibus divinis,
P. quemadmodum fingunt Pontificii: *Quisquis enim obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit; Quapropter necesse est subjici non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* Rom. XIII, 2. 5. *Proinde subjecti estote cuilibet humanæ ordinationi propter Dominum, quoniam ita est voluntas Dei* 1 Petr. 11, 13. 15. Speciatim potest supremus Magistratus Legibus suis venationem sibi soli reservare, jure naturali, non quidem everso, sed quadantenus restricto in bonum commune; Ita enim ad cibatum quotidianum Salomonis pertinebant *cervi, capreæ & damæ, nam ipse dominabatur in tota citeriore parte fluminis* 1 Reg. IV, 23. 24. Ita etiam Deus profitetur se tradere Nebucadnetzari regi Babyloniæ *omnes istas regiones* & *ipsas bestias agri ut serviant ei* Jer. XXVII, 6. XXVIII, 14. qui proinde, ceu *caput aureum*, dicitur constitutus *dominator* in *filios hominum, bestias agri, & aves cœli* Dan. 11, 38. Ejus quoque est similiter monetæ usum & valorem præscribere, pretium ponere rebus promercalibus, monopoliorum privilegia, si è re publica fuerint, concedere, ac usurarum modum certum definire, & si quæ sunt ejusmodi: Res verò totâ naturâ suâ malas & vitiosas, cujusmodi sunt Lupanaria, quicquid contra pertendant Pontificii, non potest jure permittere. P.

XXIV. VI. Fœdera cum exteris jungere, 6.
etiam Idololatris & à vera religione alienis, (etsi id improbent Iesuitæ) tum Commerciorum, P.
tum etiam mutuæ Pacis & Defensionis, modò per illa nihil veræ Religioni decedat, sed ea potiùs queat promoveri; Sic enim *Mamre, Eschol & Haner, erant fœderati Abrami*, quorum etiam usus est auxiliis ad nepotem suum Lothum in libertatem vindicandum Gen. XIV, 13. 14. Et idem Patriarcha *cum Abimelecho & Pichol fœdus pepigit ad Beersebah* Gen. XXI, 32. Sic fœdus Davidi intercessit cum Hiramo *rege Tyri, qui misit ad Davidem legatos, lignaque cedrina, & fabros lignarios & latomos, qui exstruxerunt domum Davidis* 2 Sam. V, 11. Quod *fœdus pacis* Hiram continuavit cum Salomone 1 Reg. V, 12. suppeditando etiam ipsi *nautas peritos maris* ad navigationem Ophirianam 1 Reg. IX, 27. Nec minus Magistratus quam privatos spectat hæc regula generalis, *Si fieri potest, quantum in vobis est, in pace vivite cum omnibus hominibus* Rom. XII, 18.
VII. Tributa & vectigalia imponere, quæ pendi bonâ fide debent, etiam graviora; prout Christus sciscitantibus *liceret ne censum dare Cæsari, necne?* respondit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo* Matth. XXII, 12. 17. 7.
Et Paulus *Reddite omnibus quod debetis, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* Rom. XII, 17. Nec enim obediendum *tantum dominis bonis & æquis, sed etiam dyscolis*, ut habet V. V. imo σκολιοῖς & *pravis*, juxta textum originalem, 1 Petr. 11, 18. Sic tamen ut ipse Magistratus meminerit, boni pastoris esse tondere pecus non deglubere; Unde in illos *primores* invehitur Deus, qui *sunt osores boni & amantes mali, rapientes*

pientes cutem subditorum *ab eis*, *& carnem eorum ab ossibus ipsorum* Mich. III, 2. qui *adipem comedunt*, *& lanam induunt*, *& quod optimum est mactant*, *nec gregem pascunt*, *& vi dominantur & per sævitiem* Ezech. XXXIV, 3. 4. & *admovent sedem violentiæ* Amos. VI, 3. Quin & hinc sequitur Publicanos, sive vectigalium publicorum collectores ac redemptores, licet perperam apud Judæos, tanquam Romanæ tyrannidis ministros, æquatos Gentilibus, abstineant modò ab omni sycophantia & circumventione, nec de facto nec de jure infamiâ notari posse, aut arceri à Sacramentorum perceptione, vel ea parte regiminis Ecclesiastici quæ aliis Ecclesiæ membris committi solet.

XXV. (*a*) Magistratui omnes in Repub. subesse
P. debent: etiam, licet nolint Pontificii, qui vulgò Ecclesiastici dicuntur, id est, Ecclesiæ Ministri, æquè ac alii cives; *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto* Rom. XIII, 1. Idque non tantum directivè, sed etiam coërcitivè, ut Salomon in Abiathare ostendit, quem *ejecit ne esset Sacerdos Iehovæ* 1 Reg. II, 27. Et si quas immunitates olim obtinuerunt à Principibus Christianis, illæ non juri Divino tanquam res debitæ, quùm ipse Christus se stiterit Pontio Pilato, & Paulus Cæsarem appellarit, sed Magistratuum liberalitati & beneficentiæ, procedenti insuper non privativè, sed cumulativè, sunt adscribendæ.

XXVI. (*b*) Quòd si Rex vel Princeps absolutam & illimitatam habeat in Repub. potestatem, nulli quacunque de causa licebit ei resistere, multo
P. minus ejus vitæ struere insidias, ut Iesuitæ Regicidia promovent & propugnant: Imò si persequatur Ecclesiam debebunt Christiani, aut fugâ sibi consulere, aut patienter se ad damna & tormenta quælibet præparare; quùm arma Ecclesiæ hoc respectu non alia sint quàm preces & lachrymæ: At si conditionata & restricta sit illius potestas, & Ephoris Reipub. sive Ordinibus ullo modo obnoxia, horum erit illum authoritate suâ abutentem officii monere & ad lineas revocare, ac prospicere ne quid detrimenti Respub. capiat. Nec simpliciter damnari possunt Protestantes & Reformati, sicubi post infinita Martyria Antichristi Romani tyrannide passa, tandemque consequuti publicam conveniendi libertatem, illius conservandæ gratiâ coacti sunt vim vi opponere, & sub magnorum Principum auspiciis, (quorum erat Natalium suorum, aut Dignitatum quas sustinebant, jure, resistere sanguinariis consiliis Pontificis Romani, authoritate Regum, etiam in Reip. damnum, abutentis,) executionem edictorum in gratiam suam factorum, armis suis urgere & vindicare.

XXVII. (*c*) Ecclesia quoque debet subesse Magistratui quem est consecuta, sive fidelis sit & sui membrum, sive infidelis aut à veritate alienus. Et quanquam Ecclesiæ Ministri debeant prudenter & liberè Magistratum quemlibet, maximè tamen subalternum, officii sui monere, imò possint censuras Ecclesiasticas in eum stringere, si res ita exegerit, uti factum à Nathane erga Davidem, & ab Ambrosio erga Theodosium, nunquam tamen ipsis licebit (quod Papa perperam P. sibi arrogat, dum sibi tribuit *directè* vel *indirectè*, *mediatè* vel *immediatè*, summum in omnes Magistratus, etiam quoad temporalia, imperium) illum abdicare, cives in eum concitare, ejus Majestatem tribunitiis invectivis lædere, quò in populi contemptum adducatur, aut subditos à juramento fidelitatis absolvere.

XXVIII. (*d*) Multa autem sunt quæ circa sacra & Ecclesiastica pio & fideli Magistratui, ceu principaliori Ecclesiæ membro, saltem materialiter, conveniant: Quùm enim utriusque Tabulæ sit custos, sic ad bonum temporale civium ejus authoritas ordinatur, ut etiam pro virili sua debeat Ecclesiam protegere, hæreticos ac pacis Ecclesiasticæ turbatores coercere, gloriam Dei promovere, veram religionem tueri & propagare, quod jam ante §. 23. probatum dedimus ex Deut. XVII, 18. Si religionis ergo viderit pios premi ab alio Principe, debebit tum intercessione, tum etiam armis, si illi nihil concedatur, eorum quieti prospicere, uti factum olim contra Persas & Parthos ab Imperatoribus Christianis; nec alio fundamento nixa sunt illa bella contra Turcas & Saracenos suscepta superioribus sæculis, quæ inde *sacra* dicta sunt.

XXIX. Subditos si habuerit à vera Religione alienos, non debebit vi & ferro eos ad fidem adigere; ea enim persuadetur, non imperatur; *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt*, *sed divinitùs valida ad destructionem munitionum* 2 Cor. X, 4. Imò si non aliter paci publicæ queat prospicere, aut ea sit errantium subditorum multitudo cujus libertati hoc veniat indulgendum, poterit Heterodoxis sacrorum suorum publicum exercitium per-

a *Magistratui verò subsunt* omnes, *etiam Ecclesiæ* Ministri. b Ei resistere an *liceat*? c Ecclesiæ officium *erga Magistratum*. d *Magistratus* authoritas in Ecclesiasticis, in genere.

permittere, eorum errori condolendo & cœlitùs
ipſorum converſionem expectando; Qua in per-
miſſione fidem ſemel datam, quicquid obſtre-
P. pant Pontificii de fide hæreticis non ſervanda,
religioſè ſervare oportebit. Si verò potuerit au-
thoritate ſuâ interpoſitâ conventicula eorum im-
pedire, maximè ſi ex illis aliquid immineat pe-
riculi tranquillitati publicæ, melius fecerit; imò
etiam poterit animadvertere in Hæreſiarchas &
clancularios veritatis corruptores, ſi præſertim
atrociores jactitent blaſphemias, ac libris ip-
ſorum quibus corrumpi poſſent ſimpliciores in-
terdicere; parcendo tamen quoad fieri poterit
P. errantium ſanguini, & Inquiſitionis Ponti-
ficiæ, omnibus piis ſemper deteſtandæ, ſæva
conſilia declinando.

XXX. *(a)* Quamvis Magiſtratui nec eminenter
nec formaliter competat jus Verbum Dei annun-
ciandi & Sacramenta adminiſtrandi, attamen te-
1. netur & etiam ejus eſt, I. In corrupto Eccleſiæ
ſtatu partes ſuas interponere Reformationi pro-
movendæ & procurandæ, uti à pluribus piis Re-
gibus factum ſub V. T. Sic Aſa *abſtulit meritorios
è terra, & amovit omnes Deos ſtercoreos quos fece-
rant majores ſui; quin etiam ipſam Mahacam a-
viam ſuam amovit ne eſſet Auguſta, eo quod fece-
rat horrendam ſtatuam cum luco, & eam ſtatuam
combuſſit ad torrentem Cedron* 1 Reg. XV, 12. 13.
Sic Joſaphat *reliquos meritorios qui relicti fuerant
temporibus Aſæ patris ſui ſuſtulit è ſua terra* 1 Reg.
XXII, 47. Sic *Ezechias amovit excelſa fregitque
ſtatuas & excidit lucum, & contudit ſerpentem
æneum quem fecerat Moſes, eo quod uſque ad dies illos
Iſraëlitæ adolerent ei* 2 Reg. XVIII, 4. & *aperuit fo-
res domus Iehovæ & confirmavit ipſos Sacerdotes*
2 Chr. XXIX, 3. ac cultum Dei multifariàm collap-
ſum reparavit. Sic Joſias habuit rationem ærarii
ſacri & *ſummo Sacerdoti* per *ſcribam* ſuum præcepit
quæ eò ſpectarent 2 Reg. XXII, 34. Sic Joas habuit
in animo inſtaurare domum Iehovæ, & *congregatis
Sacerdotibus ac Levitis edixit eis, Exite per civitates
& congregate à toto Iſraële pecuniam ad curandam
domum Dei veſtri* 2 Chron. XXIV, 4. Quapropter
P. non poteſt non laudari pium Principum & Ma-
giſtratuum Chriſtianorum in Europa propoſi-
tum, juxta quod manum admoverunt illi Refor-
mationi ſub qua nunc Dei beneficio vivimus,
quæ fruſtra expetebatur & expectabatnr à Ponti-
fice Romano & ſuæ Communionis & Obedien-
tiæ Epiſcopis, qui Idololatriam & corruptionem
in Eccleſiam invexerant, & ei fovendæ ac ſuſten-
tandæ omnes ſuos conatus hactenus adhibue-
runt. II. Scholis Academiiſque (quas erigere 2.
ſolius eſt ſummi Magiſtratus, idque citra conſen-
ſum vel authoritatem Papæ, etſi id juris ſibi fal- P.
ſò tribuat) præficere idoneos & Orthodoxos
Doctores; ac ſimul quantum in ſe erit, Miniſte-
rio Eccleſiæ proſpicere, quo puritas Doctrinæ &
vigor Diſciplinæ in ea conſervetur.

XXXI. III. Sabbathi profanationem im- 3.
pedire, non invectâ tamen, cujuſmodi hodie ur-
getur à nonnullis, nimis ſcrupuloſâ & Judaicâ J.
ceſſatione ab omni opere, aut nominatim inter-
dictâ celebratione Conjugiorum diebus Domi-
nicis, quaſi per illam Sabbathum profanetur;
cùm è contrario ipſa Conjugalis Hierologia per-
tineat ſuo modo ad illum cultum publicum Ec-
cleſiæ cui dies Dominicus ſpeciatim eſt conſe-
cratus; Ac dies extraordinarios jejuniorum ac
precum, aut gratiarum actionis, pro exigentia
caſus definire & præſcribere. IV. Vel ab Eccle- 4.
ſia ritè electos Paſtores ſuo conſenſu approbare,
h. e. facultatem illis facere ſacrum Miniſterium
publicè in ditione ſua exercendi; Vel, ſi electionem
& præſentationem ſibi ſoli retinuerit eo ferè jure
quod Patronatus & Collationis dicitur, non alios
eligere ac in Eccleſiis conſtituere, quàm aut jam
Eccleſiaſticè ordinatos, cum prævio examine do-
ctrinæ & morum, aut juxta canones Eccleſiæ
examinandos & ordinandos.

XXXII. V. Synodos indicere ac cogere, 5.
iiſque vel per ſe vel per ſuos delegatos intereſſe &
moderari, citra Libertatis & Juriſdictionis Ec-
cleſiaſticæ preſſuram aut imminutionem. VI. 6.
Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſuâ authoritate, ut
in leges publicas abeant, ſancire & firmare
VII. Cauſarum merè Eccleſiaſticarum diſcep- 7.
tationem ſic iis relinquere ad quos pertinet, ut
poſſit audire & admittere querelas eorum qui ſe
in illis vel factione oppreſſos, vel contra Canones
condemnatos oſtenderent, & cauſæ reviſionem,
vel iiſdem, vel homogeneis judicibus demanda-
re; quod ſæpiùs factum olim docet Hiſtoria Ec-
cleſiaſtica; ut Clerus Pontificius non poſſit ſim- P.
pliciter improbare appellationes ab abuſu, qua-
rum ope ad Canonum limites revocetur, &
Pſeudo-Eccleſiaſticorum tyrannidi fibula impo-
natur.

XXXIII. *(b)* Porrò, ut Greges & Eccleſiæ
formaliter per Verbi Divini ſemen incorruptibile
propagantur, ſic illis materialiter propagandis
divinitùs eſt deſtinatum *Conjugium*, à jugo ſic

a *In* ſpecie. b *Cum etiam Membra Eccleſiæ materialiter propagentur per connubium ea occaſione hic agitur* DE CONJUGIO, *cujus proponitur*, 1. Definitio.

dictum, quò spectat illud Paulinum 2 Cor. VI, 14. *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus*, ut *Connubium* à flammeo nuptiali, & *Matrimonium* ab usu; Estque *Divinitùs instituta unius maris & unius fœminæ contrahere valentium, in unam carnem, per justum, plenum & sincerum consensum, legitima & individua conjunctio, ut genus hominum sobolis procreatione propagetur, mutuum auxilium obtineatur & scortatio vitetur.* Quos fines docet Scriptura; nam primis hominibus *Deus benedixit & dixit, Fœtificate, augescite & implete terram* Gen. I, 28. & molitus creationem mulieris *dixerat, Non est bonum hominem esse solum, faciam ei auxilium commodum ipsi* Gen. II, 18. & mulier, inquit Paulus, *servabitur liberos gignendo, si manserit in fide ac charitate & sanctificatione cum modestia* 1 Tim. II, 15. *Quin propter scortationes*, supple vitandas, *suam quisque uxorem habeto & proprium quæque virum habeto; Uxori vir debitam benevolentiam reddito, similiter autem & uxor viro* 1 Cor. VII, 2. 3.

XXXIV. (*a*) Author ergo Conjugii est Deus, qui exstructâ muliere *eam adduxit ad Adamum* Gen. II, 22. Quo maximè respectu *honorabile est inter quosvis conjugium & cubile impollutum; Scortatores autem & adulteros damnabit Deus* Hebr. XIII, 4. & Conjugii prohibitio, qualis viget in Papatu, statuitur *Dæmoniorum doctrina* P. 1 Tim. IV, 3. (*b*) Materia sunt mas & fœmina singulari numero; *Relicturus enim est vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntque in carnem unam* Gen. II, 24. Quod urget Christus, notando *Opificem ab initio fecisse masculum & fœminam*, & debere *duos, esse unam carnem, agglutinato* viro *uxori suæ*, nec *amplius duos esse, sed unam carnem* Matth. XIX, 4. 5. 6. & juxta Paulum *quisque* debet *suam uxorem* habere, non suas, & *quæque proprium virum*, non esse multivira 1 Cor. VII, 22. *Nam viro subjecta mulier, viventi viro devincta est per legem; quod si mortuus fuerit vir liberata est à lege viri; proinde vivente viro mœcha vocabitur si fiat alterius viri; sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est à lege illa ut non sit mœcha si fiat alterius viri* Rom. VII, 2. 3. (*c*) Non pugnat sanè cum conjugio Polygamia successiva; Quare generaliter *cœlibibus & viduis* dicitur, *Quod si se non continent, matrimonium contrahant, nam melius est matrimonium contrahere quam uri* 1 Cor. VII, 8. 9. item, *Velim juniores viduas nubere, liberos gignere, domum administrare* 1 Tim. V, 14. Et sic quæ in secundas & tertias nuptias apud Veteres leguntur, cum grano salis sunt sumenda, nec approbanda doctrina Pontificiorum, qui successivè bigamos (cùm prisci Canones revera tantum de simultaneis agerent,) irregulares faciunt, & secundis nuptiis solemnem benedictionem denegant; Sed conjugii naturæ repugnat Polygamia simultanea; Tum crassior illa quâ simul quis plures uxores domi alit, quam frustra ex Patriarcharum exemplo Mahometes retinuit, & Anabaptistæ Monasterienses post Ochinum propugnarunt; cùm in Patriarchis eam tolerarit Deus, ut & divortiorum licentiam, non approbando, sed tantùm in foro soli non puniendo: Illam etenim & generatim prohibuerat Levit. XVIII, 18. *Mulierem unam ad alteram ne assumito*, & speciatim interdixerat Regi Deut. XVII, 17. *Non multiplicato sibi uxores ut non recedat ejus animus à me*; Tum subtilior illa quæ vigebat per licentiam Divortiorum etiam inter Romanos & Græcos, quâ fiebat ut una mulier duos simul haberet viros, unum cui cohabitaret, alterum à quo diverterat, & similiter unus vir duas uxores, alteram domi, alteram domo ejectam per divortium: Hoc etiam & potissimum sensu inter Græcos requiritur ut Episcopus sit *unius uxoris vir* 1 Tim. III, 2. & vidua in Diaconissam eligenda *unius viri uxor* 1 Tim. V, 9.

P.

M.
A.

XXXV. (*d*) Nec tamen cujusvis maris & fœminæ cujusvis conjunctio, pro legitimo Conjugio habetur: Nam I. Ille debet esse pubes, nec frigidus aut maleficiatus; hæc viripotens, ut loquuntur Jurisconsulti & Canonistæ; & ambo ejus ætatis per quam ultrò & liberè in individuum hoc vitæ genus consentire possint. II. Non debent esse cognati vel affines in gradibus Lev. XVIII. expressis, aut inde per analogiam subintelligendis, intra quos copula incestum facit, non legitimas nuptias: Papa verò in illis gradibus dispensare, aut eos ulteriùs protendere, (etsi utrumque sibi tribuat) jure non potest. Sunt enim illæ prohibitiones juris perpetui & naturalis honestatis, propter quas non servatas Cananæi excisi sunt à Deo, & *evomuit illa terra habitatores suos* Levit. XVIII, 24. 25. Ut autem non extenduntur ad patrueles & consobrinos, inter quos conjugia licita sunt jure Divino & Cæsareo, ut & inter comprivignos, sic æquè debent extendi ad conjunctionem patrui vel avunculi cum nepte, tam cognata quam affini, quicquid contra Iudæi delirent, ac nepotis cum amita vel matertera

P.

P.

a 2. Author. *b* 3. Materia. *c* *Ubi de* Polygamia & *iteratis nuptiis*. *d* *Et* Impedimentis *Conjugii*.

ra utraque ibid. 12.13.14. Æquè item ad uxoris mortuæ ſororem, ac ad fratriam, ſive fratris viduam ibid. 16. quod & Iohannes Baptiſta carpebat in Herode, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* Marc. VI, 18. Neque etiam Lex quæ vulgò *Leviratus* dicitur Deut. XXV, 5. tam de leviro ſive demortui mariti fratre germano ſuperſtite videtur intelligenda, quam de proximo cognato aut affine extra gradus Lev. XVIII. prohibitos: prout & virgo ἐπίκληρος tali proximo cognato nubere debebat ex Num. XXXVI, 8. Cùm nomen *Ievama*, quod in Deuter. *Levirum* explicant, cognatum aut affinem quemlibet ſignificet, qualis erat Booz ad Ruth Moabitidem eadem lege Ruth. III, 9. Quamvis non diffitendum J. & hanc legem de leviro propriè dicto Iudæos intellexiſſe, ut liquet ex parabola quam Sadducæi proponunt Chriſto Matth. XXII, 23. 25. 26 & ante Moſem hoc ſenſu ſervatam fuiſſe in familiis Patriarcharum, ex prava fortè Gentilium imitatione; quod conſtat exemplo Iudæ, poſt mortem primogeniti ſui Heri deſpondentis Onanem Thamari ejus viduæ, & Schelam tertium filium eidem poſt Onanis obitum promittentis Geneſ. XXXVIII, 8. 11. Impedimentis Matrimonii benè *Ligamen* cum alio annumeratur à Pontifi- P. ciis, malè Votum Monaſticum & Ordo, aut Cognatio Spiritualis, quam in Baptiſmo & Confirmatione contrahi ridiculè ſtatuunt.

XXXVI. Cultus diſparitas Matrimonium quidem contrahendum deberet impedire; *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus; quod enim conſortium juſtitiæ cum legis tranſgreſſione, & quæ communio lucis cum tenebris?* 2 Cor. VI, 14. Non tamen contractum dirimere poteſt, ut pleriſque P. Pontificiis videtur; *Si quis uxorem habet infidelem quæ conſentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito; & uxor quæ habet virum infidelem qui conſentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito; Maritus enim infidelis ſanctificatus eſt in uxore, & uxor ſanctificata eſt in viro; alioqui certè liberi impuri eſſent, nunc autem ſancti ſunt* 1 Cor. VII, 12. 13. 14. Idem de morbis aliquot incurabilibus ſtatui poteſt; niſi quod Reip. interſit impedire ne propagentur morbi contagioſi per generationem. Si filii familiàs abſque parentum conſenſu, aut eorum qui loco parentum ſunt contrahant, clandeſtinæ ſunt nuptiæ, quas pro legitimis ha- P. bendas fruſtra volunt Canoniſtæ. *Filii auſcultate parentibus in omnibus* Col. III, 20. *Accipite filiis veſtris uxores & filias veſtras tradite viris* Ier. XXIX, 6. Non debent nec poſſunt liberi ſeipſos ſubducere patriæ poteſtati, & quamvis ipſi conſentiant in talem copulam, qui tamen eos ad id ſeducunt, Raptus in parentes, quibus clam vel invitis id fit, revera rei ſunt. Quod ſi aliquæ leges municipales nolint eas nuptias dirimi paternâ authoritate poſt copulam, cùm tamen pater Lege Dei poſſet infringere *votum* quod filia ſua *voviſſet Iehovæ* Num. XXX, 3. 4. 5. id fit per quandam ἐπιείκειαν & juris relaxationem, & quod parentum conſenſus vel eò retrotrahi cenſeatur, vel Magiſtratus authoritate ſuppleri; ut etiam fieri poteſt ubi parentes in liberos iniquiores, nulla juſta de cauſa conſentire detrectant.

XXXVII. (*a*) Conſenſus hic requiritur I. *Licitus*, id eſt, nec Verbo Dei, nec Legi naturæ nec honeſtis Magiſtratus conſtitutionibus, contrarius. II. *Iuſtus*, nec clandeſtinus, aut contra eorum voluntatem quos jure naturali & divino in conſilium adhibere oportet. III. *Liber*, plenus & ſincerus, hoc eſt, nec vi aut metu extortus, nec verbis doloſis enunciatus, nec ab ebrio, furioſo, vel impubere, proditus. Talis conſenſus facit Matrimonium ratum, quale fuit etiam inter Joſephum & B. Virginem; ſed concubitus ad illius conſummationem requiritur. (*b*) Conjugum officia deſcribuntur in communi 1 Cor. VII, 3. 4. 5. *Uxori vir debitā benevolentiam reddito, ſimiliter autem & uxor viro: uxor proprium corpus non habet in poteſtate, ſed vir; ſimiliter autem & vir proprium corpus non habet in poteſtate, ſed uxor; Ne fraudate alter alterum, niſi ſi quid ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus, & rurſum ſimul convenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* (*c*) Speciatim Viri Eph. V, 25. 28. 29. 30. *Viri diligite uxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam* &c. *Ita debent viri diligere ſuas uxores ut ſua ipſorum corpora; qui diligit ſuam uxorem ſeipſum diligit; nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit ac fovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam; Propterea, derelinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & agglutinabitur uxori ſuæ; & qui duo erant fient una caro*; Item, *Viri diligite uxores veſtras & ne eſtote adverſus eas amarulenti* Coloſſ. III, 19. Item 1 Petr. III, 7. *Viri cohabitent* uxoribus ſuis, *ſecundum Dei notitiam, vaſi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, ut pote quùm unà hæredes ſitis gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.* (*d*) Uxoris verò Pro. XXXI, 11. 12. 13. 14. 15. *Confidit* fœminæ ſtrenuæ

a 4. Forma, *nempe Conſenſus.* b 5. Officia *Conjugum.* c *Viri.* d *Uxoris.*

animus mariti ejus, & spolia non deficiunt; afficit eum bono, non autem malo, omnibus diebus vitæ suæ: quærit lanam aut lina, conficitque pro voluntate manuum suarum; est similis navibus negotiatoriis, è longinquo advehit cibum suum, & surgens dum adhuc nox est, dat escam domui suæ, pensum puellis suis &c. Item Eph. v, 22. 23. 24. *Vxores propriis viris subjicite vos ut Domino, quoniam vir est caput uxoris ut & Christus est caput Ecclesiæ; itaque sicut Ecclesia se subjicit Christo, ita & uxores se subjiciunto viris suis in omnibus;* Item Col. III, 18. *Vxores subjicite vos propriis viris ut convenit in Domino;* Item. 1. *Tim.* II, 11. 12. *Mulier cum silentio discito cum omni submissione; Mulieri enim docere non permitto, neque authoritatem usurpare in virum; Servabitur tamen liberos gignendo, si manserit in fide & charitate & sanctificatione cum modestia;* Item 1 Petr. III, 6. *Vxores se subjiciant suis viris, ut etiam si qui non assentiuntur sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant, ubi spectarint cum timore conjunctam castam conversationem vestram: sicut Sara obedivit Abraham Dominum eum vocans.*

XXXVIII. (*a*) Conjugio accidunt, I. Sponsalia, quæ semper debent intelligi de futuro, cùm sint promissio & repromissio futurarum
P. nuptiarum, frustra Pontificiis comminiscentibus quædam sponsalia de præsenti, quæ revera apud Canonistas nihil aliud denotant quam solemnia & hierologiam nuptiarum, quæ inde Gallicè *Espousailles* dicuntur. (*b*) Sponsalia autem per Repudium, à *repudenda* sic dictum, dissolvi possunt, difficilè quidem, nec sine gravi causa, sed eò faciliùs quam conjugium ratum & consummatum, quod copula non secuta sit, imò necdum sit matrimonium, sed tantum spes illius. Dirimunt autem Sponsalia, non tantum defectus legitimi consensus, sed scortatio subsequens vel præterita, odium irreconciliabile, medicamentorum sterilitatem inducentium assumtio, malitiosa desertio, incestuosa cum cognatis Sponsi vel Sponsæ commixtio, infamia ex crimine publico contracta, superveniens frigiditas aut insania, aut morbus incurabilis.

XXXIX. II. (*c*) Solemnitates variæ, quarum pleræque ad essentiam ipsius Matrimonii jure positivo pertinent, qualis inter alias est publica & Ecclesiastica Benedictio, quam præsertim illi negligere non debent qui norunt sibi nubendum *in Domino* 1 Cor. VII, 39. Ut vel in eo
Brownistæ & Fanatici quidam carpendi veniant, F.
quod nuptiarum solemnibus nihil velint esse commune cum suis sacris, & Hierologiam nuptialem, semper inter Christianos usurpatam, ab Ecclesia eliminent. (*d*) III. Quandoque Divortium, sic dictum à *divertendo*, quo dirimitur Matrimonium & quoad thorum, & quoad vinculum, licet posterius nolint Pontificii. Ejus au- P.
tem legitimè instituendi, ita ut parti offensæ jus acquiratur ad nova vota transeundi, duæ tantum sunt causæ in N. F. etsi plures jura Civilia & nonnulli hodie eruditi admittere videantur; Adulterium nempe, Christo dicente, *Quisquis dimiserit uxorem suam extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur* (nubendo alteri) *& quisquis dimissam duxerit, mœchatur* Matth. v, 32. XIX, 9. & Malitiosa desertio; *Si infidelis sese separet separatus esto: non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi casu*, ut scilicet cœlebs maneat 1 Cor. VII, 15. Desertio autem talis censetur, non sola actualis subductio ab ædibus & consortio conjugis cum animo non revertendi, sed obstinata debiti conjugalis denegatio, intoleranda sævitia cum vitæ præsenti discrimine vel ex insidiis vel aperta vi, & pellicis admissio, ac quicquid analogicè ad hanc desertionem referri eamque eminenter implicare potest. Si tamen conjux cogatur solum vertere, aut transeat ad hostes, aut veram religionem deserat, non censetur eo ipso reus malitiosæ hujus desertionis quæ Matrimonium dirimit, si modò ei cohabitare alter conjugum salvâ conscientiâ queat.

XL. (*e*) Quamvis autem Ecclesiæ conservandæ & propagandæ Conjugium sit à Deo destinatum, frustra tamen à Pontificiis, ut causas Matrimo- P.
niales faciant fori merè Ecclesiastici, cum Civilis potiùs sint, Sacramentis Ecclesiæ annumeratur, ex loco Pauli Eph. v, 32. vitiosè reddito & perperam intellecto; nam habet Paulus, *Mysterium hoc magnum est*, non ut redditur à V. V. *Sacramentum hoc magnum est;* nec de Conjugio carnali loquitur, sed de mystico Christi cum Ecclesia, uti disertè addit, *Loquor autem in Christo & Ecclesia*: Habent Ethnici ac infideles indissolubile & verum Matrimonium jure naturæ, licet id negent Adversarii, etsi non habeant ullum Sacra- P.
mentum Ecclesiæ: Nec Matrimonium demum institutum est à Christo sub Euangelio, quod in Sacramentis N. F. requiritur; nec Sacramenta Ecclesiæ se mutuo tollunt, ut inter Pontificios

Ordo

a 6. Accidentia 1 Sponsalia, b *quibus accidit Repudium.* c 2. Solemnitates *quas inter Hierologia.*
d 3 Divortium; *cujus causæ & effectus explicantur.* e *Nec tamen Conjugium est* Sacramentum.

Ordo & Matrimonium; ac ridiculè statuuntur iidem conjuges esse Ministri, Materia, & Recipientes, in imaginario hoc Sacramento.

XLI. *(a)* Sed ab ea parte Ecclesiæ quæ Gregis & Populi nomine venit, ad alteram transeundum est, quæ constat ex Ministris, quos videlicet Gregi instituendo ac regendo Deus præficere dignatus est. Ministerium hic sumimus specificè pro functione Ecclesiastica; ne quis in ea ἀρχὴν vel dominatum cogitet; *Reges gentium dominantur eis, & qui autoritatem habent in eas benefici vocantur; Vos autem non sic; Sed qui maximus est inter vos,* (vel opinione suâ, vel donis in se collatis) *esto sicut qui minimus est, & qui ductor est sicut qui ministrat* Luc. XXII, 25. 26. & Marc. IX, 35. *Si quis vult primus esse erit omnium ultimus & omnium minister*: Ita Petra loqui u:; Petrus verò ei consentit dicens, *Pascite Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes, non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo; neque ut dominantes clerus, sed ut qui sitis exemplaria gregis* 1 Petr. V, 2. 3. *(b)* Ministri hoc sensu, alii sunt V. alii N. T. Sub V. nonnulli fuerunt perpetui & quasi ordinarii, ut ante Legem Patriarchæ, quibus Deus se & suam voluntatem patefecit πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Hebr. I, I. sub Lege Sacerdotes & Levitæ.

XLII. Sacerdotes ex posteris Aaronis oleo inungebantur & consecrabantur in *conspectu* populi, ut docerent, offerrent, benedicerent & orarent; *Ungens eos consecrabis ministerium eorum ac sanctificabis eos ut sacerdotio fungantur mihi* Exod. XXVIII, 14. Modus verò & Finis illius consecrationis ex Mose passim repeti debet. His in tota Sacrificiorum administratione subserviebant Levitæ, ita tamen ut jus sacrificandi non haberent; *Etenim ego, ecce desumpsi fratres vestros Levitas è medio filiorum Israel; vobis dono dantur pro Iehova, ad ministrandum ministerium tentorii conventus*: *Tu verò*, Aaron, *& filii tui tecum observate sacerdotium vestrum in omni negotio altaris & eorum quæ sunt intra ipsum velum ut ministretis* Num. XVIII, 6. Atque hinc fit quod Diaconi ad Presbyteros sive Episcopos collati, Levitæ plerumque veteribus appellantur. Ex his Cantores & Quæstores Sacri, nec non Æditui ac Janitores, à Davide sunt constituti; imò etiam ex eodem ordine plerumque Judices municipales deligebantur, ut & sæpè illi Scribæ qui & νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι dicuntur Matth. XXII, 35. Luc. V, 17. Pharisæi verò & Sadducæi non munerum publicorum, sed Sectarum nomina fuerunt, uti liquet ex Act. XXII, 6. 7. ubi *quùm nosset Paulus unam partem* consessus *esse Sadducæorum, alteram verò Pharisæorum*, se altâ voce *Pharisæum* professus est, qui *de spe & resurrectione mortuorum in judicium* vocaretur; unde *orta est seditio* inter eos *& scissa est multitudo; nam Sadducæi quidem dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Pharisæi autem utrumque profitentur.*

XLIII. *(c)* Extraordinarii verò Ministri V. T. erant Prophetæ, qui à Deo immediatè vocati & instructi, de communibus Ecclesiæ necessitatibus ipsum pro re nata consulebant, Legem interpretabantur, cultum Dei collapsum restaurabant, Sacerdotes & Reges ab officio deviantes magna cum παῤῥησίᾳ redarguebant, in peccata populi invehebantur, futura prænunciabant, & quod præcipuum erat, Ecclesiam spe Messiæ venturi erigebant & quasi gradatim viam illi parabant: Christo inde *omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum* Act. X, 43. *De qua salute exquisiverunt, scrutantes in quem aut qualem temporis articulum prænuncius qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones & gloriam illas consequuturam* 1 Petr. I, 10. 11. *Non enim libitu hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Sancti Dei homines* 2 Petr. I, 21.

XLIV. *(d)* Sub N. F. ut nihil dicam de Johannis Baptistæ Ministerio, mediæ quasi conditionis inter Ministros utriusque Testamenti, sic tamen ut Prophetis longè excellentior, sed Christi Apostolis quoad dispensationem gratiæ, inferior fuerit; *Amen dico vobis, non est suscitatus inter genitos à mulieribus quisquam major Baptistâ* (supple ante ipsum, unde ibid. com. 9. dicitur *etiam amplius quam Propheta*) *sed qui est minimus in regno cælorum, major eo est* Matth. XI, 11. Extraordinaria & temporalia fuêre munera Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarum, quorum meminit Paulus Eph. IV, 11. *Dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores, & alios Doctores ad compactionem Sanctorum.* *(e)* Apostoli, quos Christus duodecim primùm elegerat, & ad quos

a *Transitur tandem à Grege ad* MINISTERIUM. b *quod est vel* V. T. vel N. Ministri V. T. 1 Ordinarii, 2. Extraordinarii. *d* Ministri N T. 1. Extraordinarii. e *Apostoli.*

quos post defectionem Judæ accessit Matthias sorte electus, *qui* proinde *communibus calculis allectus est cum undecim Apostolis* Act. I, 26. & Paulus divinâ vocatione adscitus, ceu *instrumentum electum* Domino, *ut portaret nomen suum in conspectum gentium & regum & filiorum Israël* Act. IX, 15. unde se profitetur Apostolum *non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum ac Patrem qui suscitavit eum ex mortuis* Gal. I, I. (non item Barnabas, ut nonnulli perperam volunt colligere ex Act. XIII, 2. & XIV, 14. cùm tantum comes additus fuerit Paulo ceu Euangelista, Paulus enim *præibat in loquendo* Act. XIV, 12. unde συνεκδοχικῶς ambo *Apostolorum* nomine exprimuntur) erant præcones Euangelii universales, immediatè à Christo vocati, qui miraculis pollebant, & in doctrina non errabant: quibus adeo id speciatim pertinebat, *Ego paciscor vobis prout pactus est mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis in mensa mea, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël* Luc. XXII, 29. 30. Hoc à veteribus Prophetis differentes, quod illi seminarint, hi messuerint; *Ego misi vos ad metendum in quo non laborastis; alii laboraverunt* ad sementem, *& vos in labores eorum introjistis* Iohan. IV, 38.

XLV. Apostoli Ecclesiis in genere plantandis destinati, nulli earum in particulari fuerunt al-
P. ligati; ut frustra sint Pontificii, qui ex Jacobo Apostolo Episcopum Hierosolymitanum, ex Petro modò Antiochenum, modò Romanum, alii ex Johanne Ephesinum, ex Andæa Byzantinum faciunt. Nec in ὑπεροχῇ Apostolica absolutâ personali ullos admiserunt successores, ut in
P. cassum Pontifex Romanus se Petri, modò vicarium, modò successorem, faciat in Apostolica dignitate; Ut quid enim hoc potius illi competeret, quàm Antiocheno vel Hierosolymitano Episcopo? Et cur solus Petrus in Apostolatu suo haberet successorem, alii non? Ut taceam quod Papa vulgò non minus Pauli quam Petri authoritate & successione glorietur.

XLVI. Inter ipsos etiam Apostolos nullus fuit primatus vel Authoritatis vel Jurisdictionis,
P. qualem Pontificii nequicquam Petro vendicant; cùm Christus ipse eos à tali cogitatione revocarit Luc. XXII, 25. 26. *Reges gentium dominantur eis, & qui authoritatem habent in eas benefici vocantur; vos autem non ita estote; sed qui* (ut putat aut videtur) *maximus est inter vos, esto sicut minimus, & qui ductor est, sicut qui ministrat*, & Paulus disertè testetur *se nihilo inferiorem esse summis* sive excellentioribus *Apostolis* 2 Corinth. XI, 5. XII, 11. Quin Galat. II, 7. 8. 9. 10. 11. *Iacobum & Iohannem* annumerat *Cephæ* inter eos *qui columnæ censebantur*, & ipse Petro *restitit in os*; ac *datis* & acceptis *dextris societatis*, cum illo partitur munera, *Apostolatu Circumcisionis* relicto Petro, sibi *Gentibus* vindicatis. Et Act. XV, 13. 19. non Petrus sed Jacobus Synodo præfuit, quippe qui ceu Præses resumit quæ dicta fuerant etiam à Petro, & judicium Synodale format juxta quod epistola Synodica conscripta fuit. Potestas clavium non fuit unius Petri, etsi hac de re illum primò unitatis gratiâ Christus compellarit, dicendo, *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cœlis, & quicquid solveris in terra erit solutum in cœlis* Matth. XVI, 19. sed communis omnium Apostolorum, quibus dicitur in communi, *Quæcunque ligaveritis in terra erunt ligata in cœlo, quæcunque solveritis in terra erunt soluta in cœlo* Matth. XVIII, 18. item, *Sicut misit me Pater ita & ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctum; Si quorum remiseritis peccata remittuntur, si quorum retinueritis retenta sunt* Johan. XX, 21. 22. 23. Et cùm omnes æquè miserit ad *prædicandum Euangelium omni creaturæ* Marc. XVI, 15. æquè etiam *posuit* in omnibus *sermonem reconciliationis* 2 Cor. V, 19. Neque super Petrum sed *super Petram* quam erat confessus, Christus erat *ædificaturus suam Ecclesiam* Matth. XVI, 18. *Nam fundamentum aliud nemo statuere potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus* I Cor. III, 11. Quod cùm singuli Apostoli ut *periti architecti* ibid. com. 10. posuerint, eo respectu nova Hierusalem dicitur habere *fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni* Apoc. XXI, 14. Cùm Petrò dicitur, *Simon Simon, ecce Satanas appetit vos quos ventilaret sicut triticum, sed ego deprecatus sum pro te ne deficiat fides tua; tu igitur aliquando cùm te converteris stabili fratres tuos* Luc. XXII, 31. 32. præmunitur contra imminentem tentationem, & officii præmonetur, sed non præficitur suis Collegis: & Joh. XXI, 15. 16. repetito ter illo mandato, *Pasce oves meas*, triplici abnegationi suæ, quâ poterat videri excidisse suo Apostolatu, triplex in illum restitutio cum stipulatione amoris & officii continetur.

XLVII. (a)Prophetæ verò speciatim in Eccle- sia

a *Propheta.*

ſia Apoſtolica dicebantur, tùm qui ſingulari dono linguarum & interpretationis Sacræ Scripturæ pollebant, quo ſenſu *Antiochiæ in Eccleſia Prophetæ & Doctores* fuiſſe dicuntur *Barnabas & Simeon & Lucius & Manahem & Saulus* Act. XIII, 1. & 1 Cor. XIV, 1. *Ambite ſpiritualia, magis tamen ut prophetetis*; tùm qui divino afflati Spiritu quandoque prædicebant futura; Talis fuit *Agabus, qui ſignificavit per Spiritum famem magnam futuram in toto terrarum orbe, quæ etiam fuit ſub Claudio Cæſare* Act. XI, 28. Tales *Philippi Euangeliſtæ*, Cæſareæ habitantis, *quatuor filiæ virgines prophetantes* Act. XXI, 8. 9. Quo ſenſu nolimus negare adhuc extra ordinem poſſe nonnullos Spiritu afflari Prophetico, licet in diſcernendis illis Spiritibus opus ſit magnâ cautelâ, nec lumen Propheticum, poſſit ſtatui, ut volunt
P. Pontificii, perpetua nota Eccleſiæ. Vt prætercam quod aliquando *prophetare* idem eſt quod intereſſe ſacris pietatis exercitiis, ubi prophetia obtinet, ſive publica Verbi Divini explicatio: quo ſenſu *mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput ſuum* 1 Corinth. XI, 5. (*a*)Euangeliſtæ autem dicuntur non tantum κατ᾽ ἐξοχὴν quatuor illi amanuenſes Spiritus Sancti in hiſtoria Chriſti deſcribenda, ſed etiam comites & συνεργοὶ Apoſtolorum ab illis electi & aſſumpti, ac ſubinde huc illuc emiſſi, ad opus quod ipſi cœperant, rigando & ſuperſtruendo peragendum; quales Timotheus, Titus, Marcus, Lucas, alii, ſive ex LXX. diſcipulis quos Chriſtus deſignaverat ad tempus Luc. X, 1. ſive aliunde adſciti. Qui
P. enim cum Pontificiis & cœteris Hierarchicis ex Timotheo & Tito, Epiſcopos vel Archiepiſcopos Hierarchicos fabricantur, ſuaviter delirant, cùm tales ſæculum Apoſtolicum non agnoverit.

XLVIII. (*b*)Ordinariarum in Eccleſia Chriſtiana functionum aliæ ſunt Docentium, aliæ Miniſtrantiũ. *Habentes diverſa dona pro gratia quæ nobis data eſt, ſive Prophetiam prophetemus pro proportione*, vel analogia, *fidei; ſive miniſterium, verſemur in miniſtrando; tum is qui docet in docendo; tum qui exhortatur in exhortatione; qui diſtribuit, cum ſimplicitate; qui præeſt, cum diligentia; qui miſeretur, cum hilaritate* Rom. XII, 6. 7. 8. ubi Docentes exprimuntur nominibus Prophetiæ, Doctrinæ, Exhortationis; Miniſtrantes, Præſidentiæ, Miſerationis & Diſtributionis: Unde Paulus hos duos ordines generatim exprimit alibi ſub titulo *Epiſcoporum* & *Diaconorum* Phil. 1, 1. 1 Tim. III, 2. 8. Eodem reſpicit Petrus dicendo de donis in quibus qui ea acceperunt verſari debent *ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ; Si quis loquitur loquatur ut eloquia Dei* (hoc eſt docentium) *ſi quis miniſtrat* (id pertinet ad ſecundum ordinem) *miniſtret tanquam ex viribus quas ſuppeditat Deus* 1 Pet. IV, 10. 11. (*c*)Hæc diſtributio eſt Pontificiâ longè commodior, quâ ſcilicet P.
functiones ſacræ in Ordines & Dignitates diſtribuuntur. Dignitates ſunt illis Epiſcopi, Metropolitani, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, Papæ. Ordines ſunt in duplici differentia, vel Minorum, ſcilicet Oſtiariorum, Acolythorum, Lectorum, Exorciſtarum, quibus ſubſternitur ſimplex tonſura, ſive Clericatus; vel Majorum, quos etiam Sacros vocant, quibus eſt annexus Cœlibatus, nempe Subdiaconorum, Diaconorum & Sacerdotum; quorum iterum alii ſunt vel Seculares, vel Regulares.

XLIX. Non negaverim ex illis Dignitatibus quaſdam jam obtinuiſſe apud Veteres, ex hominum inſtituto & ordinis ſervandi gratiâ, ad ideam Regiminis Politici in Imperio; Fuerunt enim, præſertim à temporibus Concilii Nicæni, diſtinctæ dignitates Epiſcoporum, Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum: quibus & nonnullæ aliæ apud Græcos acceſſerunt; Sed Papatum Antiquitas neſcivit; & qui hodie Cardinales Epiſcopis & Archiepiſcopis præferuntur, olim erant infra ipſos Chorepiſcopos, quùm nihil aliud ſint quam Presbyteri & Diaconi Eccleſiæ Romanæ in particulari conſideratæ, prout etiam aliæ quædam Eccleſiæ ſuos Preſbyteros & Diaconos Cardinales habuerunt. Omnium verò Sedium quæ Patriarchales poſtea dictæ ſunt, par omninò authoritas fuit, uti conſtat ex Concilio Nicæno. Alias functiones ſacras, imò ſacerrimas, Eccleſiæ Papalis hìc excutere nihil refert, quales ſunt Archidiaconatus, Suffraganeorum, Vicariatus, Decanatus &c.

L. (*d*)In Ordinibus Pontificiis multa ſunt ſtrictim carpenda. I. Ordinem, (uti vocant, nomine ab Ethnicis mutuato,) Sacramentum faciunt Eccleſiæ; quod genericè conſideratum alii poſtea in ſeptem, alii in novem Sacramenta, diſtincta ceremoniis & uſu, ſubdividere ſolent: Quamquam nec ritus ex Pontificali hic adhibendi, nec munera ad quæ adhibentur, ſint inſtitutionis Divinæ. Et quùm Sacramenta Eccleſiæ ſint omnibus fidelibus communia, id non poteſt eſſe Sacramentum quod ad ſolos Eccleſiaſticos P. 1.

a *Euangeliſtæ*, b 2. Ordinarii; qui *diſtribuuntur in Docentes & Miniſtrantes* c *Rejectâ diſtinctione Pontificiorum; Quorum Dignitates & Ordines excutiuntur.* d *His nominatim damnatis multifariam:*

2. reſtringitur. II. Tota illa Ordinum colluvies ad Sacerdotium Miſſaticum & Miſſæ choragium ordinatur, quod tamen nec Chriſtus inſtituit, nec agnoſcit Scriptura.

3. LI. III. Ordines qui vocantur Minores, non conferuntur apud illos ad exercitium, ſed tantum ut diſpoſitio prærequiſita ad imaginarium
4. illud Sacerdotium. IV. Illis annumerant Exorciſtas, qui ſi metaphoricè ſumantur, præerant in Eccleſia inſtitutioni Catechumenorum; ſi propriè, nullum munus ſpeciale unquam conſtituerunt; nec debent Chariſmata extraordinaria Spiritus Sancti quæ jam diu deſierunt, in munus Eccleſiæ ordinarium & perpetuum commutari.
5. V. Characterem indelebilem, (qui qualis ſit neſciunt) hoc Sacramento ut Baptiſmate inuri pertendunt; & tamen ſi quando ſuos ſacrificulos tradunt brachio ſæculari, eos ſolemni ritu degradare ſolent non alio fine quàm ne videatur Magiſtratus Civilis in ullos iſtius ordinis homines animadvertiſſe.
6. LII. VI. Multas comminiſcuntur irregularitates, etiam ex factis neutiquam illicitis vel vitioſis, cujuſmodi ſunt inter alia bigamia ſucceſſiva, aut teſtimonium vel judicium in cauſa ſanguinis, quibus homo inhabilis fiat ad Ordines
7. vel ſuſcipiendos vel exercendos. VII. Ordinatos omnes vi tonſuræ eximunt Jurisdictioni Civili.
8. VIII. Matrimonium impediri pertendunt Majoribus Ordinibus, quos ideo Sacros vocant, non
9. Minoribus. IX. Ordinationum jura ſolis concedunt Epiſcopis, vel eorum Suffraganeis & quaſi Vicariis, cum quibuſdam Abbatibus ex ſpeciali privilegio; quùm tamen toti Preſbyterio impoſitionem manuum tribuat Paulus 1 Tim. IV, 14. *Ne negligito donum quod in te eſt, quod datum eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum preſbyterii*: Hæc & ſimilia retuliſſe refutaſſe eſt.

LIII. (*a*) His ergo miſſis, *Docentium* in Eccleſia duos Ordines facimus, non tantùm authoritate humanâ, ut viſus eſt ſenſiſſe Tertullianus, ſed etiam Sanctificatione & inſtitutione Divinâ à plebe diſcretos. Quidam enim ſpeciatim *Doctores* dicuntur Eph. IV, 11. diſtinctè à *Paſtoribus*, ut Syrus interpres benè obſervavit, ſic reddendo, *Sunt quos dedit Paſtores, & ſunt quos dedit Doctores*; quorum munus eſt propriè verſari in διδασκαλίᾳ non in παρακλήσει, in γνώσει non in λόγῳ, prout ſupra Paulus Rom. XII, 7. 8. videbatur *Prophetiam* in genere diſtribuere in duplex munus, docendi nempe, & exhortandi; Quò & ſpectat quod habet 1 Cor. XII, 8. *Huic quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ*, qui eſt propriè verba facientium ad cœtum Eccleſiæ, *alii verò Sermo cognitionis per eundem Spiritum*. Hi ergo ſunt qui in Scholis vacant explicandæ S. Scripturæ, veritati ab Heterodoxiâ vindicandæ, juventuti formandæ & præparandæ ad Sacrum Miniſterium. Nec audiendi qui eorum munus ſuperciliosè deprimunt & longe poſt Paſtoritiam dignitatem relinqui volunt, eo quod Scholæ ſint tantum appendices Eccleſiæ: Nam non minus ipſi Paſtores ſunt propter Eccleſiam, quam Scholaſtici ſive Academici Doctores; Et cùm Academiæ ſint officinæ in quibus fiunt illi ipſi ordinarii Paſtores & ad ſua munia præformantur, tanto ſuperat Doctor in Academia Paſtorem in Grege, quantò præſtat Pater Filio, Præceptor Diſcipulo. Paſtores quidem à Deo acceperunt *Clavem Regiminis* quæ dicitur aliquando, ſed minùs aptè, *Iuriſdictionis*; ſed nec ea deeſt Doctoribus in rebus fidei & dogmaticis; & illis æquè ſpecialiter conceſſa eſt *Clavis Scientiæ*: Et ſi quæ eſt Paſtorum præcellentia poteſtatis & regiminis, maximè quoad Diſciplinam, non minor eſt Doctorum præcellentia cognitionis & virtutis, imò & poteſtatis quoad Doctrinam.

LIV. Tales autem Doctores ab ævo habuit Eccleſia; Hoc enim munere defungebantur ſub V. T. partim Prophetæ, unde dicti *Prophetarum filii* qui ipſis vacabant, partim Scribæ, qui & νομικοὶ ſive νομοδιδάσκαλοι dicebantur: Idem reperias ſub N. T. in Eccleſia Apoſtolica & veteri, cujus exempla occurrunt in Heracla, Origene, Clemente, Gregorio Nazianzeno, Didymo & aliis: Nec deſunt qui putent Doctoribus Eccleſiæ annumerandos eſſe veteres Catechiſtas; prout quos *Eccleſiaſticos Doctores* Hieronymus dicit ſemper fuiſſe Alexandriæ à temporibus S. Marci, eoſdem vocat in *Schola Eccleſiaſtica magiſtros* κατηχήσεων. Utut ſit, munus eſt Eccleſiaſticum & inſtitutionis Divinæ, quod etiam agnoſcit Diſciplina Eccleſiarum Belgii, ut illud exercentibus in conventibus Eccleſiaſticis non minus conveniat juris & poteſtatis, etiam deciſivæ, quoad ea quæ Doctrinam ſpectant, quam reliquis Synodorum membris, in iis quæ pertinent ad Ordinem & Diſciplinam; etſi Pontificii nihil tribuant Academiis in ejuſmodi cœtibus præter meram deliberandi & arbitrandi poteſtatem, & nonnulli ex eodem genio illos optent abſolutè excluſos ex Comitiis Eccleſiaſticis, quod Dei Verbo & Canonibus Eccleſiæ repugnat.

Inter

a Docentes, *ſunt* 1, Doctores *Academici, quorum authoritas vindicatur.*

Inter hos & Paſtores nulla datur propriè dicta ſubordinatio, quia hi in Schola docent, illi vigilant in Eccleſia; tamen mutua eſt inter utroſque ſubalternatio, cùm & Doctores Academici, niſi ipſi ſimul Paſtores fuerint, paſcantur in Templo à Paſtoribus, ut reliquæ Gregis oves; & Paſtores formati & præparati ad ſua munia ab illis, eos habere debeant tanquam communes ordinis ſui fabros & præceptores. Ritus per quos in Academiis creantur, etſi ſint humani, ad decorum tamen pertinent, & cum examinibus præviis huic Ordini diſtinguendo inſerviunt, prout olim apud Judæos Magiſterium nonniſi per varias ſolemnitates conferebatur.

LV. Illi ordini & inſtitutioni non reluctatur Chriſtus dicendo Matth. XXIII, 8. 10. *Vos ne vocemini Rabbi*, vel *Doctores, unus eſt enim Doctor veſter, nempe Chriſtus*, quia non damnat ſimpliciter nomenclaturam & titulum, ſed eorum Magiſtrorum ſupercilium & faſtum, qui inſuper habito Dei Verbo, in ſua verba jurari Pythagorico more volebant, & ſibi non Deo quærebant Diſcipulos. Teſtimonium autem Academicum & Docturæ gradus, hominem quidem declarat habilem & idoneum qui ad docendi munus poſſit vocari; ſed tamen ad illius muneris exercitium prærequiritur expreſſa vocatio eorum penes quos id juris eſt: quod omne in Academiis & Scholis publicis, quùm earum erigendarum Authoritas Regalibus jure annumeretur, pendet ordinariè à ſummo Magiſtratu, vel immediatè vel mediatè, poteſtate vel propriâ vel delegatâ.

XVI. (*a*)Quidam verò *Paſtores* appellantur, qui & Preſbyteri, & Epiſcopi, & προϊςάμενοι, & ἡγȣμένοι, & Vigiles, & Præcones, & Oeconomi, & Legati dicuntur, aliiſque nominibus & elogiis inſigniuntur, quæ ſigillatim referre non eſt opus. Munus eorum eſt, non Chriſti corpus offerre Deo ſub ſpeciebus panis & vini pro vivis & mortuis, ut Sacrificuli Pontificii pertendunt; ſed ex Chriſti amore I. Paſcere gregem ſibi commiſſum ſolo Dei Verbo, idque eruditè, fideliter, ſincerè, conſtanter, liberè, abſque reſpectu perſonarum; Ideo Petro amorem ſuum Chriſto ſpondenti, dicebatur iteratò, *Paſce agnos meos, Paſce oves meas* Joh. XXI, 15. 16. & inter alias dotes in Epiſcopo ſive Preſbytero requiritur ut ſit *tenax fidelis illius ſermonis qui ad doctrinam facit, quo poſſit & exhortari doctrinâ ſanâ & contradicentes convincere* Tit. 1, 9. II. Illi annexa Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrare; *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis* Matth. XXVIII, 19. 20. III. Illum regere ſpirituali illâ Diſciplinâ, quæ potiſſimùm *Clavium* nomine exprimitur in Scriptura; *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris in terra erit ligatum in cœlis, & quicquid ſolveris in terra erit ſolutum in cœlis* Matth. XVI, 19.

LVII. (*b*)Paſtoratus ſive Epiſcopatus ordinarius, ab Apoſtolatu non differt quoad eſſentialia, ſed tantùm quoad perſonalia Apoſtolorum, & chariſmata & privilegia extraordinaria, quæ cum ipſis interierunt. Et præſertim cùm Apoſtoli extraordinariâ & immediatâ per Chriſtum vocatione, eâque illimitatâ quoad locum, inſtructi fuiſſent, Paſtores ordinarii Deo quidem ſuam debent vocationem, tum *objectivè* reſpectu muneris ad quod vocantur, tum *formaliter* reſpectu ordinis legitimi juxta quem vocantur; ſed tamen ut ſua habent chariſmata pleraque non infuſa, ſed ſtudio & labore acquiſita, ſic etiam eorum vocatio mediata eſt, hominum operâ & miniſterio, & ad unum locum ſive gregem determinata, apud quem, etiam jure Divino, quicquid olim contradictum ſit in Concilio Tridentino, reſidere tenentur. Sic enim Eccleſiæ Epheſinæ Preſbyteri monentur ut *attendant ad ſeipſos & totum gregem in quo eos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos* Act. XX, 28. & eum in finem Titum Paulus reliquerat *in Creta*, ut conſtitueret *oppidatim Preſbyteros*, ideſt Paſtores & Epiſcopos Tit. 1, 5.

LVIII. (*c*) Ut quis poſſit bonâ conſcientiâ Miniſterio ſacro defungi, debet intrinſecùs de ſua vocatione eſſe perſuaſus, ac ſentire ſe duci in illo munere vel appetendo vel capeſſendo, ſancto & puro deſiderio inſerviendi gloriæ Chriſti & ædificationi Eccleſiæ; tantum abeſt ut aliquem liceat ad Miniſterium cogere, licet olim factitatum fuerit. (*d*)Dona quoque varia & *Naturalia* & *Acquiſita* ad illud requiruntur, (nec enim illiterati & ἀναλφάβητοι temerè ad hoc munus ſunt admittendi, nec audiendi Anabaptiſtæ bonarum litterarum ſtudium & προπαιδείαν omninò rejicientes,) quæ vocandus vel in ſe noſſe debet, vel ex aliorum prudenti judicio & examine ſaltem præſumere: (*e*) Vt verò ſacram iſtam functionem adeat legitimè, duo requiruntur, nempe Ordi-

a 2. Paſtores Eccleſiaſtici. *b* *Hoc munus at ab Apoſtolatu differat.* *c* *Requiſita ad Paſtorem conſtituendum.* *d* Dona. *e* Ordinatio & Vocatio.

natio ad ipsum munus, quâ illi in genere conferatur potestas verbum Dei annunciandi & Sacramenta administrandi, & Vocatio Ecclesiastica ad muneris illius determinatum exercitium.

LIX. (*a*) Hæc duo, etsi aliquando veniant in Scripturis communi nomine vocationis aut missionis, *Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint?* Rom. x, 15. tamen necessariò sunt distinguenda; quùm possit quis honorem & gradum Ministerii sacri retinere, etsi ad tempus destituatur grege apud quem illud exerceat: Quamvis non sit ideo probandus Pontificiorum ritus, (quem hactenus obtinuisse in aliquot aliis Ecclesiis contra priscas sanctiones, minus probandum est) quo duo hæc dividuntur, quùm videlicet Presbyteri plurimi creantur & ordinantur absque omni vero titulo & Ecclesia, adeoque ad solum titulum vel *patrimonii* vel *paupertatis*, & sic contra ipsorum Canones *Officium* sine *Beneficio* confertur. Hinc sapienter in Reformatis nostris Ecclesiis communiter cautum est ut nemo in Ministrum ordinetur, cui grex certus non assignetur, à quo ad alium, nisi gravissimis de causis, postea transire ipsi non liceat.

LX. (*b*) In Ordinando variæ conditiones, tum quoad mores, tum quoad dotes, requiruntur; *Oportet* enim *Episcopum irreprehensum esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum; non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem; sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia; qui sui domui benè præsit, qui liberos habeat subditos cum omni honestate; (nam si quis propriæ domui præesse nequit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?) non novitium, ne inflatus incidat in criminationem* Diaboli; Oportet eum etiam bonum *habere testimonium ab extraneis; ne in probrum incidat & Diaboli laqueum* 1 Tim. III, 2. 3. 4. 5. 6. 7. Sic alibi is demum dicitur in Presbyterum constituendus, qui fuerit *inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non sint obnoxii crimini luxus aut subjici nescii; Oportet enim episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem; sed hospitalem, temperantem, justum, pium, continentem, tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrinâ sanâ & contradicentes convincere* Tit. 1, 6. 7. 8. 9. Hæc autem omnia in futuro Episcopo prærequisita, examine prævio Doctrinæ & Morum dignoscenda sunt; cujus Examinis pars quædam est in hisce Ecclesiis, quod facultas conceditur Candidatis S. Ministerii publicè dicendi ad populum, quæ ipsis competit per modum tentaminis & scrutinii, non verò Ecclesiasticæ potestatis; unde ipsis nefas est administrare Sacramenta. Non autem necessariò requiritur ut ipsi Ordinaturi examen Morum & Doctrinæ specificum instituant, dummodo illis constet sufficientibns testimoniis, qualia plerumque solent esse Academica, ea maximè quæ à Facultate Theologica dantur de *præparatoriè* quos vocant examinatis, Ordinandum & doctrinâ esse ornatum ad hoc munus requisitâ, & moribus iis instructum, quibus ædificationi sit futurus Ecclesiæ.

LXI. (*c*) Conditionibus in Ordinando prærequisitis, falsò Pontificii annumerant vel Cœlibatum absolutum, vel viduitatem unius tantùm uxoris, & quam etiam olim virginem duxerit, reclamante totâ Scripturâ; *An non habemus facultatem sororem uxorem circumducendi, ut reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas?* 1 Cor. IX, 5. & modò audiebamus ex 1 Tim. III, 2. 4. & Tit. 1, 6. Episcopum sive Pastorem debere esse *unius uxoris virum*, proprios *liberos* in officio continentem, & boni Patrisfamiliàs numeros implentem: non quò illi conjugii imponatur necessitas, sed quò ejus libertas ipsi relicta intelligatur: Quin prout est *honorabile inter quosvis conjugium & cubile impollutum* Hebr. XIII, 4. ita *dæmoniorum doctrinis* insistere dicuntur *prohibentes contrahere matrimonium* 1 Tim. IV, 1. 3. Nec illa lex Cœlibatus necessarii, quem purior nescivit Antiquitas & ex quo tot sordes & scandala enascuntur, in nuptiarum opprobrium lata, aliò revera spectat quàm bonis Pseudo-ecclesiasticis conservandis, etsi alios hîc prætextus fingant Adversarii.

LXII. (*d*) Ordinatio non requirit tonsuram, & unctionem, & cereos, aliosque ritus Pontificiorum, partim ex Judaismo, partim ex Paganismo desumtos, sed solemnem consecrationem per impositionem manuum piis precibus adhibitis, quâ & conferatur ordinato jus exercendi S. Ministerii, & se Deo speciatim dicatum ad illud quamdiu vixerit, intelligat. Ita Timotheus ordinatus *cum impositione manuum Presbyterii*, monetur deinceps *ne cui citò manus imponat*, sic communicaturus *peccatis alienis* 1 Tim. IV, 14. V, 22.

a *Quæ duo distinguenda.* b Ordinandi *Conditiones.* c *Non tamen* Cœlibatus. *d* Ordinatio *ipsa sive* χειροθεσία *expenditur.*

v, 22. & alibi monetur ut *ſuſcitet donum Dei quod erat in* ipſo *per impoſitionem manuum* Paulinarum 2 Tim. 1, 6. Poteſt equidem qui antea fuerat ordinatus, etiam juſtis & gravibus de cauſis deponi à ſuo officio, ſi nempe vel ab Orthodoxia receſſerit in doctrina, vel in moribus aliquid commiſerit quod in Eccleſiæ membro publicam mereretur excommunicationem; Poteſt & ad tempus à Sacris ſuſpendi, ideſt à muneris ſui exercitio, ſi culpa ejus levior fuerit: Sed non poteſt ipſe ſacro muneri, cui ſeſe ſemel devovit, ſpontè renunciare & ad aliud vitæ genus tranſire, quamdiu habilis remanet & aptus ad hoc: *Nemo qui manu ſuâ admotâ aratro reſpexerit ad ea quæ retrò ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei* Luc. 1x, 62. Imò ſi illud turpiter deſerat, poterit omnibus pœnis Eccleſiaſticis, tanquam ſervus fugitivus, eò retrahi.

LXIII. (*a*) Ordinari verò debent Eccleſiæ Miniſtri, ab iis qui jam ſunt in eo gradu, cùm nemo poſſit dare quod non habet. Ut autem ſolis Epiſcopis Ordinationum jura vindicentur, prout
P. fit in Papatu & apud Papaturientes, nulla ratio ſuadet; quum Preſbyterio toti tribuatur à Paulo, uti ſuo loco viſum, nec ab uno ſolo canonicè fieri poſſit, & ordinatio omnes æquet in munere & dignitate. Quamvis enim non negemus, ſatis antiquam eſſe diſtinctionem Epiſcopi & Preſbyteri, cui pro vario populorum ingenio, ſuus fortè poſſit eſſe uſus ad ordinem & εὐταξίαν; & ex rei naturâ functionum diſparitatem confiteamur inter Paſtores & alios Seniores qui in Verbo non laborant; tamen cum Hieronymo Veteribusque omnibus, (fatente Medinâ,) & tota Scriptura, pertendimus, omnes Euangelii Miniſtros ſic eſſe ejuſdem ordinis, ut nullum ſit jure Divino diſcrimen Epiſcopi & Preſbyteri, & perperam id Aerio ad hæreſin imputatum à nonnullis fuerit: Promiſcua ſanè ſunt nomina in Scripturis Epiſcopi & Preſbyteri: nam Paulus Epheſo Miletum *accerſivit Preſbyteros Eccleſiæ*, quibus dixit, *Attendite ad vos ipſos & totum gregem in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos* Act. xx, 17. 18. & poſtquam ſignificaſſet Tito relictum eum fuiſſe in Creta, ut conſtitueret *oppidatim Preſbyteros*, ſubjicit, deſcripturus qualis Preſbyter debet eſſe, *Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe* Tit 1, 5. 6. ac Phil. 1, 1. Sanctos qui *Philippis* ſunt ſalutat *unà cum Epiſcopis & Diaconis*. Et debent hic ipſi Pontificii, ſi ſibi conſtent,
P. manus dare; quùm plerique nullam *ordinis* differentiam inter hos cognoſcant.

LXIV. (*b*) Ordinationi per χειροθεσίαν jungi debet ad Sacri Miniſterii exercitium Eccleſiaſtica Vocatio, quæ χειροτονία ex uſu Scripturæ & Antiquitatis dici poteſt; circa quam in Eccleſiis benè conſtitutis & plenâ libertate utentibus, ſuum jus diſtinctum competit Senatui Eccleſiaſtico, Magiſtratui fideli & toti Populo; Illi per Electionem, huic per Approbationem, & iſti per ultroneam Admiſſionem; Quibus poſitis ad decorum pertinet, ut vocatus publicè confirmetur & quaſi Eccleſiæ vocanti deſponſetur. Sed quoniam ſingulis ferè Eccleſiis ſuus eſt ordo ſpecialis in Paſtorum ſuorum delectu & evocatione, ac temerarium ferè eſſet aliquam hìc regulam ſpecialem præſcribere quam omnes ſequi teneantur, ſufficiat ſequentia ſervanda propoſuiſſe.

LXV. I. Deliberaturis de re tam gravi incipi- 1.
endum ſemper à precibus; nec alienum foret juxta ritus veteres toti tunc Eccleſiæ jejunium indicere. II. Omnis prenſatio, omnis ambitus, om- 2.
nis Simonia, hinc eliminetur, nihilque indulgeatur affectibus, cognationi, commendationi; ſed quæratur unicè Dei gloria & Eccleſiæ maxima ædificatio. III. Senatus Eccleſiaſticus, quan- 3.
tum in ſe erit, vitet omnem συῤῥάξιν cum Magiſtratu, ne præpropero Eccleſiaſticæ libertatis tuendæ vel etiam amplificandæ ſtudio, abeatur in contentiones non neceſſarias & res erumpat in nervum. IV. Sicubi arctior eſt libertas Synedrii, 4.
jus Electionis, aut Nominationis, aut Præſentationis aliis exercentibus, hi in tempore ſui admoneantur officii, ut in eo quod ſibi vel ex uſu vel ex legibus poſitivis tribuunt, bonâ cum conſcientiâ, ad unius Dei gloriam collimando, verſentur.

LXVI. (*c*) Nec ideo piis obluctandum intempeſtivè illi *juri Patronatus*, quo imminuitur utcunque Eccleſiaſtica libertas: Quùm ipſi Canones Diſciplinæ in Synodo Nationali Dordracena ſancitæ, expreſſè declarent, nemine in hoc ſuo jure præjudicatum oportere, & aliàs ſatis antiqua ſit diſtinctio inter Beneficia *electiva* & *collativa*. Nam præterquam quod pleræque Eccleſiæ ſuam Reformationem debent huic juri, ex quo Patroni zelotæ illis de bonis & Orthodoxis Paſtoribus proſpexerunt, ſatis adhuc ſupereſt Diſciplinæ apud eas Eccleſias in quibus obtinet, ut in hac noſtra

a *Non à ſolis qui dicuntur Epiſcopi peragenda, ſublato diſcrimine inter Epiſcopos & Preſbyteros laborantes in Verbo.*

b Vocatio *Eccleſiaſtica, ſive* χειροτονία, *cujus partes & modus proponuntur.* c *Etiam ubi* jus Patronatus *obtinet.*

nostra Omlandia, ad eos Ministerio arcendos qui vel moribus improbi, vel doctrinâ heterodoxi forent; Quæ duæ pestes si caveantur & caveri possint, in cœteris minus morosè erit inhærendum, & ordini jam recepto, etsi fortè sui illi insint nævi, silenter acquiescendum.

LXVII. (*a*) Pastor constitutus debet Ecclesiæ suæ constanter, fideliter, prudenter & diligenter inservire; Non tantùm concionibus publicis, quæ ad ædificationem communem sunt revocandæ per quatuor illa capita quorum fit mentio 2 Tim. III, 16. *doctrinam*, scilicet, *redargutionem*, *correctionem & disciplinam in justitia*, & in quibus debet dare operam, ut nec canis mutus sit nec canis mordax, sic imperterritè clamando in vitia, ut personas non traducat; Sed etiam consolationibus, increpationibus, adhortationibus privatis; ut nec pauperum oblivisci, nec ægros negligere, nec oves aberrantes relinquere, unquam deprehendatur: Sæpiùs reputandum quantum sit illud munus, de quo dixit ipse Apostolus, *Sed ad hæc quis idoneus*? 2 Cor. II, 16. quantam exigat solicitudinem & curam, & quanta cum sanctitate in eo sit versandum ab illis qui & seipsos servare student & auditores suos, juxta id quod dicitur Timotheo, *Intentus esto tibi ipsi & doctrinæ & permane in istis; id enim si feceris & teipsum servabis & qui te audierint* 1 Tim. IV, 16.

LXVIII. (*b*) Tempore persecutionis potest se Pastor subducere, si suâ latitatione quietem adferat Ecclesiæ: Quod factum non solum à Cypriano quondam, sed etiam à Paulo, qui Damasci *per fenestram in corbe fune fuit dimissus per mœnia*, ut ejus qui *Aretæ regis nomine* præerat urbi, vitaret insidias 2 Cor. XI, 32. 33. Aliàs si commune fuerit periculum, bonus Pastor debet semper imperterritus in sua statione permanere; cùm *mercenarius* ille sit, qui *spectans lupum venientem relinquit oves & fugit* Joh. X, 12. Si pestis Ecclesiam depascatur, Pastor non ideo fugiet, quùm tum maximè egeat Ecclesia ipsius ope. Quamvis si solus fuerit, ex Senatus Ecclesiastici judicio poterit à contagiosis abstinere, ne dum uni aut alteri vult inservire, refugiatur à cæteris, & se toti Gregi inutilem præstet: Potest enim aliter prospici ægrorum consolationi, cui, si plures Pastores in Ecclesia fuerint, nec tutum videatur vel consolatorem extraordinarium illi rei præficere, vel eam omnibus promiscuè permittere, quorum tamen prius prætulerim, ex illis unus per sortem destinetur: Quod iis in locis necessarium non est in quibus solent ægri ex peste communiter & promiscuè ab omnibus visitari, consuetudine quæ aliquid Turcismi habet, & admiratione quam laude dignior est.

LXIX. Munus Episcopi sive Pastorale est personale, & nomen est laboris non honoris; Ut omni excusatione careant Episcopi Papales, qui ut politica tractent & heterogenea, aut indulgeant genio, quæ sunt Episcopalia aliis demandant; Ut taceamus illos Episcopos titulares qui vel se Episcopos profitentur Gregum & locorum quos nunquam viderint, vel Nomine & Temporali Episcopatus contenti, ne quidem Ordines quos vocant suscipiunt. (*d*) Interea necessitas sacri Ministerii in Ecclesia contra Swenkfeldianos similesque hodiernos Fanaticos est agnoscenda; cùm *fides* sit *ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. X, 17. nec solum per *Apostolos, Prophetas ac Euangelistas* simpliciter θεοπνεύστως, sed etiam per *Pastores & Doctores*, utut non absolutè infallibiles, debeat procedere *compactio sanctorum, opus ministerii, ædificatio corporis Christi, donec perveniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi* Eph. IV, 11. 12. 13. Neque usui perpetuo Sacri Ministerii in his terris reluctatur locus Jer. XXXI, 34. *Non solum docebunt amplius quisque amicum suum, & quisque fratrem suum, dicendo, Cognoscite Iehovam; nam quotquot erunt cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum eorum, dictum Iehovæ*; Etenim præterea quod plena cognitio demum obtinebitur in cœlo, nihil aliud insuper hoc vaticinio significatur quam ad externam institutionem, internam potissimum accessuram tam copiosam & uberem, ut illa facillimè sit processura: Quo etiam illud spectat Apostoli, *Unctio quam vos accepistis ab eo manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos*, ista scilicet de quibus jam plenè edocti estis; *verùm sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ & verax est & non mendax, & sicut docuit vos, manebitis in eo* 1 Joh. II, 27. Quin potius deprædicanda hîc venit summa Dei bonitas, quod suos quasi Mercurios ex hominibus faciat, & testaceis vasis suos committat thesauros, ut dicit Paulus, *Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut hæc hujus potentiæ supereminentia sit Dei, & non ex nobis* 2 Cor. IV, 7.

LXX.

a *Boni Pastoris* Officium. b *An & quando* fugere *liceat?* c Alteri *hoc Munus non* committi *debet.*
d *Ministerii hujus* Necessitas.

LXX. (*a*) Quoniam autem ſolent Pontificii Vocationem Paſtorum noſtrorum nullitatis accuſare, obſerventur ſequentia. I. Eos facere hîc adverſus nos, quod Judæi contra Chriſtum, cui non ſolum dicebant, *Quod ſignum oſtendis nobis quod iſta facis?* Joh. II, 18. ſed directè in ejus vocationem inquirentes, *Quâ auctoritate*, ajebant, *facis iſta, & quis tibi dedit iſtam authoritatem?* Matth. XXI, 33. II. Nullam revera, Papam, Cardinales, Sacerdotes, Abbates &c. habere vocationem, quùm ea uſurpent munera quæ in illo formali Chriſtus nunquam inſtituit. III. Juxta ipſos, Sacramentorum quorundam adminiſtrationem, imò etiam Euchariſtiæ conſecrationem, ſi fabula de origine Secretæ in Miſſa obtineat, à merè Laicis poſſe peragi. IV. Munera quæ exercemus eſſe ſacra & divinitùs inſtituta, ſita utique in prædicatione Euangelii & Sacramentorum adminiſtratione, juxta mandatum quod acceperunt Apoſtoli Matth. XXVIII, 19. 20. adeoque in *myſteriorum Dei diſpenſatione* 1 Corinth. IV, 1. noſtroſque Paſtores non niſi ordine debito ad illa admitti, & juxta leges S. Scripturæ.

LXXI. V. Primos Reformatores habuiſſe vocationem & ordinationem ſuam in Eccleſia Romana, hoc eſt, fuiſſe conſtitutos in muneribus & functionibus Eccleſiaſticis juxta ritus tunc receptos, & repurgatâ ſuâ vocatione à ſordibus quæ illi tractu temporis adhæſerant, alios poſtea ordinaſſe, à quibus ſucceſſivè ad nos χειροθεσία tranſiit. Equidem non fuerat intentio eorum qui ipſos ordinaverant ut doctrinæ receptæ ſe opponerent; Sed attenderunt illi ad Chriſti inſtitutionem & munerum ſuorum primævam obligationem & naturam; & debet Paſtor quilibet Canonicè ordinatus uti vocatione ſuâ ad propagandam illius Eccleſiæ doctrinam in qua ſuam vocationem accepit, ſi fuerit conformis veritati; ſin minus, ad eam impugnandam.

LXXII. Excommunicatio in illos lata, quia injuſta fuit, non abſtulit illis ſuum Miniſterium, quùm præſertim velint Pontificii Ordinem imprimere characterem indebilem. Licet etiam Presbyteri tantum fuiſſent, alios tamen potuerunt ordinare, quùm jure tantum humano Ordinatio ad ſolos trahatur Epiſcopos, neque ſic fuerit ab initio. Sed & aliquot in locis Reformatio incepit ab Epiſcopis, quamvis paullò frigidiùs, ut olim Sacerdotes frigidiùs ſe habuerunt ad opus Reformationis, per Ezechiam inſtitutæ quàm Levitæ, ſive, ut habet textus Sacer, *Levitæ fuerunt rectiori animo ad ſanctificandum ſe Sacerdotibus* 2 Chron. XXIX, 35. Nec ſic in Papam, ſed in Chriſtum, noſtrorum Paſtorum vocatio refunditur. Nihilque illis commune cum Novatianis & Donatiſtis poteſt objici, cùm iſti Schiſmatici perſonalia quædam vitia prætexentes altare contra altare erexerint; noſtri verò doctrinam multifariàm corruptam & cultum Dei turpiter depravatum reſtituere in integrum voluerint. Non malè tamen in Reformatis Eccleſiis nunc reordinantur qui veniunt ex Papatu, etſi non rebaptizentur qui apud Pontificios fuerint baptizati; quia diſpar eſt ratio Baptiſmi, qui eſſentialiter remanet in Papatu, & Ordinationis, cujus eſſentia conſtituitur illic in Sacerdotio Miſſatico, quod non eſt inſtitutionis Divinæ: Neque ideo in Eccleſia Reformata admitti debet vitioſa & inquinata Ordinatio Papiſtica, eo quod illa ſuffecerit ad Eccleſiam reformandam; quoniam alia eſt ratio Eccleſiæ reſtitutæ, quam reſtituendæ; nec poſſent illi qui Papatum deſerunt ſolemniùs quicquid in prava ſua Ordinatione vitioſum & Antichriſtianum erat, exuere & reſpuere. Ideo autem non venimus Luciferianis veteribus accenſendi, qui Epiſcopos Arianorum ad fidem Catholicam converſos pro Epiſcopis habere nolebant: Nam inter Arianos iſti acceperant munus legitimum à Chriſto inſtitutum; ſolum peccabant in illius muneris exercitio, illo abutentes ad Arianiſmum propagandum: Aſt cùm Ordinatio Pontificia velit conferre munus planè illicitum ſacrificandi corpus Chriſti, hic character inducendus omninò eſt.

LXXIII. Per id itaque non agnoſcimus Eccleſiam Romanam pro vera & pura Dei Eccleſia; quùm Eccleſia impura & heterodoxa poſſit Miniſterii munus retinere, etſi eo ad idololatriam aut hæreſim exercendam & propugnandam abutatur. Quòd ſi in quibuſdam Eccleſiis, à Laicis, ut vocant, inſtituta vel peracta eſt Reformatio, meminiſſe oportet, I. In ſtatu illo deploratiſſimo Eccleſiæ, ſingulis ſat vocationis fuiſſe ad reſiſtendum abuſui. Dormientibus canibus, vel anſerum eſt, ut olim Romæ, hoſtium inſidias retegere: Ubi paſſim graſſatur incendium, quiſque tenetur, ceſſantibus præſertim iis qui ad id fuerant publicè inſtituti, pro ſua virili parte illud reſtinguere. II. Non deeſſe exempla ſimilia in Eccleſia Apoſtolica & primitiva. Extatque apud Clementem Romanum, canon vetus quo

a *Paſtorum noſtrorum* Vocatio, *expreſſius adſtruitur.*

ſtatuitur ut qui docet, licet laicus ſit, peritus tamen ſermonis & moribus gravis, doceat, eo quod omnes erunt docibiles Dei. III. Quicquid hîc deſiderabatur ſuppletum fuiſſe tum Ordinatione ſubſequente, tum authoritate publicâ vel Magiſtratuum, vel Populi.

P. LXXIV. (a) Primorum Reformatorum vocatio fuit ordinaria quoad Ordinationem in ſuis muneribus, ſed extraordinaria quoad illius exercitium & applicationem: quatenus eos Deus extra ordinem ſuſcitavit, & heroicis planè animis inſtruxit, ut Antichriſtum debellarent *Spiritu oris ſui* 2 Theſſ. II, 8. & populo ſuo Babylone captivo illud inclamarent, *Exite ex ea popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus & ex plagis ejus accipiatis* Apoc. XVIII, 4. Quare miraculis ſe divinitùs ſubmiſſos probare non debuerunt; quùm nec aliam doctrinam adferrent quàm quæ Chriſti & Apoſtolorum miraculis comprobata fuiſſet; & illi ſe opponerent, qui miraculis mendacii potiſſimum nitebatur; & ei duntaxat veritati litarent ad quam propagandam, ex conſcientia muneris ſibi in Eccleſia demandati tenebantur.

LXXV. Hæc paullò fuſiùs de Docentium functionibus in Eccleſia (b) Miniſtrantium ordines duo ſunt; Eorum nempe qui ſpeciatim Presbyteri vel Seniores, oppoſitè ad Euangelii Miniſtros ſive Paſtores, dicuntur, & Diaconorum. Seniores vocamus eos, qui cum Paſtoribus, tanquam eorum Aſſeſſores, aut ſicut olim Levitæ cum Sacerdotibus, Regimini Eccleſiæ ſic præſunt quoad morum cenſuram, ut tamen non laborent in ſermone & doctrina; ex quorum cum Paſtoribus conſenſu (quædam Eccleſiæ Diaconos eodem vocant, aliæ illis Senioribus etiam Diaconatum committunt) fit Synedrium, vel Eccleſia quæ vulgò ſolet dici repræſentativa, ſive Senatus Eccleſiaſticus cujus fit aliquando mentio & apud Veteres, apud quos præſidebant, teſte Tertulliano, *probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*, quorum cœtus Eccleſiæ *Senatum*, uti dicitur Hieronymo, conſtituebat; & in Scriptura, ut Matth. XVIII, 17. *Dic Eccleſiæ*, & 1 Tim. IV, 14. *Ne negligito donum quod eſt in te, quod datum eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*; & penes quem ſic reſidet omnis Iuriſdictio Eccleſiaſtica, ut illa propriè ſit *radicaliter* in Paſtoribus; in Senioribus verò qui illis aſſident, tantum *derivativè* & *communicativè*.

LXXVI. Hi noſtri Seniores quadantenus ſunt conſtituti ad ſimilitudinem illorum LXX. quos Moſes ex Dei mandato in ſui ſubſidium elegit ut *ſecum portarent onus populi* Num. XI, 16. 17. & qui apud Judæos *Seniores populi* dicebantur Matth. XXVI, 3. Cum quodam tamen diſcrimine; quùm hi ad Politicum quoque regimen pertinerent, noſtris verò non competat Juriſdictio civilis, nec ſit facultas litium dirimendarum; Siquidem audientiæ Epiſcopales, quæ in tribunalia forenſia degenerarunt ſub Papatu, inſtituti merè humani fuerunt. Eorum autem fit mentio non ſemel in S. Literis, ut 1 Tim. V, 17. *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in ſermone & doctrina*; ubi evidenter duo genera Presbyterorum diſtinguuntur; & 1 Corinth. XII, 28. ubi *gubernationes* diſtinctè ab Apoſtolis, Prophetis & Doctoribus, annumerantur iis tum ordinariis tum extraordinariis muneribus quæ *Deus conſtituit in Eccleſia*; & Rom. XII, 8. ubi poſt functiones docendi & exhortandi enumeratas, vult inſuper Apoſtolus ut *qui diſtribuit*, quod eſt Diaconorum, id faciat *cum ſimplicitate*, & *qui præeſt*, quod faciunt Seniores, id præſtet *cum diligentia*. Nec tamen ideo Laicis, ut Pontificii & Formaliſtæ nugantur, committimus regimen Eccleſiæ; P.
quùm hi ſuâ vocatione fiant Eccleſiaſtici, ſaltem quamdiu in ſuo munere verſantur: Quod ad tempus tantum poſſe ſuſcipi, ut nunc fit in pleriſque Eccleſiis Reformatis, nihil repugnat; quùm etiam olim Sacerdotes & Levitæ poſt aliquod tempus miſſionem à ſuo munere obtinerent.

LXXVII. Atque hoc poteſt annumerari Paſtorum & horum Seniorum diſcriminibus, quod hi poſſint ad tempus tantum ſe obſtringere, illi verò ad vitam ſe Deo devoverunt & conſecrarunt; Illis quoque jus competit concionandi & Sacramenta diſpenſandi, his non: unde ſoli Seniores, neminem poſſunt, ſi Paſtor defuerit, deponere, ſuſpendere, excommunicare, aut aliquem alium actum, qui ſit directè poteſtatis Clavium exercere. In horum verò Seniorum electione, quomodocunque demum procedat, (nam hîc variant Eccleſiæ) præter capacitatem eſſentialem, quæ communis eſt omnibus veris Eccleſiæ membris, (cùm nec Seniores poſſint ab officio deponi niſi propter tale crimen quod in alio membro Eccleſiæ excommunicationem me-re-

a *Qualis primorum Reformatorum?* b *Alter ordo functionum Eccleſiaſticarum, eſt* Miniſtrantium; *iique* 1. Seniores.

retur) prudentia, dexteritas & authoritas quâ pollent, debent attendi, ut majori cum fructu Ecclesiæ inserviant. Si quæ porrò sunt Ecclesiæ quæ communi Pastorum suorum consilio regi malint, sive Presbyterium constituere ex solis laborantibus in Verbo, illis ideo ἀταξίας dicam scribere, aut ordinem apud nos receptiorem pro imperio præscribere, nolim.

LXXVIII. (*a*) Diaconos vocamus eos, qui colligendis & dispensandis pauperum subsidiis præsunt, unde etiam *Collectæ* olim dictæ synaxes Ecclesiæ; De eorum institutione primæva & munere agitur Act. VI, 1. & seqq. ubi septem viri deliguntur & ordinantur qui *ministrarent mensis*, ob *murmur ortum Græcorum adversus Iudæos quod ipsorum viduæ despicerentur in ministerio*
P. *quotidiano*: ut parum aptè Pontificii hoc trahant ad mensam Eucharistiæ, cui Diaconi ex primæva sua conditione teneantur inservire: Hos Diaconos deinceps volebat Apostolus esse *venerandos, non bilingues, non multo vino addictos, non turpem quæstum facientes, tenentes mysterium fidei in munda conscientia*, & qui *etiam explorentur prius, deinde ministrent, ac sint inculpati* 1 Tim. III, 8. 9. 10. Diaconissarum in Scripturâ quoque fit mentio; *Vidua allegatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis, bono testimonio ornata, si suos liberos educavit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subvenit, si omne bonum opus est assiduè secta-ta* 1 Tim. V, 9. 10. Istius ordinis erat *Phœbe ministra*, sive Diaconissa, *Ecclesiæ Cenchreensis* Rom. XVI, 1. Ne quis putet veterum Diaconissas tantum ita vocari, ut aliquando Presbyteræ & Episcopæ dictæ quæ Presbyteris & Episcopis nupserant, quod Diaconorum uxores essent: Cùm tamen mulieribus interdictum sit Verbum Dei prædicare & administrare Sacramenta, hinc liquet earum functionem, ut & primitùs ipsorum Diaconorum, ad sola ferè externa & βιωτικὰ spectasse: Tamen cum tempore crevit horum & dignitas, ubi ad Verbi prædicationem & postea etiam Baptismi administrationem admitti cœpêre, & numerus; quùm alii dicerentur Oeconomi, rerum Ecclesiasticarum administrationi præfecti; alii Parabolani, ad curanda ægrotorum debilia corpora deputati; alii Gerontotrophi, senum curam habentes; alii Ptochotrophi, præfecti Ptochotropiis in quibus egeni sive pauperes aluntur; alii Xenodochiorum præfecti; alii Brephotrophi & Orphanotrophi, infantium & orphanorum educationi invigilantes; Hodie verò ad solam Eleemosynarum collectionem & distributionem juxta primævam institutionem hoc munus apud nos meritò restringitur.

LXXIX. (*b*) Ecclesiæ Ministri, præsertim Pastores, quicquid contra delirent Anabaptistæ, A.
mercenariis annumerantes eos qui honestum stipendium ex publico consequuntur, sunt alendi publicis sumptibus; *Nam dignus est operarius alimento suo* Matth. X, 10. *Et quis militat propriis stipendiis unquam? quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? aut pascit gregem & de lacte gregis non edit? Num secundum hominem hæc dico? non etiam Lex hæc dicit? Nam in Lege Mosi scriptum est, Non obligabis os bovi trituranti. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia messuerimus? An nescitis eos qui sacris operantur ex sacrario edere, & qui altari assident ex altari participare? Ita etiam Dominus constituit iis qui Euangelium annunciant ut ex Euangelio vivant* 1 Corinth. IX, 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Decimæ tamen ad id præcisè non sunt conferendæ, ut volunt Papistæ & Papaturientes, cùm id Levitici P.
fuerit instituti. Nec bona temporalia Ecclesiæ sunt in immensum multiplicanda, ut factum malis artibus in Papatu; quùm experientia docuerit Pietatem, aut saltem ejus præposterum P.
studium, opes Ecclesiæ peperisse, sed filias matrem devorasse. Quare in Reformatis Ecclesiis non possunt Ecclesiæ Ministri pertendere, insanos Episcoporum Pontificiorum, hamo superstitionis & fraude in cultum Idoli conquisitos reditus, sibi jure deberi; aut teneri Magistratum Reformatum omnes illos proventus Bonorum Ecclesiasticorum, quæ talia dicebantur sub Papatu, quæque ceu caduca, nullius & manus mortuæ, legitimè ad suum fiscum deduxit passim ejecto Papismo, necessariò sacris usibus assignare.

LXXX. Tenentur quidem pii Magistratus Ministris Ecclesiæ aliisque Ecclesiasticis necessitatibus, Pauperibus item, necnon Scholis atque Academiis, honestè & liberaliter prospicere; & etiam Idololatriæ quondam consecrata bona eum in usum possunt sanctificare: Nec enim admittimus Brouwnistarum & Anabaptistarum delirium, nefas esse ex illis bonis quondam Idolo & A.
superstitioni consecratis Euangelicos Pastores sustentari. Sed possunt quoque in commodum Reipub. quomodocunque voluerint, convertere, F.
quod

a 1. Diaconi. b *Ministrorum* sustentatio *unde petenda? Ubi de* Bonis Ecclesiasticis.

quod præterea erit residuum ex iis quæ olim Monachis & aliis ventribus otiosis alendis ac in usus Idololatricos & superstitiosos destinabantur; cùm nihil plus juris sit Ecclesiæ Reformatæ quà tali, in illa bona, quam olim Christianæ in ea quæ Sacerdotiis, Theatris, Delubris & Sacris Ethnicorum inservierant, & horum omnium bonorum dominium directum, etiam juxta plerosque Pontificios, sit penes supremum Magistratum: Quare potuerunt sæcularizari, ut sic loquar, à Magistratibus Christianis, tum ipsa bona in fiscum redacta & caduca facta; tum Collegia, à quibus olim, sub obligatione cultus illiciti possidebantur, iisdem possessionibus, cum axiomate Politico, cui tuendo quoque in Republica inservierant, ipsis relictis; tum pleraque ex illis Nominibus sub quibus quondam possidebantur; ut olim inter Christianos, Flamines, Sacerdotes, Asiarchæ, dicebantur, qui ejeratâ Idololatriâ, illas dignitates per modum vel munerum vel onerum, in patrimonio habebant. Quanquam prudenter faciant qui prædecessorum suorum in ejusmodi fundationibus genericæ intentioni insistentes, etsi illa vitiosa fuerit, nec per se obliget, eas quantum exigit Ecclesiæ necessitas piis & sanctis usibus consecrant.

LOCUS DECIMUS SEXTUS;

De

ECCLESIÆ FORMA,

Notis & Adjunctis.



SUperiori (a) loco diximus I. de Ecclesiæ nomine, II. de illius materia sive partibus: Nunc de ejus Forma, Notis & Adjunctis disserendum: Si Ecclesia Electorum consideretur, illius Forma essentialis & interna, non alia est quam unio Spiritualis omnium ejus membrorum, tam cum capite suo Christo vinculis ac nervis Spiritus Sancti & fidei, quam inter se mutuo charitatis nexu: quibus duabus partibus absolvitur *Sanctorum Communio* quam credimus in Symbolo.

II. Istius unionis & communionis spiritualis cum Christo sæpiùs fit mentio in Scripturis; *Manete in me & ego in vobis manebo; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, idest nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites; is qui manet in me & in quo ego maneo, hic fert fructum multum; nam seorsim à me nihil potestis facere; Nisi quis in me manserit, abjectus extra vineam statim ut palmes arescet, deinde congregantur isti palmites & in ignem abjiciuntur & ardent. Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petite & fiet vobis* Joh. XV, 5. 6. 7. *Membra sumus corporis ejus, ex carne ejus & ex ossibus ejus* Eph. V, 30. *Unà cum Christo crucifixus sum: Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me* Gal. II, 20. De Sanctorum inter se communione agitur I Cor. XII, 13. 14. 20. 25. 26. 27. *Sicut corpus unum est & habet membra multa, omnia verò illa membra corporis quod unicum est multa sunt, sed unum sunt corpus, ita & Christus*; (mysticus scilicet:) *Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, & Iudæi & Græci, & servi & liberi, & omnes potati sumus in unum Spiritum. Nunc verò multa quidem membra sunt, unum verò corpus; Ut ne sit dissidium in corpore, sed membra itidem solicita sint alia pro aliis; itaque sive patitur unum membrum compatiuntur omnia membra, sive honore afficitur unum membrum congratulantur omnia membra; Vos autem estis corpus Christi & membra particulatim.* Ut frustra Pontificii ad illam exigunt corporis Christi introductionem in nostros stomachos orali manducatione, quò ejus contactu ad resurrectionem gloriosam disponamur, à qua cogitatione ipse nos avocat Joh. VI, 63. *Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam, verba quæ ego loquor vobis Spiritus & vita sunt*, & Paulus Rom. VIII,

a ECCLESIÆ *hic considerantur*, I. FORMA, *quæ est* vel Essentialis *& interna*, Communio Sanctorum.

VIII, 11. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis*, (per quem nempe habemus communionem cum Christo) *is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis*; Sic etiam frustra Sanctorum communioni inædificant vel preces pro mortuis, vel mortuorum invocationem & cultum, vel thesaurum imaginarium Ecclesiæ in quo opera piorum supererogatoria recolligantur, aliis distribuenda Indulgentiis Papalibus; quos errores alibi pressiùs refutavimus.

P.

III. (*a*) Forma verò externa Ecclesiæ consistit in cœtuum sacrorum collectione, convocatione, administratione & Regimine: Est autem *Regimen* & administratio Ecclesiæ uniuscujusque penes illius Pastores, Presbyteros & Seniores: Et plurium simul Ecclesiarum, ejusdem ditionis, nationis vel tractus, si in quoddam quasi corpus, unionis & politiæ Ecclesiasticæ gratiâ coaluerint, (quod non utile modò, sed planè necessarium, contra Independentes statuimus, prout talis erat unio inter *totius Achajæ* Ecclesias 2 Cor. 1, 1. necnon inter *Ecclesias Galatiæ* quibus Paulus scribit in communi Gal. 1, 2. item inter Colossensem & Laodicenam, uti colligitur ex Col. IV, 15. 16. imò omnes Ecclesias Asiæ, uti liquet Apocal, 1, 4.) penes earum omnium Ministros simul vel unà, vel per delegatos convenientes; servatâ insuper Magistratui Christiano & fideli eâ authoritate quæ illi circa externam rerum Ecclesiasticarum administrationem legitimè debet ac potest competere; Quoniam autem fusè disputatur apud Pontificios de Regiminis Ecclesiastici specie & natura, etiam paucula hac de re distinctiùs sunt annotanda.

F.

IV. Convenit quidem inter nos & adversarios Regimen Ecclesiæ internum & spirituale semper esse Monarchicum & uni Christo Capiti competere; Is enim solus sapientissimus & potentissimus jus habet regendi ac flectendi nostras conscientias, tum Verbo tum Spiritu suo, nobisque per Gratiæ suæ nervos & commissuras *vitam* illam spiritualem influendi de qua Paulus Gal. 11, 20. *Vivo non amplius ego, sed vivit in me Christus*: (*b*) Externum verò Ecclesiæ Regimen, quo per externa media ad finem contenditur, agnoscimus ultrò non esse merè Democraticum, ut nonnulli Fanatici & Anabaptistæ somniarunt, & hodierni Independentes & Brouwnistæ videntur statuere; cùm passim Ministros, quibus competit Ecclesiæ regimen, Scriptura ab ipsa plebe distinguat. *Alios* enim *constituit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deinde Potestates, deinde dona sanationum, gubernationes, genera linguarum* 1 Cor. XII, 28. Imò *Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, Doctores*, dati sunt *ad compactionem Sanctorum, ad opus Ministerii, ad ædificationem corporis Christi* Ephes. IV, 11. 12. Unde debebat Timotheus Minister sive Euangelista nosse, *quomodo oporteat versari in domo Dei quæ est Ecclesia Dei vivi* 1 Tim. III, 15.

A. F.

V. (*c*) Ut tamen Monarchicum illud constituamus, quo sensu id volunt Pontificii, assignando, non solum singulis Ecclesiis, aut etiam singulis Diœcesibus aliquem προεςῶτα (quod positâ Pastorum æqualitate ex jure Divino, posset tamen, ut olim factum, ex jure humano & positivo ordinis gratiâ obtinere) sed omnibus omninò Ecclesiis, caput aliquod supremum cui subesse sit de necessitate salutis, nunquam à nobis poterimus impetrare; cùm & illud sit Tyrannidum, Antichristianum & Scripturæ contrarium; (*d*) ac propriè loquendo plurium Ecclesiarum regimen nonnisi Aristocraticum sit, quale fuit ab initio per collegium Apostolorum, & postea per Synodos & Concilia; ut singularum semper per Presbyteria & Synedria. P.

VI. Illum verò titulum *Episcopi Oecumenici, Vniversalis*, & *Episcopi Episcoporum*, quo sensu Papæ tribui solet, sanior Antiquitas meritò damnavit; Nec ideo quod quælibet Ecclesia particularis, aut quælibet Diœcesis ex humano instituto ordinisque servandi gratiâ, posset unicum Pastorem aut Episcopum admittere, ut adhuc obtinet in multis Ecclesiis quæ secessionem fecerunt à Sede Romana, sequetur inde omnes simul Ecclesias posse uni subesse capiti; cùm nemo queat tanto oneri par esse, quemadmodum non sequitur omnia regna mundi posse uni Regi Regum subesse, eo quod singula à suis Monarchis possint administrari. Tum positâ unius in singulis vel Ecclesiis vel Diœcesibus προςασίᾳ, Regimen tamen per id Monarchicum non fit; cùm ibi ipso jure unus ille cui ea competit sit tantum præses Synedrii, hic Diœcesanæ Synodi. P.

VII. Unus quoque poterit scapham in fluvio regere, qui grandi navi onerariæ regendæ in Ocea-

a *Vel* Accidentalis & *externa, sita potissimum in* Regimine, quod est, b *Non* Democraticum: c *Aut* Monarchicum, d *Sed* Aristocraticum.

Oceano solus non sufficiet. Nec etiam si possit dari universalis in orbe Monarchia, quod negant saniores Politici, & nunquam factum est, ideo poterit dari Universalis Episcopus, qui omnibus Ecclesiis particularibus præsit αὐτοκρατορικῶς; cùm regimen Ecclesiasticum non sit coactivum, ut Politicum: nec potest, ut istud, vicariis subdelegari, eò quod Episcopi nomen sit operis & laboris, non honoris tantum; & quicunque aliis dispensat Verbum & Sacramenta, id debet præstare ceu Christi Minister illiusque solius nomine, non tanquam vicarius alterius hominis, & delegatâ potestate ejus qui se Episcopum universalem & Papam Oecumenicum jactitaret. Et Servator ipse manifestum hìc discrimen constituit, ac Monarchiæ cogitationes revellit ex mente Ministrorum; *Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas benefici vocantur; vos autem non ita estote; sed qui maximus est inter vos,* (vel donis, vel opinione suâ,) *esto sicut qui minimus est, & qui ductor est, sicut qui ministrat* Luc. XXII, 25. 26. Ut frustra sint quæ hìc in regiminis Monarchici laudes præposterè congeruntur.

P. VIII. (*a*) Ut verò pressiùs Monarchiam hanc Papalem impugnemus, pertendimus unicum quidem esse in Ecclesia Episcopatum, sed cujus tamen singuli Pastores sic partem tenent; ut jure Divino paris sint dignitatis & potestatis. Imò Christus curam Ecclesiæ omnibus Apostolis ex æquo commisit; *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis* Matth. XXVIII, 19. 20. Item, *Sicut misit me Pater ita & ego mitto vos; Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, si quorum retinueritis retenta sunt* Joh. XX, 21. 23. Hinc *murus novæ urbis, habebat fundamenta duodecim, quibus inscripta erant duodecim nomina Apostolorum Agni* Apoc. XXI, 14. & Paulus profitetur quod *nulla in re inferior fuerit summis Apostolis* 2 Cor XI, 5. XII, 11. (*b*) Et quam nulla fuerit Petri ὑπεροχὴ in alios Apostolos, in superiori Loco ostensum est; nec super Petrum sed super *Petram* à Petro confessam Matth. XVI, 18. debuit ædificari Ecclesia; & si quæ prærogativa hìc fuerit Petri in primo ponendo lapide in hoc ædificio Spirituali ex Judæis & Gentibus coalituro, quod videtur factum tum in prima Pentecoste Christiana Actor. II, 14. tum in vocatione Cornelii qui fuit primitiæ Gentium Act. X, 5. ea fuit merè personalis, nec Monarchica in suos Coapostolos.

IX. Quod ad alias prærogativas quas sollicitè corradunt, minus ad hanc rem faciunt: Non soli Petro, sed aliis quoque, nomina mutata sunt à Christo; Ut Simoni nomen *Petri* imposuit, ita Zebedæi filios vocavit *Boanerges, idest Filios tonitrui* Marc. III, 14. 15. 16. 17. Nec Petrus semper primus nominatur, ut videre est 1 Cor. I, 12. *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ,* & 1 Cor. III, 22. *Et Paulus & Apollos & Cephas, omnia vestra sunt,* & 1 Cor. IX, 5. *Annon habemus facultatem sororem uxorem circumducendi, ut reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas,* & Gal. II, 9. *Iacobus & Cephas & Iohannes qui existimantur esse columnæ, dextras societatis dederunt mihi ac Barnabæ.* Nec qui est numero & ordine vocationis prior, est potior authoritate. Quod sæpè respondet pro omnibus, id zeli fuit ac ætatis indicium, non potestatis: Ad zelum quoque pertinet quod *quùm audisset Dominum esse, amiculum præcinxit & abjecit se in mare,* ac natando venit ad Christum Joh. XX, 1. 7. alias Joh: XX. 4. Johannes Petro *præcurrit citiùs, venitque prior ad monumentum.* Christus pro se & Petro persolvit *didrachma,* quia erat in urbe Petri nempe *Capernaumi* Matth. XVII, 24. 27. & apud ipsum constanter divertebat. Eadem quoque est Nathanaëlis confessio Joh. I, 50. *Rabbi tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Israël,* quæ Petri Matth. XVI, 16. *Tu es Christus filius Dei viventis;* neque hanc præstitit suo tantum, sed etiam reliquorum nomine.

X. Petrus non solus piscabatur, cùm Christo dicenti, *Provehite in altum & dimittite retia vestra ad capturam,* respondit, *Magister quùm per totam noctem nos fatigaverimus nihil cepimus, tamen ex tuo jussu demittam rete;* quod *quùm fecissent concluserunt piscium multitudinem magnam* Luc. V, 4. 5. 6. Item cùm aliis aliquot suis Coapostolis dixit, *Abeo piscatum;* & cœteri *dixerunt ei, imus & nos tecum,* & Christo dicente, *Conjicite rete in dextram navigii partem & invenietis,* illicò *rete* repertum est *plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus* Joh. XXI, 3. 6. 11. Ut quæ ibi recitantur, ejus privilegiis non debeant annumerari. Solus quidem ambulavit super aquis, sed solus etiam titubavit & *cœpit demergi,* unde illud audit à Christo, *Exiguâ fide præ-*

a *Unde* Monarchia Papalis *corruit.* b *Nulla fuerunt prærogativa* Petri *in alios Apostolos.*

prædite, quid dubitasti? Matth. XIV, 29. 30. 31. Eguitque speciali ori consolatione Luc. XXII, 31. 32. *Simon, Simon, ecce Satanas appetit vos quos ventilaret sicut triticum, sed ego deprecatus sum pro te ne deficiat fides tua*, quia periculosiùs erat lapsurus; qua de causa etiam illi primo ex Apostolis apparuit Christus post resurrectionem; trinæque abnegationi in quam lapsus fuerat, triplicem opposuit amoris stipulationem, triplicemque in munus restitutionem, ter illi dicendo, *Pasce oves meas* Joh. XXI, 15. 16. 17. Quod si illi primo laverit pedes, cùm *immissâ aquâ in pelvim cœpit lavare pedes Discipulorum*, (quod tamen non patet ex Joh. XIII, 5. 6. sed potiùs contrarium, nam cùm *venit ad* ipsum, cœpto scilicet jam opere, nolebat id ferre, dicendo, *Domine tu mihi lavas pedes?*) eâ ratione subjiceretur potiùs censuræ fraternæ suorum Coapostolorum, quam illis præficeretur, ex mente Christi dicentis ibid. com. 14. *Si ego lavi pedes vestros Dominus & Præceptor, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare*, adeo ut ab ipso similiter initium faciendum fuerit.

XI. Denique quæ similia congerunt Pontificii, Aut sunt personalia & nullam prærogativam jurisdictionis ostendunt, sed tantum ordinis, zeli, vel ætatis; Aut sunt evidenter falsa; ut quod Petrus præfuerit Concilio primo Hierosolymitano, quod fuit Jacobi; Aut incerta & dubia; ut quod solus à Christo fuerit baptizatus, cùm nec eum à Christo baptizatum legamus, & aliqui disputent omnes Apostolos à Christo baptizatos fuisse, imò de Christo dicatur, quod *ipse non baptizabat sed discipuli ejus* Ioh IV, 2. Aut ridicula; ut quod fuerit prior à Christo ordinatus Episcopus, cùm ne quidem prior sit ad Apostolatum vocatus, saltem ex plurium Pontificiorum hypothesi, (quamvis non desunt viri eruditi, etiam Veterum authoritate nixi, qui Petrum ideo *primum* censent dici quod πρωτόκλητ☉ fuerit ad Apostolatum, licet Andreas prior ad Christi cognitionem adductus fuerit & Petrus per ipsum Joh. I, 41. 42.) & Episcopatus eminenter in Apostolatu contineretur; Quod Romæ potissimum Sedem suam collocaverit; quod nec verum est, & si foret verum, deberet potiùs à Roma Petrus suas prærogativas mutuari quam à Petro Roma; Aut obsunt etiam causæ Pontificiorum; ut quod illæ Ecclesiæ sint habitæ Patriarchales quas Petrus fundaverat; nam sic primatus æquè deberetur ex hypothesi Adversariorum Antiochiæ ac Romæ; ut taceam quod Ecclesiæ Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, & Hierosolymitanæ, quæ etiam Patriarchales fuerunt, Petrus fundator non extiterit.

XII. (a) Sed quod hic palmarium est, Christus est unicum Caput & Fundamentum, unicus Sponsus, Monarcha, ἀρχιποίμην, suæ Ecclesiæ; *Nam fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod positum est quod est Iesus Christus* 1 Cor. III, 11. quem Pater *constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius* Eph. I, 22. 23. IV, 15. quique *magnus ovium Pastor* appellatur Hebr. XIII, 20. & *Pastorum princeps* 1 Petr. V, 6. Nec est quod Papa dicatur caput & fundamentum *Ministeriale*, *Secundarium*, aut *Visibile*; tum quia istam dignitatem à Christo sibi delatam nequeat ostendere; tum quia ne quidem externo Regimini totius Ecclesiæ, quod ex institutione Christi pluribus commissum est, unus sufficiat; & non externam tantum directionem, sed internam quoque potestatem sibi vendicet, nempe jus leges præscribendi quibus conscientiæ teneantur; tum quia caput *ministeriale*, & fundamentum *secundarium* qui dicit, ἀσύςατα loquatur.

XIII. Nec magis Christi potestas legislatoria est communicabilis alteri quam ejus infinita potentia, quæ illi exercendæ necessaria est; Ac licet quis diverso respectu possit esse Caput & Minister, ut Præses Provinciæ sic est illius Caput ut subsit Regi; tamen tale Caput fingitur Papa quod sit ordinis ejusdem cum Christo, utpote qui dicatur non parti Ecclesiæ, sed toti præesse; & juxta hoc simile à Christo debuerit potestatis & potentiæ partem, licet utraque sit incommunicabilis, accipere, prout Præsidii Provinciæ potestatis suæ partem Rex communicat, & eget illius potentiâ ad Provinciæ administrationem. Tum Pastores non sunt consecuti in Ecclesia Præfecturam & Magistratum, ad instar Præsidum in provinciis, sed διακονίαν & Ministerium; *Sic de nobis reputet homo ut de ministris Christi & dispensatoribus Mysteriorum Dei* 1 Cor. IV, 1. *Non quod dominemur vestræ fidei, sed administri sumus vestri gaudii* 2 Cor. 1, 24. *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum, nos autem servos vestros propter Iesum* 1 Cor. IV, 5. *Non ut dominantes cleris, sed ut exemplaria gregis* 1 Petr. V, 3.

a *Christusque solus est Ecclesiæ* Caput. Papa *nullo modo*. P.

XIV. Neque plus ponderis est in imaginario Christi vicariatu; Nam præterquam quod Regia Majestas in mundo potissimum simili vicariatus prætextu sæpissimè imminuitur, prout hic se ἀντίχριςον ostendit dum vult esse ἀντὶ χρίςϰ, Christus talis est Rex, qui universali vicario non eget, cùm nec domo absit, & rebus suis superesse possit, ac Regnum suum ipse queat administrare; Et sicut patri in filios, aut marito in uxorem, sic Christo in Ecclesiam non datur vicarius; & tantum abest ut Papa sit vicarius Christi immediatè, ut è contrario ipse se vicarium Petri sæpè profiteatur; unde nec Christi vicarius esse potest, cùm vicarius vicarium apud Canonistas facere non possit.

XV. Apostoli non fuerunt propriè ipsa novæ urbis *fundamenta* Apoc. XXI, 14. sed ideo eorum *nomina* ibi leguntur quod fundatores fuerunt & architecti; prout Paulus dicebat, *Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut peritus architectus fundamentum statui, alius autem superædificat* 1 Cor. III, 10. Unde tam solicitè *contendebat euangelizare, non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificaret* Rom. XV, 20. Et 1 Cor. XII, 21. cùm dicitur, *Non potest oculus dicere manui, Te mihi non opus est, aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus*, capitis fit mentio, non *formaliter* quà talis, sed *materialiter* quà membri alicujus nobilioris in corpore: prout nonnulli ςυλοὶ sive *columnæ* censebantur inter Apostolos Galat. II, 9. Nec si Christus in terris rexit visibiliter Collegium Apostolorum, debuit post ascensionem ipsius superesse Caput Ecclesiæ visibile; cùm nec illud Collegium fuerit toto Ecclesia, & Christus semper munere suo præsens defungatur; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* Matth. XXVIII, 20.

XVI. Regimen Ecclesiæ sub V. T. huc non potest trahi; Tum quia nunc Ecclesia toto orbe est dispersa, nec tam facile potest regi ab uno, ut cùm inter limites Judææ coarctabatur, & uni Hierosolymæ cultus Dei erat adstrictus; Tum quia summus Sacerdos erat quidem ordine primus inter alios Sacerdotes, sicuti est Dux in Rep. Veneta inter alios Senatores, non tamen Monarcha & Caput eorum, quippe qui etiam censuræ & jurisdictioni, ut tradunt Thalmudistæ, magni Synedrii subesset; Tum quia quod præfigurabat Sacerdos Leviticus, in Christo summo nostro Pontifice completum est, nec pertinet ad Papam ullo modo.

XVII. Cùm itaque Petro Christus non commiserit Monarchiam Ecclesiæ, nihilque ipse habuerit potestatis præ cæteris Apostolis; Cùm Petro in prærogativa Apostolatus nullus obtingere successor debuerit; Cùm jura successionis Petri faciliùs sit Papæ arrogare sibi, quam probare, quandoquidem ex Scriptura non constat Petrum unquam Romæ fuisse, imò constat ex illa potiùs nunquam illum Romam vidisse, aut si eò unquam venerit, quod ariolari liberaliùs possunt quam demonstrare, saltem non tamdiu ibi hæsisse quam volunt Pontificii, qui ducuntur Spiritu vertiginis dum Babylonem Romam esse ajunt 1 Petr. v, 13. *Salutat vos ea quæ est in Babylone vobiscum electa Ecclesia*, ubi propriè & historicè loquitur Spiritus Sanctus, negant in loco allegorico & styli Prophetici Apoc. XVII, 4. 5. 6. ubi magna meretrix *amicta purpurâ & cocco & ebria sanguine sanctorum & martyrum Iesu*, dicitur habere *in fronte sua nomen scriptum, Mysterium, Babylon illa magna, mater illa scortationum & abominationum terræ*; Cùm Papa plus distet à Petro quam infernus à cœlo, nec ullam præeminentiam ab Apostolis sit consecutus, quam cæteri Episcopi non habeant, aut æquo jure sibi non vendicent; Cùm non Petri tantum, sed Pauli quoque successione glorietur, de cujus primatu nemo unquam somniavit; Cùm ex veteribus Canonibus par initio fuerit conditio omnium Patriarcharum, & reliquis prælatus postea fuerit Constantinopolitanus, ubi nova Roma veteri non æquari modò sed præferri cœpit, nec Romani authoritas ultra Ecclesias suburbicarias ex Concilii Nicæni decreto se extenderit; Cùm semper reperti sint viri pii, sancti & graves, qui prætentionibus & ambitioni Sedis Romanæ gnaviter se opposuerunt in Asia, in Africa, in Europa; Cùm adhuc multi Papæ in speciem retineant communionem, qui illum Concilio subjiciunt & *auferibilem* ab eo pertendunt; non est quod pro Capite & Monarcha Universalis Ecclesiæ habeatur.

XVIII. Aliàs capite diminuta censebitur Ecclesia cùm Sedes Romana vacat, aut plures simul Antipapas patitur. Quid si Papa sit impius, infidelis, hæreticus, *neque retinens caput* Col. II, 19. sive in occulto, sive palam, poterit-ne adhuc censeri caput & fundamentum Ecclesiæ? Numquid etiam ipsa Ecclesia Romana meritò adul-

adultera, quæ *secluso Christo*, hoc *idolum* & *idolorum Pastorem stultum* & *nihili* Zach. XI, 17. in locum sui Davidis, ut Michol olim, substituerit? Quot viri Sancti & pii mortui sunt extra Ecclesiæ Romanæ communionem ac Papæ subjectionem, quorum & nonnulli, ut Cyprianus & Augustinus, pro Sanctis coluntur in Papatu, quibus non erat persuasum, quod illi subjici sit de necessitate salutis? Ut nihil dicam de quorundam eruditorum observatione, quod si quæ olim fuerit Papæ authoritas ex Urbis prærogativa, quamdiu illa erat sedes & caput Imperii, everso nunc veteri illo Imperio, ea omnis simul periit: Imò nec desunt qui Papatum nunc extinctum pertendant ex Bulla Julii II. quâ simoniacè electus Papa, etsi inthronizatus & à Cardinalibus adoratus ac coronatus fuerit, pro nullo & illegitimo habendus declaratur; Jam verò post Julium II. non defuisse qui Simoniacè eligerentur, ut nominatim Sixtus V. res est certissima.

XIX. Maneat ergo Christo illibata sua dignitas & authoritas Imperii, Pastoribus quibuscunque sola Ministerii & obsequii gloria relinquatur; Jam verò cum regimen illud externum Ecclesiæ, quod Aristocraticum aut Aristocratico simile quoad Pastores censeri debet, consistat in Verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, & Disciplinæ Ecclesiasticæ exercitio, haud difficile erit vel inde percipere quid de *Notis* Ecclesiæ sit statendum.

XX. (*a*) Qua in quæstione non agitur de dignoscenda Ecclesia Electorum, cùm solus Deus *norit qui sui sint* 2 Tim. II, 20. Vel Catholica sive Universali, cùm professio Christianismi eam satis distinguat ab Ethnicis, Judæis, Mahumetanis; Sed inter cœtus particulares qui Christi profitentur nomen de Ecclesia Orthodoxa & puriori ab Hereterodoxa & impuriori discernenda, per pium quemque veritatis & salutis suæ studiosum, ut hac derelictâ illius communionem potiùs amplectatur.

XXI. Quamvis enim ea interdum dentur tempora Elianis similia, per quæ pius & fidelis solâ internâ communione cum Ecclesia contentus, analogâ ei quam habet cum Christo, nullam externam cum ullo cœtu communionem colat, utpote quoad se latente verâ Ecclesiâ, tamen plerumque Ecclesia vera & sincera est noscibilis suo modo, ac refert fidelem ejus notas habere perspectas, ut cognoscat cuinam cœtui se debeat adjungere ad suam ædificationem & consolationem: Hac demum ratione *Dominus addit quotidie* (ut olim) *Ecclesiæ qui salvi fiant* Act. II, 47. & locus est exhortationi Paulinæ, *Observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes alii alios, idque eo magis quod videtis eum diem appropinquare* Hebr. X, 24. 25.

XXII. (*b*) Equidem nullæ sunt notæ sensibiles, è quibus certò & distinctè cognoscamus quinam sunt verè pii & fideles, neque id scire opus est; Satis erit nosse id probabiliter; prout in civitate, non necesse est ut certò & distinctè teneamus qui sunt fidi cives & ex animo legibus obsequentes, cùm sufficiat cum iis colere communionem quos tales meritò præsumimus; Adhibito enim simul judicio prudentiæ & charitatis, possum nosse in Rep. quinam parent legibus, ut illis me adjungam, etsi solus Deus noverit quinam ex animo legibus obsequuntur.

XXIII. (*c*) In notis veræ Ecclesiæ assignandis quamvis verbis discrepent Orthodoxi, tamen in re conveniunt; Nam alii, puram Verbi Dei prædicationem & legitimam administrationem Sacramentorum, statuunt notas Ecclesiæ; quibus alii addunt Disciplinam Ecclesiasticam; alii insuper Sanctitatem vitæ: nec desunt qui Professionem veræ fidei, Concordiam fraternam & Studium bonorum operum, notas Ecclesiæ constituant: Verùm res semper eodem redit. Nam ubi Veritas publicè obtinet, ibi quoque, quæ est illius natura, suo modo vigent Charitas & Sanctitas: nec potest purum Dei Verbum obtinere alicubi, quin ibidem & Sacramenta legitimè administrentur, & Disciplina Dei Verbo præscripta etiam obtineat & vigeat; cùm hæc duo ex Dei Verbo pendeant.

XXIV. (*d*) Igitur veræ Ecclesiæ dignoscendæ non alia nota certior aut expressior potest haberi quam Doctrinæ quæ in illa obtinet veritas, sive, quod idem est conformitas cum Dei Verbo. Id tota Scriptura passim inculcat; nam ut Apostoli docturi *omnes gentes*, debuerunt *docere eas servare omnia quæ sibi mandaverat* Christus Matth. XXVIII, 19. 20. ita ex ea doctrina quinam sint veri Christi discipuli cognoscendum est: prout ipse dicebat Judæis *qui sibi crediderant*, *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis* Joh. VII, 31. *Oves* sanè ipsius *eum sequuntur*

a II NOTÆ. *Qua inquiruntur non* Ecclesiæ Electorum *vel* Universalis, *sed Ecclesiarum* particularium Orthodoxarum. b Quales *esse debeant*, c & d Quæ *illa sint*; *nempe* Doctrinæ *quæ in Ecclesia aliqua proponitur* Conformitas *cum Dei Verbo*.

tur & norunt ac audiunt vocem ejus Joh. x, 4. 27. Et hoc charactere insigniuntur pii in nascente Ecclesia, quod *perdurabant in doctrina Apostolorum & communicatione & fractione panis & precibus* Act. 11, 42. quippe *superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo* Eph. 11, 20. Estque hæc vox verè Apostolica, & omnium Apostolorum Christi, *Qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos* 1 Joh. iv, 7. *Observabitis ergo & facietis* statuta Domini; *nam hæc est sapientia & prudentia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia hæc statuta dicent, tantum gens ista maxima, populus sapiens est & prudens* Deut. iv, 6. Id etiam testatur nomen ipsum *Symboli* quod sonat tesseram Ecclesiæ, quâ videlicet ab hæreticis & adversariis illis suis, quibuscum bellum gerit civile, certò distinguatur. Et cùm Ecclesia impura ex falsa doctrina dignoscatur, necesse est puram per veritatem ab illa secerni. Ideo ipsi Adversarii Ecclesiam ex professione veræ & Christianæ fidei vel inviti definiunt.

P. XXV. Quod enim pertendunt Ecclesiam esse notiorem veritate fidei sive Scripturâ, ideoque hanc illius notam non esse, neque est ad rem; cùm hic non agatur, ut jam ante monitum, de Ecclesia Christiana in communi dignoscenda, sed de particularibus Ecclesiis puris ab impuris secernendis; & insuper est falsissimum: Si enim Ecclesia Christiana esset notior veritate fidei, tunc sequeretur posse Ecclesiam Christi cognosci ipso Christo ignoto. Nec si hæretici de veritate fidei gloriantur, ideo hæc illis nota conveniet; cùm eorum gloriatio vana & falsa ad lucem Scripturarum deprehendatur. Schismatici quoque non habent purum Dei Verbum, juxta quod ad pacis & concordiæ studium tenemur; *Ex hos omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habeatis alii in alios* Joh. x111, 35.

XXVI. Neque ideo non novimus ex veritate quæ sit Ecclesia vera, eò quod non novimus distinctè quinam verâ fide in aliqua Ecclesia admittant veritatem. Hîc enim agitur de judicio illo comparativo inter varios cœtus, quinam probabilissimè pro veris Ecclesiis sint habendi, non de distincta notitia verorum membrorum corpo-

P. ris mystici Christi. Et cùm inter nos & Pontificios de Ecclesia non constet, constet de Scriptura, dubium non est quin ad hujus facem illa quærenda & reperienda sit.

XXVII. (a) Cùm autem hæc nota debeat Ecclesiæ convenire pro illius conditione in hac vita, juxta quam variis imperfectionibus & nævis est adhuc obnoxia, mirum non est si etiam eam notam vendicemus illis Ecclesiis quæ cœterùm suis nævis non carent, cujusmodi sunt Ecclesiæ quæ se Lutheranas vocitant, & si quæ sint aliæ, vel in Doctrina vel in Disciplina minus defœcatæ; Modò enim retineatur fundamentum, fœnum & stipula non statim cœtui alicui adimunt dignitatem Ecclesiæ, in cujus communio quoque cum Christo habeatur, maximè ubi fœnum & stipula pro fundamento non substernuntur; Huc enim valet regula Apostoli, *Si cujus opus, fœni & stipulæ, fundamento retento inædificatum, exustum fuerit, damnum faciet, ipse verò servabitur, ita tamen ut per ignem* 1 Cor. 111, 15.

XXVIII. (b) Quæ ergo notæ præter hanc proferuntur à Pontificiis, facilè evertuntur. (c) Nomen *Catholicorum* potest esse titulus sine re, ejus qui, ut Angelus Sardensis, *dicatur vivere & mortuus sit* Apocal. 111, 1. nec quærendum qui dicantur Catholici, sed qui sint: cùm etiam Ariani ac alii Hæretici se Catholicos olim vocitarint, & Orthodoxos ceu Homousianos & Athanasianos traduxerint. Tum Catholicæ doctrinæ quam verè pii, Omnes, Semper, Ubique, sint professi, norma non alia certior potest dari quam Veritas & Scriptura. Et sicut Antichristus sedens in Templo Dei, Christi nomen, sic illius Synagoga Ecclesiæ elogia, sibi vendicat.

XXIX. (d) *Antiquitas* Ecclesiæ nota non est perpetua, cùm ea olim fuerint tempora, quibus Ecclesia nova videbatur, & idololatria uti nunc de antiquitate gloriabatur: nec Antiquitas doctrinæ certiùs quam ex Verbo Dei qui est *antiquus dierum* Dan. v11, 9. potest æstimari; Et multi antiquitatem sibi falsò tribuunt, ut Gabaonitæ sedium suarum magnam fingebant ab Israelitarum castris distantiam Jos. 1x, 4. quorum inventa valdè sunt recentia. (e) *Duratio* diuturna & non interrupta continuatio, ejusdem est commatis; nam Ethnicismus qui superest in mundo, ne de Judaismo dicam, diutiùs duravit hactenus quam Christianismus; nec aliundè quam ex Scriptura, certò judicari potest de fidei & doctrinæ quam aliquis cœtus profitetur duratione perpetua, cùm solum Dei Verbum sit incorruptibile & maneat in æternum.

XXX. (f) *Amplitudo* & *Multitudo* profitentium, minus est ad rem, reclamante totâ Scripturâ;

Ne

a Cum latitudine *quadam intelligenda.* b *Falsis notis Pontificiorum eversis.* c 1. Catholicismus. d 2. Antiquitas. e 3. Duratio. f 4. Amplitudo & Multitudo.

Ne inſiſtito veſtigiis potentiorum; ſive *plurium*, *ad mala* Exod. XXIII, 2. *Introite per anguſtam portam, quoniam lata eſt porta & ſpatioſa via quæ abducit in exitium, multique ſunt qui introeunt per eam; & anguſta eſt porta & ſtricta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniant eam* Matth. VII, 13. 14. Hinc Eccleſiam ſuam Chriſtus parvum gregem vocat; *Ne metue parue grex, nam lubuit Patri veſtro dare vobis regnum illud* Luc. XII, 32. cùm è contrario *univerſa terra ſequatur beſtiam*, & *omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi, accipiant ejus characterem in manu ſua dextera aut in frontibus ſuis* Apoc. XIII, 3. 16. (g) Concinit eidem veritati omnium ſæculorum experientia; & major ſemper erit copia ſaxorum quam gemmarum. (a) *Succeſſio* perſonalis Epiſcoporum in eadem ſede fruſtra fuerit abſque ſucceſſione doctrinæ; nec habent hæreditatem Petri qui illius fidem non tenent. (b) *Conſpiratio* in doctrina cum Eccleſia antiqua non poteſt aliunde certiùs firmari quam ex Scripturis; cùm & ipſi qui *Patres* dicuntur homines fuerint, qui etam quandoque cæſpitaverunt, & ſua ad Scripturarum amuſſim exigi voluerunt.

XXXI. (c) *Vnio* Membrorum cum capite & inter ſe, ſi de capite Chriſto agatur & interna Charitate, non cadit ſub ſenſus & ſoli Deo nota eſt: Aliud caput verò, quale fingitur Papa, vera non novit Eccleſia, & ab illius Beſtiæ adoratione aliena eſt. Unitas quoque Veritate deſtituta, conſpiratio in Deum & mera vanitas eſt; ut taceam quod jam olim Ethnici & hodie Judæi & Turcæ Chriſtianis in communi, ſua in ſacris diſſidia ſolent objicere. (d) *Sanctitas* doctrinæ, notam dicit quæ coincidit cum noſtra; ut & illius doctrinæ (e) *Efficacia* ad Sanctificationem; cùm alias etiam ſua inſit efficacia ad ſeductionem doctrinæ Antichriſtianæ; nam *adventus* Antichriſti *eſt ex illa vi efficaci Satanæ, cum omni potentia & ſignis ac prodigiis mendacibus, & cum omni ſeductione injuſtitiæ in iis qui pereunt, propterea quod amorem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent; Ideo igitur mittet eis efficaciam erroris ut credant mendacio* 2 Theſſ. II, 9. 10. 11.

XXXII. (f) De *Sanctitate* vitæ Authorum & Patrum noſtræ religionis, idem ſtatuo; nulla enim vera religio eſt quæ cum Chriſto Prophetas & Apoſtolos authores ac patres non agnoſcat, prout & quondam Judæi dicebantur *filii Prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres noſtros* Act. III, 25. Quanquam interna ſanctitas morum ſoli Deo nota eſt; veri enim Judæi, qui *in occulto* talis eſt, circumciſus *corde in ſpiritu non in litera, laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo* Rom. II, 29. Externa ſæpè fallax, Pſeud-apoſtolis qui *operarii doloſi ſunt, ſe transfigurantibus in Apoſtolos Chriſti; neque id mirum; ipſe enim Satanas ſe transfigurat in Angelum lucis* 2 Cor. XI, 13. 14. Ita *Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, ſedulò purgant *exteriorem poculi patinæque partem, intus autem illa ſunt plena rapinâ & intemperantiâ* Matth. XXIII, 25. (g) *Gloriam miraculorum* etiam ſibi vendicant falſi Prophetæ, ut hoc prætextu non debeamus vel latum unguem abduci à veritate Euangelii; *Quùm ſurgens in medio tui Propheta aut ſomnians ſomnium, ediderit tibi ſignum aut prodigium, quamvis eveniat ſignum illud aut prodigium quod prædixerat tibi dicendo, Sequamur Deos alienos quos non noveras & colamus eos, ne auſcultato verbis Prophetæ iſtius aut iſti ſomnianti: quia tentat Iehova Deus veſter vos, ad cognoſcendum an ſitis amantes Dei veſtri ex toto corde veſtro & ex toto animo veſtro; Iehovam Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata ejus obſervate, ac voci ejus auſcultate, eumque colite & adhærete ei* Deut. XIII, 1. 2. 3. 4. Quin *multi dicent* Chriſto *in die illo, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?* quibus reſpondebitur, *Certè nunquam novi vos* Matth. VII, 22. 23. *Excitabuntur enim Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & edent ſigna magna & miracula, ita ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos* Matth. XXIV, 24. & Antichriſti adventus futurus erat *cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus* 2 Theſſal. II, 9. (h) *Lumen Propheticum*, ejuſdem eſt conditionis; Deſiit ſpiritus Prophetiæ in veteri Eccleſia à tempore Malachiæ ad Chriſtum, nec tamen deſiit eſſe Eccleſia: Neque poſt doctrinam nobis in Scripturis revelatam novis revelationibus eſt inhiandum, aut temerè credendum iis qui illas jactaverint: Oſtentarunt etiam Ethnici ſua oracula; Hæretici quoque & Fanatici ſuas revelationes.

XXXIII. (i) *Confeſſio* Adverſariorum in gratiam Eccleſiæ alicujus non eſt ſemper in propatulo; cùm è contrario veram Eccleſiam ejus adverſarii ſuis ſæpè calumniis obruere conentur. Laudarunt quoque Auſonius Symmachum, Baſilius Libanium Ethnicos, Auguſtinus Tychonium Donatiſtam,

a 5. Succeſſio. b 6. Conſpiratio *in doctrina*. c 7. Unio. d 8 Sanctitas *doctrina*. e 9 Efficacia *illius*, f 10. Sanctitas *vitæ*. g 11. Miracula. h 12. Lumen Propheticum. i 13. Confeſſio *Adverſariorum*.

tistam, citra præjudicium veritatis; Virtus vel in hoste laudanda. (*a*) *Infœlix* exitus eorum qui Ecclesiam oppugnarunt sæpè quidem potuit observari, sed non semper; Nec fœlicitas vera ex his externis debet æstimari; aliàs tot Martyres Ecclesiæ qui inter probra & tormenta suas animas Deo reddiderunt, infœlicissimi judicarentur.

XXXIV. (*b*) Sed omnes absurditatis numeros superant quandò etiam *Fœlicitatem* temporalem annumerant Notis Ecclesiæ, cùm id potiùs purpuratæ Babyloni denotandæ inserviat, & Crux ac Calamitas sit Veritatis illius quæ sonat in vera Dei Ecclesia appendix ordinaria; *Oportet* enim *per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei* Act. XIV, 22. & *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu persecutionem patientur* 2 Tim. III, 12. Æquè aberrant inter adversarios qui dum
P. pertendunt Ecclesiam esse *Vnam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *Apostolicam*, ex his quatuor vocabulis quatuor ejus notas colligere annituntur; Non enim illæ consistunt in meris nominibus; & illa demum est Una, Sancta, Catholica, Apostolica, quæ unitatem *fidei semel traditæ Sanctis* Jud. 3. & Sanctitatem veritatis Catholicæ juxta *fundamentum Prophetarum & Apostolorum* Eph. II, 20. religiosè retinet.

XXXV. (*c*) Jam autem quamvis illæ essent no-
P. tæ veræ Ecclesiæ quas perperam comminiscuntur
1. Pontificii, haud difficile esset ostendere, ne quidem illas convenire Synagogæ Romanæ. Non est Ecclesia Catholica, cùm contradictorium sit Ecclesiam Romanam, quæ particularis est, Catholicam sive universalem statuere, & Orbis major sit Urbe, ac multæ sint Ecclesiæ ad Ecclesiam Catholicam pertinentes quæ nullam cum Romana sede colunt communionem; neque aliter quam æquivocè & catachresticè Pontificii Ca-
2. tholici sint censendi. Ecclesia Græca est *Antiquior* Romanâ, & hodierni Romanenses multum à fide antiqua discrepant, nec Roma perseveravit in ea doctrina quam ab Apostolis acceperat, sed excidit ab illa, juxta id quod ei dixerat & quadantenus prædixerat Apostolus; *Tu per fidem stas; ne effertor animo, sed metue; nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat; Vide igitur benignitatem ac severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt præcisam severitatem; in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate; alioquin & tu excideris* Rom. XI, 20. 21. 22.

3. XXXVI. *Amplior* est jurisdictio & communio Alexandrini & Constantinopolitani Episcopi per Asiam & Africam, quam Papæ per Europam, in qua, Hispanis ferè ac Italis exceptis, nulla est gens quæ ipsi in solidum adhærescat, imo neque hi satis bonâ fide. Continuæ *Successionis* filum 4.
jamdiu in ea Sede abruptum est propter Schismata quæ passa est; ut nihil dicam de eo quod nonnulli volunt Papatum in Sixto V. penitùs extinctum fuisse, & quod illius successionis origo nihil habeat certi, cùm de primo & immediato Petri successore adhuc ambigatur, dum alii Linum, alii Cletum, alii Anacletum, alii Clementem, eum faciunt.

XXXVII. Faciliùs quoque Roma ostendet 5.
se *Consentire* cum veteribus Hæreticis, ex quorum erroribus centonem sibi confecit, quam
cum antiqua Ecclesia. *Sanctitatem* doctrinæ non 6.
habet, cùm suis dogmatis januam aperiat omnibus vitiis, quæ etiam ita regnant in Curia Romana ac tota illius communione, ut de morum Sanctitate non possit multum gloriari. *Miracula* & *Lumen Propheticum* jactat equidem, sed non
demonstrat; imò sæpè professi sunt Pontificii ali- 7.
cujus Protestantis præsentiam vim miraclificam 8.
suarum imaginum & reliquiarum & exorcisationum impedire; & quamvis quotidie passim jactent miracula hîc & isthîc fieri, æquè invisibilia ac suam transsubstantiationem, tamen vix ulla ex illis Papæ approbationem consequuntur, adeo fraudum & mendaciorum suorum in eo genere sibi probè conscii sunt; nec audent vel Pontificibus vel Conciliis suis lumen Propheticum tribuere.

XXXVIII. Nemo nostrûm est qui Romam,
Ecclesiam Catholicam *confiteatur*, & multis *be-* 9.
nè cessit illam impugnasse; & tantum periit illi de 10.
prisco suo splendore, ut *fœlicitatem* suam in tem- 11.
poralibus non possit multum deprædicare; imminuitur in dies, donec placuerit Christo illum ἄνομον adventus sui splendore planè conficere.
Nulla quoque *efficacia* est tanta doctrinæ Ponti- 12.
ficiæ, (nisi intelligas erroris efficaciam, cùm tot consiliis humanis & culinariis, tot artibus Politicis, tot Piorum persecutionibus, tot Inquisitionis sævitiis, tot congregationibus & missionibus ad fidem suam propagandam, tot novis Monachorum & Superstitionum examinibus ad plebem dementandam, vix ac ne vix sustentetur.

XXXIX. De sua *Consensione* perperam gran-
dia adversarii loquuntur, cùm plures ferè sint 13.
controversiæ inter Theologos Pontificios, quam quæ

a 14. *Eorum.* Infœlix exitus. *b* 15. Fœlicitas externa. *c* *Quæ nequidem Papatui conveniant.*

quæ inter nos & illos agitantur; & illæ sanè gravissimæ & de fundamento, ut de Papæ infallibilitate, de ejus authoritate supra Concilium aut Concilii supra ipsum, de Gratia, Prædestinatione & Libero Arbitrio, Conceptione B. Virginis, Crucis adoratione, visibilitate & localitate Christi in Eucharistia, & sexcentis ejusmodi; Unde etiam illa sectarum nomina, Scotistarum & Thomistarum, Molinistarum & Richeristarum, sive, ut nuper cœptum loqui, Jansenistarum, Hierarchicorum & Regularium, Prædeterminantium & assertorum Scientiæ Mediæ &c. quæ in Papatu obtinent.

XL. (*a*) At si ad veram illam & genuinam quam proposuimus Ecclesiæ notam deveniatur, corruet idolum coram Arca, & constabit hodiernam synagogam Romanam nihil minus esse quam veram, nedum unicam, Christi Ecclesiam; cùm à doctrina Christi, nobis in Scripturis commendata, δὶς διὰ πασῶν discrepet: Hodiernam dico quæ à Veteri Romana Ecclesia, cujus olim *fides annunciabatur in toto mundo* Rom. I, 8. planè diversa abiit. Et quamvis difficile non esset ostendere *tempus* quo, & *authores* per quos, abusus cœperunt obtinere, & *adversarios* qui illis obstiterunt, & *cœtus* profitentium veritatem illis abusibus oppositam, tamen ubi res est in propatulo ex sola comparatione doctrinæ Pontificiæ cum Scriptura sacra, circa has circumstantias velle vitilitigare est iniquum; cùm præsertim sensim sine sensu *Mysterium iniquitatis* suos fecerit progressus 2 Thess. II, 7. & *dormientibus* demum *hominibus* clanculum Satan in *agro* Domini *sua severit zizania inter triticum* Matth. XIII, 24. 25.

XLI. (*b*) Sed etiam ex hac genuina Ecclesiæ nota, facilè patet Socinianam societatem non esse veram Ecclesiam, ut ejus membra clamitant; cùm Sociniani fundamenta Christianismi evertant, neque Christiano nomine digni sint. (*c*) Nec multo meliori loco habendi sunt Anabaptistæ, quorum portentosa sunt dogmata, nulli ferè legitimi ministri, quique severioris disciplinæ prætextu, Catharorum, Novatianorum & Donatistarum, addo & Monachorum, vestigiis insistentes, talem volunt cum suis Præcisitatibus constituere Ecclesiam ab omni labe & macula perpurgatam, quam ne quidem Deus hucusque potuit in terris invenire.

XLII. (*d*) Ut autem illa nota puritatis in doctrina, *comparatè* ad alios cœtus, Protestantibus ac Reformatis maximè competit, sic meritò defendimus apud eos veram esse Christi Ecclesiam, in cujus communione possit salus obtineri, (licet contrarium statuant Pontificii temerariis suis judiciis) imò & ad quam se debent recipere, Babylone relictâ, omnes quos veritatis tenet desiderium, & qui Idololatriam teterrimam, Errores multiplices & gravissimos, ac crudelissimam Tyrannidem, (quæ tria in Papatu obtinent & Papatum deserendum arguunt,) volunt evitare.

XLIII. (*e*) Neque nos movent Pontificiorum vel præjudicia vel argutiæ in contrarium. Pastorum nostrorum vocationem superiori loco asseruimus; Ecclesias nostras nec Schismaticas esse, nec Hæreticas, ex sequenti constabit. Lutheranorum & Calvinistarum aut Zwinglianorum, & si quæ sint ejusmodi, nomina, per injuriam nobis imponi asserimus, nos nobismet non imponimus; contra Pauli mentem 1 Cor. III, 4. 5. *Etenim quùm dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli, alter verò ego sum Apollo, nonne carnales estis? Quis igitur est Paulus, quis item Apollos, nisi ministri per quos credidistis & ut cuique Dominus dedit?* Et quamvis non in Lutheri, Calvini, Zwinglii, sed unius Christi, verba juremus, nec probemus degeneres illos Lutheri discipulos, qui ipsum passim Divi & Theandri nomine insigniunt, & se Lutheranos esse gloriantur, parumque nostra referret quales illi olim fuissent, tamen quæ Aduersarii congerunt in ipsos ab officio bonorum & piorum virorum aliena, calumniosa esse pertendimus, & à multis fuit demonstratum.

XLIV. Reformatio quidem nova est, idest, recens facta, sed norma ejus est perantiqua, nempe Dei Verbum. Nec potest irreformabilis Roma negare sibi reformatione opus fuisse, illis simili quas sæpiùs pii Reges in Ecclesiam V. T. invexerunt; cùm eam optimi quique in Europa ante tempora Zwinglii & Lutheri expetierint in capite & membris, & plurimi postea in cassum à Concilio Tridentino expectarint. Scriptura quoque satis indicat eam suo tempore extituram, post summam in Ecclesia corruptelam & *obtenebratum Solem* veritatis, juxta prædictiones quæ extant Matt. XXIV, 29. *Statim post compressionem dierum illorum Sol obscurabitur, nec Luna dabit splendorem suum, & stellæ cadent è cœlo, & potestates cœlorum concutientur;* & Apoc. XI, 12.

a *Abrogatâ ei insuper* verâ notâ *Ecclesiæ.* b Ut & Socinianismo c *Ac* Anabaptismo. d *Sed vindicata cœtibus* Protestantium ac Reformatorum. e *Refutatis cavillis adversariorum.*

Deinde aspexi quum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger ut saccus cilicinus, & Luna tota facta est ut sanguis; & Apoc. IX, 2. *Obscuratus est Sol & aer à fumo putei*; Nam revelatum Antichristum tandem *Dominus* erat *absumpturus Spiritu oris sui*, ideſt Verbi sui efficaciâ eum paulatim contriturus, donec *illustri suo adventu* ipsum penitùs *aboleat* 2 Theſſ. II, 8. & duo illi *Dei testes amicti saccis*, occiſi à Beſtia, perſecutione in Albigenſes, Waldenſes, Huſſitas, Taboritas, erant ex improviſo revicturi Dei virtute, & *constituri erecti in pedes suos*, in perſona eorum quorum operam Deus ad hanc nuperam reformationem adhibere voluit Apoc. XI, 3. 11. Per hanc autem Reformationem non inſtituta eſt nova Eccleſia quæ antea non eſſet, ſed ea quæ jam erat in melius eſt reſtituta. Neque Reformati deſeruerunt Eccleſiam, ſed Eccleſia deſeruit Papatum exivitque è Babylone, magis etiam fugata quam fugiens, cùm hæc medicam manum refugeret, & in eos qui illam ſanatam volebant omni perſecutionum genere ſæviret: *Quamvis curaremus Babylonem tamen non esset curata*; (vel ut alii vertunt, *Curavimus Babylonem*, affectu, ſtudio, conatu, *at non est sanata*;) *derelinquite eam & abeamus quisque in terram suam; nam pertingit ad cœlos judicium ejus, & elatum est usque ad superiores nubes* Jer. LI, 9.

XLV. Diſſidia ſi quæ ſint in ſacris inter Proteſtantes, ea nec ipſis detrahunt formalem Eccleſiæ rationem, cùm & ſuis olim diſſidiis & nævis Eccleſiæ Apoſtolicæ laboraverint; Sic enim *adversus eos* qui *circumcisionem* urgebant, *orta* fuit *repugnantia & disceptatio non parva Paulo & Barnabæ* Act. XV, 1. 2. & in Eccleſia Corinthiorum erant *invidia & contentio & dissidia* 1 Cor. III, 3. imò, *Oportet etiam hæreses inter vos esse*, inquit illis Apoſtolus, *ut qui probi sunt manifesti fiant inter vos* 1 Cor. XI, 19. & rixæ Euangelicorum ſunt longè minores iis quæ agitantur inter Pontificios, qui etiam quandoque mutuò ſe *hæreseôs* inſimulant. Tum conveniunt omnes Proteſtantium Eccleſiæ in formali ratione *protestationis* contra idololatriam Pontificiam, ad inſtar eorum quorum fit mentio 2 Chron. XXIV, 19. quibus *protestantibus* contra Idololatras, hi *non præbuerunt aurem*, & in cauſis deſerendi Papatus, & in fundamentalibus religionis, ut liquet ex Harmonia Confeſſionum, & in fidei norma ac principio, nempe Scriptura; quæ vincula ſunt longè ſanctiora, politieâ illâ unitione ſub Capite Papa, quam crepant Adverſarii.

XLVI. (*a*)Hæc autem omnia ſi conſiderarent tranquilliori animo qui ſe Lutheranos vocitant, non tantopere abhorrerent à pio ſyncretiſmo & reconciliatione nobiſcum, aut mutua ſaltem tolerantia, juxta regulam Pauli Phil. III, 15. 16. *Quotquot adulti sumus hoc sentiamus; quod si quid aliter sentitis hoc quoque Deus vobis revelabit; attamen in eo ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regulâ & idem sapiamus.* Neque movemur rigidiori eorundem contra nos judicio, quod longè aliud foret ſi Charitatis & Prudentiæ Chriſtianæ libellam hîc adhiberent, nec affectibus ſuis ſupra modum indulgerent: Etſi multa fratres irati in ſe dictitent, ideo non deſinunt eſſe fratres. His verò diſſidiis ludos facimus Papiſtis, qui omni conatu ea fovere ſtudent, juxta axioma Macchiavelliſticum, *Divide & impera*: Conantur per Lutheranos, homines noſtræ communionis opprimere, ut illos poſtea faciliùs mittant ſub jugum, & quod Polyphemus promittebat Ulyſſi, devorent ultimos. L.

XLVII. Per id autem non propugnamus Samaritaniſmum, aut religionum vel indifferentiam vel confuſionem & miſcellam; Nam ſic agnoſcimus Eccleſiarum alias aliis puriores, & Charitatem & Moderationem requirimus in earum nævis retegendis aut impugnandis, ut tamen optemus earum quaſlibet eniti ad majorem lucem; ac ſtatuamus privatos teneri iis ſe cœtibus adjungere, quos ad facem Verbi Divini, puriores in Doctrina & Diſciplina agnoverint.

XLVIII. (*b*)Sed Papiſmi longè diſpar eſt ratio, P. nec ullo modo audiendi, qui ſyncretiſmum inter Pontificios & Proteſtantes moliuntur, ut Nigrinus, Grotius, Milleterius & alii, atque nos ad Papæ communionem, vel potiùs vile obſequium, retrahere conantur. Etenim errores Papatus ſunt Capitales, Tyrannis Antichriſti in conſcientias intoleranda, & deteſtanda Romana Idololatria multiplex; atque ideo à communione Romana deterreri debemus verbis Apoſtoli, *Ne impari jugo copulemini cum infidelibus; Quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? & quæ communio lucis cum tenebris? & quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli; & quæ consensio templo Dei cum simulachris?* 2. Cor. VI, 14. 15. 16. Cùm ergo debeamus è Babylone fugere, *Exite ex ea popule mi* Apoc. XVIII, 4. An-

a *Unde Syncretiſmi inter nos & eos qui Lutherani dicuntur facilitas.* b *Non item cum Pontificiis.*

4. Antichristo resistere gnaviter, quo *absumatur Spiritu oris Domini* 2 Thessal. II, 8. & *igne qui prodit ex ore* duorum testium *devoretur* Apoc. XI, 5. & ab idololatria omni abstinere, *Filioli, cavete vobis ab idolis* 1 Johan. V, 21. nihilque emendari videamus in Papatu eorum contra quæ patres nostri sunt protestati, & quæ refugerunt per mille mortes & supplicia, frustraque hactenus totus orbis Christianus desiderarit Synagogæ Romanæ Reformationem in *Capite* & *Membris*, & stent anathematismi Concilii Tridentini in veritatem Christi & capita nostra vibrati, non est cur cogitemus de repetenda communione Romana, aut ulla Spirituali pace cum ista matre fornicationum resarcienda, vel abjicienda ea libertate quæ patrum nostrorum sanguine, suppliciis, laboribus tantis, non sine speciali Dei benedictione, nobis comparata est.

XLIX. Non potest etiam Roma urgere nostrum ad se reditum, quin priùs ostenderit in Protestantium communione salutem obtineri non posse; quod nunquam præstabit, cùm nihil ad salutem requiratur quod sufficienter apud nos præstò non sit. Nec si patres nostri olim in communione Romana vixerunt, ideo nunc licebit eam repetere; nam I. Qui errores duntaxat erant patrum nostrorum tempore, nunc per Concilium Tridentinum, à quo debuissent emendari, in publicas leges abiêre. II. Patres nostri erant captivi, & gementes sub jugo quantum in se erat profanum à sacro in doctrina publica secernebant; sed nobis Deus libertatis vexillum in Reformatione erexit & purissima pascua liberaliter aperuit, quæ deserere summæ esset imprudentiæ & ingratitudinis. III Non debemus curare quid ante nos factum sit, sed quid nobis incumbat ex conscientiæ officio.

L. Et quamvis nolimus statuere neminem servari in communione Romana; cùm in illa Ninive multi sint qui *inter dextram & sinistram suam nesciunt distinguere* Jon. IV, 11. multi qui Protestantium doctrinam parati essent amplecti si eam nossent; multi quorum aures sunt castiores linguis doctorum suorum, ut eo tempore quo ingemuit totus orbis & miratus est se esse Arianum, multi qui primis Christianismi articulis contenti, ad Traditionum & doctrinarum superadditarum quisquilias non attendunt; multi qui professione quidem externâ Pontificii videntur, reverâ tamen in judicio & fide de rebus religionis cum Protestantibus consentiunt; Attamen sic censemus posse distingui in communione illa Religionis Christianæ reliquias à mole Papatus eas opprimente, ut negemus I. Posse quemquam Reformatum ad illum deficere citra grande vulnus conscientiæ suæ, & turpem veritatis ante agnitæ abjurationem, & solemnem professionem, saltem extrinsecè & apparenter, teterrimorum errorum. II. Posse quemquam citra grande peccatum in Deum abusibus sibi notis diutiùs adhærere, aut refugere Reformatorum communionem quam puram & sanctam agnoverit; Damnantur enim nec immeritò illi *ex primoribus* qui cùm *credidissent* in Christum, *propter Pharisæos hoc non profitebantur, ne Synagogâ moverentur; dilexerunt enim gloriam hominum potius quam gloriam Dei* Johan. XII, 42. 43. III. Posse quemquam formaliter Pontificium, ea statuendo ad quæ per Papismum tenetur, & *Bestiam adorando ejusque accipiendo characterem* Apoc. XIII, 8. 16. & in eo statu moriendo, salutem adipisci, cùm nec *idololatræ*, nec *scortatores*, nec *mœchi*, nec *fures* &c. *regni Dei hæreditatem sint possessuri* 1 Cor. VI, 9. 10.

LI. (*a*) Hactenus de Notis Ecclesiæ: de illius *Adjunctis* pauca supersunt dicenda. Primò itaque Ecclesiæ convenit *Visibilitas* & *Invisibilitas*. Non quod duplicem faciamus Ecclesiam, ut calumniantur Pontificii, sed quod hæc duo conveniant Ecclesiæ vario respectu: Invisibilis est Electio, Fides, Charitas, quæ sunt formalia veræ Ecclesiæ; *Tota honorata filia Regis intrò* Psal. XLV, 14. Adeoque nullæ notæ certæ dari possunt quibus distinctè & certò constet quænam illa sit; cùm notæ quæ assignantur tantum confusè & probabiliter ostendant ubi sit. P.

LII. (*b*) Visibilis tamen fit & utcunque cognoscibilis in cœtibus particularibus, circa quos aliud est videre Ecclesiam, aliud est videre quod sit vera Ecclesia: nec semper ac omni tempore tales extant cœtus visibiles purioris Ecclesiæ, qui ab aliis ex ea quam assignavimus nota possint dignosci: tantum abest, ut quod sentiunt Pontificii, Visibile Caput, Visibile Regimen, Visibiles Cœtus, ita sint de essentia Ecclesiæ, ut nullæ virtutes internæ ad illam requirantur. Elias putabat se *solam esse derelictum*, cùm tamen Deus *reliquos* sibi *fecisset ex Israele septies mille quorum omnium genua non curvaverant se Bahali, quorum omnium os non osculatum erat illum* 1 Regum XIX, 18. Cùm *fugere* debet Ecclesia *in desertum* Apoc. XII, 14. ac illic latitare, P. visibi-

a III. ADJUNCTA. 1. Visilitas & Invisibilitas. b *Visibilitas Ecclesiæ* non perpetua.

visibilis non est; Et ipsi Pontificii agnoscunt tantam fore rerum peturbationem sub Antichristo, ut Ecclesia aut omninò cerni non possit, aut saltem vix appareat.

LIII. Quæ pro perpetua visibilitate & illustri conspicuitate Ecclesiæ proferunt Adversarii, Aut spectant officium Apostolorum, non statum Ecclesiæ perpetuum; ut quod extat Matth. v, 14. 15. *Vos estis lux mundi; non potest urbs occultari super montem posita; neque accendunt lucernam & ponunt eam subter modium, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus qui sunt in domo.* Aut ostendunt quidem aliquando valde diffusam & illustrem futuram fuisse Ecclesiam sub N. T. ut quod prædicitur Esa. II, 2. 3. & Mich. IV, 1. 2. *Montem domus Iehovæ ultimis temporibus constituendum in vertice aliorum montium, & efferendum supra colles, ut confluant ad eum omnes gentes; eantque populi multi dicentes, Venite ut ascendamus in montem Iehovæ, in domum Dei Iacobi, ut doceat nos in viis suis & ambulemus in itineribus ejus;* item Dan. II, 35. *Lapidem qui percusserat imaginem efficiendum montem magnum, adeo ut impleat totam terram;* sed non dicunt id semper futurum; cùm etiam sub N. F. ea futura essent tempora quibus ad summam raritatem Ecclesia reduceretur, *exsurgentibus Pseudochristis & Pseudoprophetis qui erant edituri signa magna & miracula; & vel ipsos electos, si fieri posset, seducturi* Matth. XXIV, adeo ut dicat Christus, *Filius hominis quùm venerit num reperturus est fidem in terra?* Luc. XVIII, 8. Sanè *Spiritus disertè* prædixerat *fore ut posterioribus præstitutis temporibus descriscerent quidam à fide, attenti Spiritibus deceptoribus ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisim falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est; Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione* 1 Tim. IV, 1. 2. 3. Quin ex illis qui tum orituri erant *sunt & isti qui irrepunt in familias, & capitivas ducunt mulierculas cumulatas peccatis* 2 Tim, III, 6. Imò tam grandis *defectio* per Antichristum *in templo Dei* sedentem 2 Thess. II, 3. 4. erat orituta, ut vix *duo testes* Dei *amicti saccis* essent superfuturi qui sese opponerent publicæ corruptioni Apoc. XI, 3. *universâ terrâ currente post bestiam* Apoc. XIII, 3. Aut perperam transeunt à materiali Ecclesiæ ad illius foamale; nec enim ideo Ecclesia debet esse formaliter visibilis, quia est societas hominum qui sunt visibiles. Aut confundunt internam communionem Ecclesiæ, quæ semper piis est necessaria, cum externa; cujus non semper datur occasio fidelibus, ut exemplum Eliæ demonstrat; non enim illis semper certò & distinctè constat quibuscum eam colere debeant.

LIV. (a) Quare ad quæstionem, *Vbinam erat Ecclesia nostra aate Reformationem*, multa debent responderi. I. Quæstionem hanc esse historiæ non fidei, adeoque ejus solutionem non esse necessariam ad salutem. II. Non defuisse omni tempore, prout ingravescebant abusus in Papatu, qui palam ipsis obsisterent, imo & cœtus segreges ab Idololatris haberent, quales fuerunt Albigenses, Waldenses, Picardi, Lollardi, Hussitæ &c. qui licet variis criminationibus à suis adversariis impeterentur, revera tamen veritatem Euangelicam propugnabant. III. Nequire Pontificios ostendere ubi fuerit Papatus cum doctrinis ad illum spectantibus per 900. ferè annos, purioris, aut saltem minus impuri, Christianismi. IV. Nescire eorum Annalistas ubi erat Ecclesia sæculo illo x. quod *ferreum* vocat Baronius, quo plusquam 50. Pontifices sibi mutuo succedentes, non tam *Apostolici* quam *Apostatici*, aut *Apotactici*, ut ipse fatetur Genebrardus, fuerint. V. Ecclesiam ante Reformationem fuisse captivam sub Papatu, eodem statu & loco quo eam futuram statuunt Pontificii sub Antichristo, & quo fuit sæpiùs sub V. T. durissimis illis temporibus Elianis ac similibus, quibus Elias *se solum relictum* arbitrabatur 1 Reg XIX, 10 Rom. XI, 4. 5. & *dies multi acti sunt Israelitis sine Deo vero, & sine Sacerdote docente, ac sine Lege* 2 Chron. XV, 3. querente etiam Esaiâ, quod *à planta pedis usque ad caput non esset in isto corpore integritas*, adeo ut, inquit, *nisi Iehova exercituum reliquos nobis fecisset superstites utcunque paucos, ut Sodoma essemus, & Gomorrhæ similes evasissemus* Esa. I, 6. 9. Ut mirum nou sit eam tunc minus illustrem & conspicuam fuisse.

LV. (b) Secundò Ecclesiæ convenit *Fallibilitas* & *Infallibilitas*, sed diverso respectu. Negari enim non potest in Ecclesia subnasci varias Hæreses veritati contrarias, eas quoque *oportere esse ut qui probi sunt manifesti fiant* 1 Cor. XI, 19. (c) Nec potest etiam infallibilitas in fide tribui, ut volunt Pontificii, Ecclesiæ Repræsentativæ, hoc est vel Pontifici Romano qui illius Caput sit, vel Episcopis in Concilio congregatis, cùm nemo eorum

a *Respondetur quæstioni*, Ubinam erat nostra ante Reformationem? b 2. *Fallibilitas & Infallibilitas.*
c *Infallibilitas Ecclesiæ in Conciliis & Papæ evertitur.*

rum seorsim sit infallibilis, & experientia omnium seculorum sub V. & N. T. huic prætenso privilegio repugnet.

LVI. Errarunt sanè in fide Aaron fundens vitulum aureum *& exstruens altare coram eo* Exod. XXXII, 2. 5. Urias altare *ad similitudinem* Damasceni in locum *altaris ænei quod fuerat coram Iehova* substituens 1 Reg. XVI, 10. 11. 14. Cajaphas cum magno & Oecumenico Concilio concludens Christi mortem & *conducere* sibi *ut unus homo moriatur pro populo & tota gens non pereat* Joh. XI, 50. atque ipsum *blasphemiæ* insimulans & *mortis* reum pronuncians Matth. XXVI, 65. 66. Sorbona pertendit Marcellinum Idolis sacrificantem, Liberium subscribentem Arrianismo, Honorium Monothelismum tuentem, Johannem XXII. animæ immortalitatem negantem, Gregorium VII. & Bonifacium VIII. sibi tribuentes suprema jura in Reges & Cæsares, ac multos Papas alios, erraſſe in fide; Jesuitæ verò volunt etiam Concilia generalia esse errori in fide obnoxia; unde illa distribuunt in Reprobata, Approbata & Mixta: & adhuc nescitur in Papatu penes quos sit illa infallibilitas, Papamne, an Concilium: & nullo certo argumento, omnem contrarii metum expellente, constare potest, vel hunc cœtum esse Concilium Oecumenicum legitimè congregatum & membris idoneis constans; vel illum hominem esse verum Pontificem, in cujus infallibilitatem fides nostra resolvi debeat; cùm non sit de fide juxta ipsos Pontificios, Alexandrum hodie sedentem esse verum Christi Vicarium & Petri successorem; multo minus illos qui in Concilio videntur congregati, esse legitimos Episcopos, baptizatos, ordinatos & Catholicos, qui per consequens jus ibi habeant suffragii.

LVII. Et cùm Pontificii salutis certitudinem ideo impugnent, quod solicitudinem, diligentiam in bonis operibus, assiduitatem precum, debeant fideles in sua vocatione adhibere, oportet abnegent infallibilitatem Papæ vel Concilii, cùm & hi teneantur in judiciis suis solicitudinem, preces, diligentiam ac serium examen adhibere. Quid quod Pontificii in oppugnanda ac rejicienda veritate infallibilitatis suæ prætextu, imitantur adversarios Prophetarum dicentes, *Agite, cogitemus contra Ieremiam cogitationes; nam non est peritura lex à Sacerdote & consilium à Sapiente, & verbum à Propheta; agite percutiamus eum propter istam linguam, & ne attendamus ad ulla verba ejus* Ier. XVIII, 11. & infirmitatis humanæ obliti, Meretricis Babylonicæ fastum induunt, quæ *abstergit os suum & dicit, Non sum operata iniquitatem* Prov. XXX, 20. item, *Sedeo Regina, nec sum vidua nec luctum videbo* Apoc. XVIII,7. Et cùm fides persuaderi debeat ex Scripturis, non humanâ authoritate imperari, sufficit Ecclesiæ exstare infallibilem fidei normam in Scripturis, nec requiritur ut Pastores suos habeat extra omne errandi periculum constitutos; Quare vetera Concilia non tam sua protulerunt judicia de rebus fidei, quam illa ex Scripturis retulerunt; quod & faciendum monebat Constantinus in Synodo Nicæna.

LVIII. (a)Porrò non debent quæ officium Ecclesiæ & Pastorum spectant, ad privilegium infallibilitatis trahi; ut cùm Ecclesia dicitur esse *columna & stabilimentum veritatis* 1 Tim. III,15. & quod habetur Mal. II, 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam & Lex requiretur ex ore ipsius; nam Angelus Iehovæ exercituum est*; Mox enim comm. seq. additur, *At vos recessistis ab illa via, fecistis ut impingerent multi in Legem, corrupistis fœdus Leviticum, ait Iehova exercituum.* Nec Papæ vel Patribus Concilii alligare licet promissiones factas Electis, quà talibus, de Spiritu Sanctificatore & Conservatore in veritate, uti sequentia; *Hoc erit fœdus meum cum istis, ait Iehova; Spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Iehova, ex hoc tempore usque in sæculum* Esa. LIX, 21. *Ego deprecatus sum pro te ne deficiat fides tua* Luc. XXII, 32. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam* Matth. XVI, 18. quia nempe *Electi* totaliter & finaliter *seduci* nequeunt Matth. XXIV, 24. Nec etiam quæ Apostolos nominatim spectant, sunt temere extendenda, vel ad universalitatem fidelium, vel ad Pastores ordinarios; Ut quod illis dicitur, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* Matth. XXVIII, 20. Neque enim eodem modo & gradu adest ordinariis Pastoribus quo Apostolis, Canonis fidei conditoribus & fundatoribus Ecclesiæ: Item Ioh. XVI, 13. *Quùm venerit ille Spiritus veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem; & quæ ventura sunt renunciabit vobis*: Adeo ut ex immediata illa assistentia Spiritus Sancti, solis Apostolis in Concilio suo congregatis licuerit imperterritè hac uti formulâ, *Visum est Spiritui Sancto ac nobis* Act. XV, 28.

Mul-

a *Refutatis quæ pro illa objici solent.*

Multò minus absolutè intelligenda sunt, quæ conditionatè tantum dicuntur; ut Matth. x, 40. *Qui recipit vos, me recipit*, & Luc. x, 16. *Qui vos audit, me audit*; item Matth. XVIII, 17. *Quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus*; item Matth. XXIII, 2. 3. *In Cathedra Mosi sedent Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite*; cùm tamen ab eorum *fermento* cavere sibi debuerint pii; *Videte & cavete vobis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum*, quod dictum est non *de fermento panis*, *sed de fermento doctrinæ* Matth. XVI, 6. 12.

LIX. Nec ideo Ecclesia erit magis infallibilis quod sit audienda, juxta id quod modò citavimus ex Matth. XVIII, 17. cui succinit illud Pauli, *Obedite ductoribus vestris & obsecundate, excubant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri* Hebr. XIII. 17. (nempe quamdiu fermentum Pharisaicum non immiscent doctrinæ veritatis,) quam vel Judex quilibet ordinarius, cui itidem obediendum; *Vir ille qui commiserit superbè ut non auscultet Sacerdoti constanter ministranti ibi Iehovæ Deo tuo, aut Iudici, utique morietur vir ille & tolles malum ex Israële* Deut. XVII, 12. Vel quilibet Parentum, quibus religiosè & diligenter auscultandum ex Salomone, *Custodi, fili mi, præceptum patris tui, neque deserito doctrinam matris tuæ; alliga illa cordi tuo jugiter, annecte ea faucibus tuis* Proverb. VI, 20. 21. Anathemata quæ Concilia vibrant in hæreses quas damnant ex Scriptura, non magis arguunt eorum infallibilitatem, quam solemnes denuntiationes iræ divinæ in vitia quæ fiunt à singulis Pastoribus pro concione, eos ἀναμαρτήτυς demonstrant.

LX. (*a*) Attamen hactenus *Infallibilis* censenda est Dei Ecclesia, quatenus I. Habet normam illam, quam dixi, infallibilem omnis veritatis salutiferæ in Dei Verbo, curæ & custodiæ suæ consignatam. II. Semper, periculosissimis quoque temporibus & errore nimium publicè invalescente, etiam apud eos quorum officium fuisset errori resistere, remanent pii aliquot *juxta electionem gratiæ* Rom. XI, 5. qui depositum fidei, in fundamentalibus saltem, fideliter retinent ac custodiunt, & constantiam Josuæ imitantur, *Quod si malum videtur in oculis vestris colere Iehovam, eligite vobis hodie quem colatis, sive Deos quos coluerunt majores vestri qui habitabant trans flumen illud, sive Deos Emorræorum in quorum terra habitatis: Ego verò & familia mea colemus Iehovam* Jos. XXIV, 15.

LXI. (*b*) Sic quoque tertio loco, convenit Ecclesiæ *Perpetuitas Indefectibilitas*; non quidem sensu Pontificio, ut ea sit perpetuò conspicua, P. perpetuò illustris ac gloriosa; cùm sæpè contingat eam sic obscurari ac latere, ut ægrè admodum conspici possit; *Columba* est *degens in salebris petræ* & *in latibulo prærupto* Cant. II, 14. Sed quatenus nunquam factum & nunquam fiet, quod observandum contra Socinianos & Remonstrantes omnesque Apostasiæ Sanctorum propugnatores, ut nulla sit in terris Ecclesia Militans quæ fidem & charitatem non retineat. P. S. R. L. Nam perpetuum est futurum Christi Regnum; *Semel juravi per sanctitatem meam, Davidi non mentiar, semen ejus in seculum fore, & solium ejus ut Solem coram me, ut Luna stabile fore in seculum* Psal. LXXXIX, 36. 37. 38. *Temporibus Regum istorum suscitabit Deus cœli regnum quod in sæcula non destruetur, & regnum ipsum populo alieno non relinquetur, comminuturum & consumpturum omnia illa regna, ipsum autem staturum in sæcula* Dan. II, 44. *Regnabit in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis*. Luc. I, 33. Nec *portæ inferorum* contra illius Ecclesiam *prævalere* poterunt Matth. XVI, 18. *Solidum* enim *Dei fundamentum stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sunt sui* 2 Tim. II, 19.

LXII. (*c*) Quartò convenit Ecclesiæ *ut extra eam nulla sit salus*, ut nulla fuit extra Arcam Noæ quæ illam figurabat, nec possit Deum habere patrem, qui matrem Ecclesiam non habeat. Non quod necessariò quis debeat esse membrum Ecclesiæ Romanæ, ut nugantur Pontificii, aut P. cum altero aliquo visibili cœtu semper externam communionem colere; quia ipsi adversarii agnoscunt Catechumenos & Excommunicatos posse servari, cùm tamen nullius Ecclesiæ particularis membra sint; & multi servati sunt ab ævo, non tantum extra subjectionem, sed & extra Communionem Romæ; ut olim in Ecclesiis Asiaticis quas Victor à sua communione resecuerat propter quæstionem Paschatis, & in Ecclesiis Africanis quæ in Concilio Carthaginensi III. dicuntur deseruisse Romanam Communionem transmarinas appellationes prohibendo; & postea sæpè in Occidente cùm propter Antipaparum dissidia Ecclesiæ provinciales neutri voluerunt adhærere; Ut nihil dicam de tot Ecclesiis quæ adhuc

a Quousque Ecclesia Infallibilis? b 3. Perpetuitas & Indefectibilitas. c 4. Ut extra eam non sit salus.

hæc ſuperſunt in Aſia & in Africa, extra Communionem Romanam.

LXIII. Sed hoc axioma debet intelligi I. De Eccleſia Electorum. II. De interna communione cum Chriſto & Sanctis, ubicunque demum hi fuerint. III. De communione externa cum aliquo cœtu viſibili per auditionem Verbi & uſum Sacramentorum, quoties & quantum illius datur Facilitas & Facultas, nec iniquitate temporum aut hominum impeditur: Quam cautelam meritò adhibemus, cùm nondum impletum ſit quod exſtat Joh. x, 17. fore ſcilicet *unum gregem & unum paſtorem*, & Eph. IV, 13. *nos omnes perventuros in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum adultum, ad menſuram plenæ*
F. *ſtaturæ Chriſti*. Etſi non probemus ideo quod aſſerit Swenckfeldius Eccleſiam Dei nondum eſſe congregatam, ſed ita diſperſam hinc inde inter ſectas varias, ut nulla ſecta ſit Chriſtiano deſerenda ut Eccleſiæ adhæreat: juxta quem errorem nec Elias ſe ſolum debuiſſet reputare, nec fas fuiſſet Apoſtolis diſcipulos ſuos à Judæorum cœtibus ſegregare, uti Paulus Corinthi *ab illis diſcedens, ſeparavit diſcipulos, quotidie diſſerens in ſchola Tyranni cujuſdam* Act. XIX, 9.

LXIV. (*a*) Denique convenit Eccleſiæ *Authoritas* & *Poteſtas*, in qua circumſcribenda & explicanda varii Pontificiorum errores ſunt evitandi, cùm hoc prætextu tyrannidem illam inconſcientias & fidem ſtabiliant, à qua procul fuerunt Apoſtoli *Non quod dominemur veſtræ fidei, ſed quod adminiſtri ſumus veſtri gaudii* 2 Cor. 1, 24 (*b*) Certè Eccleſia ejus non eſt authoritatis ac poteſtatis, ut omnis Verbi Dei Authoritas, ſaltem *quoad nos*, ab illa pendeat; cùm è contrario omnis Eccleſiæ Authoritas ex Dei Verbo ſuſpendatur, & inde
P. quænā illa ſit cognoſcatur; O*ves* enim Chriſti ſunt quæ *vocem ejus audiunt* & eum *ſequuntur* Ioh. x, 27. Ipſaque Eccleſia ſuperſtruitur *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, exiſtente imo angulari lapide ipſo Chriſto* Eph. II, 20. Et cùm Eccleſia non ſit infallibilis, uti ſupra viſum, fides noſtra non poteſt reſolvi ultimò in authoritatem Eccleſiæ tanquam in medium infallibile veritatis proponendæ, vel in formale ſui objectum; quia tunc authoritas Eccleſiæ major eſſet authoritate Scripturæ; juxta illud tritiſſimum, *Propter quod unum quodque tale eſt, illud magis tale eſt*.

LXV. Teſtimonio quidem Eccleſiæ, tanquam inſtrumentali, miniſteriali & externo Motivo, ſuum ineſt pondus circa Scripturas; ſi præſertim intelligatur teſtimonium Eccleſiæ non præſentis, ſed veteris; quò maximè ſpectat πολυθρύλλητον dictum Auguſtini, non crediturі Euangelio, niſi motus fuiſſet authoritate Eccleſiæ: Sed tamen Authoritas Eccleſiæ non poteſt dici primum credibile, vel principium Divinum fidei, aut credendorum regula prima; cùm agatur de fide ipſius Eccleſiæ regulanda. Nec poteſt authoritas Verbi Divini & Canon Scripturæ ſuſpendi ex lubitu & judicio præſentis Eccleſiæ, aut illi tribui facultas αὐτοκρατορικῶς & infallibiliter Scripturam interpretandi, vel ex libris non Canonicis Canonicos faciendi; quia tunc Divina planè authoritas illi tribueretur, quod totidem verbis Pontificii vix auſint dicere.

LXVI. Neque ad Authoritatem Eccleſiæ rapi debent quæ ſunt propriè *Muneris* Eccleſiæ, ut fideliter cuſtodire ſacras Scripturas, & quos libros ſacros acceperit cuſtodiendos, quos non, ſincerè declarare. Non habet ille authoritatem in documenta & inſtrumenta publica, qui eorum cuſtodiæ præficitur, & ea ſicubi opus eſt repræſentare tenetur. Ab Eccleſia ſic accipimus libros ſacros, ut illi tamen nihil juris & authoritatis in eos competat; quemadmodum eos Chriſtiani à Judæis acceperunt, & quilibet privatus vel à ſuis parentibus, vel ab Eccleſia ea particulari, quandoque etiam heterodoxa, in qua vivit. Miniſterium interpretandi Scripturas, commiſſum eſt Eccleſiæ; ſed nec interpretationis donum ulli Sedi eſt ſpeciatim alligatum, cùm Spiritus Sanctus à quo eſt tale donum, ut *ventus, ſpiret quò vult* Joh. III, 8. & jus ſupremum interpretationis infallibilis ipſimet Spiritui Sancto in Scripturis loquenti debeatur; Unde Levitæ qui tempore Ezræ *docebant populum Legem, populo manente in ſtatione ſua, legebant librum illum*, ſcilicet *Legem Dei, explanatè, & exponendo ſenſum, dabant intelligentiam per Scripturam ipſam* Neh. VIII, 8. 9.

LXVII. (*c*) Eccleſiæ quoque non convenit facultas leges propriè dictas condendi, ut ſtatuunt Pontificii; cùm & deſtituatur facultate coactivâ, P.
quæ cum legiſlatoria propriè dicta debet conjungi, & illius Gubernatio per Paſtores ſit Miniſterialis non Autocratorica vel Architectonica, quæ ſoli Chriſto competit, ceu *unico* illi *Legiſlatori qui poteſt ſervare & perdere* Jac. IV, 12. Sunt

 enim

a 5. Authoritas & Poteſtas. *b* *Expenditur illa* κατ᾽ ἄρσιν. *I. Reſpectu Verbi Divini.* *c* d 2. *Reſpectu Legiſlationis.*

enim in se considerati meri mandatarii, qui nihil proprii juris habent; *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei* 1 Cor. IV, 1. Tantum abest ut par sit eorum authoritas in spiritualibus, quæ est Magistratus Civilis in temporalibus. Ut verò Constitutiones & Canones Ecclesiæ vim legum propriè dictarum obtineant in Rep. debent sanciri & promulgari à Magistratu pro suo Architectonico imperio, & quantum manu armatâ externus etiam homo cogi potest ad earum obsequium; Unde tot leges de rebus Ecclesiasticis & sacris in Codice utroque, Theodosii & Justiniani, atque Capitularibus Caroli Magni & Ludovici. Hinc fit quod Constitutiones Ecclesiasticæ circa ritus externos & εὐταξίαν, semoto scandali periculo, securè possint omitti citra scrupulum conscientiæ; at leges à Magistratu latæ ratione etiam *mandati*, non solum scandali vitandi, debent servari.

LXVIII. (*a*) Pœnam quoque propriè dictam Ecclesia non potest irrogare; cùm censuræ quælibet Ecclesiasticæ, non tam ad *vindictam*, quam ad *gignendam resipiscentiam* ordinentur, nec Ecclesiæ correptiones ad pœnas civiles, corporeas &
P. temporales, ut fit perperam in Papatu, ullo jure extendantur: Si quæ ejusmodi pœnæ externæ stringuntur in Blasphemos & Hæreticos, illæ non ab Ecclesia, quæ sistit in Excommunicatione, sed à Magistratu manant, qui hîc suo jure & judicio utitur: Nec præcedens Ecclesiæ judicium aliûs est momenti, quam medicorum de veneficio quod Magistratus postea punit; ne fingamus illum nihil aliud esse quam Inquisitionis carnificem, ut creditur ab adversariis: Quod verò spectat Ananiæ & Sapphiræ mortem repentinam, quâ ad increpationem Petri *exanimes conciderunt* Act. v, 5. 10. ea miraculis, quibus extra ordinem inclaruerunt Apostoli, non actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ, debet annumerari; Hoc mortis supplicium illis Petrus denunciavit & prædixit, propriè non inflixit.

LXIX. (*b*) Quid igitur? Potestas Ecclesiæ, quæ à Civili differt Objecto, Fine, Formâ, Modo judicandi & exsequendi, est ea quæ potestas *Clavium* dicitur vulgò, ex Matth. XVI, 19. *Tibi dabo claves regni cælorum*, quæ non soli Petro fue-
P. runt datæ, ut nugantur Pontificii, sed in persona Petri, unitatis significandæ gratiâ, ut Veteribus observatum, toti Collegio Apostolorum & omnium ætatum fidis Ecclesiæ Ministris: Unde fit quod Christus in aliis locis Scripturæ, in quibus de eadem potestate agit, omnes Apostolos compellet; *Amen dico vobis quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo* Matth. XVIII, 18. *Ego paciscor vobis prout pactus est mihi Pater meus regnum; ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël* Luc. XXII, 20. 30. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, si quorum retinueritis, retenta sunt* Joh. XX, 23. Et Claves hæ Ministris Ecclesiasticis competunt non tanquam Dominis, ut urbium claves supremis dominis offeruntur, & prout Christus dicitur *sanctus & verax ille qui habet clavem Davidis; qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit* Apoc. III, 7. sed tanquam dispensatoribus & œconomis, quomodo Scebnæ, qui præerat domui Regiæ prædicitur Eliakimum in suum locum esse substituendum, his verbis; *Erit autem die illâ ut vocem servum meum Eliakim filium Hilkiæ, & induens eum tunicâ tuâ, baltheoque tuo confirmans eum, dominationem tuam tradam in manum ejus, ut sit loco Patris habitatoribus Ierusalem & domui Iudæ; & imponam clavem domus Davidis humero ejus; eo aperiente nemo claudet, & claudente nemo aperiet* Esa. XXII, 20. 21. 22.

LXX. (*c*) Harum Clavium, toti quidem Ecclesiæ ad illius ædificationem destinatarum, propriè tamen à solis ejus Ministris tractandarum,
Pontificii perperam aliam Jurisdictionis faciunt, P.
aliam Ordinis, quarum illa sit propriè Episcopi, hæc cujuslibet Presbyteri; cùm inter Episcopum & Presbyterum in verbo laborantem, discrimen nullum sit; & Ordinatio legitima & addictio alicujus Ministri huic vel illi gregi, eam illi conferat jurisdictionem omnem Ecclesiasticam; tantum abest ut subjectis possint separari, Clavisque Jurisdictionis ei competere queat qui Ordinis non habet. Sed cum Clavium altera sit *Scientiæ* ex Luc. XI, 52. *Væ vobis legis interpretibus, quoniam sustulistis clavem cognitionis*, sive scientiæ, *ipsi non introistis & eos qui introibant prohibuistis*, altera verò *Regiminis*, earum potestas triplex statui debet, *Ministerii*, *Ordinis* & *Correptionis*.

LXXI. (*d*) Potestas *Ministerii*, consistit in Verbi Dei annunciatione & Sacramentorum administratione; ad quam nemo se debet ingerere nisi à Deo auctoratus & vocatus fuerit; *Profecti docete omnes gentes*,

a 3. *Respectu Pœnitionis.* b κατὰ θέσιν, *quomodo in* Clavibus *sita est.* c *Claves duæ, Earum* Potestas *triplex*; d 1. Ministerii.

nes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti; docentes eos servare quæ mandavi vobis Matth. XXVIII, 19. 20. *Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint?* Rom. X, 15. *Neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo sicut & Aaron* Hebr. V, 4. (*a*) Potestas *Ordinis* cujus regula constans est Dei Verbum, est iterum duplex, quatenus versatur vel circa Doctrinam vel circa εὐταξίαν: Circa Doctrinam, Ecclesia non dat authoritatem Dei Verbo quam non habeat, non facit ex non Canonicis Canonicos libros, non novos cudit fidei articulos, ut P. somniant Pontificii, sed veritatem sibi concreditam ex Scripturis propugnat, eamque vindicat ab hæreticorum strophis, ac formulis consensus ad Scripturam exactis, & inter quas sui continenantur, circumvallare studet.

LXXII. (*b*) Circa εὐταξίαν in rebus naturâ suâ externis ac adiaphoris, ea statuit quæ maximè ædificationi inservitura judicat; non quò fiant, ut P. vitiosè in Papatu, pars essentialis cultus Divini, cujus norma ex solo Dei Verbo petenda; sed ut sint illius adminicula & instrumenta, convenientia personis, temporibus & locis; utpote quæ in sola circumstantiarum externarum determinatione versentur, & possint variè mutari prout exigit ædificatio publica.

LXXIII. (*c*) Utraque hæc Potestas exercetur in Ecclesiis particularibus ab earum Pastoribus & Presbyterio; in pluribus verò Ecclesiis ejusdem vel Provinciæ vel Nationis aut Regni, ab earum Synodis & Conciliis, aut Provincialibus, aut Nationalibus, aut etiam plurium simul Nationum, qualia olim fuêre quæ *Oecumenica*, vel Universalia dicebantur, quod ex toto orbe, non absolutè, sed Romani imperii, convenirent. Ejusmodi conventuum sic negavimus suprà infallibilitatem, ut eorum nihilominus & usum & necessitatem ex Dei Verbo agnoscamus, & meritò contra hodiernos ἀτάκτους & Independentes propugnemus. F. Præluxerunt enim nobis suo exemplo Apostoli, cùm orto dissidio de legalibus servandis, vel non, statim Concilium indixêre, & *congregati sunt Apostoli & Presbyteri, ut dispicerent hac de re* Act. XV, 6. Quod si non semper fœlix est exitus talium conventuum, id fit ex accidenti corruptionis humanæ, quod rei per se legitimæ & perutili obesse non debet.

LXXIV. (*d*) Nec quicquam verò Pontifex Romanus sibi attribuit jus convocationis & præsidentiæ in Conciliis Generalibus; cùm vetera fuerint coacta authoritate Principum Christianorum, qui etiam jus sibi tribuebant non solum Moderatorem Politicum constituendi, sed insuper ipsum Ecclesiasticum Præsidem deligendi; qui in quatuor illis famosis, Nicæno, contra Arium Constantini M. tempore, Constantinopolitano, contra Macedonium Pneumatomachum sub Theodosio seniore, Ephesino, adversus Eutychem imperante juniore Theodosio, Chalcedonensi, sub Martiano, præcipuè adversus Nestorium, non fuit Episcopus Romanus: Præfuerunt enim Nicæno Hosius Cordudensis, Constantinopolitano Nectarius Constantinopolitanus, Ephesino Cyrillus Alexandrinus, Chalcedonensi Patricii & Comites Martiani, quamvis sub initium Dioscori authoritas ibidem magna fuerit. Nec dubium quin si Magistratus sit fidelis, indictio & denuntiatio Synodi ab ipso proficisci debeat. P.

LXXV. (*e*) Neque solis Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus aliisque infulatis, partim ex jure partim ex privilegio, ut placet Pontificiis, P. jus suffragii decisivi est in Conciliis, sed omnibus Theologiæ Professoribus (maximè ubi de dogmatis agitur, etiam ex Canonibus Ecclesiasticis) cæterisque Ecclesiæ Pastoribus & Ministris: Imò cùm de doctrina disceptatur etiam aliis quibuslibet literatis & piis, quos Ecclesiis particularibus delegare suo nomine visum fuerit; Quibus tunc, ut Senioribus Presbyteriorum, potestas judiciaria, quæ radicaliter inest Doctoribus ac Pastoribus ex Clavibus quas respectivè acceperunt, eò facilius potest quadantenus ad hunc actum, qui minimum habet jurisdictionis propriè dictæ, communicari, quò illius exercendæ capaciores sunt ex peritia sacrarum literarum, & prout homo *spiritualis dijudicat omnia* 1 Cor. II, 15. (*f*) Nam hæ debent illic in normam judicii ferendi; unde etiam in veteribus Conciliis superiorem locum obtinebant, nec deprimebantur, uti postea factum in Conciliabulis Papisticis ex P. Cæremoniali Romano, ad pedes Pontificis.

LXXVI. (*g*) Quare nec authoritas Conciliorum ex confirmatione vel approbatione Papæ dependet, & subsidit longè infra authoritatem P. Scripturæ, tum in se, tum quoad nos; nec ulterius

a *Ordinis. Circa Doctrinam.* b *Eutaxiam.* c *Residet hæc Potestas Ordinis, in* Presbyterio & *Synodis.* d *Eorum convocatio & præsidentia.* e *Membra.* f *Norma.* g *Confirmatio & Authoritas.*

teriùs eorum decisiones obligant in Conscientia, quam prout constabit eas conformes esse Dei verbo. Judicium enim illis competit in rebus fidei, non simpliciter authoritativum & infallibile; sed tantum quoad ordinem externum communionis Ecclesiasticæ & formulas consensus *decisivum* suo modo, & in quantum *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur* 1 Cor. XIV, 32. quic-
R. quid hic ogganniant Remonstrantes; quoad ipsam fidem & conscientiam, nonnisi *discretivum*, & quod magni omnibus piis debet esse præjudicii ad probabilitatem, non tamen absoluti judicii & normæ ad necessitatem; cùm sæpè Concilia etiam plenaria priora à posterioribus corrigantur.

LXXVII. Etenim Ministri Ecclesiæ in Concilio congregati non tam referunt Judices ad Senatum evocatos, quam doctores prudentes ac peritos ad consilium coactos; & quæ est Medicorum consultatio circa valetudinem corporis, talis est Synodorum constitutio in rebus ad animam spectantibus: Ideo quò frequentiores illæ fuerint, eò majoris censentur authoritatis; prout plus deferimus judicio publico integræ alicujus Facultatis Medicæ in celebri aliqua Universitate, quam privato unius aut alterius Medici minoris nominis & celebritatis.

LXXVIII. Hinc, cùm judices terreni sententiarum suarum motiva reticeant, legitimæ Synodi semper quibus potuerunt Scripturæ firmamentis sua decreta fulciverunt; quod satis haberent persuasum illa non obligare conscientias quà judicia Conciliorum, sed quà Dei Verbo conformia. Quo respectu sunt adhuc revisioni obnoxia, multo magis quam ipsæ Paulinæ conciones, quas Berœenses *quotidie examinabant ad Scripturas an hæc ita se haberent* Act. XVII, 11. Quin prout sua Synodis inest authoritas respectu Ecclesiarum ab illis dependentium, præsertim cùm res illic tractantur non ex affectibus & consiliis humanis, uti factum in Conciliis ultimis Romanæ Communionis, ac nominatim Tri-
P. denti, sed ex regula aurea Veritatis, Prudentiæ & Charitatis Christianæ, sic nullum est Synodi
P. membrum, ne quidem Papâ aut præside excepto, quod illius censuræ & judicio non subsit.

LXXIX. (*a*) Potestas deniquè *Correptionis* & censuræ morum, quam alii Disciplinæ Ecclesiasticæ vocant, ac duplici clave constat, aperiente & solvente, claudente & ligante, uti patet ex Matth. XVI, 19. obtinuit ab ævo in Ecclesia tum V. tum N. T. Sic Deus *emisit*, imò *expulit*, primum *hominem* post peccatum *ex horto Hedenis* Gen. III, 23. 24. Sic Cain ipsi dicebat, *En expellis me hodie à superficie istius terræ, ut à facie tua abscondam me* Gen. IV, 14. Ita Sacerdotis erat *discernere inter sacrum & profanum, atque inter mundum & immundum* Lev X, 10. & immundos atque pollutos ab aliorum communione removere, & purgatos denuò recipere: Cujus nobile extat exemplum in Maria sorore Mosis, de qua edixit *Iehova Mosi, Si pater ejus sputum inspuisset in faciem ejus, annon rubore suffusa esset septem dies? secluditor septem dies extra castra, & postmodum aggregabitur* Num. XII, 14. necnon in Ozia, leprâ perculso quùm adolere voluisset, quem ideo *Azarias sacerdos primarius cum omnibus reliquis sacerdotibus, quod ecce leprosus esset in fronte sua, deturbaverunt inde, etiamque ipse impellebatur ad exeundum, quia plagâ afficiebat eum Iehova* 2 Chron. XXVI, 19. 20. Eò quoque spectat sub N. F. (non ad solum Ministerium publicum, in quo tamen primò & potissimum utraque clavis claudens & aperiens exercetur,) dictum Christi ad Petrum, *Dabo tibi claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra ligatum erit in cælis, & quicquid solveris in terra erit solutum in cælis* Matth. XVI, 19. item ad omnes Apostolos, *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo* Matth. XVIII, 18. & Joh. XX, 23. *Si quorum remiseritis peccata remittuntur eis, si quorum retinueritis retenta sunt.* Huc etiam facit praxis Apostolica: Nam Paulus de incestuoso constituerat in hæc verba; *Vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi, ejusmodi homo tradatur Satanæ ad exitium carnis, ut spiritus salvus sit in die illo Domini Iesu* 1 Cor. V, 4. 5. & ipse *Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, ut castigati discerent non blasphemare* 1 Tim. 1, 20. Quin hanc præscribebat regulam generalem suis Thessalonicensibus, *Quod si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut erubescat; neque tamen ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem* 2 Thess. III, 14. 15. Concinit & Johannes, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nec recipite eum domum, nec Ave ei dicite; qui enim dicit ei Ave, communicat ejus operibus malis* 2 Joh. vers. 10. 11. Quapropter hanc Ecclesiæ collatam potestatem non ad destructionem,

fed ad ædificationem, nec Thomas Eraſtus &
F. qui eum hoc tempore ſequuntur negare, nec
R. Arminiani ſe in ſuo ſchiſmate obfirmaturi ele-
P. vare, nec Pontificii in ſceptrum dominationis terrenæ & temporalis permutare, debuerunt.

LXXX. (*a*)Clavi claudente Hæretici pertinaces, pacis Eccleſiæ conturbatores, ſcandaloſi, publici & incorrigibiles peccatores, poſt unam & alteram admonitionem, ſuſpenduntur ab uſu Sacramentorum & excommunicantur: Aperiente & ſolvente reſipiſcentes & ex animo dolentes de ſuis peccatis, poſt idoneam ſcandali dati reparationem, quæ Canonica *Satisfactio* dicitur, ad communionem iterum Eccleſiæ recipiuntur. Qui propter illam poteſtatem aliquid ſibi arro-
P. gant, de Phariſæorum ſupercilio, ut Pontificii,
P ſcire debuiſſent eam non eſſe αὐτοκρατορικὴν, ſed ſimpliciter Miniſterialem: Nec etiam inde conficitur auricularis confeſſionis neceſſitas, cùm, juxta ipſos Canoniſtas, *de occultis non judicet Eccleſia.*

P. LXXXI. (*b*)Illius poteſtatis ſubjectum recipiens, non ſunt ſoli Epiſcopi, ut Hierarchici pertendunt falſò, ſed omnes omninò Eccleſiæ Miniſtri; Sic tamen ut non veniat exercenda à ſingulis ſeorſim, ſed conjunctim à toto Synedrio, ceu *increpatio à pluribus* 2 Corinth. II, 6. Quod etiam *Eccleſiæ* nomine Chriſtus intellexit Matth. XVIII, 17. *Dic Eccleſiæ; quod ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Adeo ut Chriſti inſtituto repugnent qui cum Saravia, Eraſto & aliis, Synedriorum
F. Eccleſiaſticorum uſum ac authoritatem legitimam, hìc detrectant agnoſcere.

LXXXII. (*c*) Objectum ejus ſunt omnia & ſola Eccleſiæ membra cujuſcunque demum ſint authoritatis & dignitatis; adeo ut nulla ſit Principum aut Magiſtratuum dignitas quæ illos eximat cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ in nomine Chriſti adminiſtratur: Sed non poteſt exerceri ut fit in Papatu & apud Papaturientes, I. In ranas,
P. mures, aliaque inſecta & bruta. II. In externos & eos qui ſeceſſerunt à Communione Eccleſiæ; *Quid enim mea intereſt de extraneis judicare? nonne de iis qui intus ſunt vos judicatis? de extraneis verò Deus judicat; Tollite igitur improbum ex vobis ipſis* 1 Cor. V, 12. 13. III. Indiſtinctè & univerſim per generale interdictum in aliquam Remp. ſimul, propter Regis aut Principum erratum; cùm tamen nolit Deus *perimi juſtum cum injuſto* Gen. XVIII, 23. IV. In mortuos, licet *quieſcant à laboribus ſuis* Apoc. XIV, 13. & *qui mortuus eſt liberatus ſit à peccato* Rom. VI, 7. V. In abſentes, inauditos & ignotos, qui *ipſo facto* per excommunicationem *juris*, ſive *latæ ſententiæ*, ipſiſmet inſciis, quod ſummæ eſt tyrannidis, excommunicari cenſeantur. Denuntiatio quæ fit in Eccleſiis Reformatis cùm ſacra Cœna adminiſtratur, non eſt *Perſonalis* excommunicatio, ſed expreſſio tantum criminum publicorum propter quæ, qui ſunt ſibi illorum conſcii, nec ſeriâ pœnitentiâ ducuntur, debeant à ſacra Cœna abſtinere, juxta Chriſti & Pauli dictum; Illius Matth. VII, 6. *Ne date quod ſanctum eſt canibus, nec projicite margaritas veſtras coram porcis;* Hujus 1 Cor. XI, 28. *Exploret quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat; nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.*

LXXXIII. (*d*)Cùm autem finis iſtius Diſciplinæ ſit tum ædificatio Eccleſiæ, tum ſalus illius in quem nominatim exercetur, I. Levi de cauſa ſtringendus non eſt hic gladius ſpiritualis, ut obtinet paſſim inter Anabaptiſtas, & omnia priùs A.
ſunt tentanda. II. Debet ἐπιτίμησις & νουθεσία præceſſiſſe. III. Si commune quoddam ἀτλήμα & vitium totum gregem occuparit, debet patienter & gementer ferri quod corrigi non poteſt. (*e*) IV. Nonniſi gradatim ad extrema deveniendum, hoc eſt à minori excommunicatione ad majorem; prout Judæi olim à *Niddui* ad *Cherem*, & inde ad *Maranatha* vel *Samatha* progrediebantur. Minor excommunicatio fit ut plurimùm privatim, per ſolam Abſtentionem à ſacra Cœna; & reſpondet τῷ *Niddui* ſive Separationi Judaicæ: Major, publicè hominem pertinacem & impœnitentem ejicit penitùs ex Eccleſia, ut nulli pietatis exercitio cum reliquis fidelibus ipſi intereſſe liceat; & imitatur τὸ *Cherem* ſive interdictum vel anathema Judæorum; qui tandem, poſtquam poteſtate gladii exciderunt, dirum illud *Maranatha* carmen intonabant in eos, qui aliàs Lege Moſaicâ capitaliter fuiſſent puniendi, ipſiuſmet Domini adventum in ſontis caput implorantes.

LXXXIV. Excommunicatus publicè non ſolum excluditur à Sacramentorum communicatione & auditione Verbi Divini, ut ſit in corpore Eccleſiæ tanquam membrum atrophiatum, ſed etiam ab omni intima familiarique cum reliquis fideli-

fidelibus conversatione, quomodo Judæi Ethni-
corum & Publicanorum refugiebant commer-
cium; *Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*
Matth. XVIII, 17. *Scripsi vobis epistolâ ne com-
misceamini cum scortatoribus: At non omninò cum
scortatoribus mundi hujus, aut avaris, aut rapaci-
bus, aut idololatris; alioquin debetis scilicet è
mundo exire: Nunc autem scripsi vobis ne commis-
ceamini; idest si quis cùm frater nominetur, sit
scortator, aut alieni invidus, aut idololatra, aut
conviciator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmo-
di inquam ne edatis quidem* 1 Cor. V, 9. 10. 11.
& *ne commercium habete cum eo, ut erubescat*
2 Thess. III, 14. Quod non debet extendi ad
officia charitativa & moralia simpliciter, *Ne* ta-
men *ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem*
ibid. aut aliàs ex nostra vocatione in statu œcono-
mico aut politico debita ac necessaria; prout ab-
P. surdè statuunt Pontificii, Principi excommuni-
cato subditos non amplius obedire teneri; &
A. Anabaptistæ, non debere conjugem excommu-
nicato conjugi cohabitare, aut reddere debitum
conjugale; sed tantum intelligi quoad illas con-
versationis partes, quæ conniventiam vel appro-
bationem facti viderentur inferre; Unde illud
Canonistarum sobriè est intelligendum, *Os, ora-
re, vale, communio, mensa negatur*, utpote quod
exceptiones suas admittat, hoc altero dicterio
expressas, *Utile, Lex, Humile, Rei ignorantia,
Necesse.*

LXXXV.(*a*)Effectus Excommunicationis le-
gitimæ, & quæ facta fuerit *Clave non errante*
(vitiosa enim, qualis Judæorum contra discipu-
J. los Christi quos ἀποσυναγώγους faciebant Joh.
P. IX, 22. XVI, 2. & Papanorum contra Ortho-
doxos, ceu brutum fulmen securè debet negligi,
Utut maledicant ipsi, tu Domine *benedices* Psal.
CIX, 28.) eo magis est tremendus, quod Deus ha-
bet ratum Ecclesiæ suæ judicium, uti liquet ex an-
tè citatis locis Matth. XVIII, 18. Joh. XX, 23. imò
à Christo & Deo separatus suo crimine & suâ con-
tumaciâ tunc verè declaratur; cùm Ecclesiæ sen-
tentia sit propriè promulgatio sententiæ Divinæ
jam in talem latæ; *Ne errate, neque scortatores,
neque idololatræ, neque molles, neque qui concum-
bunt cum masculis, neque fures, neque avari, ne-
que ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces,
regni Dei hæreditatem possidebunt* 1 Cor. VI, 9. 10.
Hinc *Satanæ traditus* 1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20.
& projectus *in tenebras exteriores* Matt. XXII, 13.
& regno Dei exclusus, excommunicatus cense-
tur, quatenus quoad præsentem statum, & do-
nec resipuerit, & respectu intrinseci meriti cul-
pæ suæ, resectus est ex Christi corpore, & reve-
ra tunc destitutus eâ consolatione & pace con-
scientiæ quæ persuasionem & sensum commu-
nionis sanctorum consequitur. Restituitur au
tem excommunicatus resipiscens, suamque resi-
piscentiam satis superque comprobans Ecclesiæ:
adeo ut ridiculè velint Pontificii, posse vel invi- P.
tum, vel etiam mortuum, solvi à vinculo Ex-
communicationis quem ante incurrerat.

LXXXVI. (*b*)Sistit autem omnis correptio
Ecclesiæ in Excommunicatione, ac cœterùm
Deo commendat excommunicati animam & sa-
lutem: tantum abest ut vel *animi voto*, vel *sen-
tentiâ latâ*, pœnam damnationis æternæ ei velit
infligere, (contenta illius terrore eum ad me-
liorem frugem, si fieri possit, revocare;) aut
pœnæ ulteriori pecuniariæ, temporali, corpora-
li-ve illum subjicere. Excommunicatum enim P.
infamen fieri inter homines & in foro externo,
omnis Jurisdictionis & Magistratus incapacem,
& quem inpunè quilibet occidere, aut rerum
suarum dominio & proprietate exuere possit,
sunt axiomata Antichristianæ Tyrannidis, ex
quibus & rebelliones ac proditiones subditorum
contra suos Principes ac Dominos excitantur, &
cultri in Reges à Curia Romana excommunica-
tos vel *à jure* & *ipso facto*, vel *ab homine*, exacuun-
tur. Quod si quid durius in jam excommunica-
tos statui debeat, id totum à Magistratu non ab
Ecclesia est exspectandum; in quo & honori Ec-
clesiæ, & tranquillitati publicæ, oportet eum
prospicere.

LXXXVII.(*c*)Ad Disciplinam tandem Ec-
clesiæ pertinent Canones Ecclesiastici, quibus
speciatim ipsi Ecclesiæ Ministri, ut aliis exemplo
præluceant, & arctiùs in suo *Hoc age* continean-
tur, I. A multis aliàs per se non absolutè illici-
tis, cujusmodi sunt venatio, lusus, mercatura,
ussura, forensium negotiorum tractatio &c. avo-
cantur; quæ tamen regulæ pro temporum & per-
sonarum conditione non semper eædem sunt
aut eodem modo obstringunt. II. In multis in
quibus leniùs agitur cum privatis Ecclesiæ mem-
bris, rigidiùs habentur, ex dicto Christi Matth.
V, 13. *Vos estis sal terræ: quod si sal infatuatus
fuerit, quos alietur?] ad nihil valet amplius, nisi ut
abjiciatur foras & conculcetur à quibusvis.* III

Varii

a *& Effectus.* b *Correptio Ecclesiastica non procedit ultra excommunicationem.* c *Eò spectant tandem* Canones *Ecclesiastici.*

Variis limitibus munera ipsorum quoad eorum exercitium circumscribuntur, quos si transilierint pœnas incurrunt Canonicas; inter quas summæ sunt vel *Suspensio* ad tempus, vel absoluta *Depositio*, quam olim sequebatur relegatio ad communionem Laicam, vel etiam quandoque, si gravius delictum foret, Excommunicatio; quod pariter aliquando in nostris obtinet Ecclesiis, si crimen tetrius & Scandalum grandius fuerit.

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS; De ECCLESIÆ CONTRARIIS & Hostibus.



Cclesiæ (*a*) *Contrariis*, de quibus nunc dicendum, annumerari possunt in genere quæcunque pugnant cum sincera professione fidei, & veritatis illius ad salutem necessariæ, quæ nobis in Dei Verbo revelata est. Sed ea in specie ad tria capita possunt revocari. Nam quædam sunt eorum qui in ipsa vivunt Ecclesia; quædam eorum, qui sunt adhuc extra Ecclesiam; & quædam eorum, qui ab Ecclesia defecerunt.

II. (*b*) Quoad eos qui in Ecclesia sunt, saltem nomine & professione tenus, aliquot ex illis non uno modo legitimorum membrorum Ecclesiæ officio & Sanctorum Communioni adversantur. (*c*) Quidam enim sunt *nec fervidi, nec frigidi, sed tepidi* Apoc. III, 17. & *claudicantes in utrumque latus*, sive *in duabus cogitationibus, inter Iehovam & Bahalem* 2 Reg. XVIII, 21. qui specioso prætextu pacis & concordiæ indifferentiam fovent, & parati sunt se omnibus accommodare cum dispendio veritatis, ac nescio quam miscellam superstitionum non solum admittere, sed & propugnare; parum memores eorum quæ dicit Scriptura 2 Cor. II, 17. *Non enim ut plerique cauponamur sermonem Dei, sed ex sinceritate, ut ex Deo, in conspectu Dei de Christo loquimur*, & 2 Cor. VI, 14. 15. 16. 17 *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus. Quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? & quæ communio lucis cum tenebris? & quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? & quæ consensio templi Dei cum simulachris? Quapropter exite ex medio eorum & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite; tum ego excipiam vos.*

III. (*d*) Alii sunt vel *Hypocritæ*, qui larvâ & *formâ pietatis* assumptâ, omnem *ejus vim abnegant* 2 Tim. III, 5. vel apertè *Scelesti, Irrisores & profani*, securi, quod vitâ suâ inordinatâ produnt, omnis Religionis & Numinis; vel in occulto *Hæretici* aut *infideles* noxios fovent errores, non ausi tamen propter varios respectus eos palam profiteri: Tales verò non magis ad Ecclesiam pertinent, ut pote *falsi fratres*, quam ad castra proditores vel exploratores qui in illis versantur; Ut ridiculi sint Pontificii, dum tales ex sola professione externa & Sacramentorum usurpatione, genuinis Ecclesiæ membris annumerant: cùm hîc expendi debeat, non quid videantur, sed quid sint; *Si dixerimus nos communionem habere cum eo & in tenebris ambulamus; mentimur, nec sincerè agimus* 1 Joh. 1, 6. *Non enim qui est in propatulo Iudæus, Iudæus est, nec ea quæ est in propatulo circumcisio, idest in carne, circumcisio est, sed qui in occulto Iudæus est & circumcisio cordis, idest in spiritu non litera; cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo* Rom. 11, 28. 29. *Multi*, inquit Christus, *dicent mihi die illo, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam novi vos; discedite à me qui operam datis transgressioni legis* Matth. VII, 22. 23.

IV. (*e*) Quoad eos qui sunt adhuc extra Ecclesiam sive *absolutè*, sive *comparatè*, consideratam, h. e. sive Ecclesiam Christianam in genere, sive Ec-

a CONTRARIA ECCLESIÆ *sunt in triplici differentia.* *b* I. Ab iis qui in Ecclesia sunt *c* Ut 1 Tepidi. *d* 2 Hypocritæ & Profani, ac occulti Hæretici. *e* II. Ab iis qui sunt adhuc extra Ecclesiam, *f* Ut 1. Pseudo Nicodemitæ.

Eccleſiam Orthodoxam & puram, ſunt qui deficiunt in Confeſſione tantum fidei, ſunt qui in ipſa fide. Priores ſunt Pſeudo-Nicodemitæ, qui in evidentia loca Scripturæ peccant; *Credidi* enim, inquit David, & *ideo loquutus ſum* Pſal. CXVI, 10. Et Paulus, *Non me pudet Euangelii Chriſti, potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem cuivis credenti,* & viceverſâ *patet ira Dei è cœlo adverſus omnem injuſtitiam & impietatem hominum, ut qui veritatem injuſtè detineant* Rom. X, 16. I, 18. *Nam corde creditur ad juſtitiam, fit autem ore profeſſio ad ſalutem* Rom. X, 10. Quare notantur meritò illi è primoribus qui credentes in Chriſtum, *propter Phariſæos hoc non profitebantur, ne Synagogâ moverentur,* ceu *qui dilexerunt gloriam hominum potius quam gloriam Dei* Joh. XII, 42. 43. Et ſtare debet hæc regula aurea inconcuſſa, *Empti eſtis pretio; glorificate igitur Deum in corpore veſtro & in ſpiritu veſtro qui Dei ſunt* 1 Corinth. VI, 20. Quinetiam iſti præpoſterâ ſuâ prudentiâ & intempeſtivâ cunctatione, Martyres Chriſti temeritatis inſimulant, & ea fovent axiomata quibus ſi detur locus, omnes cœtus Eccleſiaſtici ceſſare debebunt, contra Pauli monitum, *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt quibuſdam, ſed adhortantes alii alios, idque eo magis quod videtis illum diem appropinquare* Hebr. X, 25.

V. Nicodemi timiditas, dum *venit ad Ieſum nocte* Joh. III, 2. non poteſt trahi in exemplum, cùm legibus ſit vivendum non, exemplis; & eam tandem contemptis omnibus periculis generoſè ſuperarit, cùm ſe adjunxit Joſepho Arimathæenſi ad Domini ſepulturam Johan. XIX, 38. 39. Naaman Syrus dicens quod cum Domino ſuo ædeis Rimmonis ingrediente, *ipſe ſe incurvaverit in domo Rimmonis,* quod rex *niteretur manu* ſuâ, & optans ut *hoc incurvare ſuum in æde Rimmonis condonet Iehova ſervo* ſuo 2 Reg. V, 18. non petit facultatem procumbendi in poſterum coram Idolo; ſed quod antea fecerat, licet non tam ex Idoli conſcientia quam ex muneris ratione, utcunque excuſari & ſibi condonari rogat; unde ei dictum ab Elizæo, quaſi hunc ſcrupulum ei demente, comm. 19. *Abi cum pace.* Sanè fidelis non ſemper & ubique tenetur ad actus confeſſionis *poſitivos*; ac heroici eorum motus, qui etiam non poſtulati ſuæ fidei videntur ultrò ad Martyrium ſe obtuliſſe, admirandi ſunt potiùs quam imitandi; Sed nunquam fas erit homini pio actus tacere confeſſioni fidei contrarios, aut ejus *negativos*, & idolorum cultum ullo modo profiteri, quicquid hîc olim delirarint Priſcillianiſtæ: *Quiſquis agnoſcet me coram hominibus, agnoſcam & ego eum coram Patre meo qui eſt in cœlis; Quiſquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui eſt in cœlis* Matth. X, 32. 33. Luc. IX, 26.

VI. (*a*) Poſteriores, nempe qui extra Eccleſiam abſolutè conſideratam in ipſa fide deficiunt, *infideles* vulgò cenſentur; Qui iterum tales ſunt vel infidelitate *negativâ*, vel *privativâ*, quæ ſuo quodam ſenſu etiam *poſitiva* dici poſſet. Negativè tales ſunt illi qui invincibiliter ignorant Myſteria fidei, nihilque unquam de Euangelio audiverunt vel audire potuerunt. Hæc infidelitas non tam culpæ habet rationem, *Si non veniſſem & loquutus eſſem eis, peccatum non haberent* Johan. XV, 22. quam pœnæ communis illius peccati quod omnes invaſit; cùm Deus nemini teneatur lumen Euangelii largiri; nam *quis prior dedit ei & reddetur illi?* Rom. XI, 35. Adeoque iſti infideles non ex Euangelio, ſed ex Lege, veniunt judicandi, juxta regulam generalem Pauli, *Quicunque ſine Lege peccaverunt ſine Lege quoque peribunt, & quicunque in Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur* Rom. II, 12. Nec eſt illis ſua incredulitas cauſa meritoria & poſitiva damnationis, ſed tantum cauſa deficiens & negativa non ſalvationis, quia ſi credidiſſent ſervati fuiſſent; *Qui credit in eum non condemnatur, qui verò non credit jam condemnatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei,* atque ſic *ira Dei manet ſuper eum* Joh. III, 18. 36

VII. (*b*) Infideles *privativè* (contrariam vel etiam poſitivam infidelitatem alii vocant) ſunt illi qui aliquid audiverunt de fide, ſed eam tamen contemnunt & reſpuunt: Nec dubium quin his ſua incredulitas olim imputanda veniat ad condemnationem; *Quandoquidem invito & renuitis, extendo manum meam & nemo advertit, ſed abſtrahitis vos ab omni conſilio meo, & correctioni meæ non acquieſcitis, ego quoque in calamitate veſtra ridebo, ſubſannabo cùm advenerit id quod expaveſcitis* Proverb. I, 34. 25. 26. Infideles ſunt priori modo plerique ex Ethnicis & Paganis, ad quos nondum pervenit lux Euangelii, aut ſaltem non ſufficienter ut fiant eo reſpectu ἀναπολόγητοι: & quamvis idem ſtatui poſſit de multis è Judæis & Mahumetanis extra omnem converſationem Chriſtianorum nunc viventibus, tamen Judæos

a 2. Infideles; Negativè. b Privativè.

dæos & Mahumetanos malim infidelibus privativis annumerare, quod nomen Jesu Christi non sit ipsis simpliciter ignotum, & ea habeant adminicula quibus possent in ulteriorem notitiam devenire; ut *latæ culpæ* sua incredulitate ad minimum rei sint.

VIII. (*a*) Infidelium omni ope procuranda est conversio, sed legitimis mediis; nec enim ad fidem compelli debent, sed adduci; Ut verò iis, quia sunt infideles, liceat bellum inferre, aut eorum bona inter Christianos Principes partiri, ut dicitur Alexander VI. Papa fecisse Indias inter Reges Castilliæ & Lusitaniæ, aut eos propter infidelitatem mulctare omni dominio in Christianos, uti plerisque Papistis placet, neutiquam probare possumus; tum quia prohibet Scriptura, hoc generali axiomate, *Quicunque sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, ne Dei nomen & doctrina blasphemetur* 1 Tim. VI, 1. quibus sanè verbis asseritur infidelium legitimum dominium; tum quia licet respectu Dei & propter conscientiam fide non purgatam sint injusti possessores rerum suarum in foro poli, tamen respectu societatis humanæ & in foro soli integrum suum jus illis debet remanere: Dispar est Cananæorum ratio, in quos Deus specialissimo mandato Israelitas immisit.

IX. (*b*) Quoad eos qui ab Ecclesia defecerunt & ejus communionem deseruerunt, illi sunt in multiplici differentia; (*c*) Quidam enim sunt *Schismatici*, quidam *Hæretici*, quidam *Apostatæ*; quæ tria gradu & gravitate differunt. *Schismatici* non sunt, ut supponunt Pontificii, qui Papæ obedientiam & jurisdictionem deserunt; cùm illi quà Ecclesiæ capiti visibili, uti falsò se fingit, nulla debeatur obedientia, jurisdictio nulla competat, & Schismate peccetur in unitatem Christianam, non in obedientiam merè Canonicam; Sed qui temerè vel injustè ab aliis, qui sui sunt vel fratres vel Pastores, secedunt in Religionis negotio, & cum illis detrectant communicare. Eo crimine se implicuerunt olim Chore, Dathan & Abiram, qui *insurgentes* & *congregantes se adversus Mosem & Aaronem, dixerunt eis, Satis esto vobis; nam totus hic cœtus, hi omnes sunt sancti, & inter eos est Iehova; quare ergo essetis vos super congregationem Iehovæ?* Num. XVI, 2. 3. Jeroboam item cum decem tribubus, quibus ne *ascenderent ad parandum sacrificia in domum Iehovæ Ierosolymas* proposuit *duos vitulos aureos* in quibus deinceps Jehovam colerent & adorarent 1 Reg. XII, 27. 28. Onias quoque & Manasses alia templa ædificantes, ille in Ægypto, hic in Garizitano monte; Novatiani similiter & Donatistæ, &c

X. (*d*) Quælibet secessio in rebus Religionis non est vitiosa, & sæpè non expedit tantum, sed oportet omninò secedere ab aliis, non tantum *negativè*, habendo cœtus ab illis separatos, si docuerint aliud Euangelium & fidei fundamenta convulserint: Hinc Apoc. II, 6. laudantur Ephesii quod odissent Nicolaitas; *Hoc habes quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*; & è contrario ibid. 15. 16. Pergameni reprehenduntur quod eos tolerarent; *Habes etiam tu qui teneant doctrinam Nicolaitarum, quod odi, Resipisce, sin minus veniam adversus te citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei.* Et in veteri Ecclesia, Catholici sedulò semper deseruerunt Communionem Hæreticorum. Ut ergo Martyrium causa facit, non supplicium, sic Schisma facit non separatio, sed causa secedendi, quæ ut sit gravis & justa, non aliunde quam à capitali quodam ac incurabili errore ac fidei fundamentum convellente est arcessenda, juxta Paulum 2 Cor. VI. 15. 16. 17. *Quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? & quæ consensio templo Dei cum simulachris? nam vos estis templum Dei viventis sicut dixit Deus, Habitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus & erunt mihi populus; Quapropter exite è medio eorum & separamini dicit Dominus, & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos.*

XI. (*e*) Fundamentalem verò errorem, in quo est, ut olim loquebatur Synagoga, *abnegatio fundamenti*, eum censemus qui non potest stare cum vera fide & sanctitate. Nec enim omnes veritates, etiam revelatæ, sunt ejusdem necessitatis, nec omnia vulnera quæ veritati infliguntur sunt lethalia, nec omnis morbus est fonticus: Distinguit Paulus inter fundamentum & ea quæ illi inædificantur: *Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus; quod si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cujusque opus manifestum fiet; dies enim id declarabit; Nam per ignem revelabitur, & cujusque opus quale sit ignis probabit: Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet: Si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet; ipse verò servabitur, ita tamen ut quasi per ignem* 1 Cor. III, 11. 12. 13. 14. 15. Fundamentalia si quis tangat subjicitur anathemati; *Etiamsi nos aut*

a *Infidelium Conversio procuranda.* b (1) Ab iis qui ab Ecclesia defecerunt. c (2) Schismatici. d *Secessio Schisma facit, ubi non est.* e *Fundamentalis error.*

aut angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizavimus, anathema esto Galat. I, 8. In aliis subest locus exhortationi quæ exstat Rom. XIV, I. *Eum qui fide est infirmus assumite, non tamen ad altercationes disceptationum*, & Phil III, 15. 16. *Quotquot adulti sumus hoc sentiamus; quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit: Attamen in eo ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regulâ & idem sapiamus.* Hic non scrupulosè percolandus culex, ut ibi non temerè camelus deglutiendus. Abrumpimus amicitiam cum palam sceleratis; sed amicorum nævos & infirmitates ferimus; nec quicquid est de fidei amplitudine, statim de illius necessitate censendum est.

XII. Itaque injustitiæ & temeritatis arguimus secessionem Donatistarum, non propter dogma aliquod periculosum cujus insimularant omnes Ecclesias; sed propter factum personale Cæciliani, quod nec verum erat, nec si verum fuisset poterat secessioni justam dare causam. Temerariò & injustè secessit Victor Romanus ab Ecclesiis Asiaticis, cùm quæstio de die quo Pascha celebrari deberet, non esset fundamentalis: Absque justa & legitima causa Latini secessionem fecerunt à Græcis, cùm nihil perniciosum in pietate error ille Græcorum, si quis sit, de processione
P. Spiritus Sancti, secum inferat: Potuerunt pii in Anglia expetere & procurare Reformationem apparatus Hierarchici & abusuum qui illum con-
F. sequebantur; sed tamen Brouwnistæ & Separatistæ, Independentium Patriarchæ, non habuerunt ideo justam causam in partes abeundi, & inconsutilem Christi tunicam miserè lacerandi.

R. XIII. Pariliter qui Remonstrantium nomen sibi imposuerunt in hoc Belgio, secessionem instituerunt à reliquo Ecclesiarum Reformatarum cœtu nec justam, nec necessariam; tum quod in doctrina recepta & quam impugnabant, nihil revera erat Scripturæ contrarium, tum quod, saltem ipsismet judicibus, capita quæ in controversiam vocabant, nec fundamentalia, nec perniciosa erant. Quod enim nostris intentarunt Deum illos constituere authorem & fautorem peccatorum, calumniosum esse nemo est qui nesciat; & prudentiores ex illis agnoverunt nos execrari & rejicere hoc dogma, & nonnisi per consequentias quasdam remotiores ac violentas è nostrorum dictis aliquot posse colligi; Nihil verò injustius quam alicui imputare tanquam illius dogma, id quod ipse detestatur expressè, eò quod, non evidenti, proximâ & necessariâ consequentia, (tunc enim esset protestatio facto contraria, qualis est P. Pontificiorum, verbis detestantium Idololatriam, cujus tamen palam & multifariàm, dogmaticè ac practicè, rei sunt;) sed longè petitis argutiolis, putes te hoc ex ejus placitis confectum.

XIV. Inter nostras Ecclesias & eas quæ dicuntur in Germania Lutheranæ vel Augustanæ confessionis, Schisma factum non est, cùm nec illæ è nostris, nec nostræ ex illis exierint. Sanè in Polonia fratres Helveticæ, Bohemicæ & Augustanæ confessionis antea simul, laudabili admodum exemplo, ex Decreto Sendomiriensi communicarunt. Et anno 1631. in Synodo Nationali Galliæ decretum fuit factum de Lutheranis, ceu fratribus in Christo ac membris ejusdem L. corporis Mystici, admittendis ad communionem nostram, & in iis capitibus, in quibus à nobis dissident, fraterne tolerandis: Et quanquam ira perciti pertendant nos errare in fundamento, quod Dei beneficio nunquam ostendent, tamen molliùs & meliùs de ipsis judicamus, sic improbantes quos pertinaciùs propugnant errores, ut eos tamen negemus in se lethales aut saluti perniciosos, vel tales qui debeant inter nos & illos impedire pacem Christianam & Ecclesiasticam Communionem; quæ etiam inter Ecclesias per omnia non consentientes, si salvum fuerit fundamentum, potest obtinere.

XV. (a) At quoad secessionem nostram ab Ecclesia Romana, ea Schismatis accusari non potest, cùm gravissimas & necessarias causas habuerit: Nam I. Non fuit voluntaria, sed coacta; nec tam fugimus communiomem Romanæ Sedis, quam fugati fuimus dirissimâ persecutione, spirituali Anathematum, & corporeâ Inquisitionis & suppliciorum omnis generis, quibus in nos nostrosque sævitum est, quod contra abusus protestaremur & reformationem eorum expeteremus. II. Conscientiarum nostrarum habenda fuit ratio, quas idololatrico polluere cultu, qualem esse cultum communionis Romanæ nobis erat persuasissimum, neutiquam conveniebat; Vel *qui dubitat, si ederit condemnatus est; quoniam non edit ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est* Rom. XIV, 23. III. Obediendum fuit mandato Divino de Babylonis & Antichristi com-

a *Nostra Secessio ab Ecclesia Romana justificatur.*

communione deserenda; *Exite ex ea popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis* Apoc. XVIII, 4.

XVI. IV. Causæ secedendi non fuerunt vel mores Cleri corruptissimi, qui tamen pluribus scandalum præbuerunt, vel laxatæ Disciplinæ abusus varii, vel dogmata quædam erronea quidem, attamen adhuc tolerabilia; sed Idololatria publica, & cum intoleranda in conscientias Tyrannide Papali, Errores multiplices & fundamentales ad caput Ecclesiæ, fundamentum fidei, causas salutis cultumque divinum spectantes, quos vel errare vel profiteri cum animarum nostrarum & veritatis periculo nefas esse duximus. Nec audiendi qui nostros hîc erraſſe in facto nugantur, ac si revera ea non doceat Romana Ecclesia quæ illi imputantur; Nihil enim à nostris affictum fuisse illi per calumniam, docent non tantum acta Martyrum nostrorum, sed scripta adversariorum Polemica, & canones Tridentini.

XVII. Quod nonnulli asserunt cum Spalatensi, Errores Papatus non esse fundamentales, & alii, addere quidem Romam fundamento, sed ex illo nihil demere, non est admittendum; Quasi εἰς ἀρτολατρεία, adoratio creaturarum, justificatio ex operum meritis, authoritas infallibilis Ecclesiæ, Traditionum ἀγράφων necessitas, Missæ sacrificium &c. ad fundamentum non spectant; Aut non impingant in fundamentum, qui aliud fundamentum volunt poni quam Christum, dixerit licet Paulus, *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus* 1 Cor. III, 11. aliud purgatorium quàm ejus *sanguinem* qui *purificat nos ab omni peccato* 1 Johan. 1, 7 aliud meritum quam ipsius *obedientiam* per quam justi *constituuntur multi* Rom. V, 19. aliud sacrificium propitiatorium quam ipsius mortem in qua *semel fuit oblatus ut in seipso attolleret* & auferret *multorum peccata* Hebr. IX, 28 alium judicem infallibilem controversiarum & normam fidei aliam quam Scripturam & Deum in Scriptura loquentem &c. Et præterea quod omnis additio in eo genere est corruptiva, ac ei similis quâ venenum optimo vino adderetur, non tantum additione multiplici peccat Roma in fundamentum, sed etiam noxia subtractione, secundi præcepti ex Decalogo, calicis in sacra Cœna, imputationis justitiæ Christi in justificatione, sufficientiæ Scripturarum in Controversiis fidei &c.

XVIII. Quin imò, ac si satis non fuisset Romæ *ligna fœnum & stipulam* pro auro & gemmis inædificasse *fundamento* 1 Cor. III, 12. voluit insuper suum fœnum & stipulam suam, fundamentalibus annumerare, necessitate conscientiis impositâ sub gravissimis pœnis ea admittendi & fidei articulis annumerandi. Quod si etiam darem errores Papales seorsim consideratos non esse fundamentales, ita ut in Ecclesiis, cæterùm sanis, eorum quilibet solus posset tolerari, tamen simul sumpti morbum faciunt complicatum & capitalem: Si non prosunt singula multa juvant. Cùm itaque hos errores profiteri contra conscientiæ dictamen, detestanda foret Hypocrisis, necessariò deserenda fuit communio Romana, quamdiu & noluit eos emendare, & igne ac ferro nobis illos obtrudere voluit.

XIX. Non potest ergo nobis vitio verti quod Lutheranis communionem offeramus, rejiciamus Pontificiam; quia inter nos & Lutheranos P.
convenit in fundamento; illi enim nobiscum impugnant Adorationem panis, Transsubstantionem, Sacrificium Missæ, Communionem sub una specie, Justificationem ex operibus, Traditiones non scriptas, Imaginum cultum &c. Ea quidem docent nonnulli eorum, Ubiquitarii L.
maximè, de persona Christi & consubstantiatione quæ sunt erronea & ἀσύστατα, sed quæ tamen fundamentum non directè evertunt; cùm cæteroquin naturarum in Christo & veritatem & distinctionem expressè confiteantur, & saltem quoad *actum naturæ*, uti amant loqui, unicum locum, eumque circumscriptivum, vendicent corpori Christi; nec in praxi obligant quemquam ex illo suo errore ad actionem ullam vitiosam, prout per Transsubstantiationis commentum obligantur Pontificii ad ἀρτολατρεῖν.

XX. Nec potuit secessio nostra à Papatu esse P.
tantum mentalis aut negativa; qualis fuit piorum sub V. T. in corrupto Ecclesiæ statu, quo tempore Deus uni loco cultum suum addixerat; aut etiam Patrum nostrorum ante tempora Reformationis, quibus Deus nondum patefecerat viam ad secedendum; nec planè erant intolerandi abusus, eo quod nondum vim legis obtinerent, neque sub anathematis pœna erant sanciti: Sed debuit esse externa & positiva, ex quo opiniones erroneæ Scholasticorûm in articulos fidei abierunt, & vulnus fuit immedicabile ac malum ἐν ἀκμῇ; quia oportuit tunc prospectum conscientiis & præsentium & futurorum; & Ecclesiæ ex Papatu eductæ, sua sacra, suos ritus, suum

cultum, ab illis corruptelis defæcatum, restitui decuit.

XXI. Cùm ergo excommunicati, ejecti,
P. sævissimæ persecutioni expositi, non potuerimus redimere communionem Romanam pretio conscientiarum nostrarum, ipsius erroribus subscribendo & eos pro fidei articulis recipiendo, necesse fuit alium cultum institui, alios cœtus cogi, alias cathedras erigi, in quibus rejectis iis quæ erant intoleranda in communione Ecclesiæ Romanæ, charitatis & fidei nihilominus communionem adhuc retineremus cum ea, in iis quæ apud ipsam remanserant de fundamento. Atque hæc mutatio ubique ferè facta est decenti ordine, tum per idoneos Ministros, tum authoritate publicâ Magistratuum, qui hîc, ut olim pii Reges in corrupto Ecclesiæ statu, suas partes adhibuerunt.

XXII. (a) Porrò Schismati præveniendo & unitati conservandæ post sacram Scripturam, quæ pro norma architectonica est semper retinenda, plurimum inserviunt Symbola, Confessiones publicæ, Catecheses, aliæque *formulæ consensus*, quas Ecclesiæ sibi constituunt conformes Dei Verbo, in normas secundarias & subordinatas; ut illi schisma & injustam secessionem moliri illicò deprehendantur, qui ab istis formulis recesserint, & aliam doctrinam proponere aggressi fuerint; *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite* 2 Joh. 10.

XXIII. (b) Sed & illæ formulæ hæresibus arcendis, & circumvallandæ Orthodoxiæ, fœliciter adhibentur: *Hæresis* autem (cujus nomini, cum per se sit mediæ significationis, idem accidit quod vocibus Idoli, Tyranni, Sophistæ &c.) conjungitur schismati 1 Corinth. XI, 18. 19. *Quum convenitis in Ecclesia, audio dissidia inter vos esse & aliquam partem credo: oportet enim etiam hæreses inter vos esse*; quòd Schisma aut Hæresin adjunctam habeat, aut tandem in illam abeat, prout nulla est legitima secessio, nisi hæreseôs causa. Sed tamen formale est inter utrumque discrimen; quia illud Unitatem Ecclesiæ impugnat, hæc vero fidei Veritatem; estque propriè error aliquis capitalis & fundamentalis in doctrina fidei, cum superbia & pertinacia, adeoque Ecclesiæ derelictione, conjunctus: unde & fructibus sive *operibus carnis* accensetur Galat. V, 20. Hæc enim ibi cœteris annumerantur, *Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses.* Hinc Paulus alibi, *Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem repelle, ut qui noris eversum esse eum qui sit ejusmodi, & peccare, ut qui suopte judicio sit condemnatus* Tit. III, 10. 11.

XXIV. Quilibet error hæresin non facit propriè dictam, sed talis erit *per se*, si directè & evidenter petat fundamentum, aut circa illud versetur; talis verò *per accidens*, si in re minoris momenti secessionem ab Ecclesia vel operetur, vel sequatur. Aliàs agnoscendum est Veteres sæpè hæresibus annumerare ea dogmata quæ non videntur illam nomenclaturam mereri; ut constat ex hæresibus Quartodecimanorum. Aerianorum, eorum qui asserebant dari Antipodas, aut stellas in suis orbibus fixas esse, &c. Sed istius tituli longè liberaliores sunt Pontifices Romani, qui P.
quosvis, etiam Principes & Reges, in rebus merè temporalibus sibi obsistentes, (unde superioribus sæculis nata hæresis Henricianorum,) statim Hæreticis annumerant, & pœnis Hæreticorum subjiciunt.

XXV. (c) Quam facilè vero Schismatis culpâ nos liberamus, tam benè Hæreseôs crimen, pari affectu nobis impactum ab Adversariis, refutamus. I. Superbiæ & pertinaciæ in errore nequimus accusari, cùm in nostra professione solius conscientiæ vinculo & dictamine retineamur. II. Nullius legitimi Concilii authoritate sufficienter fuimus convicti; cùm in Conciliabulo Tridentino, in quo Papa, qui reus erat cum suo Clero, P.
per se & suos judicis partes sibi vendicabat, ne quidem auditi fuerimus. III. Nullus est fidei Christianæ articulus à quo recedamus, aut quem impugnemus. IV. Unius tantum Hæreseos accusantur Græci à Pontificiis, circa processionem Spiritus Sancti; & tamen iidem rejiciunt Ministrorum cœlibatum, Purgatorium, Transsubstantiationem, authoritatem Papæ &c. Unde patet hæc dogmata non esse in nobis hæretica, quæ talem notam in Græcis apud ipsosmet Pontificios non incurrunt.

XXVI. V. Si doctrina Ecclesiarum nostrarum *affirmativè* & *absolutè* consideretur, est purus Christianismus; Si *negative* & *comparatè* ad dogmata Pontificia quæ rejicimus, hæretica censeri non potest, quin illa dogmata annumerentur articulis fidei simpliciter ad salutem necessariis, in Scriptura sacra fundatis, & qui *semper, ubique* & *ab omnibus* Catholicis, sive veris Christianis, juxta Vincenti Lyrinensis regulam, tali loco sint habiti;

a *Schismatis remedium.* b 2. Hæretici. c *Quibus Reformati annumerari non possunt.*

habiti; (*a*)Sed tantum abest ut hæc dogmata talia ſint, ut è contrario ſint Hæreſes turpiſſimæ, heri ac nudius tertiùs natæ, à Scriptura & puriori Antiquitate alienæ, & quibus Romanenſes juſtam ſeceſſioni noſtræ cauſam dederunt.

XXVII. Non neſcimus per calumniam nobis impingi interdum à Pontificiis Syncretiſmum cum veteribus Hæreticis: Sed tam procul ab Arianis, Manichæis, Florinianis, Acephalis abſumus, quam certum eſt Pontificios in Ciborum
P. delectu & ſtatis jejuniis ac cælibatus lege, Montaniſtarum, Manichæorum, Encratitarum, Tatianorum, Euſthatianorum veſtigiis inſiſtere; in Monachorum votis, Apoſtolicos, Euchetas, Nudipedales, Pattalorinchitas imitari; Angelicos, Collyridianos, Staurolatras, in Angelorum, Beatæ Mariæ, & crucis cultu ſequi; Carpocratianorum & Baſilidianorum habere Imagines; ab Oſſenis, linguæ peregrinæ uſum in ſacris; ab Elceſaitis, Eutychianis, Marcoſianis, tranſſubſtantiationem; à Pelagianis & Semipelagianis, quæ docent de libero arbitrio, meritis operum, perfectione juſtitiæ; à Manichæis & Nazaræis, prohibitionem calicis in Sacra Cœna & communionem ſub una ſpecie; ab Heracleonitis extremam unctionem; à Marcionitis ac Pepuzianis baptiſma mulierum; à Gnoſimachis ignorantiæ laudes; ab omnibus Hæreticis Traditionum neceſſitatem & Scripturarum accuſationem. Illa ſunt ſtemmata Papiſmi, hæc eſt illius antiquitas.

XXVIII. (*b*)Hæreticis verò an Fanaticis, ſintne Anabaptiſtæ annumerandi, incertum: Id certum eos & ſtupendos fovere errores contra fundamentum, & ſæpè olim in furorem erupiſſe; qui nunc ita ſedatus eſt, ut in ſubdolam & Jeſuiticam vafritiem, ſimplicitatis ovillæ ſpecie velatam, ac Phariſaicam hypocriſin, abiiſſe quoad eorum pleroſque viſus ſit: Quam multa habeant communia cum Marcionitis, Cataphrygibus, Catharis, Donatiſtis, Circumcellionibus, non eſt hujus loci fuſè deducere. (*c*) His eò pejores ſunt Sociniani, quod etiam Arrianis ipſis deteriores,
S. & S. S. Trinitatis hoſtes profeſſi, cum Photino & Paulo Samoſateno, poſt Ebionem & Cerinthum, Chriſti Divinitatem impugnant, unicam in ipſo naturam humanam agnoſcentes, & cum Pelagio & Pelagianis ejus ſatisfactionem ac meritum apertè rejiciunt. quod & Abælardo Bernardus Claræveallenſis olim impegit; & omni impietati fibulam laxant, negatis carnis hujus reſurrectione, animæ immortalitate, & pœna inferni, in quibus bellè Epicuræos & Sadducæos imitantur.

XXIX. Hoc habet autem Hæreſis, quod uno fidei articulo everſo, cæteros etſi fide hiſtorica ſive Theologica benè creditos, reddat inutiles. Nam qui errat in uno, reus eſt omnium, prout *qui totam legem ſervaverit, ſi impegerit in uno damnas factus eſt omnium* Jacob. II, 10. & ſi è membris vitalibus unum perierit, cætera nihil proſunt: Et ſicut ipſo jure hæreticus excidit communione Chriſti & Sanctorum, adeoque eſt excommunicatus *à jure*, ut loquuntur Scholaſtici, ita excommunicandus eſt præ omnibus aliis *ab homine*, prævia admonitione una & altera, uti modò audivimus ab Apoſtolo Tit. III, 10. Atque hîc ſiſtit correptio Eccleſiæ. Quæ inſuper diſputant Pontificii de Hæreticorum pœnis aliis, & fide Hæreticis non ſervanda, nec probari à nobis P.
poſſunt, & alibi diſcuſſa ſunt.

XXX. (*d*)Ut verò hæreſis verſatur tantùm directè circa aliquos fidei articulos, ſic *Apoſtaſia* ſonat defectionem à pluribus ſimul aut omnibus, &, quicquid Grotius contra diſputarit, ſoli illi convenit qui fidem & Dei cultum aliquando ſit profeſſus. Sunt autem Apoſtatæ in duplici differentia; (quæ hic habent Caſuiſtæ Pontificii inſuper P.
de Apoſtaſia ab *ordine*, cujus reos faciunt Monachos qui Monachatum exuunt, ſunt valdè catachreſtica;) Nam quidam deficiunt totaliter à fide, rejecto etiam nomine Chriſtiano, ut qui ad Ethnicos, Turcas, aut Judæos tranſeunt; quidam retento nomine, totam ejus doctrinam evertunt & abnegant; qualem futuram Apoſtaſiam in Papatu ſub Antichriſto, prædixerant Scripturæ; *Spiritus diſertè dicit fore ut poſterioribus præſtitutis temporibus, quidam deſciſcant à fide, attenti ſpiritibus deceptoribus ac doctrinis dæmoniorum, per hypocriſim falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abſtinere à cibis* &c. 1. Tim. IV, 1. 2. 3. *Nequis vos ſeducat ullo modo; non enim adveniet dies Chriſti quin venerit* ἀποςασία *defectio, priùs, & revelatus fuerit homo ille peccati, filius inquam ille perditionis* 2 Theſſ. II, 3.

XXXI. (*e*)Hæc igitur tria Schiſma, Hæreſis, Apoſtaſia, concurrunt in Antichriſti corpore & regno, per illam Beſtiam expreſſo, cujus fit mentio Apoc. XIII, 11. *Vidi aliam beſtiam aſcen-*

a *Sed debent Pontificii.* b *& Anabaptiſta* c *ac Sociniani.* d 3. Apoſtatæ. e Hæc tria concurrunt in ANTICHRISTO *cujus conſideratur*, f 1. Nomen.

dentem è terra, habentem cornua duo similia agni, sed loquebatur ut draco. (f) Quamvis *Antichristi* nomen sit alioquin commune, & omnibus Hæreticis tribuatur 1 Joh. II, 18. *Pueruli ultimum tempus adest, & sicut audivistis Antichristum venturum, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse;* & 1 Johan. IV, 3. *Quicunque spiritus non profitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est, sed hic est ille spiritus Antichristi quem audistis venturum fuisse & qui jam nunc in mundo est*, per hæreses subnascentes; (*a*) Attamen sumitur κατ' ἐξοχὴν pro insigni quodam nebulone & Christi adversario, qui describitur suis coloribus 2 Thess. II, 4. ceu *opponens sese & efferens supra quicquid dicitur Deus aut numen; adeo ut in templo Dei sedeat tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum*, & loco modò citato Apoc. XIII, 11 (*b*) Veteres, quorum tempore *Mysterium iniquitatis* adhuc latenter operabatur, nondum rerum eventu facem vaticiniis præferente, multa de Antichristo sunt ariolati à veritate aliena; quæ corradentes Pontificii,
P. Antichristum fingunt hominem singularem & unicum, ortum ex tribu Dan, qui se pro Judæorum Messia venditans, spatio trium annorum cum dimidio templum Jerefolymitanum instaurabit, universum orbem subiget, Henochum & Eliam redivivos trucidabit, totum Christianismum evertet, seipsum in templo restaurato proponet adorandum, ac tandem à Christo in monte Oliveti, ex quo paraturus sit ascensionem in cœlum, occidetur.

XXXII. Quamobrem ut Judæi olim annisi sunt impedire ne Jesus pro vero Christo agnosceretur, multis Pseudochristis in illius locum substitutis, ita Pontificii, ne agnoscatur Antichristus apud se, non tantum has fabulas de futuro Antichristo propinant popello, sed etiam subinde referunt Antichristum jam Babylone recens esse natum, eumque describunt ad ideam *Armilli* Judæorum, & variis clarum prodigiis; quod semel factum sæculo superiori, hoc ad hunc nostro bis aut ter contigit; ac non ita pridem satis solemniter, postquam occasione novi commenti à Grotio excogitati & à me refutati, hæc controversia recruduisset.

XXXIII. (*c*) Sed quicquid hîc delirent Pontificii, quicquid etiam Papæ supparasitaturus Grotius somniarit vigilans in loco Pauli de Caligula &
F. Simone Mago, in Epistola Johannis de Barco-
P. cheba, in Apocalypsi de Trajano, Apollonio & Domitiano, tantum eo fine ne Antichristus vel coram videatur, vel in posterum metuatur, attamen constans est omnium Reformatorum & Protestantium fides, Antichristum illum magnum, Paulo & Johanni descriptum, esse Papam Romanum, cujus ideo communio deseri oportuit. Id quoque haud pauci in Papatu, quibus aliquid restat scientiæ vel conscientiæ, vident & dissimulant, multi non obscure agnoverunt ante tempora Reformationis & post illa; & si qui non videant in plena luce, ideo fit quod præoccupentur præjudiciis suis inveteratis de ridiculo suo Antichristo, prout Jesus pro Christo non agnoscebatur à Judæis, propter falsa ipsorum præjudicia de regno Messiæ.

XXXIV. Debuit quidem esse Antichristus una persona, sed *successive* & *repræsentativè*, prout Monarchiæ dicuntur uni subesse, non numericè unica; Quia uni homini nonnisi quadriennium ante mundi excidium exorituro, ab hæreticis præluceri & via clanculum sterni tempore Apostolorum, non potuit; *Iam peragitur Mysterium impietatis hujus, tantum qui nunc tenet tenebit*, (nempe Imperium Romanum) *donec e medio sublatus sit* 2 Thess. II, 7. & jam tum cœpisse agere Spiritum Antichristi in hæreticis, modò audiebamus ex 1 Joh. IV, 3. Et sicut ὁ κατέχων apud Paulum Imperatorem Romanum denotat in communi, sic Papam in communi denotat ὁ ἄνομος: Et ea tribuuntur Antichristo in Scriptura, imò ab ipsis Pontificiis, quæ nonnisi pluribus sæculis, nedum ab unico homine aut triennii spatio, peragi possunt.

XXXV. Debuit esse oppositus Christo, revera *contrariè*, tum in doctrina, tum in vita; quod quam benè conveniat Papæ, ex utriusque instituta comparatione cuivis facilè patebit; sed tamen sub specie oppositionis *relativæ*, hoc est vicariatus; ut ille demum sit ἀντίχριστος, qui ἀντὶ χριστοῦ se esse profitetur, atque hoc prætextu omnem Christi authoritatem ad se rapiens, uti Papa, Caput, Fundamentum, Sponsus Ecclesiæ, etiam *secluso Christo*, ejusque Doctor ac Legislator infallibilis vult haberi. Nec enim palam, uti volunt Pontificii, debuit Antichristus se pro Christo gerere; (nam distinguendi sunt Pseudochristi ab Antichristo; sed Christum impugnare sub religionis Christianæ prætextu, quandoquidem erat sessurus *in templo Dei* 2 Thess.

a 2. Persona. b κατ' ἄρσιν erroris Pontificii c κατὰ θέσιν, Papa Romanus. d Quod e nasse probatur.

2 Theſſ. II, 4. & *agni cornua* oſtentaturus Apoc. XIII, 11. ac *Myſterii nomen* fronti ſuo inſcriptum habiturus Apoc. XVIII, 5. idest myſteriorum & religionis prætextu graſſaturus, atque ſic cum Juda, filio quoque perditionis, oſculo Christum proditurus.

XXXVI. Debuit ſedere in Templo Dei, non ſanè Jeroſolymitano, vel reſtituendo ſub finem mundi, ut Papani nugantur, quod nunquam futurum, ſiquidem Hieroſolymorum & Templi per Romanos *deſolatio maxima*, debuit eſſe totalis & irreparabilis, *uſque ad conſummationem, eamque præciſam* Dan. IX, 26. 27. nec ſi fieret, templum Dei ullo modo dici poſſet, vel adhuc ſtante tempore Pauli, ut finxit Grotius, cùm illo tempore revelari impius iſte nec potuerit, nec debuerit: Sed Myſtico Eccleſiæ, *An neſcitis vos eſſe templum Dei?* 1 Cor. III, 16. & 2 Cor. VI, 16. *Vos eſtis Templum Dei viventis*, non tam in ſenſu *compoſito*, ſic ut tale maneat, (nam è ſuâ ſede peſtilentiæ germanam Dei Eccleſiam deprimere & expugnare ſatagit) quam in ſenſu *diviſo*, ita ut fieret ex domo Dei *domus mercatus* Joh. II, 16. & *ſpelunca latronum* Matth. XXI, 13. Ut querelæ Propheticæ hic locus ſit, *Quomodo effecta eſt meretrix urbs fidelis?* Eſa. I, 21. Templum enim Dei quod Antichriſtus occupat tale dicitur, non quod tale revera maneat ab ipſo occupatum; ſed quod & tale antea eſſet, & tale ex ſua profeſſione deberet remanere; prout Jeruſalem madens ſanguine Prophetarum & ipſius Chriſti, dicitur tamen *Civitas ſancta* Matth. XXVII, 53.

XXXVII. Nec ſolum erat ſeſſurus in Eccleſia Dei, & ſacerrimam illam Sedem, ſic enim Papalis authoritas vulgò dicitur, in ea fixurus, ſed etiam ſeſſurus in Templum & Eccleſiam Dei, hoc eſt, (quod facit Papa) omnia quæ de Chriſti Eccleſia dicta ſunt, ſibi tributurus, & omnem Eccleſiæ authoritatem ad ſe rapturus; ac illam exerciturus non ex urbe Hieroſolymorum, ſed ex Tarpeja rupe & ἑπταλόφῳ Babylone; quâ Romam intelligi Apoc. XIV, 8. *Cecidit Babylon, urbs illa magna, quia vinum excandeſcentiæ ſcortationis ſuæ potandum præbuit omnibus gentibus*, & Apoc. XVII, 1 & ſeqq. ubi fuſiùs deſcribitur *meretrix illa magna ſedens ſuper aquas multas, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, inſidens beſtiæ coccinæ, amicta purpurâ & cocco, ebria ſanguine martyrum* &c. non Ethnicam & qualis erat ante fidem admiſſam, ſed qualis futura erat poſt fidem acceptam & abnegatam ſub Antichriſto. etiam agnoſcunt aliquot Jeſuitæ.

XXXVIII. Quin etiam illa elogia coccineæ *meretricis* & matris fornicationum (qualem ſe ad literam præſtitiſſe referunt Papiſſam Johannam) quæ ſpiritualiter *Sodoma* & *Ægyptus* dicatur, ac *beſtiæ* ſanguine martyrum inebriatæ Apoc. XI, 8. XIII, 15. XVII, 4. 6. Romæ optimè conveniunt; ut Papæ ejus capiti, illa *hominis peccati, filii perditionis, ſeſe opponentis & efferentis ſupra quicquid dicitur Deus aut Numen, ſcelerati*, ſive *iniqui* 2 Theſſ. II, 3. 4. 8 uti ex impietate, ſævitia, impuritate, ſceleribus Pontificum & Curiæ Romanæ, quam *colluviem ſcelerum* dixit Mantuanus, liquidò conſtat. Eſt verò Papa ἄνομος & *exlex*, qui omnia judicare & à nemine judicari gloriatur, ac putat ſibi omnia & in omnes licere; à nemine redarguendus etſi catervatim ſecum innumerabiles populos in gehennam abduceret.

XXXIX. Papæ quoque convenit & numerus 666. quem in nomine λατεῖνος, Irenæus & alii obſervarunt, & perineptè Grotius in voce Οὔλπιος quæſivi, cujus literæ numerales faciunt 860. (nam quid abſurdius quam literam ςίγμα in epiſemum Vau ς hic commutare?) & *character* beſtiæ Apoc XIII, 16. 17. 18. qui in variis teſſeris communionis Pontificiæ, ac nominatim Confirmationis imaginario Sacramento, ſigno Crucis, raſura & chriſmate Sacrificulorum, conſiſtit. Tum omnis Papæ authoritas, *ſimulachrum* eſt prioris beſtiæ, & ita Imperii Romani priſci refert effigiem, ut illud in Curia Romana reviviſcere videatur. F.

XL. Ipſe etiam Papa ſe effert ſupra omne Numen ac Nomen, id eſt I. Supra id quod perperam in communione Romana colitur & adoratur Ipſe enim ſibi tribuit Apotheoſeôn jure, & major Divis debet eſſe qui eos facit; & Deus ejus *Moazim* ſive Miſſaticus, jumento vehiter ex Ceremoniali, dum ipſe humeris hominum ſublimis effertur. II. Supra omnes Reges & Principes, qui & Dii & σεβαςοὶ, perpetuò Auguſti, dicuntur etiam in Scriptura. III. Supra ipſummet verum Deum, dum ſe ipſum Altari impoſitum proponit adorandum, multiplicem Idololatriam inſtituit & propugnat, Scripturarum θεοπνευςῶν authoritatem omnem ex ſua ſuſpendit, Calicem Euchariſtiæ Laicis denegat,

ſibi

sibi tribuit facultatem dispensandi contra jus divinum &c.

XLI. Imò se gerit pro Deo & nomine & re: Sæpiùs enim Dei nomen & Divina ipsiusque Christi attributa sibi tribuit. Gloriatur se omnem potestatem consequutum in cœlo & in terra, Scripturæ sacræ esse interpretem infallibilem, ac judicem supremum controversiarum à quo non liceat provocare. Illi tribuunt Canonistæ quod ex peccato possit facere non peccatum, & contra; item quod summum habeat in Reges & Principes imperium; possitque eos si libuerit à clavo removere, & ipsorum subditos à juramento fidelitatis absolvere: Quæ & similia, *nomina* sunt *blasphemiæ*, qualia commemorantur Apoc. XVII, 3.

XLII. Doctrina Antichristi non debebat esse aperta Dei abnegatio, nec Sacrificii Missatici abrogatio, ut volunt Pontificii, sed sub nomine & prætextu pietatis atque nominis Christiani, ac Mysteriorum multorum, unde *Mysterium* iniquitatis dicitur 2 Thess. 11, 7. & *Mysterii* nomen inscriptum est fronti meretricis Apoc. XVII, 5. universalis corruptela doctrinæ Christianæ, ac beneficii Christi suppressio, tum per suum Sacrificium Missaticum, tum sexcentis aliis modis; quam etiam corruptelam per *obscurationem Solis* denotari in Scripturis non dubitamus. Atque hanc à vera fide *apostasiam* 1 Timoth. IV, 1. comprobat Papa, quod & de Antichristo prædictum erat, variis *miraculis mendacii* 2 Thess. 11, 9. tum mendacibus in se, tum ad mendacium firmandum ordinatis; adeo ut gloriam Miraculorum Ecclesiæ suæ notis annumeret, & per excommunicationes suas, *ignem cœlitus elicere* glorietur Apoc. XIII, 13. Ut taceam Gregorium VII. ignem ex manicis suis excutientem, & Monachos superiorum temporum sui contemptum igne Sancti Antonii ulciscentes.

XLIII. Istius doctrinæ respectu, Pseudopropheta erat futurus, quod elogium trahere ad Apollonium, eumque Trajano conjungere dum voluit Grotius, se omnibus doctis deridendum propinavit. Eam verò doctrinam non tantum arte disseminare debebat Antichristus per suos emissarios, de quibus agitur sub nomine *locustarum ex fumo abyssi exeuntium in terram* Apoc. IX, 3. & *trium spirituum impurorum similium ranis* Apoc. XVI, 13. sed etiam marte, omni genere persecutionum sæviendo in pios, regibus terræ sua cornua, idest *vires ac authoritatem*, *Bestiæ* eum in usum accommodantibus Apoc. XVII, 13. prout & superioribus temporibus & adhuc nostris factum esse à Papa, nemo est qui nesciat. *Duo* vero illi *testes*, quorum fit mentio Apoc. XI, 3. quos æstus istius persecutionis erat abrepturus, non designant Enochum & Eliam, ut nugantur Pontificii, sed paucissimos illos pios, qui ante tempora reformationis restiterunt Papæ, & in primis reformatoribus reviviscere visi sunt.

XLIV. Ut verò absque strepitu ex tenuissimis initiis, Papatus ad eam magnitudinem sit evectus, unde non ex mari, sed *ex terra* hæc prodiit *bestia* Apoc. XIII, 11. (a) præsertim ex quo imperium Romanum, quod ejus progressus multum retardabat, concidere cœpit, docent Historici; Ex cujus enim ruinis Pontifices hanc sibi fecerunt dignitatem & potestatem, cui jam tempore Pauli præludebat Satan, tum Neronianis persecutionibus, tum hæresibus erumpentibus, tum contentionibus subnascentibus in Ecclesia per quosdam φιλοπρωτεύοντας, qualis erat Diotrephes *primatum ambiens* in Ecclesia 3 Joh. 9.

XLV. Gradatim autem erupit Antichristianismus, sed potissimum cœpit in apertum venire, cùm Bonifacius III. à Phoco, Mauritii parricida, titulum obtinuit Episcopi Oecumenici sive Universalis, quem tanquam Antichristianum Gregorius I. antea impugnaverat; Nam exinde Episcopi Romani cœperunt magis ac magis spiritus sumere; & tyrannicam suam Monarchiam, quam in locum Ecclesiasticæ administrationis invexerant, constabilituri, horrendos illos errores & idololatricos ac superstitiosos introduxerunt & foverunt, ceu instrumenta idonea nequissimæ potestatis, propter quos debuit tandem Ecclesia ex Babylone evocari.

XLVI. Nec enim permisit Deus ut fœdissima bestia semper in eodem fastigio illuderet sibi & mortalibus; sed prout etiam prædictum erat à Paulo, *Dominum*, *sceleratum illum absumpturum spiritu oris sui* 2 Thess. 11, 8. ejus imperium arietibus Euangelii mirum in modum quassavit, & plurimas Europæ provincias vel ex toto vel ex parte ejus faucibus eripuit & asseruit in libertatem: Reliqua ad ejus destructionem spectantia *illustri adventu* Domini 2 Thess. 11, 8. cùm erit ut illud inclametur, *Cecidit*, *cecidit Babylon illa magna*, & *recordatus est Deus scelerum ejus*; *Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis*, *& duplicate ei duplum secundum opera ejus*; *in poculo quod propinavit*

a *Antichristus quando revelatus.*

miscuit vobis propinate ei duplum Apoc. XVIII, 2. 5. 6. sunt constanter expectanda: quæ tamen quando & quomodo sint processura θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται.

XLVII. Ex his igitur nunc liquet omni carere fundamento, quod de Judæo Antichristo ex tribu Dan à Judæis in Messiam recipiendo fingunt Pontificii, cùm nec Judæi ex illa tribu Messiam expectent, nec Leviticus cultus sit unquam restaurandus. Novas verò interpretationes Grotii locorum qui agunt de Antichristo in quibus Apostolos fecit vates rerum jam diu factarum cùm scriberent, alibi & priores refutavimus. Sed mirum non est eum Antichristum in Scriptis N. T. non vidisse, qui nec Christum in Prophetis V. F. satis agnovisse videtur, quod ex ejus Notis in V. T. palam est; adeo nempe ibi Pontificiis, hic verò Socinianis, vir eruditus, sed religionis semper dubiæ, velificari studuit.

P. F.

XLVIII. Quod (a) verò Jesuitæ aliique purpuratæ meretricis Gnathones Reformatos accusant læsæ Majestatis Principum Christianorum qui cum Papa communicant, dum hunc faciunt Antichristum, facilè retunditur; Nam I. Id non magis debet nobis vitio verti, quam quod Communionem Romanam Idololatriæ accusamus, & ipsius panaceum Deum, Christum scilicet ex crusto factum, ceu teterrimum Idolum refugimus. II. Papa dicitur à nobis Antichristus non animo conviciandi, aut retaliandi tot conviciis quæ ipse ejusque mancipia solent in nos jactare, sed tantum ut conscientiarum nostrarum sensum exprimamus, & causam nostræ secessionis ab illius communione in timore Domini reddamus.

XLIX. III. Tantum abest ut Reges & Principes Christiani debeant id ægrè in nobis ferre, ut è contrario nostrum illis sic approbemus obsequium; quatenus nempe ipsorum independentiam propugnaturi, & diademata quæ gestant à subjectione Papali vindicaturi, statuimus Christi institutis contrarium, id est Antichristianum esse, si quis Episcopus, Principes, Reges & Cæsares, soli Deo obnoxios, ex Gregorii VII. & Bonifacii VIII. placitis velit sibi subjicere; cùm etiam Cardinalis Perronius in plenis Galliæ Comitiis Papæ authoritatem supra Reges propugnaturus, rotundè dixerit, quod eam denegare, (id tamen faciunt omnes Curiæ Regni, faciunt & Veneti) sit Papam Antichristum, eò quod illam sibi tribuat, nobiscum constituere.

L. Imò nec omnes communionis Romanæ homines, Antichristianos statuimus: tum quia inter seductos & seductores meritò distinguendum; tum quia plurimi sunt in ea communione, qui τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ Apoc. II, 24. non noverunt, & Papam considerant tanquam Episcopum primæ Sedis, non verò tanquam Ecclesiæ Monarcham infallibilem, & totius orbis in Temporalibus & Spiritualibus Dominum, suspiciunt. Quin quotquot è Pontificiis detrectant Papæ vel infallibilitatem in fide, vel supramatum in Reges agnoscere, & eum subjiciunt Concilio, eo ipso huic Antichristianismo tacitè renunciant.

LI. Neque sic etiam judicium ferimus de personis Pontificum, quasi eos omnes æternùm damnatos asseramus: Nec enim personas hic consideramus, sed munus ac dignitatem: de Papatu loquimur non de Papis, quos Deo & suæ conscientiæ relinquimus: Ac sicut Pontificii ita Papatum tuentur, ut negent esse de fide Alexandrum hodiè sedentem esse Christi vicarium, ita licet nobis, nihil definiendo de personis, Papatum impugnare: Eatenus esto Alexander Antichristus quatenus est Papa: sed prius non ultra à nobis asseritur, quam posterius à suis: Quamquam & hic ex confessione Marcellini II. non videntis quî Papa posset servari, declaratione Adriani VI. nullum supplicium majus hosti exposcentis quam ut Papa fieret, agnitione Pii V. se cùm esset religiosus benè sperasse de sua salute, Cardinalem creatum extimuisse, sed factum Pontificem penè desperare, Papas αὐτι-κατακρίτους facilè esset demonstrare; Nec mollius expectari debet à nobis de Pontificibus judicium, quam Bellarminus tulisse fertur de Sixto V. *Quantum sapio, quantum capio, quantum intelligo, descendit ad inferos.*

LII. Quoniam verò Apoc. XX, 8. fit mentio (b) *Gog & Magog* inter hostes Ecclesiæ, etiam de iis aliquid dicendum. Ut Judæi negant Messiam venisse, quod nondum *Gog & Magog* apparuerint aut sint debellati, ita Pontificii negant Antichristum esse revelatum eadem de causa. Haud pauci è Veteribus, ac etiam recentiores Chiliastæ, sibi persuadent, quod finito millenario illo regno, cujus

J. P. F.

a *Hæc Reformatorum doctrina calumniosa vel injuriosa censeri non debet, aut contumeliosa Principibus.* b *Hostibus denique Ecclesiæ annumerandi* Gog & Magog.

cujus inani spe se pascunt, erunt adhuc alia bella, & Antichristi propugnatores, resumptis viribus, per *Gog & Magog* adorientur Ecclesiam. Sed cùm mille illi anni jamdiu expiraverint, nam vel à Christo nato, aut passo, vel à prædicatione Apostolica, (sic malim quàm à temporibus Constantini) debent supputari, illa interpretatio non potest ullo modo subsistere.

P. LIII. Pontificii quoque de *Gog & Magog* tam incerta loquuntur, ut non sint temerè audiendi; & cùm à *Gog* sive Antichristo cæso statuant tantum 45. dies futuros (ita accuratè definiunt quod nec ipsis Angelis est compertum, *De die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cælo sunt* Marc. XIII, 32.) usque ad judicium, debent agnoscere, quod nolunt, aliam esse rationem loci Apoc. & Ez. XXXVIII, 2. XXXIX, 1.6. Revera quidem Johanes allusit ad id quod apud Ezechielem prædicebatur, sed tanquam ad typum qui jam præcesserat apud Judæos, rei suo tempore in Ecclesia Christiana futuræ.

LIV. Hoc sibi voluit Ezechiel, post captivitatem Babylonicam & ante apparitionem Christi in carne, Judæos gravissimas clades accepturos à Syris & minoris Asiæ populis, sic appellatis, ut creditur, à Gyge Lydorum Rege, prout contigit ducentis post annis sub Maccabæis: Et Johannes eò alludens prædicit, quod sicut olim Gog & Magog, id est Syri, & innumeri aliarum gentium, Scytharum præsertim, auxiliares copiæ, Ecclesiam Veterem in Judæâ durissimè afflixerunt, ita post expletam illam mille annorum fatalem periodum, sint exorituri illis haud absimiles truculentissimi hostes Ecclesiæ Christianæ, & eam populaturi.

LV. Et sanè post mille illos annos verè solutus fuit Satan, tum ad seductionem per Antichristum Romanum qui tunc adoleverat, tum ad oppressionem Christianorum per Saracenos & Mahumetanos, tanquam per Antichristiani Orientalis Ministros, qui circa illud tempus multas clades Christianis populis intulerunt; nisi malimus cum multis viris doctis, per Gog intelligere occultos Ecclesiæ hostes sub Papa, & per Magog apertos sub Mahumete. Uterque enim cœpit quidem emergere post sexcentesimum Christi annum, sed utriusque robur fuit in suo vigore & quasi adultum post annum millesimum.

LVI. Alios hîc Ecclesiæ hostes spirituales & internos describere non est opus, cum eam consideremus quoad statum suum externum, & aliàs de luctâ spirituali fidelium egerimus. A suis verò quos descripsimus hostibus non plenè & planè liberabitur, (quicquid hîc somnient Chiliastæ, alcyonia & malaciam in mari semper turbido expectantes,) priusquam in portum cœlestem subducatur, & *Sole amicta pedibus Lunam conculcet* & ex *stellis* coronetur, juxta descriptionem quæ extat Apoc. XII, 1. F.

LOCUS ULTIMUS;

De

SACRAMENTIS.



Ecclesiæ, de (*a*) qua antea, acquisita sunt, uti monuimus, Christi beneficia: Ei vero illa ordinariè & instrumentaliter offeruntur, primò Verbo Dei, cujus præconio & ministerio homines peccatores ad Christum invitantur; *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis* Matth. XI, 28. Electi fide donantur; *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei* Rom. X, 17. Fideles regenerantur, renovantur, sanctificantur, in fide & obsequio Christi retinentur; *Iam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis* Iohan. XV, 3. *Sanctifica eos tuâ veritate, sermo ille tuus veritas est* Ioh. XVII, 17. Ut qui, vel cum Anabaptistis novis revelationibus inhiant, vel cum Swenkfeldianis aliisque Fanaticis externum præconium Euangelii, quale hodie obtinet, ceu nimis imperfectum respuunt, vel cum Libertinis & profanis sacros cœtus Verbi Divini prædicationi destinatos frequentare detrectant, sint rei contemti ordinis à Deo Sapientissimo instituti; quo vide- A. F.

a Christi Beneficia *parta Ecclesiæ, illi offeruntur partim* Dei Verbo.

videlicet, peccato, quod per auditum introjit in mundum, per auditum vult mederi; rore & manna cœlesti promissionum suarum animas nostras pascere, *homine non ex solo pane vivente, sed ex quovis verbo prodeunte ex ore Dei* Matth. IV, 4. infirmitates nostras Verbo suo sanare, prout dicitur Psal. CVII, 20. *Mittens verbum suum curavit ipsos, & liberavit à foveis ipsorum*; & sacro illo puroque oleo lucernam fidei nostræ alere ne extinguatur; Hoc est enim illud *oleum* quod *prudentes* virgines, *ceperant in vasis suis unà cum lampadibus*, & quo *fatuæ* distitutæ cùm essent earum *lampades exstinguebantur* Matth. XXV, 4. 8.

II. (*a*) Secundò Signis sacris Verbo Dei ex ipsius institutione adjunctis aliisque sensibus expositis, ut per sensibilia & terrena, ad intelligibilia, cœlestia & æterna deducamur. Sensus enim sunt quasi fenestræ animæ per quas & foràs prospectat, & suum haurit lumen; Et certè per eas mors & peccatum illam occupaverant; *Ascendit mors ad fenestras nostras, ingressa est in palatia nostra ad exscindendum parvulos è vicis, juvenes ex plateis* Ier. IX, 21. Ut vidimus, ut periimus; *Quùm videretur mulieri bonum esse fructum arboris illius in cibum, & gratissimam esse illam in oculis, ac desiderabilem esse arboris fructum ad habendum intelligentiam, accepit de fructu ejus & comedit, etiamque dedit comedendum viro suo secum, qui comedit* Gen. III, 6. Quapropter per easdem fenestras sensuum conveniebat transmitti Gratiæ antidotum, ac nobis in eodem poculo ex quo hausimus venenum, ἀλεξιφάρμακον propinari: Etenim omnis nostra notitia incipit plerumque à sensibus, cùm nihil ferè sit intellectu, juxta Philosophos, saltem per cognitionem dianoeticam & inductivam, quod non priùs aliquo modo fuerit in sensu, & omnis institutio nostra, quando in hoc corporis ergastulo versamur, per signa debet expediri, non tantum generaliora illa quæ auditui exponuntur, sed specialiora quoque quæ visui & aliis sensibus.

III. Signa Verbo adjuncta tanquam verba quædam visibilia, sunt vel specialia V. T. vel illi & N. communia. Illa sunt (*b*) Sacrificia externa, varii ordinis & generis, in quibus Deo offerebantur res externæ & sensibiles, tam inanimatæ ex vegetabilibus, quam animatæ ex sensibilibus, cum earum destructione, vel partiali vel totali, tum in agnitionem supremi Dei Dominii & beneficiorum ab ipso acceptorum, aut petitionem acceptandorum, tum in protestationem miseriæ & peccati, tum maximè in significationem Mediatoris exhibendi & redemtionis per ipsius sanguinem futuræ; Hæc enim omnia *umbræ erant rerum futurarum, at corpus est Christi* Col. II, 17. Unde patet Sacrificiis externis & propriè dictis, qualia vetera illa fuerunt non amplius locum superesse sub Euangelio, quod adversus Pontificios Sacrificii Missatici propugnatores meritò asserimus. P.

IV. (*c*) Hæc verò sunt Sacramenta, inter quæ & Sacrificia multum est discriminis; Nam Sacrificia Deo ab hominibus offeruntur potissimum ad obtinendam & agnoscendam peccatorum remissionem, unde alia erant ἱλαστικά sive Propitiatoria, ad quæ etiam Impetratoria, quæ & Pacifica dicebantur, haud planè ineptè referas; alia εὐχαριστικά ad gratiarum actionem, quæ & suo sensu Latreutica fuisse dici possunt: Sed Sacramenta hominibus Dei nomine administrantur, ad illis significandam, obsignandam, & suo sensu exhibendam, remissionem peccatorum: Quod discrimen rectè observatum palam facit quâ fide possint Pontificii ex Eucharistiæ Sacramento, de quo postea, Sacrificium propriè dictum fabricari. P.

V. (*d*) Sacramenti nomen Latinum cùm sit, mirum non est non extare in Scripturis, quæ Hebraicè & Græcè consignatæ sunt; ut ridiculi sint Pontificii, qui inde insufficientiam Scripturarum P. volunt colligere. Imò quamvis apud Vulgatum interpretem non raro respondeat Græcorum μυστήριον, ut 1 Tim. III, 17. ubi habet *Manifestè magnum est Pietatis Sacramentum*, & Ephes. III, 3. *Secundum revelationem notum mihi factum est Sacramentum*, & Eph. V, 32. *Sacramentum hoc magnum est*; tamen notum est & *Mysterii* nomen multo latiùs patere, & nunquam sacram Scripturam illud adhibere significandis iis rebus quæ hodiè in Ecclesia Christiana Sacramentorum nomine veniunt: Et licet utraque vox hoc sensu sit ἄγραφος, tamen cùm de re constet, eam jam diuturno Ecclesiæ usu receptam, rejectam, ut fit à Socinianis, nolumus, cùm nomina sint S. instar nummorum quorum valor ex quotidiano cursu æstimatur: Quare & Pontificii Luthero & P. L. Lutherani nostris injuriam faciunt, ipsis impingentes quod ab his vocibus abhorreant.

VI. In genere, Sacramentorum nomine hodie intelliguntur sacri illi ritus à Deo sub symbolis sensi-

a *Partim* Signis Sacris *quæ sunt*. b. *vel* Sacrificia. c *vel* SACRAMENTA; *Eorum* 1. Differentia à Sacrificiis. d 2. Nomen.

ſenſibilibus & corporeis inſtituti, qui arcanam & myſticam aliquam ſignificationem habent, & aliud ſunt quam quod ſignificant; quique ſcriptoribus Græcis modò μυςηεὶα, modo τελετοι dicuntur, vocibus ab Ethnicorum ſacris mutuatis; Adeo non fuit Antiquitas circa voces ſcrupu-
F. loſa, ut hodierni Præciſiſtæ, qui fluctus excitant in ſimpulo, & λογομαχὶας vel fovent, vel ſerunt in Eccleſia. Et cùm in iis aliquid ſit religioſi & ſacri, Latinis *Sacramenta* dicta ſunt: Quam enim non reſpexerint Veteres ad uſitatam apud Romanos iſtius vocis acceptionem, vel pro pecunia à litigantibus depoſita apud Pontificem, ut victor ſuam, finitâ lite, reciperet, ſuâ verò mulctaretur qui cauſâ cadebat, vel pro quolibet pignore, vel pro juramento militari, quod imperii Romani grave Myſterium dicitur Herodiano, inde liquet quod Sacramenti nomen promiſcuè uſurpatum legimus apud Patres, & multis aliis rebus applicatum quam ſacris illis ſignis ac ſigillis ad quæ ſequior ætas illud reſtrinxit.

VII. Quod ſi tot propriè dicta forent Sacramenta (uti illud nomen hodiè ſumitur) quot res ſunt quæ Sacramenta Veteribus, imò & in
P. formulis Liturgicis Pontificiorum, dicuntur, næ eorum multitudo in infinitum excreſceret: Quanquam negari non poteſt quaſdam analogias poſſe obſervari inter Sacramenta propriè dicta, & ea quæ Latinis veteribus ſub eo nomine veniebant; quippe quod illis ceu militari Sacramento ad militiam ſpiritualem auctoremur, fidem noſtram Chriſto Imperatori obligemus, & pignora conſequamur noſtræ abſolutionis & juſtificationis pro tribunali Dei, & quod *nulla nunc ſit condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem incedunt, ſed ſecundum Spiritum* Rom. VIII, 1.

VIII. Sacramenta autem propriè dicta, non commodiùs poſſunt definiri, quam (*a*)*Signa ſacra & viſibilia divinitùs inſtituta ad obſignandas conſcientiis noſtris promiſſiones ſalutis in Chriſto, & noſtram viciſſim fidem & pietatem erga Deum tam coram ipſo & Angelis quam apud homines conteſtandam*. Qui genus Sacramenti faciunt Symbolum, aut Ritum, aut Ceremoniam, in qua videlicet non quid ſit, ſed quid ſignificet, attendatur, eo-
L. dem redeunt. Qui mordicùs urgent, ut Lutherani, Sacramentum eſſe potius *actionem* quam *ſignum*, I. (*b*)Sacramento aſſignant duo genera, non ſubordinata, ſed planè diſparata; II. Contradicunt Scripturæ quæ Sacramenta ſigna vocat: *Circumcidetis carnem præputii veſtri ut ſit ſignum fœderis inter me & vos* Gen. XVII, 11. *Signum accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei* Rom. IV, 11. *Baptiſma* eſt ἀντίτυπον quod *nunc nos ſervat* 1 Petr. III, 21. Imò & toti Antiquitati, apud quam noſtra Sacramenta frequentiſſimè, Signa, Symbola, Typi, Antitypa, Imagines &c. dicuntur; III. Quamvis actiones quædam tum à Miniſtro conferente, tum à piis recipientibus Sacramentum, ſint de illius vel eſſentia vel perfectione in actu exercito, illæ tamen eò faciunt per eſſe ſuum non naturale & phyſicum, ſed morale, myſticum & ſignificativum.

IX. Nec ideo Sacramentum erit actio, eo L.
quod mediante actione ſignet, ut vult Meiſnerus; cùm hoc ſit commune omnibus ſignis ex inſtituto, quæ per id ſigna eſſe non deſinunt: voces non deſinunt eſſe ſigna rerum πρωτῶς & per ſe, eo quod non ſignificent niſi ſit qui agat & loquatur: Sacramenta quidem extra uſum deſinunt eſſe Sacramenta, ſed non ideo *uſus* erit genus Sacramenti. Multa neceſſariò rerum eſſentiam conſequuntur, quæ tamen immediatè & per ſe eam non conſtituunt. Nec genus Sacramenti deſinit eſſe ſignum, eo quod ad Sacramenti materiam, duo requiramus, rem terrenam & cœleſtem.
Nam quamvis rem cœleſtem Sacramenti negemus Lutheranis ſignum dici poſſe, cùm potius L.
ſit res ſignata, & inſaniant revera Pontificii qui
Chriſtum in Euchariſtia ſui ipſius ſignum eſſe vo- P.
lunt, nihilominus id quod conſtat re partim terrena partim etiam cœleſti, poteſt dici ſignum; ſigno ſumpto, non materialiter in ſuo eſſe naturali aut oppoſitè ad rem ſignificatam, ſed in ſuo eſſe intentionali, juxta quod talem imporrat σχέσιν ad rem ſignificatam ut ea ſuo conceptu dicat & involvat.

X. Ut autem id meliùs intelligatur ſciendum eſt, (*c*)ſignum hìc à nobis intelligi non quod *formale* dicitur Scholaſticis, & notat ſpeciem ipſam à facultate cognoſcente, cui ſignum proponitur, receptam; ſed illud quod vocatur (*d*)*inſtrumentale*, eſtque id quod ſeipſum ſenſibus & rem à ſe diverſam (nihil enim eſt ſignum ſui ipſius, quicquid contra delirent Jeſuitæ) intellectui repræſentat,
hoc eſt ſuo modo præſentem facit. Quin autem P.
Sacramenta ſigna ſint inſtrumentalia, nemo ſanus eſt qui revocet in dubium; cùm illis ceu organis

a 3. Definitio. b 4. Genus, *Signum*. c *Signum hoc quale*; d *nempe Inſtrumentale*.

ganis & instrumentis utatur Deus ad gratiam suam nobis suo modo offerendam & conferendam.

XI. Et cùm signorum alia sint naturalia, ut fumus ignis, alia prodigiosa ut cometa pestis, alia ex instituto sive data, vel humanitùs ut hedera vini vendibilis, vel (*a*) divinitùs ut iris signum est diluvii non amplius futuri, *Hoc est*, inquit (*b*) Dominus, *signum fœderis illius quod ego dispono inter me & vos, omnemque animantem quæ est vobiscum* Gen. IX, 12. Sacramenta signa quòd sint posterioris ordinis debent à Deo esse instituta; cùm solius supremi Magistratus sit in Republica sigilla constituere. Quare (*c*) *Consecratio* Sacramentalis (hîc loquimur cum vulgo, aliàs enim observant Eruditi vocem hanc *Consecrationis*, Ethnicam esse & Magicam) non fit vocularum quarundam demurmuratione magicâ super elemento, ut sta-
P. tuitur in Papatu, sed elementi secretione ab usu profano, & applicatione juxta Dei Verbum, promissionem & institutionem, ad usum religiosum & sacrum: Quod verbum suo sensu operativum dici potest, quatenus per illud symbola mutantur, non physicè quoad substantiam quæ remanet semper, sed moraliter quoad usum & significationem; ut cùm lapis authoritate Magistratus in limitem, aut cera in sigillum, abit.

XII. Hinc liquet, I. Ea non esse Sacramenta Ecclesiæ, quæ immediatè à Christo (non dele-
P. gatâ, ut vult Becanus, sed propriâ autoritate) eum in usum instituta non leguntur: quod suppositítiis quinque Sacramentis Pontificiorum evertendis sufficit. II. Jus non esse Ecclesiæ quicquam immutandi ex essentialibus Sacramentorum, hoc est recedendi à Divina institutione, ut factum in
P. Papatu sublatione Calicis Eucharistici; quicquid circa ritus eorum externos & circumstantias indifferentes ei sit licitum ad ædificationem publicam. III. Nulli mortalium fas esse nova Sacramenta Ecclesiæ obtrudere, aut Sacramentalia cudere, cujusmodi tam multa obtinent in Papatu institu-
P. tionis meræ humanæ; ut sunt aqua lustralis, agnus Dei, grana benedicta, & sexcenta similia; quibus haud minorem efficaciam tribuunt quam ipsis Sacramentis divinitùs institutis V. T.

XIII. Et sicut solus Deus est Author Sacramentorum, sic eorum administratio (*d*) iis demum convenit quibus Deus eam demandavit in Verbo
P. suo; non Angelis utique, quos Pontificii nonnulli perperam faciunt Ministros idoneos Sacramentorum; sed hominibus iis quibus Euangelii sui præconium speciatim commisit: Ut nefas sit, vel Socinianis statuere quævis Sacramenta ab eo S.
posse administrari qui Verbi Divini minister non est, vel Pontificiis nonnullorum administratio- P.
nem laicis, mulierculis, imò etiam Ethnicis ac Judæis, licitam facere; cùm tamen Verbi prædicationem & administrationem Sacramentorum conjungat Scriptura; *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis* Matth. XXVIII. 19. 20. *Sic de nobis reputet homo ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei* 1 Cor. IV, 1. *Neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron* Hebr. V, 4. Sigilla publica non à quibusvis citra falsi pœnam possunt tractari. In Sacramentorum autem Ministris, ut suum esse & fructum consequantur non requiritur I. (*e*) Vitæ absoluta puritas, ut Novatiani & Donatistæ olim censuerunt; quia Sacramentorum efficacia & integritas pendet ex institutione Divina, non ex ministri dignitate. Par enim est ratio eorum, quæ præconii Verbi Divini; Jam autem notum est illud Christi de Scribis & Pharisæis; *Omnia quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite; sed secundum opera eorum ne facite; dicunt enim & non faciunt* Matth. XXIII, 2. Et sanè *nonnulli quidem per invidiam & per contentionem, nonnulli verò etiam bono affectu & ex charitate Christum prædicant: Attamen quovis modo, sive in speciem, sive sincerè, Christus annunciatur* Phil. I, 15. 17. 18. nec ministrorum quorundam occulta *infidelitas, fidem Dei inanem reddet* Rom. III, 3.

XIV. (*f*) Nec II. Intentio vel *habitualis* vel *vir-*
tualis (necdum *actualis*) ut nugantur Pontificii, P.
faciendi saltem quod facit Ecclesia; Modò ex ordine recepto id fiat quod præscripsit Christus esse faciendum, circa hujus vel illius Sacramenti celebrationem & administrationem. Peccat quidem minister si satis religiosè in sacro isto munere non versetur, neque illud cogitet *Hoc age*, sed tamen suæ intentionis vel alienatione per incogitantiam, vel aversione datâ opera & ex consilio, nihil decedit institutioni Divinæ. Impium verò illud dogma de intentione necessaria, ex quo omnia ibi, ipseque Papatus & quotidiana adoratio hostiæ, dubia manent & incerta, & homines illius communionis periculo objiciuntur quotidianæ Idololatriæ, ac insuper contrarium doctrinæ, Pontifi-

a *Ex Instituto divino.* b 5. Author. c *Unde Consecratio.* d 6. Ministri. e *Qorum ad id nec vita planè sancta.* f *Nec præcisa Intentio requiritur.*

ciæ de opere operato, non alium in finem obtinet apud istos quam ampliandæ dignitatis & potestatis Sacrificulorum, ex quorum intentione tanquam ex tenui filo pendeat totius populi vel salus vel ruina.

XV. (*a*) Materia Sacramentorum in genere duplex est, nempe terrena & cœlestis, quarum utramque signum in esse suo intentionali complectitur, sic tamen ut illa ad signum materialiter consideratum, hæc ad signatum pertineat. Nec enim admittimus hìc Pontificiorum sententiam, P. qui solo Elemento externo materiam Sacramenti definiunt, Verbo formam; cùm materia Sacramenti latiùs pateat elemento externo, & complectatur suo modo etiam verba quæ juxta Dei institutionem in Sacramenti administratione sunt adhibenda: Et cùm ratione saltem possit distingui Verbum *Concionale* à Verbo *Institutionis*, licet realiter idem sint, illud ad modum duntaxat & decentiam administrationis pertinet, istud vero ad Sacramenti ipsius integritatem & essentiam: ac duabus partibus constat, Præcepto de legitima ipsius celebratione, & Promissione de illius fructu.

XVI. Itaque ad (*b*) materiam terrenam sive externam Sacramenti, præter Verba quæ sunt tunc adhibenda, aliasque Ceremonias & actiones ab administrante & celebrante requisitas, quibus sua in est mystica significatio, requirimus substantiam aliquam corpoream & visibilem circa quam versentur illæ actiones tum administrantis tum recipientis, & quæ *Elementum* vulgò appellatur. Quod monemus propter Pontificios, qui talia nobis cudunt Sacramenta, in quibus nulla materia externa & visibilis comparet: cujusmodi sunt Pœnitentia, Matrimonium, Ordo: nam in his P. tribus nullum Elementum ostenditur cui Verbum accedat ut fiat Sacramentum: Idem dici posset de Confirmatione, cujus Chrisma Jesuitæ hodierni negant illius esse materiam. Ritus enim externos, cujusmodi est in Ordinatione & Confirmatione impositio manuum, aut sonos & verba, qualia in Confessione vel Matrimonio ineundo usurpantur, pro rebus & elementis venire est absurdum. Imò hinc sequitur nec in Eucharistia post consecrationem fore Sacramentum, si, quod iidem volunt, materia panis & vini desinat esse ac annihiletur, solis accidentibus externis remanentibus.

XVII. (*c*) Signatum in Sacramentis Ecclesiæ, sive eorum materia cœlestis, est Christus cum suis beneficiis; quod obtinuit quoque sub V. T. Nam circumcisio erat *signum & sigillum justitiæ fidei* Rom. IV, 11. nec Christus *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum* diceretur 1 Cor. V, 7. nisi ipse fuisset res in Paschate significata: Quin dicuntur Patres *eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse*, non secum P. L. modò, ut vellent Trans & Consubstantiatores, sed nobiscum, *bibebant enim ex sequente spirituali petra, Petra verò illa erat Christus* 1 Cor. X, 3. 4. Unde etiam liquet Sacramentis communibus Ecclesiæ Ordinationem Ministrorum non esse P. annumerandam, licet suos certos habeat & determinatos ritus; utpote quibus non significatur præcisè Christus & gratia ipsius salutaris, quæ *gratum faciens* vulgò dicitur, sed ordinati consecratio ad munus speciale, & collatio charismatum in illo necessariorum, quæ *gratiæ gratis datæ* nomine in Scholis veniunt; quò pertinet illud Pauli ad Timotheum, *Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii* 1 Tim. IV, 14. Idem P. dico de Unctione olim usurpata, primùm ab Apostolis, qui in sua prima profectione *ungebant oleo multos ægrotos & sanabant eos* Mar. VI, 13. deinde ab Apostolicis viris, secundum id quod habet Jacobus, *Infirmatur aliquis inter vos? accersat prisbyteros Ecclesiæ & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei servabit laborantem erigetque eum Dominus* Jac. V, 14. 15. Ea enim licet Symbolica, tamen directè & per se non gratiæ salutari in Christo, sed per Dei beneficium convalescentiæ temporali, significandæ destinabatur; ut frustra sint Pontificii dum inde imaginarium suæ Extremæ Unctionis Sacramentum, fabricari annituntur.

XVIII. Hæ duæ partiales materiæ Sacramenti inter se uniuntur, unione non *physicâ*, qualis est accidentis cum subjecto, aut *locali* per indistantiam & contactum, aut etiam *spirituali*, per infusionem virtutis alicujus in ipso signo physicè latentis; sed *relativâ* & Sacramentali; quâ videlicet signum rem signatam intellectui exhibet & præsentem facit, fide tamen & spiritualiter percipiendam. Quo observato corruit non solùm opus operatum Pontificiorum, sed insuper quic- P. L. quid Metusiastæ & Synusiastæ de corporis Christi præsentia indistanti in Sacra Cœna comminiscuntur.

XIX.

a 7. **Materia, *duplex*.** b **Eterna ac** c ***Interna & cœlestis.***

XIX. (*a*) Forma verò Sacramentorum *Externa* consistit in legitima tum administratione, tum participatione eorum juxta Dei mandatum, intra cujus limites circa essentialia Sacramentorum semper est consistendum; *Interna* & essentialis in illa σχέσει & analogia signi ad rem signatam; quod ne quidem penitùs negant Pontificii, quoties Sacramentum considerant per modum compositi *artificialis*, etsi aliud sibi fingant si consideretur per modum compositi *physici*: Quod verò plerumque Scholastici Verbum institutionis formam Sacramenti statuunt, ideo est quod Verbo illa σχέσις & analogia nobis exprimitur, tum quoad ordinationem signi ad rem significatam, tum quoad effectuum utriusque convenientiam & similitudinem.

XX. Quod autem adversarii contra pertendunt talem analogiam extra Sacramentum locum habere, & inde sequi Sacramenta V. T. illustriora esse nostris, ac Sacrificia cum Sacramentis confundi, nihil facit ad rem; Quippe cùm analogiam hîc intelligamus quæ pendeat non ex sola physica aptitudine elementi ad rem cœlestem significandam, quam tamen Deus pro sua sapientia consideravit in institutione Sacramentorum, sed potissimum ex illius practica, morali & actuali *significatione*, quæ est simul rei significatæ obsignativa & præbitiva juxta Dei institutionem & promissionem. P.

XXI. Atque ex illa (*b*) analogia Sacramentali quæ intercedit signo cum re signata, oriuntur phrases illæ Sacramentales, per quas signis externis rerum signatarum nomen tribuitur, Veteribus agnitæ, communi usu receptæ, frequenter Scripturis usurpatæ: Sic enim de Circumcisione ipse Deus; *Hoc est fœdus meum inter me & vos, & semen tuum post te, quod servabitis, ut circumcidatur vobis omnis mas: Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos* Genes. XVII, 10. 11. Sic Josephus ad Pharaonem, *Septem illæ vaccæ bonâ formâ septem anni sunt, & septem illæ spicæ bonâ formâ septem anni sunt; Somnium unum est: Septem verò vaccæ istæ exhaustæ & malâ formâ ascendentes post illas, septem anni erunt, & septem spicæ exhaustæ adustæ Euro, erunt septem anni famis* Gen. XLI, 26. 27. Sic de agno Paschali dicitur, *Pascha est Iehovæ* Exod. XII, 11. & *Petra* illa spiritualis ex qua bibebant Patres in deserto *erat Christus* 1 Cor. 1, 4. Sic Baptismus dicitur *lavacrum regenerationis* Tit. III, 5. Sic *septem capita* Bestiæ, *septem montes sunt super quos mulier sedet* Apoc. XVI, 9. ut Apoc. I, 20. *septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, & septem candelabra septem Ecclesiæ sunt*. Et qui in ejusmodi locutionibus cum Pontificiis & Lutheranis τὸ ῥητόν urgere videntur, incurrunt in difficultates inexplicabiles, & absurdos tropos ac *inusitatas*, uti vocant, prædicationes ab ipso ῥητῷ longè remotas comminiscuntur. Et quamvis non multum referre quibusdam videatur, utrum in copula an in prædicato tropus constituatur, cùm perinde sit dicere *est* poni pro *significat*, vel *corpus Christi* v. g. poni pro signo corporis Christi, tamen prius, saltem in verbis Christi *Hoc est corpus meum*, omninò statui debet; Siquidem hic est stilus ordinarius sacrarum literarum ut in natura signorum explicanda *est* usurpent pro *significat*; eò magis quod lingua Hebraica carens verbo quod huic posteriori respondeat, prius ejus loco vel subintelligere vel adhibere solet. Quod si tropum in prædicato constituas, tum definet ibi disparatum de disparato prædicari, ut omninò statuendum iis qui tropicam hîc loquutionem agnoscunt. Quod verò quidam dicunt, tropum non posse cadere in copulam, frivolum est; cùm eidem voci *est*, duplex munus possit incumbere, Logicum copulandi, & Grammaticum sive Rhetoricum, tropum sustinendi, ut denotet *esse* non proprium & substantivum, sed figuratum & significativum. P.L.

XXII. (*c*) Finis Sacramentorum, non est tantum, quod volunt perperam Anabaptistæ, Sociniani, Swenkveldiani & Sacramentarii alii, à quorum errore non multùm recedunt Remonstrantes, ut sint publicæ tesseræ professionis nostræ, aut signa nonnisi theoreticè commemorativa, aut vincula mutuæ charitatis (quamvis & huc inserviunt, ut dicit Paulus, *Unus panis & unum corpus nos multi sumus, nam omnes ex illo uno pane participamus* 1 Cor X, 17.) sed ut sint instrumenta moralia per quæ Deus, ut per Verbum suum, nobis gratiam suam offert ac exhibet, & obsignat fidelibus promissiones Euangelii: Sunt enim signa non tantum vel *commemorativa*, vel *discretiva*, sed etiam gratiæ divinæ *obsignativa*, ac suo modo *exhibitiva* rei significatæ; prout clavium traditione quis mittitur in ædium possessionem, & olim Episcopi per annulum & baculum investituram suam consequebantur. A.S. F.R.

XXIII. Sacramenta esse signa (*d*) *obsignantia*

sive

a 8. Forma *externa & interna*. b *Ex illa* Analogia *oriuntur Phrases Sacramentales*. c 9. Finis. d *Obsignatio Sacramentalis*.

ſive ſigilla juſtitiæ quæ eſt per fidem, adeoque P, fidei noſtræ confirmativa, dum negant Pontificii, & ipſi Scripturæ, quæ Circumciſionem vocat *ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei* Rom. IV, 11. & Sacramentorum naturæ reluctantur: Nec enim videmus cur de noſtris Sacramentis id negetur quod Iridi ac Circumciſioni expreſſè tribuitur; Illi Gen. IX, 12. *Hoc eſt ſignum illius fœderis quod ego diſpono inter me & vos*, ut ſcilicet veritas hæc nobis obſignetur, non futurum amplius diluvium; Iſti Gen. XVII, 11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri ut ſit ſignum fœderis inter me & vos*, quo nempe vobis iſtius fœderis promiſſiones certò obſignentur. Nec repugnat fidem requiri ad uſum Sacramenti, & tamen per illud confirmari; cùm etiam viſus prærequiratur ad uſum conſpiciliorum, etſi per illa juvetur ac confirmetur: Accedunt autem Sacramenta per modum ſigillorum ad Dei Verbum, non ut ipſum Dei Verbum in ſe confirment; cùm è contrario nobis conſtet ex Dei Verbo de illorum uſu, inſtituto & natura; ſed ut nos certiores reddamur promiſſionum quæ in Dei Verbo proponuntur & offeruntur.

XXIV. Etenim conveniunt quidem in multis Verbum & Sacromentum; cùm utrumque, I. Extrinſecùs deſtinetur ad ſalutem hominum promovendam; II. Verſetur circa idem objectum; nam quod illud promittit, hoc confirmat; III. Solis credentibus proſit: Sed diſcrepant in plurimis: Nam I. Verbum eſt audibile, Sacramentum viſibile; adeoque quoad nos multum ponderis addit certitudini, non quidem *objectivæ*, ſed *ſubjectivæ*, promiſſionum divinarum; quia quod pluribus ſenſibus ſimul offertur ac apprehenditur, altiùs deſcendit in animum, quàm quod ſolo auditu percipitur. II. Verbum inchoat fidem, eam Sacramentum confirmat; ideò hoc nonniſi fidelibus ſuo ſenſu, eorum-ve liberis, adminiſtratur; illud verò etiam infidelibus annunciatur. III. Adultis Verbum prodeſt ſine Sacramento, Sacramentum non ſine Verbo. IV. Verbum in communi promiſſiones Dei offert, Sacramentum unicuique recipienti ſigillatim eas obſignat.

P. L. XXV. Nec tantum Sacramenta ſunt ſigna *obſignantia*, ſed etiam applicantia & (a)*exhibentia* ſuo modo rem ſignificatam; ne quis hîc cum Lutheranis & Pontificiis calumnietur, nos Sacramenta pro nudis picturis & inanibus imaginibus habere: Res enim ſignata exhibetur in Sacramentis ex parte Dei offerentis & promittentis, etſi non recipiatur ab eo qui fidem illi receptioni neceſſariam non adhibuerit: Nam non exhibetur Sacramento, ceu phyſicè conjuncta ſigno materiali, ſed in Sacramenti uſu ex pacto Divino, iis qui diſpoſitiones & conditiones requiſitas eò contulerint. Atque hinc fit quod ſignum externum à Miniſtro, res ſignata internè à Spiritu Sancto porrigatur; quod & teſtabatur Johannes Baptiſta dicens, *Ego quidem baptizo vos aquâ in reſipiſcentiam, is verò qui pone me venit, validior me eſt, cujus non ſum dignus qui ſoleas portem, ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto & igne* Matth. III, 11. Dat Miniſter in Cœna panem Domini, Deus immediatè per Spiritum ſuum panem qui eſt Dominus.

XXVI. (b) Sunto itaque Sacramenta media & inſtrumenta moralia gratiæ Divinæ nobis offerendæ & confirmandæ; negamus tamen illa eſſe gratiæ cauſas phyſicas, vel primarias, vel inſtrumentales, ipſum effectum ad quem ordinantur attingentes, ac ut Pontificii barbarè loquuntur, illud P. producentes *ex opere operato* in iis qui obicem non ponunt. Abſit enim à nobis, ut ſtatuamus ſolam actionem Miniſtri externam, activè, verè, proximè, phyſicè & inſtrumentaliter efficere gratiam juſtificationis, aut transferamus in inſtrumenta externa, (quæ nunquam eò poſſunt elevari, magis quam activitas Angeli ad creationem, aut bonorum noſtrorum operum ad noſtram juſtificationem, vel productionem vitæ æternæ,) Dei actionem propriam & incommunicabilem: Ac ſicut Pontificii circa illud *opus* P. *operatum* mirè inter ſe diſſentiunt & ἀσύστατα loquuntur, dum non tantum *obicis* remotionem, ſed varias inſuper *diſpoſitiones* requirunt in eo qui accedit ad Sacramentum, ac pertendunt eò plus gratiæ quemlibet recipere, quò meliùs fuerit diſpoſitus; ita Lutherani *opus oporatum* Pontificio- L. rum, quod verbis negant, re ipſâ propugnant, dum vix minus efficacia actioni externæ adſcribunt, quam illi qui Sacramenta cauſas gratiæ proprias ſtatuunt.

XXVII. (c) Quamvis enim fides non ſit de eſſentia ipſius Sacramenti, ſicut non eſt de eſſentia prædicationis Verbi Divini, tamen ut hæc nihil prodeſt abſque fide, *Non profuit illis*, inquit Paulus, *auditus ſermo, ut qui fidei contemperatus non fuerit apud illos qui audierant* Hebr. IV, 2. ſic Sacramentorum efficacia nulla eſt ſalutaris in incre-

dulis

a *Exhibitio rei ſignificatæ.* b 9. Efficacia. c *Quæ ſalutaris eſt à fide:*

dulis: aquâ illi corpore abluuntur, non mente gratiâ: comedunt panem Domini, at non vescuntur pane qui est Dominus; quò illud queat accommodari, *Non qui est in propatulo Iudæus, Iudæus est, nec ea quæ est in propatulo circumcisio, idest in carne, circumcisio est, sed qui in occulto. Iudæus est & circumcisio cordis, idest in spiritu non in litera, cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo* Rom. II, 28. 29. Ideo olim solemne erat fidem ejusque confessionem stipulari ab iis qui ad Sacramentum initiale admittebantur, ut videre est Act. VIII, 36. 37. ubi Eunucho dicenti, *En aquam, quid prohibet me baptizari? dixit Philippus, Si credis ex toto corde, licet: respondens autem ille dixit, Credo Iesum Christum esse Filium illum Dei*; quo dicto baptizatus fuit: Eoque proculdubio respiciebat Petrus, dicendo, *Cui rei*, saluti arcæ per diluvii aquam, (sive *Quâ aquâ*, ut alii putant) *nunc respondens exemplar*, ἀντίτυπον, idest revera Sacramentum *baptismi, nos quoque servat, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi* 1 Pet. III, 21. Imò Symbolum fidei eò potissimum inserviebet: Tantum abest ut censeretur Sacramentum *mortuorum*, prout
P. à nonnullis Pontificiis perperam appellatur.

XXVIII. (*a*)Et cùm infinitis controversiis se ipsos implicent Pontificii circa eam *gratiam* quam unumquodqueSacramentum immediatè confert, eo magis quod ad pleraque Sacramenta recipienda gratiam *dispositivè* requirant, illæ omnes difficultates expediuntur statuendo Sacramenta, I. Obsignare nobis gratiam justificantem, hoc est, nos certos reddere de remissione peccatorum ex gratia Dei & sanguine Christi; II. Conferre suo modo, fovere, nutrire & augere gratiam illam habitualem, cujus per præsentiam Spiritus adoptionis & regenerationis particeps est unusquisque fidelium: Sed quæ insuper nugantur illi de quodam *charactere indelebili*, qui animæ im-
P. primatur per Baptismum, Confirmationem & Ordinem, ac remaneat etiam in inferno, tam sunt à Scriptura & Antiquitate aliena, ut ea retulisse refutasse sit.

XXIX. Porrò ex his quæ antea disputavimus hæc tria colligere est; I. Sacramenta communia esse fœderatis omnibus quoad signa, sed propria solis electis & credentibus quoad rem signatam in suo esse reali, (non merè intentionali & significato,) ex qua quisque tantum percipit quantum se percipere crediderit: non quia dicitur, sed quia creditur. II. A Ministris sola signa tractari & præberi, rem signatam quo dixi modo à solo Deo conferri, prout in prædicatione Verbi sonus & voces sunt præconis, gratia conversiva ipsius Dei. III. (*b*)Sacramenta illi quem diximus fini esse necessaria, necessitate non *absoluta*, sed *conditionali*, ex hypothesi institutionis divinæ, quâ Deus se voluit nostro captui accommodare; Si enim planè essemus spirituales iis subsidiis non egeremus: Necessitate item non *medii*, ut de suis qui- P.
busdam fingunt Pontificii, sed tantum *præcepti*, ut damnet Sacramenti non mera privatio, sed contemptus, quia cum fide nequit consistere. Quamvis enim Sacramenta media sint ad salutem à Deo constituta, non tamen ideo habent necessitatem medii sine quo salus non possit obtineri: Nam Deus suam gratiam non alligavit Sacramentis, & ut-ut varia adhibeat media attemperata & accommodata nostro captui quibus salutem nostram promovet, tamen etiam opus suum potest absque illis mediis externis nihilominus in suis Electis peragere.

XXX. (*c*)Sacramenta autem, Alia fuerunt ante lapsum, arbores duæ in Paradiso, in quarum alia obedientiam protoplasti Deus explorabat, in alia obedienti promissiones non tantum fœlicis status illius diutissimè continuandi, sed etiam tandem pro colophone cœlestis immortalitatis consequendæ, obsignabat; Alia verò post lapsum, quæ fuerunt iterum aut Veteris Testamenti, aut Novi. (*d*) Hæc autem conveniunt in genere proximo, non analogicè tantum, ut volunt Pon- P.
tificii, sed univocè, quatenus utrobique eadem est causa efficiens, nempe Deus; eadem res significata, nempe Christus cum suis beneficiis; idem instrumentum rem significatam percipiendi, nempe fides; idem finis, effectus & modus operandi.

XXXI. Nec enim assentimur vel Pontificiis, P. L.
vel Lutheranis, qui ipsi Paulo 1 Cor. X, 3. 4. negant Patres *comedisse eundem cibum spiritualem nobiscum*, cùm fides non minus Christum adhuc venturum illis præsentem stiterit, quam nobis jam exhibitum; *Abraham Pater ille vester gestivit videre diem istum meum, & vidit ac gavisus est* Joh. VIII, 56. Est enim *Iesus Christus heri & hodie idem & in sæcula* Heb. XIII, 8. Ne-
que concedimus Pontificiis hoc esse discrimen in- P.

a 10. Effecta. *b* 11. Necessitas. *c* 12. Distributio *in Sacramenta ante lapsum & post lapsum, eaque V. & T. N.* d *Hæc ut conveniant.*

ter Sacramenta vetera & nova, quod hæc gratiam conferant ex opere operato, illa non nisi ex opere operantis, id est pro fide, obedientia & devotione suscipientium; quamvis ex eo censu plurimi eximant Circumcisionem, cui eandem efficaciam tribuunt cum Baptismo: Opus operatum antea refutavimus; Sed absit à nobis ut Sacramenta vetera statuamus inania signa & cenotaphia ac umbras rerum expertes; Nec enim *umbræ* dicuntur Col. II, 17. comparatè ad nostra Sacramenta, nisi forte si post hæc instituta adhuc observarentur, sed ad Christum; *Hæc sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi*, quem sanè & significabant, & suo modo exhibebant, ceu *agnum illum mactatum jam inde à jacto mundi fundamento* Apoc. XIII, 8.

XXXII. (*a*) Differunt tamen nova à veteribus, non ut placet Pontificiis & quibusdam ex Antiquis, ut prototypa à suis typis; (nec enim hæc ab illis adumbrata aut significata fuerunt, cùm Christus utrobique significetur:) sed I. Signis & ritibus externis. II. Facilitate utendi. III. Modo significandi; quia hæc Christum exhibitum spectant, illa Christum exhibendum respiciebant. IV. Numero; cùm nostra sint pauciora, augustiora & significantiora. V. Amplitudine, ut fœdus Novum latiùs patet quam Vetus. VI. Duratione; cùm illa finem sumpserint cum lege Mosaica, hæc ad finem usque mundi sint duratura. VII. Claritate & perspicuitate, non tam ex signorum materia, quam ex Verbi adjuncti institutione; quo sensu possunt opponi ut *umbra bonorum futurorum*, sive eorum delineatio ὡς ἐν τύπῳ quam *Lex obtinuit*, & *expressa forma rerum* Hebr. X, I. Denique cum Sacramenta vetera duplicem quasi habuerint χρῆσιν, unam Legalem de qua Col. II, 14. ubi dicuntur *rituum chirographum quod adversus nos erat*, & Gal. V. 2. ubi Paulus ait, *Ecce dico vobis, Si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum; testor enim omni homini qui circumciditur eum esse debitorem totius Legis servandæ*, alteram Euangelicam de qua Rom. IV, II. ubi Circumcisio dicitur *signum & sigillum justitiæ fidei*; Nova ad solum ministerium Spiritus & vitæ respiciunt.

XXXIII. (*b*) Falluntur meo judicio qui Sacramenta Veteris Testamenti duo tantum faciunt, nempe Circumcisionem & agnum Paschalem, quibus successerint sub N. F. Baptismus & Sacra Cœna; Nam ut taceam analoga extraordinaria in deserto Sacramenta; Baptismi in nube & in mari, Nutritionis ex manna & aqua rupis; *Nolim vos ignorare, fratres, patres omnes nostros sub illa nube fuisse, & omnes per mare transivisse, & omnes in Mosen baptizatos esse in nube & mari, & omnes eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse* I Cor. X, I. 2. 3. 4. Omnes item purificationes, ablutiones, expiationes, Lege præscriptas; Sanè omnia convivia sacra in quibus tum Sacerdotes tum populus ex oblatis coram Domino epulabantur, & sic in mensæ Divinæ communionem veniebant, suo modo Sacramentalia fuerunt, confirmandæ ac alendæ piorum fidei & obsignandis promissionibus divinis destinata. Sed Theologi sistunt præsertim in Circumcisione & Paschate, quod illa esset Sacramentum ordinarium initiationis, ut nunc nobis est Baptismus, qui etiam *circumcisio Christi* dicitur Col. II, II. hoc verò nutritionis per Christum *Pascha nostrum* I Cor. V, 7. qui etiam illi Sacram Cœnam eum in finem subrogavit.

XXXIV. (*c*) Circumcisionis institutionem habemus Gen. XVII, II. & seq. Ex Lege Dei debebat peragi in solis masculis, in quibus fœminæ ut censebantur, sic etiam circumcidebantur, (ut illis, quod nugantur Pontificii, nullo Sacramento opus fuerit Circumcisioni analogo) idque octavo die, quia tenerior infans citiùs id pa[ti n]on poterat, & in mysterium resurrectionis Christi. (*d*) Ejus signum externum fuit præputium, tum resecandum, tum resectum. Res significata fuit insitio Fœderi, & Sanctificatio merito & sanguine Christi: quare nec sine sanguine, nec sine dolore, & cum nominis impositione, peragebatur; quamquam & id suam habuit χρῆσιν legalem, ad significandam hominis corruptionem, & quod statim ac natus est dignus sit morte. Convenienter autem eâ parte fiebat, tum ad labem originalem quæ generatione propagatur connotandam, tum ad regenerationem significandam. (*e*) Eo quod non ante octavum diem perageretur ex Dei instituto, constat contra Pontificios non periisse æternùm pueros in præputio morientes, ut statuere videntur, & ex sua hypothesi de absoluta necessitate Baptismi tenentur, contra assertionem Scripturæ; *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te in ætates tuas, ut fœdus sit perpetuum me esse tibi Deum & semini tuo post te* Gen. XVII, 7. *Quod si primitiæ sanctæ, sancta etiam massa, & si ra-*

a *Ut differant.* b *V.T* Sacramenta plura quam duo. c I. CIRCUMCISIO. *qua explicatur per partes.* d Objectum Materia. e Tempus.

ſi radix ſancta eſt, etiam rami Rom. IX, 16.

XXXV. (*a*)Necſolum debuit eſſe nota, Judæorum diſcretiva, (unde Gentiles *præputii* Judæi *circumciſionis* nomine exprimuntur ſæpè, ut Rom. II, 26. Gal. II, 7.) quorum adeo carni fœdus Dei quaſi inſculperetur; Sed etiam regenerationis organum, prout mandatur Iſraelitis ut *circumcidant præputium cordis ſui* Deut. X, 16. imò hæc iiſdem fit promiſſio, *Circumcidet Iehova Deus tuus animum tuum & animum ſeminis tui, ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, ut vivas* Deut. XXX, 6. Nec alia de cauſa regeneratio noſtra, ut etiam in Baptiſmo ſignificatur, metaphorâ inde deſumptâ exprimitur; *In quo*, ſcilicet Chriſto, *circumciſi eſtis circumciſione quæ fit ſine manibus, corpore carnis exuto per circumciſionem Chriſti* Col. II, II. Tum quoque initiatio fœderalis juxta illud Gen. XVII, 10. *Hoc eſt fœdus meum inter me & vos*, ac *& ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei* Rom. IV, II. confirmativum promiſſionum divinarum & piorum conſolatorium; Hoc nixus fundamento David rogabat, *Quid fieret viro qui percuteret Philiſtæum illum & auferret opprobrium ab Iſraele? Quis enim Philiſtæus præputiatus iſte, qui probro afficit acies Dei viventis?* I Sam. XVII, 25. (*b*)Ejus neceſſitas ſub graviſſima pœna ſic urgetur Gen. XVII, 14. *Præputiatus mas qui non circumciderit carnem præputii ſui, utique exſcindetur homo ille è populis ſuis, nam irritum fecit fœdus meum*, ut nec abſoluta fuerit; cùm Deus diſpenſaverit ab hac lege Iſraelitas in deſerto; nec extendenda ultra illius contemptores; quod liquet etiam ex Exod. IV, 24. ubi *occurit Iehova Moſi in diverſorio quodam, quærens morte afficere eum*, (ob filium ſuum non circumciſum) non ipſum infantem, in quem negligentiæ iſtius culpa cadere non poterat. (*c*) Chriſtus voluit circumcidi ut & baptizari, quo Sacramentum utrumque initiale in ſe conſecraret, ſuo præputio (in cujus reliquiis mira inſaniunt Pontificii, eas non uno loco oſtentantes, multa de replicatione & præſentia ejuſdem numero præputii multis in locis garrientes, & hoc imaginarium præputium quaſi perſonæ Chriſti partem integralem per unionem hypoſtaticam latriâ colentes;) noſtra abſumeret, vitæ curſum à doloribus inciperet, & ſe ad Legem pro nobis ſervandam ſolemniter obſtringeret.

XXXVI. (*d*)Lex Circumciſionis, ac in genere omnium Cæremoniarum Leviticarum, tria habuit tempora; Nam viva fuit uſque ad mortem Chriſti; Mortua poſt illius aſcenſionem, licet honeſtè ſepelienda; quod Paulus teſtatus eſt circumcidendo Timotheum *filium mulieris Iudeæ cujuſdam fidelis, patris autem Græci*, idque *propter Iudæos qui in illis locis erant, ſciebant enim omnes patrem ejus Græcum eſſe* Act. XVI, 2. Mortifera poſt Euangelium ſufficienter confirmatum; *Ecce ego Paulus dico vobis, Si circumcidamini Chriſtum nihil vobis profuturum; teſtor enim rurſum omni homini qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius Legis ſervandæ* Gal. V, 2. 3. Ut nec Judæi æternam & neceſſariam illius obſervationem urgere, magis quam totius Levitici cultus qui fuerat abolendus, nec Abyſſini Chriſtum profitentes, ut olim Nazaræi & Ebionitæ, quamvis non eodem animo, eam adhuc retinere poſſint.

XXXVII. (*e*)Paſchatis cujus inſtitutio legitur Exod. XII, 1. 2. & ſeq. ſignum erat agnus vel hœdus, cui nomen à tranſitu Angeli per Ægyptum, non ut Veteribus quibuſdam placuit, ἀπὸ τοῦ πάσχειν; Res ſignata Chriſtus, qui inde dicitur *Paſcha noſtrum pro nobis immolatum* I Cor. V, 7. cujus ſanguine ſi reſperſæ fuerint conſcientiæ noſtræ, immunes erunt à gladio deſtructoris: Circa agni illius delectum, mactationem, præparationem, manducationem, (ſic tamen ut quidam ritus peculiares fuerint primo Paſchati in Ægypto, ut quod ædium poſtes fuerunt reſpergendi ejus ſanguine, & Iſraelitæ eum debuerint manducare ſtando, accincti, calceati, ſcipionibus ſuis innixi & planè feſtini;) multa occurrebant myſteria Chriſti & noſtræ cum illo communionis ſignificativa (*f*)Fuiſſe ſimul Sacrificium & Sacramentum, nolimus pertinaciter negare: Cùm enim fuerit inſtitutum priuſquam Sacerdotale munus Leviticæ tribui eſſet aſſignatum, nemini mirum eſſe debet quod, ſaltem in prima illius inſtitutione, ab unoquoque patrefamilias mactaretur; quamvis poſtea uſu credatur invaluiſſe ut id fieret à Sacerdotibus vel Levitis, quando nempe eodem conveniebant omnes Iſraelitæ coram Domino ad illius ſolemnia: Dato tamen Paſcha fuiſſe ſimul Sacramentum & Sacrificium, id debet intelligi pro variis illius actibus; ut ad illud pertinuerit mactatio cum effuſione ſanguinis, ad hoc præparatio, aſſatio & manducatio cum lactucis & herbis amaris, amarorem

 paſ-

a *Uſus.* b *Neceſſitas* c *Chriſtus cur circumciſus?* d *Quamdiu lex illa duraverit.* e II. PASCHA, *de quo agitur.* f *An fuerit ſimul Sacramentum & Sacrificium?*

paſſionum Chriſti & reſipiſcentiæ fidelium unà ſignificantibus. (*a*) Chriſtus Paſcha θανάσιμον, ſive quartum fuerit ſive quintum à ſuo baptiſmo, celebravit uno die citiùs quam Judæi, quicquid Toletus, Baronius & alii cum ipſis ſentiant; Etenim ſexta feria quâ Chriſtus fuit crucifixus, *Paraſceve* dicitur ad *Sabbathum* illud magnum, cum quo Paſchatis Judaica ſolemnitas incidebat Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54. Quare detractabant Judæi *introire in prætorium ne polluerentur, ſed ut*
F. *ederent Paſcha* Joh. XVIII, 28. Fuit autem ultimum illud Chriſti Paſcha non ſimpliciter μνημονευτικὸν, ut Grotius fingit, ſed ordinarium & θύσιμον.

XXXVIII. (*b*) De Sacramentorum Novi fœderis ab ipſo Chriſto inſtitutorum numero &
P. comparatione mirè aberrant Pontificii. Septenarium numerum nemo ante Lombardum invexit; & ſuis locis probatum eſt nec Ordinem, nec Conjugium, nec Extremam unctionem, nec Pœnitentiam, eſſe Sacramenta Eccleſiæ Chriſtianæ, magis quam pedum lotionem, de qua Joh. XIII, 4 5. cùm videlicet. Chriſtus ſurgens *à cœna depoſuit pallium, acceptoque linteo præcinxit ſe; deinde immiſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus*; etſi plurimi Veteres id videntur de ea perperam ſtatuere. Nam Chriſtus dicens com. 15. *Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis ita & faciatis*, non ſpectavit actus ſpeciem, & ſignum externum à ſe adhibitum; quaſi illud perpetuæ faciat neceſſitatis; ſed ſolum actum in genere, & rem ſignatam, humilitatis nempe ſtudium, quod exemplo ſuo voluit omnibus commendatum; uti patet ex Matth. XI, 29, *Diſcite à me quod mitis ſum & humilis corde*, & Phil. II, 3. *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam; ſed ex animi ſubmiſſione, alii alios exiſtimantes ſibi præcellere; ne ſua quiſque ſpectate ſed unuſquiſque etiam quæ ſunt aliorum; Itaque is ſit affectus in vobis qui fuit in Chriſto Ieſu*: De Confirmatione etiam poſtea aliquid dicemus. Atque ſic ultrò concidunt omnes congruentiæ
P. a Scholaſticis excogitatæ, & quæ perperam philoſophantur de eorum neceſſitate & dignitate comparativa, quam in aliis ab effectu, in aliis à Miniſtro ſolent accerſere. Nobis conſtans eſt ſententia, duo tantum eſſe, nempe Baptiſmum & Cœnam; tum quia hæc duo ſola à Chriſto leguntur inſtituta, tum quia illum ſolum numerum & Antiquitas agnovit & comprobat Scriptura; Nam Paulus vanam Corinthiorum fiduciam ab uſu externo ſuorum Sacramentorum everſurus per comparationem Patrum, meminit tantum duorum apud Patres analogiam habentium cum Baptiſmo & Cœna, atque ſic ſatis palam docet non fuiſſe plura duobus apud Corinthios: *Nolim vos ignorare, fratres, Patres omnes noſtros ſub nube fuiſſe, & omnes per mare tranſiviſſe, & omnes in Moſem baptizatos eſſe in nube & in mari*, & *omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe, & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe; bibebant enim ex ſequente ſpirituali Petra: Petra verò erat Chriſtus* 1 Cor. X, 2. 3. 4. Sic 1 Cor. XII, 13. *Per unum*, inquit, *Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, & Iudæi & Græci, & ſervi & liberi, & omnes potati ſumus in unum Spiritum*: Ita Heb. IX, 10. per manifeſtam alluſionem ad noſtra Sacramenta, dicitur priſcus Legis cultus, deſtinatus applicationi Sacrificiorum quæ offerebantur, conſtitiſſe *in cibis & potionibus ac diverſis ablutionibus* ſive *baptiſmis*. Eodem pertinet quod Johannes tribus teſtibus perſonalibus *in cœlo, Patri, Sermoni, Spiritui Sancto, qui unum ſunt, tres* addit reales *in terra, Spiritum & aquam & ſanguinem qui* εἰς τὸ ἓν εἰσιν 1 Joh. V, 8. Sive enim per *Spiritum* intelligatur Spiritus adoptionis, per quem Sacramenta ſuam vim exerunt, ſive ipſum Dei Verbum, quod eſt *Miniſterium ſpiritus* 2 Cor. III, 8. ſaltem per aquam Baptiſma & per ſanguinem Sacra Cœna debent intelligi; *Venitque* Jeſus *per aquam & ſanguinem, & Spiritus eſt qui teſtificatur Spiritum eſſe veritatem*, ut ibid. habet Johannes com. 6. quo ita ſignificaretur ex ipſius latere fluxiſſe Sacramenta illa duo quibus Eccleſia purificatur & conſummatur.

XXXIX. (*c*) Baptiſmi vox, cùm ſonet tum immerſionem tum aſperſionem, prout Marc. VII, 4. de Phariſæis obſervatur quod *à foro venientes non comedunt* ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, *& multa alia acceperint ſervanda, nempe* βαπτισμοὺς *poculorum & ſextariorum & æramentorum & lectorum*, non uno modo ſumitur; (*d*) Notat enim Baptiſmum vel *fluminis* ſive aquæ; *Ego baptizo vos aquâ ad reſipiſcentiam* Matth. III, 11, vel *flaminis* ſive effuſionis chariſmatum Spiritus Sancti; *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne* Matth. III, 11. *Iohannes quidem baptizavit aquâ*, vos

a *Ultimum Chriſti Paſcha.* b Sacramenta N. T. tantum duo; c I, BAPTISMUS. d Cujus *proponitur* 1. Nomen.

vos autem baptizabimini Spiritu Sancto istis non multis post diebus Act. 1, 5. vel *sanguinis* sive martyrii; *Potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum & baptizari baptismate quo ego baptizor?* Matth xx, 22. Addunt nonnulli quartam speciem, nempe baptismum *luminis* sive doctrinæ; quod arripiunt Sociniani, ut eo sensu sumant locum S. Matt. xxviii, 18. Sed quamvis per synecdochen vel partis vel adjuncti, doctrina Johannis & totum ejus ministerium, quandoque Baptismi sui nomine exprimatur, intelligitur tamen semper baptismus fluminis: *Baptisma Iohannis unde erat? e cælo, an ex hominibus?* Matth. xxi, 25. *Hic erat initiatus via Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter quæ sunt Domini, sciens tantum baptisma Iohannis* Act. xviii, 25. (*a*) Priori sensu hic à nobis sumitur pro *Sacramento primo Ecclesiæ Christianæ, quo fœderatis in Dei familiam eo ipso receptis, externâ aquæ aspersione in nomine S. S. Trinitatis, peccatorum remissio & regeneratio per sanguinem Christi & Spiritum sanctum offertur & obsignatur*; Siquidem *quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus baptizati sumus; consepulti ei per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos novâ vitâ ambulemus* Rom. vi, 3. 4. Et *quicunque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti* Gal. iii, 27. Hoc sensu Deus *ex sua misericordia servavit nos, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti, quem effudit super nos copiose per Iesum Christum Servatorem nostrum* Tit. iii, 5. Hinc Petrus dicebat Judæis corde compunctis *Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti* Act. ii, 38.

XL. (*b*) Baptismi author est Christus, qui non tam lotiones Leviticas, quàm ritum Judæis observari solitum circa proselytos justitiæ regenerandos & inserendos Reipublicæ Israëliticæ, eum in finem speciatim voluit consecrare ministerio Johannis Baptistæ: (*b*) Cujus Baptisma idem fuisse quoad substantiam cum nostro, quo in Ecclesia Christiana initiamur, quanquam in quibusdam circumstantiis diversum, ut ipsa nostra Eucharistia in quibusdam circumstantiis variat ab ea quam Christus primùm inter suos Apostolos celebravit, etsi negent Pontificii & Sociniani, multa demonstrant; Nam & *erat è cælo*, ut Christus insinuat Matth. xxi, 25. & Dei ac Christi mandato celebrabatur; Erat enim Johannes ipsius Christi prodromus, & *qui misit me* (inquit) *ut baptizarem aquâ, ille mihi dixerat, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto* Joh. i, 33. Nec S. Trinitatis invocatione penitùs caruit; nam Pater clamat è cœlo, Filius erat in aqua, Spiritus sanctus *quasi columba* descendit super ipsum Matt. iii, 16. 17. unde illud Veteribus usurpatum, *Abi Ariane ad Iordanem, & videbis Trinitatem*; Et fiebat in nomine Christi; nam teste Paulo, *Iohannes baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo ut in eum qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est in Christum Iesum; qui verò illum*, scilicet Johannem, *audierunt baptizati sunt in nomen Domini Iesu* Act. xix, 4. 5. Fuitque Sacramentum pœnitentiæ & remissionis peccatorum per Christum; *Ego vos baptizo aquâ ad resipiscentiam* Matth. iii, 11. & testibus Marco ac Lucâ, *baptizabat Iohannes in deserto & prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum* Marc. i, 4. Luc. iii, 3. prout Petrus ad Judæos dicebat, *Baptizetur unusquisque vestrùm in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Eo quoque voluit Christus baptizari *in Iordane* Mar. i, 9. non quod lavacro egeret; sed quo nostrum Baptisma in sua persona consecraret. Ideò Johanni Baptistæ, (cui tunc primum per revelationem Divinam innotuisse videtur, additâ deinde sensibili confirmatione per Spiritum Sanctum, ipsum enim antea *non noverat* Joh. i, 33. *obnixè prohibenti eum ac dicenti, Mihi opus est ut à te baptizer, & tu venis ad me?* respondebat. *Omitte me nunc: ita enim decet nos implere omnem justitiam* Matth. iii, 14. 15. Antithesis quæ extat eodem capite com, 11. non facit distinctionem inter Baptismùm Johannis & eum qui hodie administratur in Ecclesia, sed tantum inter Ministri externum opus, & vim atque efficaciam Magistri & Domini; *Ego quidem baptizo vos aquâ ad resipiscentiam; is vero qui pone me venit, validior me est, cujus non sum dignus qui soleas portem, ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Nec Act. xix, 2. 3. 4. 5. 6. rebaptizantur à Paulo, qui à Johanne fuerant baptizati, sed tantum edocentur de natura Baptismi quem administraverat Johannes & ab eo susceperant, ac deinde *eis manus Paulus imposuit, & venit Spiritus sanctus in eos, & loquebantur linguis & prophetabant*: hoc enim demum respectu dixerant,

a 2. Definitio. *b* 3. Author. *c* 4. Primus Minister *Iohannes Baptista, cujus Baptisma idem cum nostro.*

Imò sit-ne Spiritus sanctus, ne audivimus quidem.

XLI. (*a*) Administrari non debet, magis quam Sacra Cœna, ab aliis quam ab Ecclesiæ Ministris legitimè vocatis, prout expressè Apostolis unà demandatur & Euangelii prædicatio & Baptismi administratio, uti suo loco visum ex Matth. XXVIII, 19. 20. Quod enim ait Paulus 1 Cor. I, 17. *Non me misit Christus ut baptizarem, sed ut euangelizarem,* nonnisi secundum quid & comparatè sumi debet, quatenus Baptismi administratio erat tantum appendix missionis Apostolorum, qui solebant eam secundariis sub se Ministris demandare, quò constantiùs in *precibus & administratione Sermonis perdurarent* Act. VI, 4. F. L Nullus etiam casus necessitatis fingi debet, quo Laicis, ut volunt Lutherani & Pontificii, (imò etiam, ut hi pertendunt, Judæis,) ac mulierculis (quarum nonnullæ in Papatu depræhensæ sunt non aliter baptizasse quam in nomine B. Virginis) liceat id facere; cùm vocatio Dei requiratur; *Nemo* enim *sibi ipsi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, ut Aaron* Heb. V, 4. & mulierum baptisma vetus Ecclesia in Marcionitis damnarit, ac illud prohibuerit expressis Canonibus, convenienter sacræ Scripturæ *Mulieres vestræ in conventibus sileant, nec enim permissum est eis ut loquantur* 1 Cor. XIV, 34. item, *Mulier cum silentio discito cum omni submissione, mulieri enim docere non permitto*; ergo nec tingere 1 Tim. II, 11. 12. Nec faciunt ad rem exempla *Philippi Eunuchum* Reginæ Candacis Act. VIII, 38. & *Ananiæ* Paulum baptizantis Act. XXII, 16. Nam & uterque specialem ad id vocationem habuit; *Dixit* enim *Spiritus Philippo, Accede & proximè adhæreto currui isti* Act. VIII, 29. & Ananias ad Paulum, *Dominus misit me ut visum recipias* Act. IX, 17. & neuter laicus fuit: Philippus *Euangelista* appellatur Act. XXI, 8. Ananias verò censetur fuisse ex LXX. Discipulis, & primus Pastor eorum discipulorum, sive fratrum, qui Damasci erant invocantes nomen Christi, quos *vincire* Saulus habebat in mandatis Act. IX, 2. 14. Nec cùm Petrus Actor. X, 48. *præcepit* Cornelium & reliquos in ejus domo *baptizari in nomen Domini*, censendus est necessariò aliis demandasse id officii; Nam id potest intelligi de mandato facto per ipsum Cornelio & suis, ut se baptizari sinerent; prout Ananias dicebat Paulo, *Et nunc quid cunctaris? Surgens baptizator & abluitor à peccatis tuis invocato nomine Domini* Act. XXII, 16. Nec si quibusdam è suo comitatu Petrus id demandavit, ii merè Laici & vocatione omni destituti fuerunt. Nihil verò facit pro mulierum Baptismo exemplum Tzipporæ, quæ *accipiens cultrum acutum amputavit præputium filii sui* Exod. IV, 25. cùm id aggressa sit coram viro, ex animi impotentia, non ex zelo: nam idem præputium abjecit indignabunda *ad pedes* Mosis & *inquit ei, Sponsus es mihi sanguinum*, atque *discessit* ab eo: Deus autem rem probavit & quod filius Mosis non maneret incircumcisus, non modum rei: Nec debet omninò par ratio esse circa ministrum Baptismi & Circumcisionis, cùm Circumcisio instituta fuerit, ut & Pascha, ante Ministerium publicum alicui ordini sub V. T. alligatum; Christus verò Baptismi administrationem expressè Verbi sui Ministerio conjunxerit: Tum Circumcisio sui vestigium permanens relinquebat in corpore, quod non facit Baptismus: Quanquam & inter Judæos visa sit Circumcisio, ut etiamnum hodie, certo ordini alligata: Abraham enim primus fuit illius Minister, ceu familiæ suæ Doctor & Propheta; & Josue Dei Minister speciale mandatum accepit de eadem renovanda in populo Ios. V, 1.

XLII. (*b*) Materia Baptismi externa, est aqua ordinaria & naturalis, *Abluto corpore aquâ mundâ retineamus professionem fidei non vacillantem* Heb. X, 23. quam Christus selegit tum ob facilitatem, tum ob convenientiam & similitudinem cum re significata; Nam aqua credita est Thaleti principium omnium rerum, ceu *à qua* sunt omnia, & ipsa Venus quæ rerum generationi præerat apud Ethnicos ex aquis nata fingebatur; ut non immeritò regenerationis nostræ Sacramentum in aqua celebretur: Imò natura provida aquas quasdam secrevit in puerperio, ad juvandum partum, & infantes modò genitos ablui consuetudo est perantiqua: Quin apud Græcos ὑϛεροποτμοί, qui pro mortuis habiti fuerant, domum reduces, lavari à mulieribus debebant ut recens nati: Denique vis regenerans, renovans, fœcundans, abluens, Spiritus Sancti & Sanguinis Christi, convenientissimè hoc elemento significatur. Interna verò est ipse Christus, nos suo tum Sanguine tum Spiritu abluens & mundans, & quoad peccati reatum per Justifica-

a 5. Minister *Ordinarius*. *b* 6. Materia.

ficationem, & quoad ejus maculam per Sanctificationem; *Hæc eratis quidam; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Iesu & per Spiritum Dei nostri* 1 Cor. VI, 11. *Christus* enim *dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam* Eph. V, 25. 26. 27. Atque eò respectu Baptisma dicitur *lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti quem Deus effudit super nos copiose per Iesum Christum Servatorem nostrum* Tit. III, 5. 6. & Christum *induisse* dicuntur quotquot sunt baptizati Gal. III. 27. (a) Forma externa est vel immersio, ut in locis calidioribus olim fiebat, vel aspersio aquæ (quæ sive unà sit, sive trina, absit modò superstitio, parum refert:) in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti: Ut planè insaniant novi illi in Anglia Anabaptistæ Independentium proles, qui cum Socinianis nullum baptisma legitimum putant, nisi immersione peragatur; cùm tamen probabilissimum sit solâ aspersione baptizatos fuisse illos *ter mille* quorum fit mentio Act. II, 41. nec non *Cornelium* ejusque familiam Act. X, 84. item *Saulum* Act. IX, 17. item *Commentariensem* Philippensium Act. XVI, 33. cùm in ædibus privatis nec balnea essent, nec loca ad immersionem apta. Interna, est analogia quę intercedit inter aspersionem aquæ quâ corporis sordes eluuntur, & remissionem peccatorum ac regenerationem spiritualem; sic ut vel immersio in aquam, vel aquæ aspersio ad frontem & oculos, ejusque in fronte & super oculis aliqualis mora, Mortificationem veteris hominis per mortem Christi nostramque cum ipso sepulturam, emersio verò ex aqua, vel aquæ de fronte & oculis effluxio, Resurrectionem spiritualem cum ipso denotet, uti docemur loco suprà citato ex Rom. VI, 4. Species jam quædam baptismi præcesserant tum in Diluvio, quod ad palingenesim macrocosmi pertinuit, quatenus per Arcam *pauci, idest, octo animæ servatæ sunt in aqua, cui rei nunc respondens ἀντίτυπον baptisma, nos quoque servat, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum per resurrectionem Iesu Christi* 1 Pet. III, 20. 21. tum in *nube & mari* rubro 1 Corinth. X, 1. 2. tum in sanatione Naamanis qui *descendens immersit se in Iordanem septies secundum verbum viri Dei, & restituta est caro ejus ut caro pueri parvi, & mundus* à sua lepra *factus est* 2 Reg. V, 14. tum in variis ablutionibus & purificationibus Leviticis.

XLIII. (b) Circa Baptismi materiam superstitiosè Constantinus suum dilatum voluit donec ad Jordanem pervenisset, quod tamen consequi non potuit: Errarunt quoque gravissimè Seleuciani, Hermiani, Jacobitæ, (Abyssinis hodie simile quid tribuitur) quod ferri candentis usum in suo adhiberent: Sed faciliùs Augiæ stabulum repurgaretur, quam omnes absurditates Pontificiorum in hoc capite subnotarentur: Ridiculè disputant v. g. an aquæ loco, si defuerit, possit adhiberi non tantum aqua distillata, quod parum esset, sed lixivium, lotium, *brodium*, sive jus piscium aut carnium, lutum, arena? Item, an qui baptizatur in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti & diaboli, vel *in nomina Patrua, Filia & Spiritua Sancta*, baptizatus censendus sit; Item, an verum fuerit baptisma ab Athanasio puerulo ad ad similitudinem eorum quæ fiebant in Ecclesia collactaneo suo inter ludendum collatum; Item, an in mortis periculo possit infans conjici in puteum ab baptismum, si desit situla quâ hauriatur.

XLIV. (c) Sed præsertim non contenti materiâ à Christo institutâ & ab Apostolis usurpatâ, ac simplicitate Euangelio præscriptâ, Baptismati adjecerunt de suo, oleum, salem, chrisma, sputum, cereum, albam vestem, & ritus infinitos (Latinâ etiam linguâ populo ignotâ peragi solitos) consecrationum, insufflationum, signorum crucis, exorcismorum; ac si fidelium infantes, quos *Sanctos* dicit Apostolus 1 Cor. VII, 14. pro energumenis & obsessis à Diabolo essent habendi. Ut dolendum sit id & retineri, & tamen improbari, à Lutheranis; Quibus etiam ritibus inventionis merè humanæ, suam non tantum significationem, quod parum esset, sed & Sacramentalem quandam efficaciam tribuunt, etsi eorum nec vola nec vestigium extet in Scripturis.

XLV. (d) Neque tamen dissimulandum etiam in similibus Veteres justo liberaliores fuisse, ac penè Baptismum obruisse infinitis ceremoniis, quibus symbolicè ejus naturam & effecta voluerunt significare; Nam quod sacramentaliter in Baptismo *induamus Christum* Gal. III, 27. & *novum hominem, exuto veteri cum factis ipsius* Col. III, 9. 10. quasi candidati immortalitatis, rena-

a 7. Forma. *b Errores varii hic subnotantur.* c *Multa nominatim addita à Pontificiis materiæ Baptismi.* d *Quibus Veteres praluxere.*

renaſcamur ut *modò geniti infantes ad lac ſincerum ſermonis* & intelligentiæ 1 Pet. II, 2. *illuminemur* ad vitam æternam (unde Baptiſmus etiam φωτισμὸς dictus ſæpè Veteribus, imò & Paulo Apoſtolo Heb. x, 32.) fiamus *participes Spiritus Sancti*, & prægustemus ac prælibemus quadantenus delicias cœleſtes; quo Paulus reſpexit Heb. VI, 4 5. cùm meminit eorum *qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum illud cœleſte & participes facti fuerint Spiritus Sancti, guſtaverintque bonum Dei verbum ac virtutes futuri ſæculi;* hæc Antiqui ſignificata voluerunt veſtibus albis, prægustatione vini, mellis & lactis, (quæ tandem in deſuetudinem abiit) ardente cereo & chriſmate ſive unctione, quâ nominatim præſentia & gratia Spiritus Sancti denotaretur; prout dictum à Paulo, *Qui nos confirmat vobiſcum in Chriſtum & qui unxit nos Deus eſt, qui etiam obſignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordibus noſtris* 2 Cor. I, 21. 22. & à Johanne, *Vos unctionem habetis à Sancto illo & noſtis omnia* 1 Joh. II, 23. Nemo autem putet Apoſtolos reſpexiſſe illis locis ad hos ritus, quaſi jam ſuo
P.F tempore obſervatos, quod cum Pontificiis perperam ſtatuit Grotius; ſed potiùs exiſtimet occaſione illarum locutionum metaphoricarum in Scripturis, illos poſtea ritus, intentione quidem bonâ ſed malo exemplo & eventu, fuiſſe inſtitutos.

XLVI. (*a*) Nam ut taceam alia eorum abſurda
P. & periculoſa conſectaria, Pontificii partim ex baptiſmali unctione, partim ex rudium catechiſatione, (quâ jam ante in pueritia baptizati decenter inſtituebantur in fide, atque cum adultis ad ſacram Synaxim per Epiſcopalem benedictionem admittebantur) Veteribus uſurpata, fabricati ſunt imaginarium ſuum Confirmationis Sacramentum, quod unctione chriſmatis in fronte, ſignaculo crucis, alapâ & ſimilibus mimicis ritibus, à ſolo Epiſcopo peragitur; (quanquam & hic nova lis agitetur inter Hierarchicos & Jeſuitas, de Uſu, Miniſtro & Materia illius,) & ſic juxta illos dignius eſt Baptiſmo quoad Miniſtrum, eique æquale quoad characteris effectum, ut tamen longè minus ſit neceſſarium, niſi ad Ordines & Beneficia Eccleſiaſtica poſſidenda; Adeo omnia hic concurrunt quæ *Beſtiæ characterem* ſpectant, quem habere debent *in ſuis frontibus* qui omninò *emere aut vendere* volunt, ideſt Beneficiorum nundinationem exercere Apoc. XIII. 16. 17. Eò enim pertrahere non licet Apoſtolicam impoſitionem manuum ad conferenda chariſmata extraordinaria Spiritus Sancti, cujus gratiâ *Apoſtoli miſerunt* ad Samaritanos *Petrum & Iohannem; qui quùm deſcendiſſent orarunt pro eis ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum illapſus fuerat, ſed baptizati tantum fuerant in nomen Ieſu: Deinde impoſuerunt eis manus & receperunt Spiritum Sanctum: quùm autem conſpexiſſet Simon per impoſitionem manuum Apoſtolorum dari Spiritum Sanctum, obtulit eis pecunias dicens, Date etiam mihi poteſtatem iſtam ut cuicunque impoſuero manus etiam recipiat Spiritum Sanctum* Act. VIII, 14. 15. 16. 17. 18. 19. Ita *quùm Paulus* duodecim illis diſcipulis quos Epheſi reperiit jam baptizatos à Johanne, *manus impoſuiſſet, venit Spiritus Sanctus in eos, & loquebantur linguis & prophetabant* Act. XIX, 6. Sic Paulus inter ea quæ ad fundamenta prima Chriſtianiſmi ſpectant, refert *doctrinam baptiſmatum ac manuum impoſitionis*, quâ potiſſimum per Apoſtolos Spiritus Sanctus ſolebat conferri Heb. VI, 2. Æquè parum ad imaginarium hoc Sacramentum referri poteſt confirmatio noſtra in fide, ac obſignatio interna Spiritus Sancti & unctio gratiæ, cujus fit mentio loco citato §. ſuperiori ex 2 Cor. I, 21. 22. & Eph. IV, 30. *Ne triſtate Spiritum illum Sanctum Dei per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.*

XLVII. (*b*) Baptiſmus autem, non tantum eſt teſſera militiæ noſtræ & Chriſtianiſmi nota, ut S A.
R. Sociniani, Anabaptiſtæ, & cum illis Arminiani nonnulli, ſtatuunt, ſed inſuper ſolemnis introductio in Dei Eccleſiam, ac potiſſimùm divinitùs ordinatum Sacramentum quo Chriſto initiemur & inſeramur, ſanguine ipſius in remiſſionem peccatorum aſpergamur, & ejus Spiritu ac gratiâ regeneremur in ſpem vitæ æternæ. *An ignoratis nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem ejus eſſe baptizatos? Conſepulti igitur ſumus ei per baptiſmum, ut ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus; Nam ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus, nimirum etiam reſurrectionis aſſimilatione cum ipſo coaleſcemus* Rom. VI, 3. 4. 5. *Quicunque in Chriſtum baptizati fuiſtis Chriſto induti fuiſtis* Gal. III, 27. *Non ex operibus juſtis quæ fecerimus, ſed ex ſua miſericordia*, Deus *ſervavit nos per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti* Tit. III, 5. Ac proinde

bene-

a *Unde ortum imaginarium* Confirmationis *Sacramentum*. b 8. Uſus & Finis.

benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis 1 Pet. 1, 3. Equidem remissionis peccatorum & regenerationis causa meritoria est sanguis Christi *pro multis effusus in remissionem peccatorum* Matth. XXVI, 28. & ad *emundandas conscientias nostras à mortuis operibus* Heb. IX, 14. ut nefas sit Christiano *gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem*, inquit Paulus, *mundus mihi crucifixus est & ego mundo* Galat. VI, 14. Sed illius efficacia & vis conscientiis nostris principaliter per Spiritum Sanctum, & instrumentaliter per Verbum Dei & Sacramenta, ac nominatim per Baptismum, debet applicari.

XLVIII. (*a*) Quare efficacia Baptismi non debet tribui aquæ quâ *carnis sordes abjiciuntur* 1 Pet. III, 21. aut nescio cui virtuti physicæ vel hyperphysicæ in ea per consecrationem latenti,
P. L. ut fingunt Pontificii, nec planè abludunt Lutherani; sed Spiritui Sancto in Sacramento & per illud, tanquam morale organon suæ operationis; ut fit à Paulo dicente quod per *Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus* 1 Cor. XII, 13. & factum à Veteribus, qui ad præsentiam illam & operationem Spiritus Sancti in eo, applicare soliti sunt dictum Genes. I, 2. *Et Spiritus Dei movebatur super aquis*. Et cùm Baptismus destinetur ad illa duo, Remissionem nempe peccatorum & Regenerationem, solius est Spiritus Sancti illius certitudinem & hujus principium vitale, juxta dictum Christi Joh. III, 5. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu non potest intrare in regnum Dei*, cordibus nostris indere.

XLIX. Ad salutaria hæc beneficia, sacramentaliter nobis oblata in Baptismo, revera consequenda & sentienda, requiruntur in adultis Fides & Pœnitentia; prout Johannes *prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum* Marc. I, 4. & dictum fuit à Christo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur* Marc. XVI, 16.
P. ac supra *opus operatum* Pontificiorum satis superque fuit confutatum. Sed & iidem errant in eo, quod statuunt per Baptismum penitùs tolli peccatum originale, non solum quod ad reatum actualem, sive in actu secundo, ne ampliùs imputetur ad pœnam, quod ultrò fatemur, quandoquidem illius & aliorum remissio per sanguinem Christi ibi obsignatur, sed etiam quod ad maculam & vitiositatem ac culpam; quod est falsissimum: Licet enim per gratiam Spiritus Sancti collatam in Baptismo paulatim vires ejus infringantur ne regnet in nobis, tamen illam non sic esse sublatam ut penitùs non habitet, multa docent; Ut mors puerorum recens baptizatorum, quæ proculdubio est inhabitantis *peccati stipendium* Rom. VI, 23. Pauli exemplum qui ob illius reliquias peccati profitebatur se *carnalem, venditum sub peccato* Rom. VII, 14. Propagatio labis originalis à parentibus circumcisis & baptizatis in suos liberos, sicut frumentum quod purum seri videtur cum gluma tamen renascitur; Et in regenitis ac baptizatis, ab illo fonte pullulantia adhuc quotidiè actualia peccata.

L. Id quoque perperam à Pontificiis statuitur P.
sola peccata ante Baptismum commissa in illo tolli; Qui error eo usque olim invaluerat ut plerique, *Clinici* ideò dicti, suum Baptisma differrent ad ultimum vitæ articulum, & moribundi ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, sive jam morituri, ut eum Pauli locum multi intelligunt, baptizarentur 1 Cor. XV, 29. Quod per aliquot Concilia prohibendum fuit. Etenim baptizamur in remissionem omnium peccatorum, & *præcedentium*, sive *quæ antecesserunt* Rom. III, 25. & subsequentium. Ideo fidelis ad suum Baptisma reflectendo, non solum ex illo colligit obligationem ad fidem & resipiscentiam ac studium novæ vitæ, sed etiam se solatur in infirmitatibus quarum qui conscius est, persuasus Deum, cujus amor nunquam perit, juxta gratiæ promissionem in Baptismo obsignatam, sanguine Christi omnia sua peccata delere velle, & nullum ex illis ad condemnationem sibi imputaturum.

LI. (*b*) Baptismus conferri debet, non sacrilegè, ut in Papatu, campanis & triremibus, sed I. Adultis omnibus qui à Judaismo aut Ethnicismo transeunt ad religionem Christianam, nec antequam in fide fuerint instituti & eam profiteri queant; unde olim Catechumeni aliquamdiu à mysteriis arcebantur donec planè de illis fuissent edocti; *Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur* Marc. XVI, 16. Ubi fides præcedit Baptismum tanquam conditio prærequisita, non illum per modum effectus consequitur: Ita qui ex Samaritanis *crediderunt Philippo euangelizanti quæ ad regnum Dei & nomen Iesu Christi pertinent, baptizabantur, cùm viri, tùm mulieres* Act. VIII, 12. Nec idem Philippus Eunucho dicenti, *En aquam, quid prohibet me baptizari?* voluit conferre Baptismum nisi sub hac conditione, *Si credis*

a 9. Efficacia.

b 10. Subjectum recipiens.

credis ex toto corde, *licet* , & poſtquam ille re-
ſpondiſſet , *Credo Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei*
Act. VIII, 36. 37. II. Etiam Fœderatorum ,
ſeu qui probabiliter tales cenſentur, infantibus ,
licet altero tantum parente fœderato natis , ex
1 Corinth. VII, 14. *Maritus enim infidelis ſan-
ctificatus eſt in uxore*, *& uxor infidelis ſanctificata
eſt in viro*; *alioqui certè liberi veſtri impuri eſſent*,
nunc autem ſancti ſunt. Quin idem privilegium
putem extendi ad eos infantes quos fœderati in
ſuos adoptaverint , cùm odia ſint reſtringenda
ſed amplianda beneficia , & adoptio aliàs naturam
imitetur. Nec etiam à Baptiſmo arcendi ſunt in-
fantes ex illegitimo concubitu nati, ideſt ſpurii
& nothi; cùm Zara & Phares in domo Judæ ex
inceſtu progeniti Gen. XXXVIII, 29. 30. &
Iſmael in domo Abrahami ex concubina natus
Gen. XVII, 23. circumciſi fuerint.

LII. Si infans fuerit expoſitus, ut incertum
ſit quo parente ſit editus, præſumi debebit ſtirpis
Chriſtianæ, & ſic Reipublicæ erit aut Eccleſiæ
eum adoptare. Nec partus monſtroſus ex parte
à Baptiſmo removendus , ſi veſtigia humanæ na-
turæ in illo haud obſcura ſuperſint: Nemo tamen
ante baptizandus, quam natus planè fuerit, con-
P. tra quam multi cenſent in Papatu. Fœderatorum
autem nomen hic quam generaliſſimè debet in-
telligi, ſicut Pontificiorum aut aliorum Hære-
ticorum, nomen Chriſtianum adhuc retinenti-
um, liberi non arceantur à Baptiſmo in Eccleſia
orthodoxa, ſi parentes id petierint, aut qui eos
offerunt baptizandos , quod eſt tamen ordinis
merè Eccleſiaſtici , de illorum inſtitutione ubi
adoleverint caveant: Quod prudenter etiam cen-
ſuerunt Eccleſiæ Gallicanæ in erronum illorum,
qui Cingaros vel Ægyptios ſe vocant, liberis: Nec
Baptiſmus eſt denegandus proli excommunicato-
rum , cùm illi Chriſtianum nomen penitùs non
ejurarint, neque debeant filii ferre iniquitatem
patrum ſuorum. Ut verò Judæorum vel Infide-
lium liberi per vim rapiantur ad Baptiſmum, quod
P. obtinet ſubinde apud Papiſtas, eſt perabſurdum;
cùm ad illos promiſſiones & clauſulæ Fœderis
non pertineant, & exſpectandum ſit donec ado-
leverint. Quin uſus laudabilis, non tamen obſo-
lutè neceſſarius aut inſtitutionis divinæ, Patrimo-
rum, ſive Sponſorum & Suſceptorum, qui pa-
rentes *luſtrici* Latinè dici poſſunt, eum in finem
videtur tandem introductus apud Chriſtianos , ut
eſſent qui de fide parentum & futura educatione
baptizati ſponderent Eccleſiæ.

LIII. (*a*) Pædobaptiſmum autem, quem, Pon-
tificii refundunt quandoque in traditionem
ἄγραφον, reſpuunt verò Sociniani & Anbapti-
ſtæ, ac aliquot Arminiani & Fanatici alii, mul- P. S.
tæ rationes è Scripturis deſumptæ evidenter com- A. R.
probant. Nititur enim I: Mandato Chriſti; Nam F. I.
cùm *offerrentur ei pueruli*, *ut manus eis imponeret
& precaretur*, *Diſcipuli autem objurgarent eos*, *di-
xit*, *Omittite iſtos puerulos & ne prohibete eos ad
me venire*, *talium enim eſt regnum cœlorum* Matth.
XIX, 13. 14. Luc. XVIII, 15. 16. Sic dicebat
Apoſtolis, *Profecti docete omnes gentes*, *baptizan-
tes eos in nomine Patris*, *Filii & Spiritus ſancti*, *do-
centes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis* Matth.
XXVIII, 19. 20. ubi verbum μαθητεύειν,
propriè ſignificat facere Diſcipulos: Jam autem
cum parentibus fidem admittentibus filii tranſe-
unt in Chriſti diſciplinam , ceu , ut quondam Ti-
motheus, vel ἀπὸ βρέφους 2 Tim. III, 15. in-
ſtituendi in ſacris literis. II. Clauſulâ fœderis 2.
quæ ſic ſonat; *Stabilio fœdus meum inter me & te
ac ſemen tuum poſt te per ætates tuas*, *ut fœdus ſit
perpetuum*, *me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te*
Gen. XVII, 7. III. Privilegio parentum; Ita 3.
enim loquitur Petrus; *Vobis facta eſt promiſſio &
liberis veſtris & omnibus longè poſt futuris*, *quoſ-
cunque videlicet advocaverit Dominus Deus noſter*
Act. II, 39. Quin *maritus infidelis* euſque *ſan-
ctificatus eſt in uxore*, *& uxor infidelis ſanctifica-
ta eſt in viro*, ut *liberi* eorum ſanctitate fœderali
ſancti ſint 1 Cor. VII, 14. IV. Exemplo Apo- 4.
ſtolorum integras familias , ad quas pertinent
etiam infantes, baptizantium; Ita enim *Lydia
quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum bapti-
zata fuit & domus ejus*, nec non Philippenſium
Commentarienſis, poſt Pauli & Silæ plagas ablu-
tas, *baptizatus eſt ipſe & omnes qui illius erant il-
licò* Act. XVI, 14 15. 33. & idem Paulus ait ſe
baptizaſſe Stephanæ familiam 1 Cor. I, 16. Atque
hoc Apoſtolorum exemplum Eccleſia Chriſti
ſemper ſequuta eſt. V. Ipſorum infantium dig-
nitate, quod *ſancti* cùm ſint 1 Corinth. VII, 5.
14. & *eorum regnum ſit cœlorum* Matth. XIX, 14.
à Sacramento initiali Sanctorum & hæredum cœ-
li non ſint arcendi. VI. Nativâ eorum corruptio-
ne, cui debet & mederi Chriſtus ſanguine ſuo, 6.
& medelæ Sacramentum applicari; Sunt enim
omnes in iniquitate formati, *& in peccato fovit eos
mater* eorum Pſal. LI, 7. atque uno verbo *natu-
râ filii iræ* Epheſ. II, 3. VII. Ac præſertim 7.
ana-

a *Aſſerto multi* Pædobaptiſmo.

analogiâ Circumcisionis, quæ fuit etiam Sacramentum pœnitentiæ & fidei, prout *signum & sigillum justitiæ fidei* dicitur Rom. IV, 11. & in cujus locum successit noster Baptismus: Quod utrumque insinuat Apostolus his verbis; *In quo circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, corpore peccati carnis exuto per circumcisionem Christi, ei consepulti per baptismum, per quem etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis illius virtutis qui suscitavit eum ex mortuis* Col. II, 11. 12. Nec enim restringi aut imminui debuit gratia Deî, sed potiùs extendi sub N. F. & quod erat onerosum in Circumcisione sic debuit auferri, nempe dolor, sanguis, restrictio ad mares, octavæ diei præcisa observatio, ut remaneret ex illa in Baptismo quod habuit favorabile & salutare.

LIV. Non est par ratio sacræ Cœnæ; quia est Sacramentum nutritionis ex solidiori cibo, ad quod sui probatio requiritur, *Exploret quisque seipsum* 1 Cor. XI, 29. cujus infantes non sunt capaces, ut Sacramenti regenerationis; Et quamvis res significata in Cœna pertineat quoque infantibus, tamen non pertinet illis sub eo modo significandi, cibi scilicet solidioris, cujus necdum capaces sunt; cùm res significata in Baptismo ad ipsos quoque pertineat quod ad significandi modum, nempe ablutionis; quia etiam recens nati infantes solent lavari; Ideo exprobrat Deus Jerosolymitanæ Ecclesiæ quod *quo die genita fuit, non fuerat præcisus umbilicus ejus & aquis non erat lota & nemo aspexerat eam*; *Itaque*, inquit Dominus, *lavi te aquâ ut inundans eluerem sanguinem tuum à te* Ezech. XVI. 4. 9. In adultis fides ejusque professio præcedit Baptismum, juxta illud, *Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur* Marc. XVI, 16. sed in infantibus satis est si sequatur: Nec etiam penitus absque fide illi baptizantur; non quod fides actu vel habitu ipsis per Baptismum infundatur, ut statuunt Pontificii & quadantenus Lutherani; cùm de eo effectu Baptismi taceat Scriptura, & in adultis fides Baptismum præcedat, & si quæ in infantibus statuatur, ut fit à nonnullis, fides habitualis, actualis, aut seminalis, illa potius prærequiratur in Baptismo quam efficiatur ab illo; Quamvis talem fidem nec Scriptura tribuat uspiam infantibus, nec ex analogia Scripturæ illis attribuere queamus; Sed quia tum in fide parentum baptizantur, prout Abraham circumcidit Isaacum nixus promissione divinâ, sibi & semini suo facta, tum grandiores facti ad pœnitentiam & fidei actus ex Baptismi sui memoria excitantur.

P.L.

LV. Sanè potest infans in cunis coronari & insignia regiæ dignitatis suscipere, ejus demum obiturus functionem ubi adoleverit: Non intelligunt parvuli quid sibi fiat cum baptizantur, sed postea intelligent; quomodo Christus Petro pedes abluturus, dicebat ei, *Quod ego facio tu nescis nunc, cognosces autem postea* Joh. XII, 7. Quomodo interea Spiritus Sanctus in ipsis operetur, quo pacto illis applicetur Baptismi fructus ac Christi beneficium, quî possemus definire, cùm nesciamus quomodo illa ipsa anima rationalis in ipsis suas operationes obeat? Subsiliit Johannes Baptista in utero matris, etsi ipse se subsilire non intelligeret. Potest ineffabili modo Spiritus Sanctus operari in infantibus, etsi ipsi illud non sentiant per operationem reflexam; *Ex ore lactentium Deus perficit suam laudem* Psal, VIII, 3. Potestque eos & justificare à labe originali, absque ullo illorum actu, prout absque ullo actu suo personali eam labem contraxerunt.

LVI. (a) De loco & tempore Baptismi celebrandi nihil definit Scriptura: Vetus Ecclesia speciatim huic celebritati destinavit Pascha & Pentecosten, unde Sabbathum, Septimana, Dominica, in albis, quæ Pascha sequebantur, quod recens baptizati albis tunc & novis uterentur vestibus: Imò illa ipsa Dominica post Pascha *Quasi modo* etiamnum vocatur, quod illis prælegeretur & explicaretur locus ex 1 Petr. II, 2. qui in versione tunc usitata ab ea voce incipiebat. Horum tamen duorum temporum designatio, spectabat tantum benè valentes ex adultis: Aliàs enim, si Thessalos forte excipiamus, ferè ubique receptum erat ut tum infantes ex parentibus fidelibus nati, tum adultiores, si ægrotarent, illicò baptizarentur. Baptisteria verò, quæ Græcis κολυμβήθραι, Latinis quandoque *Fontes* dicuntur, nonnisi in Templis erant. Hoc saltem statuimus, non privatim & sub camino debere Baptismum celebrari, sed publicè & in facie Ecclesiæ, sive ex toto ea convenerit statis diebus & locis, sive ex parte, extraordinario loco & tempore; idest semper in aliquo cœtu fidelium, in quo etiam, ut moris est in Ecclesiasticis conventibus, & preces ad Deum & parænesis ad præsentes à Verbi Dei ordinario Ministro habeantur; imò quoad fieri potest locis & diebus ordinariis conventuum Ecclesiæ; Nec admittimus Pontificiam distin- P.

a 11. Locus & Tempus.

ctionem inter Baptismum solemnem & non solemnem; Omnis enim solemnis esse debet, cùm eâ solemnitate quis fœderatis Dei & membris Ecclesiæ adscribatur. Nec planè absque testibus & solemnitate omni Eununchus à Philippo Act. VIII, 36. & Paulus ab Anania Act. IX, 18. baptizati fuêre; cùm & ille suum habuerit famulitium secum, & hîc præsentes videantur fuisse illi aliquot fratres & discipuli, quibus Damasci tanquam pastor præerat Ananias.

LVII. Supersunt Baptismi duo adjuncta; I. (a) *Necessitas* quam quidem agnoscimus conditionalem & præcepti, rejecto errore Socinianorum quibus ritus est planè indifferens ac superfluus,
P.L. non tamen absolutam & medii, ut volunt Pontificii, nec abludunt Lutherani: Dictum Christi Joh. III, 5. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei*, I. Non est de Baptismo, sed de regeneratione, spirituali, expressâ per hendiadym nomine aquæ spiritualis & spiritus aquei, ut Matth. III, 11. *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne*, idest igneo spiritu & igne spirituali. Etenim loquitur de eo quod tunc ipsi Nicodemo erat necessarium & omni subituro regnum Cœlorum, cùm tamen Pontificii necessitatem baptismi demum arcessant ab Ascensionis Christi tempore: II. Simile *Nisi* extat Joh. VI, 53. *Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quod absolutam necessitatem vel communionis Eucharisticæ in genere, vel perceptionis utriusque symboli in specie, ex sententia Adversariorum non importat III. Ipsi Pontificii quoque hîc suas habent limitationes à martyrio & voto baptismi quibus suppleatur. Nec debet esse major ipsius necessitas quam Circumcisionis, cujus non privatio damnabat sed contemptus.

LVIII. Quamvis autem rigidior fuisse videatur Augustinus in hac causâ, tamen vetus Ecclesia non existimavit damnandos necessariò ad pœnam æternam vel sensus vel damni Catechumenos decedentes ante Baptismum: aliàs Concilia non interdixissent baptizari Clinicos, quia id factum præstitisset saltem in fine, quam nullo modo. Quin olim in Ecclesiis Thessaliæ, absolutè non baptizabatur præterquam in Paschalibus feriis; unde, Nicephoro teste, fiebat ut multi sine Baptismo decederent: Ambrosius etiam cœlo locat Valentinianum Imperatorem, qui tamen Baptismo non accepto mortuus est. Et cùm *filius non portet iniquitatem patris* Ezech. XVIII, 20. infantes qui Baptismum petiisse aut negligere non potuerunt, non debent luere quod parentes sui vel contempserint, vel neglexerint: Nec Dei gratia Sacramentis est alligata, aut possunt illi arceri à regno cœlorum propter Sacramenti defectum, quibus Sacramentum non fuisset conferendum, nisi jus habuissent ex conditione fœderis ad regnum cœlorum.

XIX. II. (b) *Irreiterabilitas*, etiam olim quibusdam miraculis confirmata; quæ non est petenda ex imaginario charactere Pontificiorum, sed tum ex analogia Circumcisionis, tum ex eo quod est lavacrum regenerationis; jam autem ut semel nascimur, sic semel renascimur; *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* Eph. IV, 5. Et contra Anabaptismum urserunt Veteres locum Hebr. VI, 6. non posse qui *semel illuminati fuerunt* &c. *si prolabantur denuo renovari ad resipiscentiam.* Nec attendendum, ut voluit perperam Cyprianus, an Baptisma apud hæreticos fuerit collatum; modò enim supersit apud eos species quædam Ministerii publici (qualis vix ulla apud plerosque Anabaptistas hodiernos) & retineantur Baptismi essentialia, (quod de Socinianis dici non potest propter Trinitatis fidem abnegatam; sic enim voluit Concilium Nicænum rebaptizari eos qui à Paulianistris sive Samosatenianis veniebant:) Baptismus vim suam ab institutione Christi semper retinebit. A. S.

LX. Hinc quamvis nefas sit Reformatis suos liberos offerre baptizandos Sacrificulis Pontificiorum, quod sic tacitè saltem transirent in communionem Pontificiam, tamen non censemus rebaptizandos quos illi baptizaverint, quia remanent in Papatu essentialia Baptismi & reliquiæ publici ministerii: At si constaret aliquem à muliercula tinctum fuisse, is pro baptizato non esset habendus, sed illi conferendus esset verus Baptismus cujus nonnisi inane simulachrum antea habuisset. P.

LXI. Hæc de Baptismo: (c) Alterum N.T. Sacramentum, quod cùm deberet esse pacis Ecclesiasticæ vinculum, factum est, proh dolor! seminarium contentionum, est Sacra Cœna, *in qua Christianis adultis, usu panis & calicis à Christo mandato, spiritualis participatio corporis & sanguinis Christi ad vitam æternam significatur, offertur & obsignatur.* Ejus institutionem habemus Matth. XXVI, 26. 27. 28. 29. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 17. 1 Cor. XI, 24. unde venit repetenda. Voluit Christus id Sacramentum substituere Paschati;

a 12. Necessitas. b 13. Irreiterabilitas. c II. SACRA COENA. Ejusque 1. Definitio.

ſchati, & quoſdam ritus aliàs Judæis in Paſchate obſervatos, uti ex eorum Ritualibus conſtat, hunc in uſum conſecravit.

LXII. (a) Nomina varia conſequitur, tum in Scripturis, tum apud Veteres: *Cœna* Domini, adque maximè διὰ τὴν κοινωνίαν, dicitur; quod nomen perperam Maldonatus trahit ad Agapas Chriſtianorum, & hodie in Papatu aliud planè
P. ſonat; *Cùm conveniatis eodem loci hoc non eſt cœnam Dominicam edere* 1 Cor. XI, 20, *Fractio* panis: *Perdurabant autem in doctrina Apoſtolorum & communicatione & fractione panis & precibus quotidie perdurantes concorditer in templo & frangentes panem domatim* Actor. II, 42. 46. Troade *primo die hebdomadis congregatis Diſcipulis ad frangendum panem Paulus diſſerebat cum eis* Actor. XX, 7. Non tamen quoties fit mentio in Scripturis fractionis panis, ut nominatim Act. XXVII, 35. & Luc. XXIV, 30. id trahendum eſt ad ſacram Cœnam. *Communio* Corporis & ſanguinis Chriſti ad quam ordinatur, & *Menſa* Domini in qua peragitur; *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus nonne communio corporis Chriſti eſt? Non poteſtis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum; Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum* 1 Cor. X, 16. 21. (b) Veteribus vocatur aliquando *Synaxis*, quod ad illam convenirent fideles; aliquando *Liturgia*, quod ad cultum Dei publicum ceu pars ejus notabilis ſpectet; aliquando *Euchariſtia*, quod gratiæ in illa agantur Deo propter beneficia in Chriſto collata; quò putant nonnulli Paulum reſpexiſſe 1 Cor. XIV, 16. *Si benedixeris Spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus eſt amen* ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, *ad tuam gratiarum actionem? Nam quid dicas neſcit:* Et ſanè Chriſtus *accipiens poculum* καὶ εὐχαριστήσας, *dedit* ſuis diſcipulis Matth. XXVI, 27. Imò *panem accipiens* εὐχαριστήσας, *fregit* eum, inquit Lucas XXII, 12. Nonnunquam *Eulogia* propter benedictionem à Chriſto adhibitam; nam *accipiens Ieſus panem* καὶ εὐλογήσας ἔκλασε Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. & *poculum benedictionis cui benedicimus eſt communio ſanguinis Chriſti* 1 Cor. X, 16 etſi poſtea *Eulogiæ* aliud ſignificarint. Sequioribus ſæculis *Miſſa*
P. dicta fuit, voce non Hebraicæ, ut nonnulli Miſſifici ſomniarunt, ſed Latinæ originis, quia miſſa ſive miſſio Catechumenorum fiebat antequam celebrarentur myſteria, & ubi peracta erant, ipſorum fidelium per hanc clauſulam, *Ite miſſa eſt.*

LXIII. (c) Materia externa ſunt panis & vinum: quæ duo non duplex faciunt Sacramentum, etſi ſæpè Veteres hîc in plurali quaſi de duobus Sacramentis loquantur, ſed unicum, in quo plena nutritio per Chriſtum, & ſanguinis pro nobis fuſi ſeparatio ab ejus corpore, ita ſignificari debuit. Ut panis ſit azymus non fermentatus, triticeus non ſiligineus aut hordeaceus, ſuperſtitioſè & abſque Scriptura cavetur à Pontificiis (dum fervidiùs ſe Græcis opponunt, qui panem fermentatum ſimpliciter neceſſarium ſtatuunt;) prout volunt neceſſariò aquâ vinum dilui; cùm tamen *genimen vitis* ſimpliciter dicatur Chriſto quod tradidit in calice Luc. XXII, 18. & illa mixtio, in qua myſterium quærunt, obſit quoque eorum Tranſſubſtantiationi. Sunt autem hæc duo ſigna panis & calicis non tantum de integritate, ſed etiam de eſſentia Sacramenti, ut citra grande ſacrilegium, vel Gelaſio Papâ teſte, divelli non poſſint, aut ſub (d) unica tantum ſpecie, ut loquuntur, contra inſtitutionem Chriſti communio peragi. P.

LXIV. Sacrilegii itaque evidenter rea eſt Eccleſia Romana quæ contra Chriſti inſtitutionem & mandatum, *Bibite ex eo omnes* Matthæi XXVI, 27. *Exploret quiſque ſeipſum & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat* 1 Cor. XI, 28. (quod ad Clericos reſtringi nequit magis quam illud, *Accipite, manducate*:) contra praxin conſtantem veteris Eccleſiæ; contra Chriſti dictum Joh. VI, 53. *Niſi ederitis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, eo magis hunc faciens quod ipſi Pontificii illud de Euchariſtia interpretantur, contra Sacramenti ipſius naturam & finem, quo non ſolum plena nutritio noſtra, quæ cibo & potu debet peragi, ſed etiam mors Chriſti & ſanguinis ſui effuſio & realis ab ejus corpore ſeparatio ſignificatur; calicem benedictum abſtulit Laicis; non tam propter frigidas & ridiculas rationes Concilii Conſtantienſis, à barbis laicorum, gelu, everſionis periculo, abſtemiis, (quaſi paucorum exceptio inſuperabilis, regulam generalem debeat evertere, aut Verbum Dei nemini ſit prædicandum quia ſunt ſurdi aliquot qui non audiunt;) & ſimilibus; quàm ut conſtabiliret Tranſſubſtantiationem, Sacrificium Miſſaticum firmaret, & ſuos Iſidis Myſtas, non contentos diſtinctione jam ante receptâ inter com-

a 2. Nomina *In Scriptura.* b *Apud veteres.* c 3. Materia ac Forma. d *Communio ſub una ſpecie evertitur.*

communionem Laicorum & Clericorum, populo Christiano in re maximi momenti præferret; teterrimo errori præludentibus Aquariis sive Hydroparastatis, Encratitis, Marcionitis & Manichæis.

LXV. (*a*) Nec valet κρησφύγετον à *Concomitantia* desumptum, & quod is censeatur haurire sanguinem Christi qui illius corpus comedit; Nam I. Quomodocunque res signata percipiatur, integrum signum fuerat retinendum: II. Non edendum tantum fuit, sed etiam bibendum ex natura Sacramenti: III. Sanguis Christi offertur ibi non ut est in venis illius, sed ut fusus pro nobis & à corpore separatus: Hæc enim fiunt *quo annuncietur mors Domini usquedum venerit* 1 Corinth. xi, 26. IV. Concomitantiæ Helena, etsi placuerit Lutheranis, partus est Transsubstantiationis & implicat easdem absurditates: & tunc de pane dici posset quod sit sanguis Christi, & de vino aut calice quod sit illius corpus, & quod comedat Christi corpus qui calicem sumit, & sanguinem Christi bibat qui comedit panem.

LXVI. Res significata pane & vino est corpus & sanguis Christi, illud ut cibus, hic ut potus animæ, quo nutriatur in spem vitæ æternæ; Signi ad rem significatam analogia pluribus posset exprimi, nisi satis ex se pateret; cùm eadem sit carnis & sanguinis Christi vis ad animam & vitam æternam, quæ est panis & vini ad corpus & vitam temporariam; illo enim *cor hominis fulcitur*, ut *hoc lætificatur* Psal. civ, 15. Nec minus passione suâ multiplici Christus ad animæ nostræ cibationem idoneus redditus est, quam pistrino & torculari frumentum & uvæ ad panem & vinum præparantur: Ac sicut panis & vinum ore & ventre excipi debent, ac calore nativo concoqui, ad nutritionem corporis; ita fide & corde debent sumi caro & sanguis Christi ac Spiritus Sancti efficaciâ in mentis pabulum abire. Præsentiam autem corporis, & sanguinis Christi in Cœna, accedente verbo ad elementum, firmiter credimus, tum sacramentalem & symbolicam in signis quæ illa repræsentant, tum spiritualem & mysticam fidei dignè participantium, non tamen definitivam aut localem per indistantiam, ut Pontificii Transsubstantiatores & Lutherani Consubstantiatores statuunt.

LXVII. E(*b*)tenim illa realis præsentia corporis Christi in, cum, & sub pane, vel illius speciebus, per indistantiam loci, repugnat I. Veritati sui corporis, quam etiam post suam resurrectionem adstruebat; *Videte manus meas & pedes meos, nam ego sum: contrectate me & videte, nam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere* Luc. xxiv, 39. & cujus πολυτοπία vel πανταχουσία sine multis contradictionibus statui non potest; quales exurgunt ex corporis illocatione & inextensione, multiplicatione loci simultanei sine multiplicatione locati, carnis immensitate adeoque & divinitate. II. Ascensioni ipsius locali in cœlum, unde non redibit nisi ad judicium Universi; *Pauperes semper habebitis vobiscum, me verò non semper habebitis* Joh. xii, 8, *quem* nempe *oportet cæli capiant usque ad tempora restitutionis omnium* Act. iii, 21 & ubi demum est quærendus; *Si resurrexistis cum Christo superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; superna curate non terrestria* Coloss. iii, 1. 2. etiam in Cœna, cujus mensa est aquilarum non graculorum, juxta Veterum *Sursum corda.* III. Præmonitioni ipsius expressæ contra hos errores; *Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, ne egredimini, ecce in conclavibus, ne credite: Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usque in occidentem, ita etiam erit adventus Filii hominis* Matth. xxiv, 26. 27. IV. Ipsi Sacramento quod institutum est in memoriam Christi ceu absentis, donec veniat; *Hoc facite ad mei commemorationem*, inquit ipse Luc. xxii, 19. & Paulus id explicans, *Quotiescunque ederitis panem hunc & biberitis hoc poculum, mortem Domini annunciatis usque quo veniat* 1 Corinth. xi, 26. Quin hîc ducimur ad Christi corpus non gloriâ coruscum, quale nunc est in cœlis, sed fractum pro nobis & attritum in cruce, quod quà tale nunc oraliter comedi non potest.

LXVIII. (*c*) Omnipotentia Dei non est hic urgenda & absque illius voluntate & contra eam, ac in re manifestè contradictoria: Nec etiam unio hypostatica in Christo, quæ facta est ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως: Nec Christi exaltatio, quâ gloriam dedit suo corpori, naturam non abstulit. Neque potest alia esse ratio Cœnæ ad Christi corpus quam Baptismi ad illius sanguinem; Ut verò hîc sanguis Christi substantialiter non respergitur super corpore nostro ad ablutionem, sed ejus vis & efficacia conscientiis nostris per Spiritum Sanctum applicatur; ita ibi ad nutritionem mysticam non est opus ut caro Christi in corpus nostrum trans-

a *Ut Concomitantia.* b *Corpus Christi ut præsens in Cœna.* c *Non per indistantiam loci, ad oralem manducationem:*

transmittatur, sed sufficit ejus efficaciam animæ applicari per Spiritum Sanctum, ceu unicum authorem spiritualis & vivificæ nostræ cum Christo communionis; *Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam; verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt* Johan. VI, 63.

LXIX. Agnoscimus equidem carnem Christi manducandam ac sanguinem ejus bibendum, ex Joh. VI, 51. 53. 54. 56. *Si quis ederit ex hoc pane vivet in æternum; Nisi ederitis carnem filii hominis & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis; Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*: Sed Christus non loquitur ibi de Eucharistia, quæ nondum erat instituta, vel de Sacramentali manducatione, quæ nec est absolutè necessaria ad salutem, nec simpliciter salutaris, uti hæc. Intelligit ergo, quod plures ex Adversariis non diffitentur, manducationem spiritualem, quæ non fit ore masticando, sed vel in Sacramenti usu vel extra illum, mente credendo & meditando, per quam maneat ipse in nobis & nos in illo: Quandoquidem ei idem sunt venire ad se, credere in se, & manducare carnem suam & bibere sanguinem suum; prout antea dixerat, *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me nequaquam esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam* com. 35. item, *Qui credit in me habet vitam æternam, ego sum panis ille vitæ* com. 47. 48. Ac studio Capernaitas oralem hic fingentes manducationem, (ut faciunt hodierni Consubstantiationis & Transsubstantiationis patroni) à talibus cogitationibus avocat vers. 61. & 62. *Heccine vos offendit? Quid si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eo ubi erat prius?* Quod Augustino & aliis Veteribus etiam observatur; *Hinc*, inquit ille, *solvit quod ipsos moverat, hinc aperit unde fuerant scandalizati, Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum; ille autem dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum: Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certè vel tunc videbitis quia eo modo quo putatis non erogat corpus suum; certè vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus.* Ut quid paras dentes & ventrem, crede & manducasti.

LXX. Oralis illa manducatio carnis Christi quæ ab istis hominibus propugnatur in Cœna, & quæ fingitur communis dignis & indignis, nullius est usus ad salutem; quod colligitur evidenter ex Matth. XV, 11. 17. Ut enim *non quod ingreditur in os polluit hominem*, eo quod *in ventrem abeat & in latrinam ejiciatur*, teste ibi Christo, sic illud eum sanctificare non potest; neque est *regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum* Rom. XIV, 17. Sic etiam Christi corpus multis quotidie, à muribus, à canibus, ab improbis, objiceretur contumeliis, nullius amplius usus vel necessitatis ad nostram salutem. Neque per contactum corporis Christi nostra corpora præparantur ad resurrectionem, sed per Spiritus Sancti inhabitationem & præsentiam; *Si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis* Rom. VIII, 11. Indignè verò ad mensam Domini accedentes *rei sunt corporis & sanguinis Christi, ac damnationem sibi edunt & bibunt non discernentes corpus Domini* 1 Cor. XI, 27. 29. non quod indignè comedi possit caro Christi, ex qua omnis nostra dignitas; aut quod Christus se deglutiendum præbeat impiis; sed quod tantæ rei Signum & Sacramentum quâ par est reverentiâ & fide in Christum non recipiant; ut sanguinem fœderis violant qui contumeliosi sunt in suum sacrum Baptisma, dicente Paulo de unoquoque talium, quod *Filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis per quem fuerat sanctificatus profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit* Hebr. X, 29.

LXXI. In verbis institutionis τὸ ῥητὸν non potest urgeri, quia pronomen demonstrativum τοῦτο, *Hoc*, ad panem necessariò spectat: nec potest panis aliter esse corpus Christi, quam sacramentaliter & significativè; ut Circumcisio *fœdus* Gen. XVII, 10. Agnus *Pascha* Exod. XII, 11. Baptisma *lavacrum regenerationis* Tim. III, 5. Calix in Cœna *novum testamentum in sanguine Christi* Luc. XXII, 20. & Petra *Christus* 1 Cor. X, 4. Neque verbum *Est*, hîc propriè & substantivè debet sumi, sed tropicè & significativè, uti conveniebat in sermone Sacramentali, in quo solet signo tribui nomen rei significatæ; prout cordatiores ex Adversariis non diffitentur sæpè verbum *est* poni pro *significat*: Tautologiam quam hic fingit Meisnerus, nemo videt præter ipsum; nam panis materialiter consideratus dicitur esse corpus Christi, quatenus illud significat, sive prout est signum, figura, typus, imago, Sacramentum, corporis Christi; ut etiam sanior Antiquitas interpretatur.

LXXII.

LXXII. (*a*) Speciatim Papistarum Transsubstantiatio, re & nomine in Ecclesia recens & Antiquis ignota, repugnat I. Omni legitimæ & propriæ mutationi, in quâ, ut in nuptiis Cana aquâ in vinum mutatâ, prior manet materia, nova forma inducitur, & ex eo quod præexistebat fit quod antea non erat in rerum natura. II. Toti conditioni & naturæ accidentium, quæ hîc statuuntur contradictoriè sine subjecto, cùm accidentis esse sit inesse; item & corporum, quibus si tollas spatia locorum nusquam erunt, adeoque nec erunt; hîc enim asseritur Christi corpus, in visibile, indivisibile & inextensum latere sub puncto. III. Ipsi corpori Christi, quod fingitur, tanquam Jovem Elicium, quarundam vocularum secreto murmure è cœlo evocari, (ac si Sol ille justitiæ non se posset nobis è cœlo ipso communicare) atque ex pane per verba magico more admurmurata fieri; cùm tamen illa verba, *Hoc est enim corpus meum*, non sint imperativa vel effectiva rei quæ non sit, sed indicativa & declarativa rei quæ jam est. Et cùm in hac enunciatione pronomen, *Hoc*, substantivè denotet id ipsum quod Christus acceperat & fregerat, nempe panem, non alius horum verborum potest esse sensus quam iste, H*ic panis est corpus meum*: At panis sensibilis non potest dici corpus Christi aliter quam figuratè. IV. Sacramenti conditionibus, quæ elementi externi præsentiam, non annihilationem, requirunt. V. Ipsi Sacrificio Missæ, quo fingitur offerri corpus Christi pro vivis & pro mortuis; Positâ enim panis destructione per consecrationem, inde sequetur solum panem Deo hîc offerri, non corpus Christi; cùm id solum offeratur quod destruitur; Imò cùm Sacrificium nonnisi post transsubstantiationem offeratur & peragatur, nequidem etiam ipse panis, si jam desierit esse, consecrari aut destrui ad Sacrificium amplius poterit. Quid quod positâ hac annihilatione substantiæ panis & vini per verba transsubstantiatoria, inde sequitur & quicquid est panum in rerum natura posse annihilari per Sacrificulos, (dixerint licet Peripatetici materiam primam esse æternam;) ac multum decessisse ac decedere quotidie communi & inferiori rerum sublunarium materiæ per Missarum frequentiam, & ex meris accidentibus nasci vermes, qui ex hostia putrescente gignuntur, aut fieri substantiam aceti, cùm species vini diutiùs asservatæ in calice acescunt. Et sanè post consecrationem, *panem* adhuc, ut in calice *genimen* vitis, esse & dici, constat ex Scriptura; *Panis quem frangimus nonne est communio corporis Christi* 1 Corinth. x, 16. *Quotiescunque ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis usque quo venerit; itaque quisque ederit panem hunc vel biberit poculum Domini indignè, damnas erit corporis & sanguinis Domini; Exploret autem quisque seipsum, & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat* 1 Corinth. xi, 26. 27. 28. *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis usque ad diem illum quo ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei* Matth. xxvi, 29. & Luc. xxii, 18.

LXXIII. Mutationem ergo non aliam hîc debemus agnoscere, quam moralem & significationis, ita ut panis & vinum sint quod erant quoad naturam, & aliud facta sint quoad usum, unde rei significatæ nomen accipiant. Adeoque increduli & indignè communicantes sola hæc signa externa à Ministro recipiunt, nec rei significatæ ac nutritionis spiritualis per eam fiunt participes; sed cum signis externis à Ministro distributis, pii & dignè communicantes per fidem accipiunt rem significatam, & eâ sustentantur & vivificantur ad salutem: Nam fides est ex parte nostri unicum organum salutaris cum Christo communionis & manducationis illius spiritualis; *Per fidem* enim *inhabitat Christus cordibus nostris* Eph. iii, 17. Unde Paulus, *Unà cum Christo crucifixus sum; vivo autem non amplius ego, sed Christus vivit in me, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei qui dilexit me & tradidit semet ipsum pro me* Gal. ii, 20. Et per eam, quæ loco absunt suo modo uniuntur, ut vir & uxor absentes à se invicem, conjuncti manent fide conjugali; atque præsentia sistuntur; prout *Patres* in deserto *ejusdem escæ* & *potus spiritualis* nobiscum fuerunt participes 1 Cor. x, 3. 4.

LXXIV. Liquet autem ex his (*b*) quem in finem potissimum sacra Cœna sit instituta, nempe ad significandam nostram nutritionem spiritualem in Christo, ad quam oportet ut vera fide carnem ejus manducemus & bibamus ipsius sanguinem, hoc est, vel Augustino interprete, passioni ejus communicemus, & sanctè ac utiliter reponamus in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit; Atque ideo Cœna dicitur *Communio corporis & sanguinis Christi* 1 Cor. x, 16. Inservit præterea tum unioni Ecclesiæ & significandæ & fovendæ; *Quoniam unus est panis, unum corpus nos illi multi sumus; nam omnes ex illo uno pane participamus* 1 Cor. x, 17. *Etenim per unum* Spiri-

a *Neque speciatim per Transsubstantiationem.*

b 4. Finis & Usus.

Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus Iudæi & Græci, & servi & liberi, & omnes potati sumus in unum Spiritum; etenim corpus non est unum membrum sed multa 1 Corinth. XII, 13. 14 cùm etiam nobis Deo magis ac magis obstringendis & ad pietatis ac gratitudinis officia excitandis; imò ipsi-met fidei nostræ corroborandæ, confirmandæ, ac veluti novo oleo in lampadem immisso, nutriendæ ac fovendæ, donec novum illud vinum bibamus cum Christo in domo Patris sui, & *accumbamus cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum* Matth. VIII, 11.

LXXV. (*a*) Sed abusus est gravissimus Sacramenti, cùm adhibetur, ut in Papatu, ad probandam innocentiam in foro, ad fœdera humana firmanda, ad cœpta & proposita fortunanda, & si quæ sunt ejusmodi; quorum πρῶτον ψεῦδος est (*b*) Sacrificium Missaticum, in quo offeratur Deo Christi corpus sub speciebus panis & vini, tum ad impetrationem quorumcunque beneficiorum, adeo ut & pro porcis, jumentis, segetibus, litibus, morbis, Missæ celebrentur; tum ad propitiationem peccatorum pro vivis & mortuis. Imò tota Papistarum religio in hujus Sacrificii frequentatione consistit, sicut & eò omne ministerium publicum apud eos ordinatur; cùm tamen in institutione Christi nihil videamus quod formaliter ad Sacrificium pertineat; nullum altare, nullam hostiæ elevationem, nullam oblationem, nihil quod non sit de Sacramento; licet totâ essentiâ Sacrificium & Sacramentum differant.

P.

P.

LXXVI. Sub Novo etiam Fœdere nullus superest locus sacrificiis externis, sed tantum spiritualibus & mysticis, de quibus Mal. 1, 11. *Ab ortu Solis ad occasum ejus magnum erit nomen meum in gentibus, & omni loco suffimentum afferetur nomini meo & munus purum, quia magnum erit nomen meum in gentibus, ait Iehova exercituum*; & 1 Pet. II, 5. *Ipsi quoque veluti vivi lapides ædificati, fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum*; & Rom. XII, 1. *Adhortor vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum*; & Hebr XIII, 15. *Per ipsum assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, idest fructum labiorum celebrantium nomen ejus; Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscamini; talibus enim victimis delectatur Deus*, Ad illa sanè Sacrificia spiritualia, Christus ita omnes pios & fideles *fecit reges & sacerdotes Deo & Patri suo* Apoc. 1, 6. ut nihil planè in ministerio Euangelii sit propriè & speciatim Sacerdotale. Ut taceam quod sacrificium incruentum, quale hoc fingitur, propitiatorium esse nequeat; siquidem *absque sanguinis effusione non fit remissio* Heb. IX, 22. nec extra unicum & irreiterabile sacrificium crucis propitiatio reperiatur; Christus *non offert sæpè semetipsum, sicut* Pontifex *ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno, (alioquin oportuisset eum sæpè passum fuisse à jacto mundi fundamento;) sed nunc semel in consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum, factus est manifestus*, ac *semel* fuit *oblatus ut in se ipso tolleret multorum peccata*, atque sic *unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur* Heb. IX, 25. 26. 28. X, 14. Quin Roma videtur tantum discrimen agnoscere inter Missam & Crucem Christi, ut in die Parasceves, quo recolitur passio Christi, Missa nulla celebretur. Quid quod suum hoc sacrificium non soli Deo offert, sed etiam Sanctis, quorum quisque habet Missam suam specialem? Imò nesciunt ipsi quid hîc offeratur & in quo sita sit formalis ratio hujus sacrificii: Nonnullis duplicem comminiscentibus oblationem; unam panis & vini, quæ inde *oblata* dicuntur, ad quam solam totus Canon Missæ videtur ordinari; alteram corporis & sanguinis Christi; Aliis nullam præter hanc agnoscentibus; Quibusdam item in ipsa transsubstantiatione, aliis in specierum consumptione, sacrificii istius formalem rationem collocantibus. Nec posset Christus verè in eo offerri quin juxta Sacrificiorum legem subjiceretur reali destructioni, (cum qua corporis sui adductio imaginaria sub species panis & vini, nihil habet commune,) & infra Sacrificulorum dignitatem constitueretur.

LXXVII. Hi verò, qui se Creatores sui Creatoris vocitant, non sunt ordinis Melchisedeciani, qui soli Christo competit; *Iuravit Iehova & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in sæculum secundum ordinem Melchisedeci* Psal. CX, 4. Nec *panem & vinum* Melchisedec obtulit Deo quà Sacerdos, sed quà Rex dedit *Abrahamo* & ejus militibus Gen. XIV, 18. Mandatum Christi *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. XXII, 19. huc non potest trahi, cùm revera obliget omnes fideles respectu ejus quod fecerunt tunc Apostoli; & explicatur à Paulo 1 Corinth. XI, 26. per hæc

a *Abusus varii.* b *Quorum primarius* Sacrificium Missæ.

verba, *Quotiescunque ederitis panem hunc & biberitis hoc poculum annunciatis mortem Domini usque quo venerit*; Nec offerri potest Christus in Christi memoriam; Nec facientes Ecclesiæ Ministri in piorum cœtu quod tunc fecit Christus, aliud censendi sunt facere quam Sacramentum Eucharistiæ celebrare, distribuere, & administrare secundum institutionem ipsius. Poculum ipsum non effunditur in remissionem peccatorum, ut perperam huc ad ferunt verba Græca Luc XXII, 20. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, (in quibus sanè posterius τὸ ad αἵμα refertur, ut constat ex aliis duobus Euangelistis Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. qui habent τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα μου, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, & frequens est talis enallage in N. T. ut Luc. v, 9. IX, 53. Apoc. VIII, 9.) sed sanguis qui in calice nobis Sacramentaliter propinatur, est is qui revera solus effusus fuit eum in finem; ad cujus communionem sub N. F. novo beneficio invitamur, cùm sub V. interdictus esset Israeli toti omnis sanguis in communi, maximè sanguis victimarum; *Anima cujusque carnis in sanguine est*; *ego verò destinavi vobis eum in altari, ad expiationem faciendam pro animis vestris*; *nam sanguis is est qui pro anima expiationem facit*; *idcirco edico filiis Israelis, nulla anima ex vobis comedito sanguinem, etiam peregrinus qui peregrinatur inter vos ne eomedito sanguinem* Lev. XVII, 11 12.

LXXVIII. Aliquando quidem Veteres de Eucharistia loquuntur sub nomine *Sacrificii*, & Mensam *Altare* vocant, sed catachresticè & alio sensu quam Pontificii; nempe I. Ut se accommodent ingenio Ethnicorum quorum omnis religio erat sita in Sacrificiis. II. Propter oblata à populo ad communionem; quod etiam ex Canone Missæ liquet, utpote antiquiore ipsâ doctrinâ
P. Pontificiâ. III. Propter significationem & commemorationem Sacrificii Christi. Et cùm Antiqui de Cœna tanquam de Sacrificio loquantur ad excitandum magis in populo communionis desiderium, hodie Sacrificium statuitur ut communionis negligentia excusetur, & Missæ solitariæ & absque communicantibus, planè Veteribus ignotæ, & ipsi Sacramento Eucharistiæ omninò adversæ, defendantur.

LXXIX. Hæc de Sacramenti istius essentialibus; Circa (a) circumstantias, I. Non debet cele-
brari, ut in Papatu, lingua peregrina; sed om- P.
nia decet fieri, & alta voce, missa Canonis *Se-* 1.
cretâ, & intelligibili; *Orabo Spiritu, sed orabo etiam intelligentiâ; psallam Spiritu, sed psallam etiam intelligentiâ; quandoquidem si benedixeris Spiritu, is qui implet locum idiotæ quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem*, sive Eucharistiam, *nam quid dicas nescit* 1 Cor. XIV, 15.
16. II. Minister debet vel Deum per preces, vel 2.
nomine Dei populum alloqui, non ipsa elementa
sensu destituta, ut Pontificii Missifici solent. P.
III. Panis consecrati, quem vitiosè *Hostiam* 3.
vocant, nec pomposa circumgestatio, ut pote Antiquitati & Apostolis ignota, nec elevatio in
cultum, qualis apud Pontificios utraque obtinet, P.
probanda est Imò Eucharistiæ adoratio rejicienda est tanquam detestanda idololatria, non tantùm falso fundamento Transsubstantiationis subnixa, sed etiam omni certitudine destituta, & in qua, Samaritano more, adoratur quod nescitur; cùm vel illæ apparitiones carnis, sanguinis, pueri, in hoc Sacramento, quas interdum ad id crepant Adversarii, ipsismet fatentibus, non minus à Dæmone possint proficisci quam à Deo, & cæteroquin plurima requirantur ad Transsubstantiationem faciendam, ordinatio legitima, integrâ omnium verborum pronunciatio, materia idonea, intentio consecrandi, &c. de quibus nulla certitudo potest haberi ab hostiæ adoratoribus: quibus ideo nonnulli suadere voluerunt hanc formulam, *Adoro te si tu es Christus*; sed eam omninò respuunt hodierni Jesuitæ.

LXXX. IV. Neque celebrari debet priva- 4.
tim, aut absque ullis communicantibus, ut fit P.
apud Pontificios; cùm ne quidem olim permit- 5.
terentur esse præsentes qui non communicabant. P.
V. Symbola quoque, ut perperam apud eosdem, non debent asservari, (contra morem antiquum, & absque Christi & Apostolorum exemplo,) vel ad cultum, vel ad usum ægrotorum; cùm nequidem primitùs ægri ejus fierent participes alio tempore quam communionis in Ecclesia. VI. Speciatim panis fractio in communione non de-
bet omitti, quod fit apud Pontificios & alios Pon- 6.
tificiæ traditionis in eo tenaciores, utpote mysti- P. L.
cæ significationis, à Christo observata & à Paulo commendata. Quare longè tutius esset facere uti fecit Christus & simplicitatem Euangelicam sequi, quam vel omittere quæ constituit, vel sacram & mysticam solemnitatem, in theatralem,

a 5. Circumstantiæ.

Missa-

Missaticum & mimicum apparatum, commutare.
LXXXI. VII. Communicaturus debet es-
se Christianus adultus, in fide benè institutus,
sanctitatis studiosus, & qui seipsum convenienter
præparaverit; *Exploret quisque seipsum & ita de
pane illo edat & de poculo illo bibat; nam qui edit
& bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bi-
bit, non discernens corpus Domini* 1 Cor. XI, 28.
29. Quare ad communionem non sunt admit-
tendi, vel exteri, vel infantes, ut olim diutiùs
factum, etiam in Ecclesia Romana, vel mente
capti nisi habeant dilucida intervalla, aut scanda-
losi & impœnitentes; cùm vel ipsi Ethnici à suis
profanis sacris profanos exesse voluerint: *Ne date
quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas
vestras coram porcis, ne quando conculcent eas pedi-
bus suis & conversi lacerent vos* Matth. VII, 6. Non
erit autem rejiciendus surdus & mutus, si aliàs ex
signis & vita, probabiliter colligi possit eum cog-
8. nitione Christi & fide non esse destitutum. VIII.
In communione, vinum non debet sorberi per
fistulam, ut sequioribus sæculis, Satana gradum
struente ad calicis sublationem, alicubi cœpit
P. fieri, aut panis in os ingeri, ut fit in Papatu &
L. apud Lutheranos; sed symbola juxta mandatum
Christi, *Accipite, manducate, bibite ex hoc om-
nes*, debent sumi à communicante. Si quis fuerit
abstemius, debebit saltem calicem ori admove-
re, aut si planè vini visum & odorem ferre ne-
queat, publicè protestari, se non ex contemptu
aut superstitione, sed ex insuperabili infirmitate
naturæ, quo casu necessitas legem non habet,
9. à calice abstinere. IX. Quamvis nolimus simpli-
citer damnare eorum morem qui de geniculis re-
cipiunt Sacramentum, tamen melius eos facere
arbitramur qui communicant vel stando, ut Is-
raelitæ primum Pascha comederunt, vel seden-
do, ut ipsimet Apostoli: quorum utrumque &
primavæ institutioni, & Antiquitatis praxi, jux-
ta quam ne quidem fas erat diebus Dominicis
orare de geniculis aut in genua concidere, pro-
10. piùs accedere videtur. X. Si quæ ex oblatis, uti
P. vulgò appellantur, ac symbolis supersint, ea
pauperibus dari, aut à Clerò, ut olim, consumi
oportet non asservari; quia extra usum non
magis ille panis residuus, quam aqua in baptiste-
rio, aut quondam aqua Jordanis cum cessabat
Johannes baptizare, Sacramentum est.
LXXXII. Tandem, quamvis de loco &
tempore communionis nihil certi extet in Scrip-
tura, tamen I. Planè privatim celebrari & insti- 11.
tui non debet, sed in aliquo cœtu fidelium ad sa-
crum illud convivium convenientium; cùm sit
actio publica, cujus gratia fideles debent *in Ecclesia
& eodem loci convenire* 1. Cor. XI. 18. 29. quo *om-
nes ex uno pane participent* 1. Cor. X, 17. Quare im-
probamus non solum morem Veterum aliquid ex
sacris Cymbolis domum deferentium, ut ex illis
privatim sumerent ad libitum; aut etiam Eucha-
ristiam in os mortuorum ingerentium; Sed eti-
am quod in Papatu solet illud Sacramentum pro P.
viatico deferri ad moribundos, & quandoque
conferri cruciariis ipsis, qui propter sua scelera
rapiuntur ad supplicium. Quin judicamus illas
Ecclesias meliùs facere in quibus nonnisi solem-
niter & statis temporibus ac locis Eucharistia cele-
bratur, quam eas in quibus etiam præter ordinem
administratur domatim in ægrorum consolatio-
nem, licet adsint aliquot alii qui unâ communi-
cent; quia sic sensim duplex Cœna videtur intro-
duci, privata alia, alia publica, & symbolis ex-
ternis plus justo deferri quam convenit. II. Dein- 12.
de sæpiùs quoad fieri potest decenter repeti debet,
sic tamen ut non veniat in contemptum nimiâ
frequentiâ, & communicaturi tempus habeant
idoneum se præparandi, (contra quam in illis In-
dependentium cœtibus obtinere dicitur, in qui- F.
bus omnes singulis diebus Dominicis communi-
cant:) & servetur ordo quem quæque Ecclesia
sibi in eo constituerit; cùm sanè ex illius usu le-
gitimo, plurimum consolationis & incrementi
in fide, pii percipiant: Quod enim ante aliquot F.
annos volebat perperam Grotius non semper
communicandum esse per symbola, non aliò
spectabat quam ad zelum extinguendum, & ho-
mines neutrales ac sibi similes efficiendos. Equi-
dem post Cœnam ordinariam Christus hoc Sacra-
mentum instituit; laudabile tamen est, quod
jam olim invaluit, à jejunis demum, ut mens sit
liberior ad pias meditationes, illud percipi. Det
Dominus Deus, ut quoties ad Mensam Filii sui ac
cedimus, consequamur in illa procœnium epuli
supercœlestis, in quo ipse erit & conviva & con-
vivium, ac omnia in omnibus. AMEN.

ASSERTIONUM EX UNIVERSA THEOLOGIA

Selectarum, Decades Viginti, in usum Collegiorum, præsertim Examinatoriorum.

Hic exhibeo ex universa Theologia juxta nostri Systematis ordinem, selectiores Assertiones ducentas, in viginti Decadas distinctas & distributas. Finem in illis eo ordine disponendis duplicem mihi proposui: Primò ut in Collegiis Disputatoriis eorum qui adhuc hærent in Elementis Theologiæ Didacticæ, necdum rectà arcem controversiarum aggrediantur, sint pro thesibus brevioribus, ad quas tum respondendo, tum opponendo, possint revocare, vel ea quæ ex Systematis privata lectione, aut etiam Collegiali explicatione, didicerint, vel illa ad quæ non satis percepta hæserint dubii. Quod si tres in Collegio opponentes constituantur, quorum duo priores suos scrupulos moveant ad sex priores assertiones, tertius reliquas quatuor percurrere teneatur, uti potest ab illis commodè fieri bihorii spatio, tunc poterunt Collegæ universam Theologiam in primariis suis capitibus disputando percurrere spatio decem septimanarum, si bis convenerint in hebdomada. Deinde & maximè ut mihi sint & studiosæ Iuventuti pro filo Ariadneo in Collegiis Examinatoriis, prout jam ab aliquot annis hoc consilium fœliciter successisse sum expertus: Vbi enim Collegæ ex Systemate nostro & aliis Theologis se benè præparaverint ad singulas cujusque Decadis assertiones, ut de illis omnibus quilibet queat respondere, & de singulis examen distinctum institueretur hoc ordine, hactenus mihi usitato, ut I. *Studiosus qui examinatur de vocis significatione & usu in Theologia dicat, si opus sit;* II. *Rei definitionem, si ita ferat, rogetur;* III. *Sententiam Aphorismo illo suo comprehensam confirmet rationibus Theologicis & locis aliquot insignioribus sacræ Scripturæ;* IV. *Vindecias suarum rationum opponat instantiis in contrarium sui Præsidis;* V. *Respondeat ad capitales aliquot objectiones quæ ipsi fient à Præside;* VI. *Præses ipse in his omnibus juvet, excitet, erigat Discipulum, & ubi minùs commodè respondet, doceat paucis quid & quomodo fuerit respondendum; haud facilè dixerim quantùm brevi spatio Iuventus mediocriter diligens sit profectura, & saniorum Domini verborum hypotyposim fœliciter imbibitura: Si enim Collegium habeatur bis in septimana hoc ordine, etiam decem septimanarum spatio per universam Theologiam Studiosi cum fructu deducentur, & altiùs hærebunt quæ sic didicerint. In eo Collegio Examinatorio, debent minimùm esse quinque vel sex, ut æmulatione honestâ contendat quilibet ea respondere quibus eruditionis alicujus laudem apud suos Collegas consequatur; Non tamen plures esse deberent quam decem, ut pro numero Assertionum quisque ex illis posset semper examinari: Nec eo casu libenter admitto ut Iuniores ei Collegio tanquam spectatores & κωφὰ ϖρόσωπα intersint, nisi ex totius Collegii consensu; quia Actores pudore possent impediri quominùs commodè respondeant; nec libenter ut plurimùm subsint censuræ & judicio aliorum extra cæspitationis periculum constitutorum. Interea tamen usus ita nunc invaluit, ut propter numerum eorum qui Collegio examinatorio interesse cupiunt, (ex quo quantum utilitatis redeat ad Iuventutem probè novi, & norunt quotquot antea experti sunt, aut quotidie experiuntur,) decem constanter sint Actores, reliqui quam plurimi Auditores; Et quò accuratius sit examen, nonnisi media pars Decadis quâque horâ absolvitur, binis ex Actoribus ad unamquamque Assertionem respondentibus; Ne tamen diutius proteletur, habetur plerumque quater in septimana; Sexties nonnunquam: Et sæpè debeo, maximè post Caniculares ferias, ut omnibus satisfaciam, duo ejusmodi Collegia simul instituere diversis horis & diebus, non quidem sine magno labore quod ad me, sed etiam cum emolumento maximo Iuventutis.*

DECAS I.


Ox Theologiæ est πολύσημ☉; nostræ & veræ objectum est Religio; quæ nulla verè talis est & salutaris, nisi quæ Revelatione Divinâ nititur.

2. Revelationis & authoritatis Divinæ sunt Scripturæ Canonicæ Veteris & Novi Testamenti, suis characteribus insignitæ & insito lumine coruscantes.

3. Ad illas non pertinent libri illi, qui cùm in Canone Hebræorum non extent ac revera sint Apocryphi, perperam Veteris Testamenti partibus annumerarentur.

4. Scriptores sacri nec errarunt de facto, nec sub illo specialissimo Spiritus Sancti ductu, errare potuerunt; adeoque authenticum est quicquid Scripturis continetur, αὐθεντία videlicet vel historiæ vel normæ.

5. Neque manum stylo adhibuerunt citra specialem nutum Dei, qui in Ecclesia hanc normam volebat extare certam ac necessariam fidei & morum.

6. Perfectè igitur, & quantum sufficit ad salutem perspicuè, sacris illis libris continetur quicquid factu & creditu necessarium est.

7. Quapropter ad Traditiones non scriptas in Dogmaticis recurrere nihil attinet, sic etiam utendum Scripturâ ceu indeclinabili veritatis normâ, eam per legitimas consequentias ad quæstiones controversas applicando.

8. Unde judicium discretionis in rebus fidei competit quibuslibet fidelibus sigillatim, certius tamen & majoris ponderis Conciliis ac Synodis legitimè procedentibus; Supremum & decisionis absolutæ, soli Deo in Scriptura loquenti.

9. Illa & legi vulgò debet à singulis quantum potest, & transferri eum in finem in linguas vulgares, remanente authentia suprema soli textui originali Hebræo V. & Græco N. T.

10. Est autem sic αὐτόπιςος, ut nec quoad se nec quoad nos, ejus authoritas ab Ecclesiæ authoritate suspendi debeat.

DECAS II.

Deum esse naturaliter novimus, cognitione tam noëtica quam dianoëtica, tam insita quam acquisita.

2. Deo qui unus est & unicus, nec genus nec differentia competit, adeoque definiri non potest.

3. Licet *nomen* propriè loquendo Deo non conveniat, tamen plura illi nomina tribuuntur in Scripturis, quorum maximè proprium est nomen *Jehovæ*, quod nulli unquam Creaturæ tribuitur.

4. Proprietates divinæ nec inter se nec ab essentia divina aliter possunt distingui quam ratione, cùm nihil sit in Deo quod Deus non sit.

5. Nullæ ex illis Creaturis sunt communicabiles aliter quam analogicè, quo demum sensu benè in Communicabiles & Incommunicabiles distribuuntur.

6. Est verò Deus naturæ planè spiritualis & simplicissimæ, omnis compositionis expers, & ipse per modum materiæ, formæ aut partis, incompossibilis cum rebus creatis.

7. Simpliciter item & absolutè infinitus, tum indivisibili duratione, quippe æternum, tum incomprehensibili immensitate, quippe omnipræsens, & circulus cujus centrum ubique circumferentia nusquam.

8. Ac prout nullam habet mutationis umbram, vel in suo esse vel in suo velle, sic omnia ab ipso dependent & in suo esse & in suo operari.

9. Sic etiam Bonus est & Misericors, ut tamen sit Justissimus & vindex peccatorum; Sic item Omnipotens ad faciendum quicquid vult, imò plura quam vult, ut tamen ejus Omnipotentia non debeat extendi ad illa quæ evidentem contradictionem implicant.

10. Denique est Omniscius, etiam futurorum contingentium, ita tamen ut præter Scientiam simplicis intelligentiæ quæ est sui ipsius & extra se omnium possibilium, & liberam sive visionis omnium futurorum, quarum illa se habet antecedenter ad sua decreta, hæc consequenter, nullus Scientiæ mediæ locus sit.

DECAS III.

Licet Deus naturâ & essentiâ unus sit, tamen non repugnat plures dari personas divinas, incommunicabilibus proprietatibus & modis inter se distinctas.

2. Tres eas esse, nimirum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ex Scripturis sacris tum V. tum maximè N. T. palam colligitur.

3. Adeoque Mysterium Sacrosanctæ Trinitatis, quod vocabulum & fundatur in Scriptura, & meritò in

in Ecclesia retinetur, inter fidei articulos fundamentales & simpliciter necessarios censeri debet.

4. Inter essentiam & personas distinctio non est alia quam rationis, sed modalis potiùs quam realis, (accuratè loquendo) inter ipsas personas; ut sic vitentur duo scopuli, Sabellianismus & Tritheismus.

5. Pater ab æterno genuit Filium generatione hyperphysicâ, & à Patre & Filio processit ab æterno Spiritus Sanctus.

6. Hi tres unum sunt, non consensu modò, sed essentia & natura singulari; ut Filius & Patri sit ὁμοούσιος, & eo respectu αὐτόθεος; quod & de Spiritu Sancto dicendum.

7. Divinitas Filii & Spiritus Sancti benè probatur tum à Nominibus Dei & Jehovæ, tum ab Attributis divinis, Omniscientiæ, Omnipotentiæ, Omnipræsentiæ; quæ cum solius summi & veri Dei sint, de utroque tamen leguntur in Scripturis.

8. Opera quoque simpliciter divina, Redimendi, Vivificandi &c. iisdem tribuuntur, ac nominatim Filio Creatio Universi.

9. Sed & inter Honores merè divinos & Creaturæ planè incommunicabiles utrique delatos & debitos, referri potest, Fides, Adoratio, Invocatio, & quod in utriusque nomine cum Patre consignemur in Baptismo.

10. Opera Trinitatis ad intra sunt cuique personæ propria, ceu facientia illis characterizandis & mutuo distinguendis; sed opera ad extra sunt indivisa, servatis tam ordine agendi personali, quam œconomica appropriatione.

DECAS IV.

Ideæ omnium rerum fuerunt ab æterno in mente divina, tum quoad earum possibilitatem, tum etiam quoad earum futuritionem.

2. Hanc habent ex Dei Decretis, quæ licet ex parte subjecti idem sint quod ipse Deus decernens, tamen ex parte objecti & terminativè ad extra multiplicia sunt & libera.

3. Sunt autem Dei decreta æterna simpliciter, immutabilia, efficacia, absoluta non conditionata, & de singulis rebus quæ in tempore eveniunt, vel efficiendis si bonæ sint, vel permittendis atque in bonum finem præter earum naturam ordinandis, si malæ.

4. Hoc sensu Fato sive Providentiæ omnia subjiciuntur, naturalia, voluntaria, necessaria, contingentia, universalia, singularia, & hæc maximè; etiam ipse quorumcunque terminus vitæ, qui inde fixus est statuendus.

5. Quin & ordinationi Providentiæ Divinæ subsunt ipsamet peccata Creaturarum, licet citra blasphemiam Deus author vel causa peccati dici nequeat.

6. Ad Providentiæ decreta pertinet Prædestinatio tum Angelorum tum hominum, quamvis non sit hæc cum ista ejusdem omninò ordinis & naturæ.

7. Hujus objectum adæquatum sunt omnes omninò homines, non quà per Christum universim redempti & ad ipsum externè vocati, aut simpliciter quà creabiles & labiles, sed quà in Adamo creati & lapsi, atque sic digni morte æterna.

8. Ex hac massa perditionis, quidam certò, peremptoriè & immutabilitèr sunt electi in Christo, non ex fidei vel operum prævisione, sed ex mera Dei gratia & misericordia, ad fidem] & opera: adeoque ad salutem æternam per illa.

9. Christus Electionis æternæ decretum ingreditur, non ut ipsiusmet Electionis causa fundamentalis, sed quatenus eo decreto, quod est simul de fine & mediis ad finem, constituitur author & princeps salutis illorum quos Deus ad gloriam vult adducere.

10. Qui in eadem massa relinquuntur, eo ipso prætereuntur & reprobantur: ac tum propter nativam illam corruptionem in qua considerantur, tum propter sequutura inde peccata actualia, morti æternæ adjudicantur. Ut semper reprobatio, absolutè considerata, tam negativa quam positiva, innitatur peccato, & sit actus iræ & justitiæ divinæ; sed comparatè sumpta, semper sit in merum Dei beneplacitum refundenda.

DECAS V.

Creatio universim considerata est omnium rerum ex nihilo, partim simpliciter partim secundum quid tali, productio.

2. Quare est opus potentiæ simpliciter infinitæ; nec communicabilis Creaturæ, sive principaliter, sive instrumentaliter.

3. Mundus neque est, neque potuit esse ab æterno, sed fuit conditus in tempore, sex dierum spatio; etsi cujuslibet diei opus momento sit peractum.

4. Unicus ille est; ac sicut plures sibi mutuò succedentes fingi non debent, ita plures à se invicem discreti & separati simul dari & existere non possunt.

5. Est autem Mosis narratio de origine Mundi ac primorum hominum, Adami & Evæ, omninò divina & certissima.

6. Nec primigenia lux fuit merum accidens sine subjecto, nec aquæ superiores in expanso aliud quam nubes significant.

7. Angeli sunt Creaturæ Dei, quæ nec extiterunt ante principium Mosaicum, nec instrumentaliter ad creationem concurrerunt.

8. Naturæ sunt immateriales, & incorporeæ, numero potius quam specie inter se differentes, quibus competit & Quando & Ubi, quod licet sit definitivum, tamen ad punctum indivisibile contrahi non potest.

9. Angelorum pars quædam non diu post universi Creationem irreparabili lapsu à suo Creatore voluntariè defecit; pars altera per indebitam gratiam fuit in gloria confirmata.

10. Hi maximo numero Deo jugiter inserviunt, ac ipso jubente sic habent in sua tutela pios & fideles, ut tamen cultum religiosum, soli Deo debitum, ab illis nec expetant nec admittant.

DECAS VI.

HOmo constat materiali corpore & animâ spirituali, quæ ex intrinseca sua constitutione debet remanere post animal, nec interitui est obnoxia.

2. Ad hanc animæ rationalis conditionem & naturam, pertinet quoque imago Dei in homine, ad quam conditus fuit ab initio.

3. Quin & eadem resplenduit in ipso corpore, quamvis, quod Deus ipse sit incorporeus, in figura & lineamentis corporis sita non fuerit.

4. Complectebatur etiam Dominium in Creaturas reliquas, cujus potissimum respectu de homine solo, non de Angelis, licet cæteroquin Dei filiis, legimus quod fuerit conditus ad imaginem Dei.

5. Verum neque in eo solo Dominio consistebat sed quoad animæ ipsius dotes & ornamenta, potior illius pars fuit Justitia originalis, quæ intellectum eximiâ sapientiâ, voluntatem & affectus rectitudine debitâ exornabat.

6. Ea non fuit superaddita ad frænandam concupiscentiam, sed fuit connaturalis & debita homini, nequid hic de *Statu puræ naturæ*, in quo homo nec justus sit nec peccator, quidpiam somniemus.

7. Hanc si homo retinuisset manendo in officio, illam propagasset ad posteros, & nunquam moriturus fuisset.

8. In cujus rei pignus, imò & fœlicitatis etiam supernæ post iter suum obedienter emensum tandem consequendæ, arbor vitæ illi erat proposita, non ut causa physica, sed ut Sacramentum, immortalitatis.

9. Cum viro autem mulier, ejusdem speciei & naturæ, fuit quoque consors imaginis divinæ, servatâ tamen viro suâ ὑπεροχῇ.

10. Ac sanè potuisset homo in eo statu permanere si voluisset; sed voluntario lapsu deficiens à Deo, secum totum genus humanum, cui stabat vel cadebat, præcipitavit in ruinam.

DECAS VII.

PEccatum est ἀνομία, idest quicquid Legi divinæ, ex qua etiam illius est cognitio, adversatur.

2. Non est merum nihil, sed privatio rectitudinis debitæ inesse in actibus, habitibus, facultatibus, Creaturæ rationalis.

3. Tò Voluntarium, uti est propriè ejus qui scienter & deliberatè agit, non est de definitione peccati, cùm multa committantur in Dei Legem ex ignorantia & subreptione, ut liquet ex primis motibus concupiscentiæ & affectuum.

4. Peccatum necessariò & ex Legis sanctione consequitur Reatus, ab ipsa Macula distinguendus; considerandus tamen in actu vel primo qui potentialis sit, vel secundo qui actualis.

5. Cùm verò is sit propriè ex culpa obligatio ad pœnam, vel actu, Deo non condonante, vel merito, minùs accuratè distingueretur in reatum culpæ & pœnæ. Priori sensu est separabilis à peccato, non posteriori.

6. Ita peccati stipendium mors est, ut in mortale & veniale ex natura rei distribui nequeat.

7. Actuale aliud est omissionis in præcepta affirmantia, aliud commissionis in negantia: Sed merè personalium gravissimum omnium est, & ex rei ac Dei natura planè irremissibile, peccatum in Spiritum Sanctum.

8. Præter peccatum actuale, originale est agnoscendum, in omnibus ab Adamo naturaliter prognatis, quibus & primum illius peccatum meritò imputatur, & inest nativa corruptio ab eo instar morbi hæreditarii per generationem trasmissa & propagata,

9. Culpæ malum excipit malum pœnæ, quod *Mortis* nomine sic exprimitur, ut quicquid triste & dolo-

dolorificum accidit hominibus, in peccatum refundi debeat.

10. Quin ex ordine justitiæ divinæ, mors æterna debetur peccato, quo sit aliqua proportio in pœnam & culpam.

DECAS VIII.

Jus naturale, à positivo, tam Divino quam humano, distinctum, nec commune est omnibus animantibus, cùm bruta juris aut injuriæ capacia non sint, nec in Noachidarum præcepta septem debet refundi; sed hæc potius, uno forte excepto, ab illo promanarunt.

2. Ita est immutabile & indispensabile, etiam ipsi Deo, ut ejus Justitiæ & Sanctitati repugnet aliquid ei contrarium præcipere, aut permittere permissione juris, Creaturæ intelligenti.

3. Ut reliquiæ ejus supersunt in dictamine conscientiæ, honesti & turpis discrimine, ac communibus illis notionibus ex quibus conflatum est jus gentium primigenium, sic illius regulæ certissimæ non aliunde quam ex Decalogo sunt desumendæ, qui totus in essentialibus juris est naturalis & perpetui.

4. Estque illa Lex Dei, uti in Scripturis proponitur, faciendorum & fugiendorum in genere morum perfecta norma, cui nihil à Christo additum per modum præcepti vel consilii.

5. Posterioris tabulæ sex sunt præcepta; prioris quatuor, ex quibus simulachrorum ad cultum prohibitio, secundum constituit.

6. Lex homini peccatori convincendo & ad Christum deducendo, non justificando apud Deum, ordinatur.

7. Ab illius maledictione & rigore per Christum sumus liberati, non ab omni ejus observatione; cùm novæ vitæ studium ad illius amussim exigi debeat.

8. Lex Mosaica forensis, cùm fuerit juris specialis & positivi, nos non obligat, nec unquam restituetur, ut nec Resp. Judæorum.

9. Ceremoniæ item legales ita sunt per Euangelium abrogatæ, ut deinceps illas usurpare vel imitari non liceat; ut nec ultra tenemur servare Apostolicam prohibitionem de sanguine, suffocato & idolothytis, quæ nonnisi ad tempus & propter infirmiores è Judæis fratres facta fuit.

10. Legibus humanis à legitimo Magistratu sancitis, (Ministris Ecclesiæ legislatoria potestas propriè dicta non competit) etsi directè & immediatè non obligent conscientiam, quæ soli Deo subest, tamen propter conscientiam est obediendum, licet duriores fuerint, modò nihil turpe præcipiant.

DECAS IX.

Irrito facto per lapsum Adami fœdere Naturæ ac Operum, ei statim successit fœdus Gratiæ & Fidei, in manu Mediatoris sancitum.

2. Hoc nec promulgatione, nec oblatione, nedum acceptatione, Universale statui debet.

3. Ut fœdus Naturæ Lege, sic Gratiæ Euangelio, continetur; quod quidem sanctione multum differt à Lege, non tamen propriè perfectione.

4. Consilia itaque Euangelicæ perfectionis, aut accuratioris justitiæ præcepta, alia in Euangelio quam quæ Lege proponuntur, non sunt admittenda.

5. Alia verò est oppositio Legis & Euangelii, sedulò observanda; quam Veteris & Novi Testamenti; cùm hîc utrobique, quamvis sub diversa œconomia, idem Christus obtineat.

6. Quare pii qui sub V. T. vixêre, & promissiones habuerunt Spirituales, & post obitum ad cœlestia gaudia admissi sunt.

7. Quamvis autem V. & N. T. differant duratione, amplitudine, claritate, facilitate, suavitate, tamen non alius fuit modus operandi Sacramentorum V. quam Novi Testamenti.

8. Liberum hominis arbitrium, facultas illa mixta intellectus & voluntatis, aliter se habet ad fœdus Gratiæ quam Naturæ; Hîc enim erat integrum, ibi verò venit per Gratiam à servitute peccati liberandum.

9. Pro eo igitur quod sufficiebat homini integro auxilium *sine quo non* poterat obedire, homini restituendo sub fœdere Gratiæ requiritur auxilium *quo* determinetur, suaviter & infallibiliter, ad obediendum.

10. Aliàs homo sibi in natura sua corrupta relictus, cùm sit ineptus ad omne bonum spirituale & proclivis ad omne malum, nihil aliud potest quam malè agere; unde omnia infidelium opera, accuratè loquendo, peccata sunt.

DECAS X.

Non ut à Christo Christiani meritò dicimur, ceu consortes ejusdem unctionis, sic quidam possunt discretivè Jesuitæ appellari à nomine *Iesu*; ad cujus etiam pronunciationem caput aperire vel genu flectere, potius quam ad nomen Christi aut Dei, superstitione non caret.

2. Je-

2. Jesus Christus Mediator noster unicus, Deus est & homo in unitate personæ: ut contra quam obtinet in S. Trinitate sit in illo aliud & aliud, non tamen alius & alius.

3. Hoc pendet ex mysterio Incarnationis, quâ Dei Filius in unitatem personæ suæ nostram assumpsit naturam, ex carne & semine B. Virginis per operationem Spiritus Sancti.

4. Ut quà Deus est ὁμοούσιος Patri, sic quà homo & naturæ ipsius specificæ respectu, nobis est per omnia similis excepto peccato.

5. In explicanda unione hypostatica duarum in Christo naturarum, debent vitari & Nestorianismus, qui duas personas in Christo ponit, & Eutychianismus qui duas naturas in unam confundit.

6. Ut per eam non competunt formaliter & subjectivè Divinitati attributa & proprietates carnis, ut visibilitas, circumscriptio, mortalitas; sic viceversâ vi illius non competunt formaliter & subjectivè humanitati sive carni proprietates divinæ, cujusmodi sunt æternitas, omnipræsentia, omnipotentia.

7. Idiomatum itaque communicatio in Christo, nihil aliud importat quam proprietatum utriusque naturæ, quæ nominibus abstractis exprimitur, attributionem eidem supposito vel personæ, quomodocunque in concreto denominatæ.

8. Status Christi, veri Messiæ in Prophetis promissi, duplex fuit; prior Exinanitionis, alter Exaltationis; in quorum utroque unitas personæ est semper agnoscenda, manentibus tamen inconfusis naturam proprietatibus.

9. Ad Exinanitionem ejus pertinent Conceptio, Nativitas, Vita ærumnosa, Passio crucis, Descensus ad inferos, (qui ad animam Christi separatam neutiquam spectat;) Mors & Sepultura.

10. Ad Exaltationem Resurrectio gloriosa, visibilis & localis Ascensio in cœlum, & quæ eam consequuta est Sessio ad dextram Patris, quæ non situm corporis denotat, sed personæ regiam dignitatem.

DECAS XI.

CHristus secundum utramque naturam est solus Mediator, non utique Angelorum, sed tantum hominum electorum.

2. Triplex inde ei competit officium, Prophetæ, Sacerdotis & Regis, Messiæ destinatun in V. T. & in hominum Redemptore necessariò requisitum.

3. Quà Propheta in carne, Legem moralem nec auxit nec correxit, sed doctrinam illius vindicavit & applicavit, futura prædixit, ac Euangelium gratiæ promulgavit.

4. Est autem eo respectu unicus & supremus Doctor Ecclesiæ omnium sæculorum.

5. Quà Sacerdos æternus & juxta ordinem Melchisedeci, seipsum stitit obedientem Patri pro nobis & victimam piacularem peccatorum in cruce, ac cum proprio sanguine Sanctuarium cœleste subiit, Sacrificii à se oblati vim & efficaciam jugiter Deo repræsentaturus.

6. Necessarium absolutè erat satisfieri justitiæ Divinæ pro hominibus ad salutem adducendis, Sponsore ipsorum ea præstante & perferente, ad quæ ipsimet ex rigore Legis tenebantur.

7. Hanc satisfactionem verè & ex rigore Christus præstitit pro nobis, & cum reconciliativa & meritoria fuerit, per eam nobis jus acquisivit tam plenum vitæ æternæ, ut nullus amplius supersit locus ulli alii sacrificio propitiatorio, vel propriis nostris satisfactionibus.

8. Salutis per meritum & satisfactionem Christi impetratio, ab ejus applicatione debet distingui, eâ tamen latiùs non patet.

9. Spectat & Christi Sacerdotium ejus jugis Intercessio pro nobis apud Patrem, quæ omnem Angelorum & demortuorum Sanctorum intercessionem evertit.

10. Quà Rex, est caput & fundamentum unicum Ecclesiæ, regnumque ejus erit non tantum mille annorum, sed simpliciter & absolutè æternum, cujus sedem cœlum non terram esse, ipsum Regni cœlorum nomen satis indicat.

DECAS XII.

VOcatio, quâ ad Christi beneficium invitamur non solum externè ministerio Verbi, sed internè etiam efficaciâ Spiritus Sancti, specialis est Electorum Dei.

2. Agit Deus in ea ut citra coactionem & vim, quomodo voluntaria non foret, ita insuperabiliter & modo planè irresistibili.

3. Ut qui veniunt debent id in solidum Deo vocanti & trahenti, sic qui non veniunt nec obsequuntur Euangelio, meritò culpandi sunt.

4. Vocatio efficax ipsam resipiscentiam & fidem operatur in vocatis, non meram credendi & resipiscendi facultatem, determinandam ab eorum Arbitrio.

5. Fides salvifica & justificans, non gradu tantum sed naturâ differt à fide temporaria, historica & miraculorum.

6. Ei competit, tum notitia, nec enim cœca eſt, tum fiducialis aſſenſus promiſſionibus divinis & firmiſſima earundem apprehenſio quâ credens illas ceu ſibi pertinentes certiſſimè applicat.

7. Hinc veri fideles poſſunt & debent eſſe certi ut de ſua ſalute per Chriſtum, ſic ex conſequenti de ſua perſeverantia finali, abſque qua ſalus obtineri non poteſt.

8. Fides ſalvifica & actualis, eſt tantum hominum electorum, non reproborum, viatorum non comprehenſorum, adultorum non infantium.

9. Charitas non eſt illius forma; Sed tamen ab ea ſeparari non poteſt.

10. Objectum ejus ſpeciale eſt Chriſtus cum ſuis beneficiis, abſque cujus cognitione ex Euangelio, nemo adultus poteſt ſervari.

DECAS XIII.

VOcabulum *Iuſtificationis*, cùm de noſtra agitur coram Deo, non alio ſenſu quam forenſi, ac ut accuſationi & condemnationi opponitur, uſurpatur in Scripturis.

2. Homo autem lapſus & peccator, ut-ut jam fidelis, operum ſuorum & propriæ juſtitiæ meritis juſtificari nequit.

3. Neque juſtificatio quam Euangelium proponit per Chriſtum, in ullius juſtitiæ habitualis & inhæſivæ, vel infuſione ex parte Dei, vel præſtatione ex parte noſtri, conſiſtit.

4. Sed potiùs in remiſſione peccatorum per ſanguinem Chriſti, ſive in obedientiæ, meriti, & ſatisfactionis Chriſti gratuita imputatione; quæ duo realiter non differunt.

5. Illius verò acceptandæ & admittendæ in adultis non aliud organum proponitur in Scriptura quam fides, quæ ideo ſola, licet non ſolitaria, juſtificat: non meritoriè, principaliter, aut diſpoſitivè, ſed inſtrumentaliter, apprehenſivè & relativè.

6. Juſtificatio hæc fidei unica eſt, ut ipſa fides una, fitque ſimul & ſemel pro ſemper; licet terminorum ſuorum reſpectu in activam & paſſivam benè diſtinguatur.

7. Quamvis autem decretum de nobis juſtificandis eſt æternum, & morte Chriſti ſumus meritoriè reconciliati Deo, actu tamen non juſtificamur antequam Deus per Spiritum ſuum ſententiam noſtram abſolutoriam pronunciet & inſinuet in conſcientiis noſtris.

8. Juſtificatio iſta gratuita quoad ſe nec intenditur nec remittitur, ſed tantum quoad ſui apprehenſionem & ſenſum.

9. Ea eſt omnium æqualis, ut importat abjudicationem injuſtitiæ omnis & omnis juſtitiæ ac vitæ per illam adjudicationem; licet quoad culpas actuales omnes non ſint æquè peccatores.

10. Eſt ſimiliter & abſoluta & immutabilis, & à toto peccati & ab omni peccato, ut culpâ remiſſâ nulli amplius pœnæ ſatisfactoriæ ſit locus in foro Divino.

DECAS XIV.

SAnctificatio nec confundi debet cum Juſtificatione, nec ab illa divelli.

2. Incipit ab affectibus & corde, & procedit exinde ad actus & opera, per ſemen Regenerationis, quæ ſemel facta, nec intercidit penitùs, nec ſæpiùs in quoquam iteratur.

3. Opera verè bona cenſeri nequeunt, nequidem Euangelicè, nedum Legaliter, niſi quatenus ex fide fiunt & manant à Spiritu Sancto.

4. Bona illa opera ſunt omnibus adultis planè neceſſaria ad ſalutem, non quidem demerendam aut efficiendam, ſed tamen adeundam & conſequendam.

5. Promovetur Sanctificatio precibus piis, quæ ſoli Deo, per unicum Chriſtum Advocatum noſtrum, ex fide & cum intelligentia ſunt offerendæ.

6. Harum autem precum, in quibus & tepor & βαττολογία ac πολυλογία debent vitari, poſſunt imò & debent extare formulæ publicæ, maximè in ordinario cultu Eccleſiæ.

7. Ut Preces ſic Vota ſoli Deo offerri & nuncupari debent, etiam ſub N. T. Sed quæ in Papatu & inter Monachos obtinent multifariàm vitioſa ſunt.

8. Jejunium Religioſum incendit preces: ſed nec meritorium eſt beneficiorum divinorum, nec ſatisfactorium pro peccatis Juſtitiæ Divinæ.

9. Multo minus debent collocari in certo ciborum delectu, aliis ex conſcientiæ ſcrupulo & cum exſecratione rejectis,

10. Ipſummet jejunium ſanctificatur eleemoſynis, ſi rectè procedant; ſed tamen illæ, ut-ut neceſſariæ, non ſunt cenſendæ meritoriæ cœli aut ſatisfactoriæ pro peccatis.

DECAS XV.

AD Sanctificationem inchoandam & peragendam Reſipiſcentia requiritur, quæ nec Sacramentum eſt, nec virtus aliqua ſpecialis, ſed officium Euangelicum.

2. Nec

2. Nec benè nec sufficienter definitur contritione cordis, confessione oris & satisfactione operis; cùm optima pœnitentia sit nova vita, sive propositum serium emendationis; ut & admissa seriò lugeas, & lugenda non ulteriùs admittere verè constituas.

3. Quamvis autem serius debeat esse dolor ex peccato, isque non servilis sed filialis, ut tamen peccato propriè adæquetur fieri non potest.

4. Confessio debet fieri Deo, cui peccatum; quandoque proximo qui læsus; at privata omnium peccatorum in aurem sacerdotis, tyrannica est, nec retinenda.

5. Absolutio ministerialis ex potestate clavium est revera tantum fori exterioris; & cùm abstentio vel ligatio non præcessit ex eodem foro, non est mandata Euangelio.

6. Indulgentiæ Pontificiæ, non piæ fraudes ampliùs dici debent sed impiæ, cùm nec sit in rerum natura thesaurus ille cui innituntur, & culpâ remissâ nulla actualis obligatio ad pœnam Satisfactoriam coram Deo remaneat.

7. Remissio peccatorum, cùm fundetur in sanguine Christi pertinet ad resipiscentiam, non efficienter & meritoriè, sed partim dispositivè, partim concomitanter ac consequenter.

8. Adjunctum Sanctificationis est Libertas Christiana, quâ liberamur à peccati reatu & dominio, Legis maledictione ac rigore, cæremoniis legalibus & traditionibus humanis; manente obligatione obedientiæ Deo & Magistratibus præstandæ.

9. Circa res naturâ suâ adiaphoras, Lege Dei nec præscriptas, nec prohibitas, libertas integra manet fidelibus, non restringenda scrupulis non necessariis aut humanis institutis; exercenda tamen cum fide & charitate.

10. Ut scandalum infirmiorum, quod mixtum vulgò dicitur, est hîc à firmioribus prudenter præcavendum, sic scandalum in genere non licet sumere ex actionibus aliorum bonis aut saltem indifferentibus, vel dare sermonibus aut actionibus malis & vitiosis.

DECAS XVI.

MOrs solvit vinculum animæ & corporis; illa tamen ceu immaterialis & immortalis, post mortem superest & operatur.

2. Animarum verò à corpore post viam vitæ penitùs emensam separatarum, duo tantum sunt receptacula, Paradisus & Gehenna, ut ea debeat torqueri cum dæmonibus in inferno, quæ non regnat in cœlo cum Christo.

3. Unde liquet Ethnicum & superstitiosum esse precari pro mortuis, vel Sacrificia pro illis offerre.

4. Animæ ergo Sanctorum cœlo receptæ ad claram Dei visionem per lumen gloriæ adeoque & veram fœlicitatem admittuntur.

5. Illas tamen colere religiosè in Imaginibus, Reliquiis, Templis &c. aut ullo modo adorare & invocare, planè nefas est.

6. Pœna autem Gehennæ pro spiritibus impiorum, non est ignis aliquis materialis & externus, qui nihil posset in naturam spiritualem, sed vermis conscientiæ & desperatio.

7. Ut Gloria nobis parta sanguine Christi inchoatur statim ab obitu quoad animam, sic perficietur in sæculi consummatione, per resurrectionem mortuorum, cùm veniet Christus judicatum vivos & mortuos.

8. Resurgent autem corpora non alia in essentialibus, sed tantum altera in qualitatibus, cœterùm carne, sanguine & ossibus constantia, manente etiam sexus discrimine.

9. Soli pii resurgent vi resurrectionis Christi, iique omnes simul; impii verò ejusdem virtute divinâ eodem cum piis tempore ad condemnationem æternam.

10. Universalis est futura resurrectio omnium omninò qui vixerint; sed solorum Electorum ad vitam; Nam reprobos manebit æterna pœna, ex summi judicis sententia & peccati merito, non damni tantum, verum etiam sensus.

DECAS XVII.

DAtur Ecclesia suo sensu repræsentativa, in Presbyteriis & Synodis, non tamen in uno Papa.

2. Ad Ecclesiam veram & propriè dictam Christi, pertinent quoque fideles ac pii V. T.

3. Benè autem distinguitur Ecclesia Christi in eam quæ jam triumphat in cœlis, & eam quæ adhuc militat in terris; at tertius ordo laborantium in Purgatorio non est admittendus.

4. Soli verò electi, adeoque soli veri fideles, eorumque liberi qui sancti sunt vera & univoca Ecclesiæ Christi membra.

5. Ad quam eodem sensu & respectu pertinent quoque & Catechumeni credentes, & injustè excommunicati.

6. Quamvis distinctio sit retinenda inter Ministros Ecclesiæ & ipsum Gregem, tamen Clericorum sive Ecclesiasticorum nomine illos exprimi, hunc Laicorum, aut quod magis est Secularium, duriusculum videtur.

7. Illi Ecclesiæ Ministri sub N. T. qui laborant in Verbo & quibus incumbit Euangelii Prædicatio & Sacramentorum administratio, sunt potestate & jurisdictione æquales.

8. Iis sua Ordinatione legitimâ per χειροθεσίαν aliorum Pastorum, confertur jus Sacri Ministerii exercendi in suis omnibus partibus; sed per electionem, approbationem & determinationem ad certum gregem, sive χειροτονίαν, exercitium istius juris consequuntur.

9. Primorum Reformatorum vocatio omninò fuit legitima, & ordinaria, si spectemus eorum ordinationem ac ordinem tum vigentem in Papatu; sed extraordinaria, si ejus consideretur determinatio sub Dei Providentia ac benedictione ad Reformationis opus.

10. Ut non solùm Pastores in Grege, sed Doctores in Schola à Christo sunt instituti, sic ad illos debent accedere Seniores qui unà gubernent Ecclesiam, & Diaconi qui pauperes curent.

DECAS XVIII.

PArtibus Ecclesiæ materialibus etiam principalioribus, Magistratus si pius & fidelis fuerit, debet annumerari.

2. Ut Magistratum gerere fas est Christiano, sic eidem licet omnia ea agere privatim & publicè quæ pertinent ad potestatem gladii sibi commissi.

3. Ei subsunt omnes propter conscientiam; nec minus quam reliqui Cives in Republica, Ministri Ecclesiæ.

4. Multa quoque ei competunt circa res & causas Ecclesiæ quà custos est utriusque tabulæ; licet munia Ecclesiastica formaliter exercere non possit.

5. Ecclesiæ membris materialibus legitimè propagandis, destinatum est divinitùs Conjugium, ut & in auxilium mutuum & remedium incontinentiæ; nec tamen Sacramentis N.F. debet annumerari,

6. Illi repugnant non solum Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, & quæcunque nefariæ libidines, sed etiam Polygamia simultanea & licentia Divortiorum; quæ duo potiùs fuêre tolerata de facto, quam de jure permissa, sub V. T.

7. Duo tamen sunt casus in quibus separabile est & quoad thorum & quoad vinculum, Adulterium scilicet & Malitiosa desertio.

8. Præcedunt conjugium Sponsalia, quæ non aliter quam de futuro contrahuntur; & tamen qui alterius sponsam constuprarit reus est adulterii.

9. Sunt autem jure divino & secundum honestatem naturalem incestuosæ & in natura propagatæ nunquam permittendæ nuptiæ intra omnes gradus Lev. XVIII. expressos, aut per analogiam ex illis intelligendos. Sed etiam hîc subsistendum, neque nuptiæ ultra in foro conscientiæ sunt prohibendæ; manente distinctione inter causas impedientes matrimonium contrahendum, & eas quæ insuper illud contractum dirimunt.

10. Porrò Ecclesiæ Ministris, ut aliis, licet esse conjugatis, nec cœlibatus perpetuus à quoquam vovendus est.

DECAS XIX.

ECclesiæ forma essentialis, est mystica fidelium unio cum Christo ac Sanctorum communio illa quam credimus in Symbolo, quæ tamen mutuam inter Sanctos meritorum vel satisfactionum communicationem non infert.

2. Forma illius externa consistit in Sacris fidelium coitionibus ad exercitia pietatis sub regimine convenienti, quod nec Democraticum est, nec Monarchicum, sed Aristocratico propius.

3. Ad hoc regimen sunt necessaria Presbyteria, Classes & Synodi, per quas nihil derogatur juri supremi Magistratus.

4. Ecclesiarum Orthodoxarum distinguendarum ab heterodoxis & impuris, nulla certior & verior nota est quam doctrinæ in illis publicè receptæ conformitas cum Dei Verbo.

5. Ex hac nota, cui sua competit latitudo, constat Ecclesias Protestantes & Reformatas veras esse Christi Ecclesias, in quarum communione salus potest certò obtineri.

6. Atque hæ ut de arctiori concordia inter se mutuo deberent seriò cogitare, sic nullum possunt, rebus uti nunc sunt stantibus, Syncretismum inire cum Papatu.

7. Ecclesiæ autem in communi, sed diverso respectu, competit Visibilitas & Invisibilitas, fallibilitas & Infallibilitas.

8. Nunquam totaliter deficit & penitùs exstinguitur in mundo, etsi sæpè lateat ejusque facies non facilè agnoscatur.

9. Illius potestas in usu Clavium tum Scientiæ tum Regiminis sita est, nec alias pœnas infligit quam medicinales & quæ in Excommucatione sistunt.

10. Communionem Romanam debent deserere quotquot salutis suæ sunt studiosi, cùm Papa, sese

effe-

efferens supra omne nomen & numen & quæ Dei sunt sibi tribuens in templo Dei, sit filius perditionis & Antichristus.

DECAS XX.

QUamvis in multis different Sacramenta V. & N. T. tamen conveniunt in operandi modo, suntque instrumenta merè moralia Gratiæ Divinæ; neutiquam verò eam conferunt ex opere operato.

2. Præcipuus ac primarius illorum usus est nobis significare & obsignare redemptionem quæ est in Jesu Christo, adeoque rem significatam suo modo exhibere iis qui ea quâ par est fide & devotione suscipiunt.

3. Etsi debeant Ministri Ecclesiæ reverenter & attentè versari in eorum administratione, illorum tamen existentia & efficientia non pendet ex Ministrorum intentione, sed ex sola Dei institutione & promissione, ubi fide recipitur.

4. Duo tantum sunt Sacramenta N. F. unum initiationis Baptismus, & nutritionis alterum Sacra Cœna.

5. Ut Baptismus flaminis est immediatè à Deo, sic Baptismus fluminis, cujus primus minister fuit Johannes, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti administrandus est; idque à solis Ministris Ecclesiæ.

6. Hoc lavacrum regenerationis & remissionis peccatorum necessitatem quidem præcepti habet, non tamen medii; neque reiterari potest.

7. Fidelium ac quomodocunque fœderatorum liberi, non minus possunt & debent baptizari sub N. F. quam olim sub V. circumcidi debebant.

8. In sacrâ Cœna, panis qui frangitur est & dicitur corpus Domini, non per consubstantiationem, aut transsubstantiationem, sed per commemorationem & mysticam significationem.

9. Debet hoc Sacramentum in Ecclesia distribui fidelibus adultis, qui se ipsos priùs probarint, non mutilum & mancum, sed ex institutione Christi, sub utroque Symbolo panis & calicis.

10. Qui ex eo fabricari volunt Sacrificium propitiatorium in quo pro peccatis vivorum & mortuorum offeratur Christi corpus sub speciebus panis & vini, illud evertunt, ac evacuant crucem Christi.

ELENCUS PRÆCIPVARUM

Controversiarum quæ Ecclesiis Reformatis intercedunt hodie cum Pontificiis, Anabaptistis, Socinianis, Confessionis Augustanæ, (uti se vocant) Theologis, Remonstrantibus, necnon apertis vel hostibus vel irrisoribus Religionis Christianæ;

In usum Collegiorum Polemicorum Juventuti exercendæ destinatorum, maximâ sui parte ex Systemate præcedenti & ad ejus ordinem collectus & concinnatus.



INter exercitia quæ juvandis & maturandis studiis Theologicis maximè inserviunt, meritò commendantur Collegia Polemica & Elenchtica, quorum ope Theologiæ Didacticæ & Positivæ præcepta altiùs imbibuntur; Illi usui conscripsi hunc Controversiarum inter nos & multicolores Adversarios agitatarum Elenchum, ex nostro Systemate ferè excerptum, de quo ejusque ordine, & usu nonnulla præmonenda veniunt.

1. Nolim mihi vitio verti quod studiosissimus & cupidissimus aliàs majoris concordiæ inter Ecclesias nostras & eas quæ in Germania ab Augustana Confessione denominantur, ut pote quæ unà conveniant non solum in fundamento fidei & gravissimis ac maximè necessariis religionis Christianæ capitibus, sed etiam in suo Protestantis-

stantissimo contra Idolomaniam, Tyrannidem & fœdissimos Errores Ecclesiæ Romanæ; adeo ut præstaret adversus juges conspirationes Antichristi nos armare per mutuam & fraternam tolerantiam, quam illis latus aperire per nostra infœlicia dissidia & bella nullos habitura triumphos; nihilominus aliquammulta capita quæstionum inter Doctores utriusque partis controversarum hîc ordine digesserim, ad Collegium Polemicum: Necessitatem enim nobis imponunt quidam ex Augustanis fratribus vehementiores & disputatiores, qui fossam illam quam infaustum certamen Sacramentarium, Vbiquitatis vomere adhibito, cœpit inter ipsos & nos ducere, latiùs diducturi, cùm potius de illa æquanda ex Charitate & Prudentia cogitandum fuisset, nodum quod ajunt in scripo quærunt, & lites nostris movent in singulis ferè capitibus Theologicis, ne obliti videantur illius quod Ethnico Poëtæ excidit, Fratrum quoque gratia rata est. Quare cum Iuventus consecrata Ministerio nostrarum Ecclesiarum quæ illis immixtæ sunt, debeat in nostris Academiis adversus ejusmodi criminationes præmuniri, donec illa dissonantia, Regum & Principum Christianorum authoritate ac moderatiorum Theologorum consiliis, ad pacis exoptatæ harmoniam reducatur, non potest non exsurgere in Theologia nostra Elenchtica Systema aliquod quæstionum inter partium Mystas in Controversiam deductarum: Hæ tamen quæstiones pleræque omnes, (præsertim cum ipsam Vbiquitatem carnis Christi Doctissimi & Sapientissimi in illa Communione Viri concoquere non possint, & alii ejusmodi emolliant verbis quibus revera si sibi constent ad nos redeunt, dum nempe illam volunt intelligi duntaxat quoad actum personæ, manente semper corpore Domini, extenso, locato, & certo ac convenienti spatio circumscripto, quoad actum naturæ;) magis sunt de amplitudine fidei quam de illius necessitate: nec etiam censeri possunt formaliter spectare ad Confessionem Augustanam, cujus sanè intellectæ, etiam circa articulum x. de Cœna Domini, maximè juxta illius exemplar anni 1540. qui sic sonat, De Cœna Domini docent quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini, omnes Reformati in Germania se socios bonâ fide profitentur, prout in nuperæ Pacis Monasteriensis instrumento art. VII. disertè & ex professo Reformati annumerantur Augustanæ Confessioni addictis Statibus & subditis, & sub Pace Religionis comprehendi declarantur.

II. Nullum hîc Collegium speciale destinatur ad Controversias Weigelianorum, Swenkfeldianorum, Novorum Prophetarum, Brownistarum, Independentium, Præcisistarum, Vorstianorum, Vniversalistarum, Chiliastarum, & similium, partim quod quicquid ferè habent singularum opinionum, in Pontificiis, Anabaptistis, Socinianis & Remonstrantibus evertatur; partim quod non constituant cœtus segreges qui veniant corpori Ecclesiarum Euangelicarum valdè metuendi; partim quod novarum illarum opinionum propugnatores plerique omnes linguis suis vulgaribus Germanicâ & Anglicâ scripserint, quarum utraque mihi inaccessa est. Passim tamen in Systemate eorum errores & scopulos, quantum ex illis mihi innotuit, signavi & subnotavi, quos studiosa Iuventus eâ ratione facile deprehendet & vitabit.

III. In Controversiis Remonstranticis, non processi hîc ultra quinquarticulanas quæstiones à Synodo Nationali Dordracena decisas; Nam quæ insuper monstra alunt, hinc inde in Systemate suis locis subnotata, de natura Dei, Sacrosancta Trinitate, Originali peccato, Imputatione justitiæ Christi, Acceptilatione fidei in justitiam, Sacramentorum usu, Ministerii necessitate, Potestate Ecclesiæ, &c. in Socinianis, cum quorum juvenca triturare solent, sufficienter conteruntur.

IV. Nullum hîc propono Collegium Problematicum earum quæstionum quæ salvâ pace, unitate & veritate fundamentali, inter nostræ communionis Theologos reciprocè agitantur: Nam res foret longioris subsellij & supra vires tyronis nostri, cui etiam non libenter prælucemus in eorum nævis retegendis & impugnandis, quos secundum Deum & Scripturas, pro suis Doctoribus & Præceptoribus suspicere debet. Quin si postquam in succum & sanguinem nostrum Systema converterit, se applicuerit ad alios Theologos evolvendos, quod omninò suademus, facile poterit uti suo judicio & meliorem partem eligere.

V. Hîc etiam nullæ ferè tractantur quæstiones Morales, nisi pauculæ contra Pontificios & Anabaptistas: tum quod mediter olim edere, si Deus vires & vitam largiatur, Elenchum tripertitum per omnia Theologiæ capita, quæstionum Didacticarum, Polemicarum & Practicarum; tum quod de iis quæ ad mores spectant, non debeant temerè juniores disputare, ne dum quærunt argumenta probabilia contra officiorum ad Pietatem & Sanctificationem ex Dei Lege spectantium normam, faciliùs se ab illa abduci patiantur. Quam enim in moribus corruptelam Casuistica Iesuitarum invexerit, etiam à quibusdam Sorbonistis fuit annotatum; ut magis sit dolendum quod ea nihilominus in quibusdam Scholis Reformatis, una cum gemella sorore Theologia Scholastica, quasi postliminiò revocetur.

VI. In Controversiis hisce enotandis, ad præcipuas ac primarias attendi ex quibus aliæ secundariæ faciliùs intelligantur. Tum ut modum servarem, multas omisi

datâ operâ, uti patebit nostrum Elenchum cum aliorum Syllabis operosioribus conferenti, quia malim cogitari de Controversiis minuendis quam in infinitum multiplicandis. Et quamvis hîc ferè sequar ordinem mei Systematis, id tamen non facio constanter, quod aliquando aliud exigat materiarum nexus, & fateor multa adhuc subnotata esse in Systemate quorum hîc expressa mentio non occurrit, ut nonnullæ vicissim hîc moventur quæstiones quarum expressa mentio non præcessit in Systemate: Sed neutrum horum potest esse fraudi nostris tyronibus: Nam quæ in Systemate observata hic præteriri videntur, ex aliis quæstionibus propositis sufficienter queunt vindicari: & possunt in Systemate suppleri quæ videbantur illi decesse, ex iis quæ porrò hîc disputantur.

VII. *Prolixior paulò & accuratior fui in adornando Collegio præcipuarum Controversiarum Pontificiarum, quam in reliquis; quia si Socinianos forte excipiamus, nulli eorum qui hodie Christianum nomen retinent, vel plures vel nocentiores & capitaliores errores fovent in sinu: Ad hæc multò plus imminet periculi Ecclesiis nostris à Papatu quam aliunde; Nec enim alia Romæ quotidie coquuntur consilia quam de illis evertendis: Missionarii Pontificii passim cursitant inter nos, & per mille technas labascens idolum sustentare, collapsum restituere, proselitos facere, ambitiose student, eum in finem usurpantes quicquid unquam Sophistices dolosæ ex puteo abyssi prodiit; parati ubi vulpina pellis deficit pellem leoninam adjicere & novas persecutionis procellas, novaque Religionum bella, necdum benè extincta, de novo excitare. Quin cum Controversiæ Pontificiæ longè lateque per universam Theologiam vagentur, ausim ei spondere qui in illis benè versatus fuerit, quod ex aliis quibuslibet facillimè se extricabit. Sunt verò illæ diversæ conditionis & naturæ: Quædam enim improbamus in Papatu quæ Secessioni nostræ justam causam dederunt, partim Theoretica, quibus Sacra Euangelii & Gratiæ doctrina adeoque salus per Christum evertitur, partim Practica, quæ Superstitionis & Idololatriæ multiplicis exercitium exigunt & continent; Quædam verò quæ illam sunt consequuta, & quæ potissimum circa principia fidei & credendi normam occupantur: Quæ posteriora, insanabilem, irreformabilem & irreconciliabilem Romam ita faciunt in prioribus, ut nec tolerantiæ fraternæ, nec syncretismi ullius cum hac Babylone, spes aut locus Protestantibus & Reformatis superesse possit. Neque tamen omnes Pontificiæ communionis Doctores in his quæ contra Papatum disputamus inter se consentiunt. In multis vulpes Samsonis imitantur, sic caudis ad incendium colligati ut capitibus in diversa abeant, & monstrorum quorundam instar nonnisi circa ventrem & umbilicum uniuntur. Etiam hodie Gratia Dei sui vindices & athletas non paucos fortes & eruditos sibi inter eos excitat sub Iansenianorum nomine, contra ingratos Iesuitas; Sed cùm hos Pontifices Romani tanquam suæ Tyrannidis maximè idonea organa propugnent, quod non ita pridem propalavit* Joannes Martinez de Ripalda *Iesuita, in operosis suis Disputationibus* contra Bajum & Bajanos, *idest contra* Jansenium, Fromundum, Arnaldum, *& similes melioris causæ hyperaspistas, quorum etiam pronuper dogmata & libros Sedes Romana condemnavit, jure merito Pontificiis in communi adscribuntur quæ Iesuitæ ferventiores Antichristianismi* πρόμαχοι, *ceu* Catholica, *uti loquuntur, dogmata, defendenda & propaganda suscipiunt.*

VIII. *Studui autem ubique statum Controversiæ ita dilucidè formare, ut pars altera quæstionis semper vel affirmativè vel negativè concludatur: quo tyro noster statim agnoscat quid probandum, quid improbandum, quid impugnandum, aut propugnandum, in hisce certaminibus habeat. Nam medium victoriæ jam retulit qui ita perspicuè Adversariorum mentem exposuit, ut illis possit dicere illud Hieronymi ad Ctesiphontem,* Sententias Vestras prodidisse, superasse est.

IX. *Usus autem horum Collegiorum Disputatoriorum & Polemicorum per se patet: Nam ut veritas altercando amittitur, sic moderatè disputando reperitur & confirmatur; & quæ in ejusmodi Diatribis ultro citroque dicuntur hærent profundiùs; Imò multa colliget non dicta ex iis quæ dicta fuerint, qui solertiùs & diligentiùs ad illa attenderit. Mutuo hoc attritu ingenia, ut adamantes, se expoliunt, nec reformidabit versutissimi adversarii occursum qui in hac palæstra benè se exercuerit. Solers quoque & diligens Disputator, solidos conceptus Theologicos hac ratione sibi format, quos deinceps in Sacro Ministerio promat ex suggestu ad ædificationem Ecclesiæ.*

X. *Facilè autem inter unius anni Academici curriculum, ista sex Collegia successivè poterunt finiri, si quater singulis septimanis habeantur: Nam v. g. si in Collegio Pontificiarum Controversiarum singulis vicibus sex quæstiones ventilandæ sumantur, illud totos quatuor menses non exhauriet: Reliqua simul non multò amplius: Atque hoc fœlici compendio eam sibi nostri tyrones comparabunt Controversiarum Theologicarum notitiam, quâ tandem freti queant sine cortice natare, & Examina Præparatoria & Peremptoria, uti dicuntur, quantum ad Theoretica, cum laude sustinere*

XI. *Hæ autem sunto istorum Collegiorum Polemicorum leges:* I. *Quater in Septimana, quoad fieri poterit, habeantur.* II. *Collegæ assiduitatis & constantiæ ea nectant inter se vincula sacra quæ resolvi non possint: Nihil enim æquè relaxat Præceptorum diligentiam, ac* negli-

negligentia vel animus minus gratus Discipulorum ; qui putant sibi multum debere Professores cùm illorum institutioni se permittunt. III. *Sex quæstiones singulis vicibus proponantur in Disputationis materiam, ut nulla earum intacta maneat.* IV. *Actores sunto minimùm decem vel duodecim, ut inter eos convenerit: Spectatores & Auditores insuper quotquot eam facultatem à Præside obtinuerint.* V. *Omnes Actores veniant præparati ad opponendum contra singulas theses, & ubi comparuerint, sortiantur inter se quis eâ vice sit responsurus, qui oppositurì; Id longe præstat quam si inter se ordinem constantem instituant Defendentium & Opponentium, quibus laborantibus reliqui desides maneant & otiosi.* VI. *Tres sunto Opponentes, quorum prior primam & secundam quæstionem impugnet, secundus tertiam & quartam, ultimus quintam & sextam.* VII. *Absit ad Opponentibus* φιλονεικία *& pervicacia; cùm hæc privata exercitia non ostentationi destinentur, aut gloriolæ illi captandæ quæ redit ex publicis Diatribis, sed duntaxat eruditioni conquirendæ.* VIII. *Sunto argumenta Opponentium solida, ex ratione aut Scripturis desumpta, quorum ipsi solutionem anhelent, & quæ non tam proponant tentandæ eruditionis Respondentium gratiâ, quam suæ ignorantiæ erudiendæ causâ; Sint quoque illa semper, ne fiet* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, *consentanea hypothesibus eorum Adversariorum quorum vices sustinent; potius item categorica quam hypothetica, & quæ missis circuitionibus arcem causæ rectà invadant.* IX. *Respondens argumenta methodicè resumat, ac concedat, neget, distinguat, ubi opus est, & responsionis suæ paucis rationem adjiciat.* X. *Præses quæ suarum sunt partium peragat paucis, quo amplius spatium se explicandi ingenia juvenilia habeant.* XI. *Auditores & reliqui non opponentes, argumenta in medium allata subnotent, cum responsionibus additis, per vices communicanda ipsis defendentibus & opponentibus, quò sic in fine cujuslibet Collegii omnes habeant palmaria argumenta adversariorum in singulis Controversiis & eorum solutionem.* XII. *Denique cùm non solum nostra tueri debeamus, sed etiam aliorum errores quandoque veniant impugnandi, ne juniores assuescant, cum veteri illo Oratore, fæliciùs uti sinistrâ & clypeo defendentium, quam dextrâ & gladio aggredientium, valde conferret illis post quodlibet Collegium quo dixi ordine peractum, schema invertere, partes Adversariorum sibi sumente eo qui respondet, & Orthodoxorum qui opponunt, quo sic discant delectum habere argumentorum solidiorum quibus impugnent adversarios, & omnibus errorum latebris excussis eos de ponte dejiciant. Quod si hic ordo servaretur in singulis Collegiis, ut per duos dies continuos eædem theses ventilarentur quo modo dictum est, primùm quidem* ἀνασκευαστικῶς, *deinde verò* κατασκευαστικῶς, *quod novi multis me Præside fæliciter cessisse, duplo quidem diutiùs duraret quodlibet Collegium, sed etiam duplo majorem utilitatem & uberiorem fructum Studiosi ex illo consequerentur. Id si obtineri nequeat, saltem operæpretium foret Respondentem, priusquam Opponentes incipiant, suam thesim legere, eamque confirmare tum aliquot Scripturæ dictis nobilioribus & magis ad rem facientibus, tum aliis aliquot idoneis rationibus ex ipsa Theologia desumptis, quo sic circa quamlibet quæstionem, momenta causæ & partis utriusque argumenta uno quasi obtutu cognosci possent. Me quod attinet, quamdiu hic spiritus hos reget artus, neque deerunt vasa quæ meum fluens oleum excipiant, studiosæ juventuti in his & similibus exercitiis ut nec defui antea, sic in posterum, auspice Deo, non deero, & nullos refugiam labores supererogatorios quibus eos subducam in portum solidæ eruditionis Theologicæ qui meæ scaphæ se commiserint.*

I.

ELENCHUS CONTROVERSIARUM

præcipuarum quæ intercedunt Ecclesiis Reformatis cum Pontificiis.



AN religio Pontificia quà talis, sit vera & salvifica? N.

2. An Theologia Scholastica, uti obtinet in Papatu, sit Matæologia? A.

3 An Scriptura sacra sit necessaria Ecclesiæ? A.

4. An libri sacri occasionaliter tantum scripti sint, an ex speciali Dei nutu, inspiratione ac mandato? N. prius, A. posterius.

5. An Scriptura sacra quatenus nobis verbum Dei revelatum, sit in Religione Christiana primum credibile, principium Theologiæ doctrinale, & objectum formale fidei, in quod omnes ejus conclusiones ultimò resolvuntur? A.

6. An Scripturæ sacræ certitudo & authoritas quoad nos pendeat ab authoritate Ecclesiæ? N.

7. An Enthusiasmum sapiat & particularem inducat spiritum, aut circulum faciat, quod Orthodoxi persuasioni internæ Spiritus Sancti tribuant certitudinem suam de divinitate & authoritate Scripturæ? N.

8. An Syracides, Sapientia, Tobias, Judith, Maccabæi: aliique libri qui Hebraicè non extant, nec sunt in Canone Judæorum, sint partes integrales V. Testam. & authoritatis Divinæ ac Canonicæ? N.

9. An ulli libri Canonici perierint? N.

10. An solus textus Hebraicus pro V. T. Græcus pro N. sit simpliciter authenticus, adeo ut nulla versio sit ei vel adæquanda vel præferenda? A.

11. An textus Hebraicus V. T. Græcus N. sit corruptus & depravatus? N.

12. An versio Græca V. T. quæ vulgò LXX. dicitur fuerit authentica & θεόπνευςος? N.

13. An vulgata versio Latina sit per omnia Hieronymi, & vel præferenda vel æquanda textui originali? N.

14. An sacra Scriptura sit in linguas vernaculas transferenda, tum ut nonnisi linguâ intelligibili legatur publicè, tum ut privatim ab omnibus fidelibus promiscuè legi possit? A.

15. An fas sit Pontifici Romano prohibere populo lectionem sacræ Scripturæ in lingua vulgari? N.

16. An sacræ Scripturæ sensus sit multiplex, & tam obscurus in necessariis ad salutem, etiam fidelibus, ut plus damni quam emolumenti referant ex earum lectione? N.

17. An Scriptura per Scripturam ita debeat explicari, ut nullum supersit præterea infallibile & visibile in Ecclesia tribunal, sive Papæ, sive Concilii, ex quo illius interpretatio ejusdem cum textu authoritatis sic expectanda? A.

18. An Scriptura sufficienter & perfectè contineat omne verbum Dei revelatum ad salutem necessarium, exclusis quæ insuper in rebus fidei & morum quasi ex non scripta traditione proferrentur? A.

19. An itaque sit Scriptura unica norma veritatis quæ est secundum pietatem, ex qua sola Controversiæ inter Christianos de rebus fidei agitatæ sint judicandæ & terminandæ? A.

20. An etiam in Scripturis censeatur expressè contineri quod ex illis per evidentem consequentiam deducitur? A.

21. An consequentiæ rectæ ratiocinationis beneficio deductæ ex Dei Verbo, sint admittendæ in rebus fidei, tum κατασκευαςικῶς, tum ἀνασκευαςικῶς? A.

22. An conclusio benè procedens ex duabus præmissis, quarum una est Scripturæ, altera naturæ sive rationis, sit Theologica & fidei? A.

23. An legitimè distinguantur conclusiones Theologicæ à conclusionibus fidei, ita ut hæ expressæ, illæ deductæ dici debeant? N.

24. An necessaria & apodictica sint argumenta in Theologia & rebus fidei, quæ ex Patrum quos vocant dictis, Conciliorum Canonibus & Paparum decretis desumuntur? N.

25. An Immensitas & Ubiquitas ita sit Deo propria, ut hæc nulli Creaturæ convenire possit? A.

26. An detur in Deo scientia media sive conditionata, quæ sit futurorum ut scientia libera sive visionis, sed tamen antecedenter ad Dei decretum, ut

naturalis & quæ ſimplicis intelligentiæ dicitur? N.

27. An voluntas Dei alia ſit antecedens alia conſequens, ſicut Deus per hanc conſequenter ad actus creaturæ contrarium velit ejus quod voluerat antecedenter ad illos? N.

28. An Decreta Dei in abſoluta & conditionata, conditione ſuſpenſa in incertum ex hominum arbitrio, benè diſtinguantur? N.

29 An quæ docentur in Eccleſiis Reformatis de Providentia Dei circa peccatum faciant Deum authorem peccati? N.

30. An omnes actiones creatæ in genere entis, etiam quoad ſingulas circumſtantias, ſint prædefinitæ à Deo? A.

31. An eadem omninò ſit ratio prædeſtinationis hominum quæ Angelorum? N.

32. An prædeſtinationis nomen ſit commune Electioni & Reprobationi, licet non omninò univocè? A.

33. An Electio æterna ad gratiam & gloriam ſit certa, peremptoria & immutabilis, ex ſolo Dei beneplacito, non ex operum vel fidei prævisione? A.

34. An ut quidam electi ſunt certò, determinatè & infallibiliter ad vitam æternam per Chriſtum, ita quidam ſint præteriti, & reprobati in æternum? A

35. An mundus potuerit eſſe ab æterno? N.

36. An Sacrificuli poſſint dici Creatores ſui Creatoris? N.

37. An primigenia lux fuerit aut potuerit eſſe accidens ſine ſubjecto? N.

38. An Angelis conveniat neceſſariò *Vbi* definitivum & *Quando* ſucceſſivum? A.

39. An Angeli inter ſe numero potiùs quam ſpecie differant? A.

40. An partim incerta ſint, partim vana & falſa quæ de Angelis Aſſiſtentibus & Miniſtrantibus & tota Hierarchia Angelica in novem claſſes diſtributa, in Papatu traduntur? A.

41. An cuique hominum ſuus Angelus cuſtos ſpecialis ſit aſſignatus? N.

42. An Dæmones qui vulgò incubi vel ſuccubi dicuntur, poſſint homines generare, & efficere ut virgo mente & corpore, & talis permanens, nihilominus concipiat? N.

43. An fugandis dæmonibus inſerviant aqua luſtralis, ſigna crucis, ſonus nolarum, applicatio reliquiarum? &c. N.

44. An dæmones igne elementari & corporeo torqueri poſſint? N.

45 An Energumeni per exorciſmos Pontificios miraculoſè liberentur, & num ſi quandoque cedant ſpiritus impuri id faciant potius per colluſionem? N. prius, A. poſterius.

46. An ſit diſtinguendum in primo homine inter imaginem & ſimilitudinem Dei, an verò ſit hendiadys ad imaginem ſimillimam denotandam? N. prius, A. poſterius.

47. An detur aut poſſit concipi pro homine ſtatus puræ naturæ in quo nec juſtus nec peccator ſit aut fuerit? N.

48. An juſtitia originalis & immortalitas primo homini fuerit connaturalis; an ſuperaddita inſtar fræni aurei ad concupiſcentiæ motus reprimendos? N. poſt. A. prius.

49. An morbi & languores corporis ac concupiſcentiæ motus inordinati & carnis rebellio, poſſit convenire homini non peccatori? N.

50. An Arboris vitæ fructus arcuiſſet phyſicè mortem & ſenium, an verò duntaxat pignus & ſacramentum immortalitatis fuerit? N. prius, A. poſterius.

51. An Hedenis hortus ſuperſit, & in eo vivant Enoch & Elias unde redituri ſint ſub finem mundi pugnatum cum Antichriſto? N.

52. An unica Lex Dei ſint norma peccati cognoſcendi? A.

53. An voluntarium, prout ſonat id quod conſultò fit & deliberatè, ſit de eſſentia peccati? N.

54. An benè diſtinguatur inter reatum culpæ & pœnæ? N.

55. An actualis reatus, ſive apud Deum & in ipſius judicio obligatio ad pœnam, ſit ſeparabilis à culpa? A.

56. An motus concupiſcentiæ primò primi ſint peccata? A.

57. An peccatum primi hominis, graviſſimum ſimpliciter dici poſſit? A.

58. An peccatum primum fuerit tantum ſpeciale vitium gulæ, vel ſuperbiæ, an verò fuerit inobedientia variis peccatis implicita? A. poſt: N. prius.

59. An Adam quoque ſeductus fuerit, etſi mulier prior? A.

60. An peccatum originale tantum ab Adama trahatur, an etiam ſimul ab Eva? N. prius, A. poſterius.

61. An peccatum originale nihil aliud ſit quam ipſamet Adami inobedientia noſtro nomine commiſſa, & morali æſtimatione tamdiu perſeverans donec remittatur? N.

62. An ita nobis jure imputetur tranſgreſſio Adami, ut etiam in ſingulos noſtrûm per generationem propagetur morbida quædam qualitas & habitualis corruptio quæ ſucceſſit in locum originalis juſtitiæ? A.

63. An B. Virgo fuerit concepta in peccato originali

ginali eique obnoxia ut reliqui homines ex Adamo naturaliter propagati, an verò ab illo præservata? A pr. N. post.

64. An Jeremias, Joannes Baptista & nonnulli alii fuerint ab utero liberati à labe originali, an verò cum eo ut concepti sic nati? Neg. prius, Aff. posterius.

65. An pœna peccati originalis sit tantum privatio originalis justitiæ & detrusio in limbum puerorum, an verò ex jure Dei mors æterna? N. prius, A. post.

66. An peccata actualia benè distinguantur in Mortalia & Venialia non tantum ex eventu, sed ex se & naturâ suâ? N.

67. An omnia Electorum peccata sint ex eventu venialia? A.

68. An omnia irregenitorum & fidelium opera, ipsorumque Philosophorum Ethnicorum imaginariæ virtutes, sint vitia & peccata? A.

69. An peccatum in Spiritum Sanctum sit absolutè irremissibile? A.

70. An omnia Decalogi præcepta, etiam secundum de imaginibus, sint moralia & immutabilia? A.

71. An Christus ad Legem moralem adjecerit consilia Euangelicæ perfectionis? N.

72. An homo gratia Dei destitutus, possit Legem Dei servare aut ulla verè bona opera præstare? N.

73. An fideles & regeniti possint ad impeccantiam pervenire & Legem Dei perfectè implere in hac vita? N.

74. An possint præstare opera Supererogationis? N.

75. An Leges humanæ à Magistratibus latæ, directè, immediatè & per se obligent conscientias; an verò tantùm mediatè & indirectè per Legem Dei? N. prius, A. post.

76. An prima tabula Decalogi quatuor habeat præcepta, secunda sex? A.

77. An Creaturas ullas, v. g. Angelos, Sanctos, eorumque reliquias & imagines, crucem &c. adorare & religiosè colere, templis, festis, precibus, votis, peregrinationibus &c. sit Idololatricum? A.

78. An liceat imagines facere Dei & Trinitatis? N.

79. An cultus imaginum & earum usus religiosus sit licitus? N.

80. An licitum sit jurare per Creaturas? N.

81. An fas sit *Excommunicatum* occidere zelo Ecclesiæ? N.

82. An retentiones & æquivocationes mentales, præsertim in judicio, sint Legi Dei contrariæ? A.

83. An testari aut judicare in causa sanguinis, irregularitatem inferat? N.

84. An flagellationes theatrales, quibus superstitiosi sanguinem sibi exprimunt in pompis publicis sub prætextu pœnitentiæ, licitæ sint? N.

85. An Concupiscentia qualem in se sentiebat Paulus, & ut reperitur in regenitis, sit peccatum propriè dictum & adversetur Legi Dei? A.

86. An liberum arbitrium benè definiatur facultas quâ homo omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere? N.

87. An ad liberum arbitrium sufficiat libertas tum à coactione, tum à necessitate intrinseca & naturali; An verò requiratur quoque libertas à servitute & necessitate ac infallibilitate eventus? A. prius, N posterius.

88. An homo per peccatum amiserit suum liberum arbitrium ad bonum salutare? A.

89. An arbitrium hominis sub peccato, meritò servum dicatur? A.

90. An ullæ vires naturales supersint in homine ad bonum supernaturale? N.

91. An homo in statu peccati necessariò peccet, & nihil verè boni possit agere? A.

92. An detur in irregenitis ulla passiva vel activa potentia aut dispositio ad conversionem? N.

93. An qui convertuntur convertantur operatione potenti gratiæ quæ sit irresistibilis, & ad quam voluntas se passivè tantum habeat? A.

94. An gratiæ Dei trahenti & excitanti consentire vel non sit penes nostrum liberum arbitrium; an verò per Dei gratiam sic determinetur, ut vel actum suum suspendere, vel in oppositum ferri nequeat? A. post. prius N.

95. An ad gratiam eam Dei quæ gratum faciens dicitur nos habeamus subjectivè, ut sit aliquid in nobis; an verò tantum objectivè? A. post. prius N.

96. An gratia Dei in Christo nostræ conversioni destinata, benè distinguatur in Sufficientem & Efficacem? N.

97. An gratia Dei ad salutem sufficiens, semper omnibus & singulis præstò sit in hac vita? N.

98. An quod homo ex se minus boni possit, procedat ex innata liberi arbitrii mutabilitate, instabilitate & impotentia eodem modo semper agendi, an verò ex nativa ejus corruptione? A. posterius, prius N.

99. An fœdus gratiæ sit universale tam objectivè quam subjectivè? N. utrumque.

100. An Euangelium & Lex differant specificè & sanctione, an verò nonnisi perfectione? Prius A. N. posterius.

101. An in eo differat V. T. à N. quod illud præceperit quidem facienda, hoc verò gratiam habeat præcepta faciendi? N.

102. An sub V. T. habuerint fideles promissiones spirituales? A.

103. An Sacramenta V. T. meræ umbræ fuerint, omni efficaciâ ad salutem destitutæ? N.

104. An fideles qui moriebantur sub V. T. exclusi fuerint ex regno cœlorum? N.

105. An Dei Filius sit αὐτόθεος? A.

106. An potiùs dicendus sit genitus ab æterno, quam semper gigni? A.

107. An nomini *Jesu*, quà tali, cultus religiosus debeatur, sitque illud sanctius nomine Jehovæ? N.

108. An ut à Christo Christiani dicimur, sic à Jesu Jesuitas se jure vocent Loyolitæ? N.

109. An una S. Trinitatis persona potuerit plures naturas humanas assumere, aut unicam plures personæ? N. utrumque.

110. An veritas humanitatis Christi evertatur dogmate Transsubstantiationis & πολυτοπίας corporis ipsius? A.

111. An multipræsentia Corporis Christi ullo modo possit colligi ex naturarum in ipso hypostatica unione? N.

112. An Christus vi unionis hypostaticæ fuerit impeccabilis? A.

113. An per calumniam nostris tribuatur quod doceant Christum in cruce desperasse? A.

114. An Anima Christi ab initio conceptionis fuerit omniscia; an verò ei quà homini, ignorantia aliqua puræ negationis, sive nescientia, possit tribui? N. prius, A. posterius.

115. An Christus in terris agens & quà homo, fuerit simul viator & comprehensor? N.

116. An Christus sibi aliquid meruerit? N.

117. An solus partus B. Virginis, an etiam ipsius conceptio, fuerit planè miraculosa? A. post.

118. An Christi corpus successivè ut nostra formatum fuerit? Affirm.

119. An B. Virgo Christum sit enixa sine dolore & apertione uteri? N.

120. An Christus debuerit pati non tantum in corpore sed etiam in anima, pro suorum redemptione? A.

121. An Christi anima localiter triduo mortis suæ descenderit ad inferos, sive ut damnatis euangelizaret, sive ut Patres è Limbis educeret? N.

122. An Christi corpus gloriosum post resurrectionem sit capacius multipræsentiâ quam antea? N.

123. An Christus sit Mediator secundum utramque naturam A.

124. An sit unicus Mediator tum Redemptionis tum Intercessionis, seclusis Angelis & Sanctis demortuis? A.

125. An Sacrificuli post Christum possint dici Sacerdotes secundum ordinem Melchisedeci? N.

126. An post Sacrificium Christi in cruce, ullum supersit Sacrificium verè propitiatorium pro peccatis, quotidie Deo offerendum? N.

127. An Christus ita plenè satisfecerit pro peccatis nostris, ut nec Indulgentiis Papalibus, nec ulli nostræ Satispassioni aut Satisfactioni in foro justitiæ Divinæ, locus supersit? A.

128. An Monarchia imaginaria Papæ, quâ se Caput, Sponsum, Fundamentum, supremum Doctorem Ecclesiæ, falsò vocitat, cum officio Christi Prophetico & Regio possit consistere? N.

129. An invitatio ad gratiam Christi sit universalis? N.

130. An quod unus credat & obsequatur vocationi alter non, pendeat ex Liberi arbitrii viribus aut vocatione congrua? N.

131. An indifferens & communis prædicatio Euangelii inferat Christum ex Patris & sui intentione mortuum esse pro omnibus & singulis? N.

132. An fides Miraculorum & Historica ac Temporalis, benè distinguatur & realiter à Salvifica? A.

133. An fides melius per ignorantiam definiatur quam per notitiam? N.

134. An vera fides ad intellectum & voluntatem simul pertineat? A.

135. An fides salvifica importet certitudinem perseverantiæ & salutis? A.

136. An vera fides sit separabilis à charitate & bonis operibus? N.

137. An benè distinguatur fides in informem & formatam, & hujus forma sit Charitas? N. utrumque.

138. An fides nonnisi dispositivè concurrat ad justificationem? N.

139. An justificemur fide quatenus ea apprehendit justitiam Christi & remissionem peccatorum in sanguine ipsius? A.

140. An ita solâ fide justificemur? A.

141. An *justificandi* vox, præsertim cum agitur de nostra justificatione gratuita coram Deo, alio unquam sensu quam forensi usurpetur in Scripturis? N.

142. An formalis ratio justificationis nostræ sita sit

in

in dono quodam reali habitualis justitiæ, intrinsecè & subjectivè animæ inhærentis? N.

143. An materia justitiæ coram Deo ad actum justificationis, sint bona nostra opera? N.

144. An hæc nostra justitia sit Meritum, Obedientia & Satisfactio Christi? A.

145. An verò formalis ratio justificationis nostræ consistat in remissione sive non imputatione peccatorum, ex imputata nobis Justitia, Obedientia & Satisfactione Christi fide apprehensa? A.

146. An hæc justificatio sit unica & æqualis omnium fidelium? A.

147. An sit absoluta, irrevocabilis & immutabilis, ac solorum electorum ad salutem? A.

148. An Justificatio à Sanctificatione benè distinguatur? A.

149. An homo irregenitus sit capax ullorum bonorum operum, quin & talium quæ sint meritoria, saltem de congruo? N.

150. An bona opera piorum sint propriè & ex condigno meritoria vitæ æternæ? N.

151. An merces propriè dicta promittatur in Evangelio fidelium operibus? N.

152. An bona opera fidelium semper habeant aliquid sordium & imperfectionis ex nativa eorum corruptione? A.

153. An bona opera sint necessaria ad salutem ut causæ efficientes & meritoriæ salutis ac vitæ æternæ? N.

154. An opera quæ excluduntur à justificatione, sint cæremonialia tantum, aut quæ extra statum Gratiæ fiunt; an etiam moralia, imò & illa quæ fiunt & fluunt ex Gratia? N. prius, A. posterius.

155. An sibi vel aliis homo pius apud Deum quidpiam propriè mereatur? N.

156. An nascatur ulla fiducia apud Deum ex bonorum operum meritis, adeo ut fiduciam suam homo pius in suis operibus queat collocare? N.

157. An præter Deum in nomine Christi, Angeli & Sancti demortui possint aut debeant invocari? N.

158. An oratio sit meritoria & satisfactoria? N.

159. An efficaciores sint preces privatorum & privatæ in Templis consecratis, quam in propriis ædibus? N.

160. An Horarum Canonicarum institutum, quale obtinet in Papatu, sit pium & laudabile? N.

161. An publicè orare & laudes Dei decantare sit tantum Clericorum & Monachorum? N.

162. An officium Ecclesiasticum & cultus publicus possit aut debeat peragi linguâ populo ignotâ? N.

163. An vota Monastica, Paupertatis, Obedientiæ & Cœlibatus, ceu majoris perfectionis instrumenta, sint licita & probanda? N.

164. An Monachatus author & suasor Christus fuerit, & num Apostoli sint censendi primi Monachi? N. utrumque.

165. An Monachatus hodiernus in Papatu idem sit qui olim in veteri Ecclesia cœpit vigere post tertium sæculum? N.

166. An affectatio mendicitatis, ut & vestitus ac victus specialis, sit superstitiosa & culpanda in Monachis? N.

167. An jejunium sit meritorium & satisfactorium pro peccatis? N.

168. An situm sit in delectu quodam certorum ciborum, aliis rejectis? N.

169. An stata & anniversaria tempora jejuniorum debeant esse in Ecclesia Christiana? N.

170. An Eleemosynæ sint satisfactoriæ pro peccatis, vel impetratoriæ ac meritoriæ salutis? N.

171. An Eleemosyna ex lucro turpi, ut lenonum ac meretricum, sit legitima nisi resipuerint? N.

172. An Pœnitentia sic dicatur à pœna quam sibi resipiscens infligit ut satisfaciat justitiæ Divinæ? N.

173. An sit Sacramentum N. F? N.

274. An constet tribus illis partibus, Contritione cordis, Confessione oris & Satisfactione operis? N.

175. An quod deest ex contritione ad remissionem peccatorum consequendam, Sacramento Pœnitentiæ suppleatur? N.

176. An attritio à contritione distincta, per se disponat ad remissionem peccatorum, & accedente Sacramentali absolutione eam conficiat? N.

177. An efficienter & meritoriè, an tantum partim dispositivè, partim concomitanter & consequenter, Pœnitentia faciat ad justificationem & remissionem peccatorum? N. prius, A. posterius.

178. An Confessio auricularis & enunciatio peccatorum apud Sacerdotes, sit juris Divini & retinenda? N.

179. An confessionis istius sigillum sit juris Divini? N.

180. An remissâ culpâ remaneat debitum luendæ adhuc pœnæ temporalis, vel in hac vita vel in futura, sic tamen ut reatus pœnarum illarum temporalium possit redimi? N. utrumque.

181. An locus sit ullus concedendus Indulgentiis Papalibus, per quas remittantur in foro poli pœnæ temporales peccatis debitæ, vivis equidem per modum absolutionis, mortuis verò per modum solutionis? N.

182. An detur in Ecclesia specialis thesaurus ex superabundanti Satisfactionum Christi & Sanctorum conflatus, per tales Indulgentias dispergendus? N.

 185. An

183. An per Inquiſitionem liceat premere libertatem conſcientiarum, vel homines per vim adigere ad profeſſionem alicujus Religionis etiam veræ? N.

184. An novos cultus inſtituere extra & præter Dei Verbum, iiſque vim aliquam Sacramentalem tribuere, ut ſibi tribuit Eccleſia Romana, ſit in Dei authoritatem involare? A.

184. An ritus ab Eccleſia ad εὐταξίαν inſtituti, corda ad gratiam præparent, & impedimenta gratiæ removeant? N.

186. An ſepelire mortuos ſit opus meritorium? N.

187. An neceſſariò corpora mortuorum ſint lavanda & ungenda, nec alibi quam in locis conſecratis ſepelienda cum erecto titulo? N.

188. An funus ſit deducendum cum hymnis & næniis funebribus, cereis accenſis, & addito funeri Sacrificio pro mortuo? N.

189. An ſit locus aliquis diſpenſationis concipiendus pro animabus eorum qui erant denuo morituri, diſtinctus non ſolum à cœlo & inferno, ſed etiam à Purgatorio Pontificiorum? A.

190. An dentur Limbi duo, Patrum unus, alter infantium decedentium abſque Baptiſmo? N. uterque.

191. An detur Purgatorium quale fingunt Pontificii? N.

192. An mortuorum Spiritus redeant & quandoque appareant viventibus? N.

193. An ſuperſtitioſum, Ethnicum & vanum, ſit preces fundere pro mortuis ex Purgatorio liberandis? A.

194. An Canonizatio Sanctorum per Papam, ſit Ethnica & nota Antichriſti? A.

195. An Sancti demortui ſint religioſè colendi & adorandi, ac pro Mediatoribus ad Deum habendi, atque ſub hoc titulo invocandi, N.

196. An templa illis conſtruenda, vota nuncupanda, peregrinationes ad eorum reliquias inſtituendæ, feſti dies conſecrandi, imagines erigendæ & adorandæ? N.

197. An major adhuc cultus debeatur Cruci Chriſti & ejus imagini ac ſigno, quam reliquiis vel imaginibus Sanctorum? N.

198. An Sanctis conveniat noſſe res quæ hîc geruntur & preces noſtras intelligere? N.

199. An ad εὐθανασίαν faciat extrema Unctio, & num illa ſit Sacramentum Eccleſiæ, ſolis infirmis baptiſatis & ratione utentibus conferendum? N. utrumque.

200. An ex eo quod ſint futuri gradus in beatitudine cœleſti, vel merita, vel opera ſupererogationis, vel aureolæ, benè colligantur? N.

201. An Magiſtratus & Principes Chriſtiani directè vel indirectè, mediatè vel immediatè, ſubſint in temporalibus Pontifici Romano? N.

202. An Magiſtratui etiam aliqua cura incumbat rerum Eccleſiaſticarum, ut v. g. Synodos indicere, illis moderari, εὐταξίαν Eccleſiæ curare, ἀτάκτους coercere, labantis doctrinæ vel diſciplinæ Reformationem inſtituere & procurare? A.

203. An Clerici ſive Eccleſiæ Miniſtri & Epiſcopi quilibet debeant ſubjici ſupremo Magiſtratui, non tantum directivè, ſed etiam coercitivè? A.

204. An capitalia ſupplicia ſint in quoſlibet hæreticos per Magiſtratum exercenda? N.

205. An Chriſtus Matrimonium in Sacramentum N. F. inſtituerit, cujus materia & miniſtri ſint perſonæ contrahentes? Neg.

206. An bigami ſucceſſivè, aut conjugati, ſint arcendi ab Eccleſiæ Miniſterio, illudque nonniſi cœlibibus committendum? Neg.

207. An Cœlibatus ab Apoſtolis fuerit annexus Miniſterio Eccleſiæ? N.

208. An Matrimonium infidelium ſit ſolubilius Matrimonio fidelium? N.

209. An Matrimonium ſit validum & legitimum quod liberi contrahunt clam parentibus aut illis reclamantibus? N.

210. An gradus Levit. XVIII. ſint prohibiti jure naturæ, adeoque indiſpenſabiles Pontifici Romano, conjugio cœterùm permiſſo jure Divino infra illos gradus qui ibidem nec expreſſè nec analogicè prohibentur? A.

211. An quod in jure Canonico præterea proſtat de gradibus affinitatis & conſanguinitatis, item de conſanguinitate ſpirituali, obliget conſcientias? N.

212. An Divortium propter adulterium vel injuſtam & malitioſam deſertionem, ita ſit licitum, ut liceat parti offenſæ aliud conjugium inire? A.

213. An Ordinum alii Majores ſint alii Minores, alii ſacri, alii non, & omnes ex inſtitutione Divina ordinati ad Sacrificium Miſſaticum? N.

214. An Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, &c. ſint inſtitutionis Divinæ in ſua ὑπεροχῇ? N.

515. An Apoſtoli habuerint ſucceſſores in ſuo Apoſtolatu? N.

216. An omnes inter ſe fuerint juriſdictione & poteſtate æquales? A.

217. An qui Epiſcopi ſpeciatim dicuntur, ſint jure

jure Divino majores Presbyteris? N.

218. An penes solos tales Episcopos sit jus ordinationis? N.

219. An omnis jurisdictio Ecclesiastica pendeat à Papa, & ad ipsum pertineat vocatio omnium Pastorum jure Divino? N.

220. An jus aliquod competat Magistratui & populo Christiano in vocatione Pastorum? A.

221. An vocationem extraordinariam semper miracula comitentur? N.

222. An Pastoribus nostris & primis Reformatoribus sua constet legitima vocatio? A.

223. An citra fastum aliquem sibi tribuant Ecclesiæ Ministri nomen Clericorum & Ecclesiasticorum, relicto aliis nomine Sæcularium & Laicorum, à quibus per tonsuram & coronam distinguantur? N.

224. An Monachi tertium in Ecclesia constituant ordinem, mediæ conditionis inter eos qui Sæculares & Ecclesiastici dicuntur? Neg.

225. An primariò & per se nomen Ecclesiæ denotet corpus Electorum & efficaciter vocatorum ad vitam æternam? A.

226. An vera Ecclesiæ membra sint hypocritæ, occulti infideles & reprobi? N.

227. An Catechumeni & excommunicati possint censeri vera Ecclesiæ Christi membra? A.

228. An regimen Ecclesiæ universalis sub Christo debeat esse Monarchicum? N.

229. An ut omnes Apostoli fuerunt æquales inter se, ita etiam æquales sint omnes Ecclesiæ Pastores? A.

230. An ullus fungatur aut fungi possit in Ecclesia visibili, universali vicariatu pro Christo? N.

231. An Petrus sit constitutus à Christo Caput & Monarcha totius Ecclesiæ? N.

232. An Romæ vixerit per XXV. annos & Episcopum Romanum successorem suum in Monarchia hac imaginaria reliquerit? N.

233. An Papa Romanus sit Caput, Fundamentum, Sponsus, Monarcha universalis Ecclesiæ? N.

234. An sit supremus Judex Controversiarum fidei & primarius interpres sacræ Scripturæ? N.

235. An sit infallibilis in rebus fidei, Sanctorum Canonisatione, & ordinum Monachalium approbatione? N.

236. An sit auferibilis ab Ecclesia & obnoxius Concilio? A.

237. An ipsi conveniant omnes notæ Antichristi? A.

238. An etiam Alexander VII. hodie sedens, seu Papa sit Antichristus? A.

239. An ex hac sententia possint Protestantes censeri injurii in Principes & Reges communionis Romanæ? N.

240. An inde etiam sequatur formaliter Antichristianos esse omnes qui illam communionem externè colunt? N.

240. An ut quis sit verum membrum Ecclesiæ debeat Papæ subesse? N.

242. An puritas doctrinæ ex Dei Verbo cognoscenda, sit certa nota veræ alicujus Ecclesiæ purioris ab impura & heterodoxa distinguendæ? A.

243. An ea nota possit convenire hæreticis vel schismaticis? N.

244. An quæ ab Adversariis solent adferri notæ Ecclesiæ, ut nomen Catholicum, Sucessio, Antiquitas, Unio sub uno capite, Multitudo, Fœlicitas, Miracula, &c. sint veræ & legitimæ? N.

245. An Ecclesia Romana sit Catholica & Apostolica? N.

246. An ei conveniant veræ notæ Ecclesiæ, aut etiam illæ ipsæ de quibus Pontificii scriptores glorientur? N. utrumque.

247. An justas & necessarias causas habuerint Protestantes & Euangelici secedendi ab Ecclesia Romana & illam Babylonem deserendi? A.

248. An inde Hæretici vel Schismatici sint meritò habendi? N.

249. An cœtibus Protestantium ac Reformatorum conveniant notæ Christianorum Ecclesiarum, adeo ut in illis salus queat obtineri? A.

450. An semper Ecclesia sit conspicua & visibilis per cœtus publicos & alia professionis suæ testimonia in sensus incurrentia? N.

251. An Ecclesiæ repræsentativæ, aut ulli vel Episcopo vel Episcoporum cœtui post Apostolos, conveniat infallibilitas in rebus fidei? N.

252. An soli Episcopi infulati ex jure, item Cardinales aliique nonnulli ex privilegio, suffragium habeant decisivum in Conciliis, nonnisi deliberativo concesso Doctoribus Academicis ac minoribus Clericis? N.

253. An Concilia possint errare? A.

254. An Conciliorum Oecumenicorum convocatio, præsidentia & approbatio aut reprobatio, sit solius Episcopi Romani? N.

255. An possint Ecclesiæ Ministri leges condere quæ directè obligent conscientias sub peccato mortali? N.

256. An Excommunicatio alia sit à jure, alia ab homine; an verò debeat tantum vibrari in personam notam, citatam, auditam, aut contumaciæ convictam? N. prius, A. posterius.

257. An fas sit Pontifici R. integra regna vel in te-

integras urbes excommunicare & subjicere interdicto ? N.

258. An ei liceat subditos Principis excommunicati absolvere à juramento fidelitatis ? N.

259. An omnis correptio Ecclesiastica sistat in Excommunicatione ? A.

260. An Sacramenta sint signa non solum significativa justitiæ & obsignativa promissionum divinarum, sed etiam causativa seu effectiva justitiæ & gratiæ? Concesso priori, N. posterius.

261. An verba Sacramentalia sint circumstantium & percipientium instructiva, ac institutionis & promissionis Divinæ ennuciativa ? A.

262. An omnia Sacramenta propriè dicta, tam V. quam N. T. & post lapsum instituta, sint signa & sigilla justitiæ quæ est per fidem ? A.

263. An intentio Ministri ita sit de necessitate Sacramenti, ut absque ea nec sit, nec operetur ? N.

264. An per quædam Sacramenta imprimatur animæ character indelebilis, qui maneat etiam in inferno ? N.

265. An sit relictum libertati Ecclesiæ Cæremonias sacras instituere, Sacramentis & eorum celebrationi adjiciendas, ut partes cultus Divini, quibus sua vis insit, efficax, meritoria, satisfactoria, impetratoria ? N.

266. An signum crucis, aqua lustralis, lucernæ in templis, cera benedicta sive agnus Dei, panis benedictus, & similes quisquiliæ, quæ Sacramentalium nomine veniunt in Papatu, sint Cæremoniæ vel licitæ, vel efficaces, sive mortaliter sive physicè, ad spirituales effectus ? N. utrumque.

267. An Sacramenta N. T. differant à Sacramentis V, ut prototypa à typis ? N.

268. An Sacramenta N. T. conferant gratiam ex opere operato & hoc differant à Sacramentis V. T.? N. utr.

269. An inter Christianos soli Ministri Ecclesiæ, ad Dei Verbum annunciandum publicè constituti, sint legitimi Sacramentorum administri ? A.

270. An duo tantum sint Sacramenta N. T. Baptismus & Cœna; an verò illis quinque alia sint adjicienda, Confirmatio, Matrimonium, Ordo, Pœnitentia, & Extrema Untio ? N. posterius, A. prius.

271. An Baptismus Johannis fuerit re & substantiâ idem Sacramentum cum eo qui confertur in Ecclesia Christiana ? A.

272. An Baptismus possit à quolibet, etiam non baptizato, nec Christiano, item à muliere, validè & legitimè administrari ? N.

274. An efficacia Baptismi, sive obsignatio remissionis peccatorum per ipsum, se quoque extendat in futurum ? A.

275. An ad solemnitatem Baptismi pertineant sputum, exsufflatio, exorcismus, sal, cereus, &c. ? N.

276. An Baptismus auferat ex homine quicquid illi inest peccati & labis originalis, non tantum quoad reatum ut non imputetur, sed etiam quoad maculam & culpam ut planè non insit ? N.

277. An Baptismus sit ita necessarius ad salutem necessitate medii, ut Christianorum ac fœderatorum infantes sint excludendi regno cœlorum si absque Baptismo decesserint ? N.

278. An unctio Chrismatis apud Veteres usurpata post Baptismum fuerit Sacramentum propriè dictum; quale in Communione Romana ejus Confirmatio statuitur ? N.

279. An materia necessaria in Sacra Cœna sit panis & vinum ? A.

280. An in Sacra Cœna utrumque Symbolum sit percipiendum à communicantibus; sive quod idem est, An communicandum ex institutione & mandato Christi ac praxi Veteris Ecclesiæ, sub utraque specie ? A.

281. An panis debeat esse necessariò axymus, vinum aquâ dilutum ? N. utrumque.

282. An corpus Christi, ut cum ipso salutariter communicemus, debeat oraliter manducari & trajici in stomachum ? N.

283. An idem numero Christi corpus quod in cœlo est, possit simul physicè & indistanter esse præsens Eucharistiæ ubicunque celebratur ? N.

284. An velit Deus Christi corpus indistanter præsens sistere symbolis Eucharisticis ut oraliter à dignis & indignis promiscuè manducetur ? N.

285. An panis transsubstantietur in corpus Christi, ipsâ panis substantia annihilatâ & solis accidentibus remanentibus absque omni subjecto cui accidant & insint ? N.

286. An in verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc*, substantivè sumatur & pro pane supponat ? A.

287. An ibidem verbum *Est*, idem sit quod *Significat* ? A.

288. An debeant esse loquutiones illæ Sacramentales, in quibus signo tribuitur nomen rei significatæ, tropicæ & figuratæ ? A.

289. An remaneat post consecrationem substantia panis & vini, nec sit alia eorum hic fingenda mutatio quam moralis, ut cum ex cera fit sigillum ? A.

290. An per Concomitantiam vinum mutetur in Christi corpus, panis in illius sanguinem? A.

291. An Consecratio fiat per illa verba *Hoc est enim corpus meum*? Neg.

292. An Sacramentum Eucharistiæ in solo usu & sumptione consistat, ut illud asservare, circumgestare, ostentare, deferre ad ægrotos, non liceat? A.

293. An eidem debeatur adorationis cultus? N.

294. An Eucharistia sit Sacrificium propitiatorium, sed incruentum, corporis & sanguinis Christi, Deo quotidie offerendum pro vivis & mortuis sub speciebus panis & vini? N.

295. An Sacrificium Missaticum sit contumeliosum morti Christi & Verbo Dei contrarium? A.

296. An Eucharistia debeat eo prætextu celebrari in angulo absque assistentibus & communicantibus? N.

297. An Christus ullum Sacerdotium externum & propriè dictum commiserit Ministris Ecclesiæ? N.

291. An Apostoli Missam Pontificiam celebrarint; an verò Missa hæc cum suo omni choragio & apparatu theatrico, debeat missa fieri in æternum? A. post: prius N.

299. An Missam frequentare & audire, ut vulgò loquuntur, sit actus legitimus Religionis Christianæ? N.

300. An rebus sic stantibus Protestantes ac Reformati ullum syncretismum cum Ecclesia Romana inire, aut bonâ conscientiâ ad illius communionem & subjectionem redire possint? N.

II.
ELENCHUS PRÆCIPUARUM
Controversiarum quæ inter Orthodoxos & Anabaptistas agitantur.

An libri quos Apocryphos profitentur Ecclesiæ Reformatæ, paris sint authoritatis cum scriptis Mosis & Prophetarum? N.

2. An libri V. T. æquè pertineant ad normam fidei & morum, ac libri N. T.? A.

3. An ita sufficienter de rebus ad salutem necessariis erudimur in Scripturis, ut novis revelationibus nec sit inhiandum, nec locus supersit in Ecclesia? A.

4. An ad Scripturarum sensum commodiùs eliciendum & proponendum, multum conferat tum linguarum Originalium in specie, tum in genere Disciplinarum humaniorum tam Philologicarum quam Philosophicarum notitia? A.

5. An etiam id contineatur expressè in Scripturis, quod ex illis per evidentem & necessariam consequentiam deducitur? A.

6. An eadem sit & unica essentia Patris, Filii & Spiritus Sancti; an verò etiam differant essentiâ? A. prius, N. posterius.

7. An Deus per essentiam suam sit ubique? A.

8. An illæsâ Creaturarum libertate, earum omnes actiones possint subjici regimini Providentiæ Divinæ? A.

9. An hominum, peccatis excusandis inserviat, quod omnia in mundo eveniant ex certa Dei dispensatione, ordinatione & providentia? N.

10. An Electio hominum ad salutem facta sit ex fidei & sanctitatis eorum privisione? N.

11. An numerus prædestinatorum sit determinatus & immutabilis? A.

12. An omnes homines ex Adamo naturaliter progeniti sint labe originali infecti? A.

13. An homo in statu corruptionis aliquid boni salutaris possit præstare, & seipsum ad Dei gratiam suscipiendam disponere & præparare? N.

14. An promissiones Patribus factæ in V. T. merè terrenæ censendæ sint; an verò sub typis terrenarum benedictionum de rebus etiam cœlestibus & spiritualibus factæ fuerint? N. prius, A. posterius.

15. An Lex moralis, ut per Mosem tradita fuit, sit omnibus numeris perfecta, adeo ut Christus eam nec auxerit, nec correxerit? A.

16. An juramentum præstare in judicio, justitia

& veritate, ſit licitum homini Chriſtiano? A.

17. An liceat ſacros conventus habere in Templis olim Idololatriæ Pontificiæ aut Ethnicæ conſecratis? A.

18. An liceat homini Chriſtiano Magiſtratum ſuſtinere, juramentum à ſuis ſubditis exigere in veritatis elucidationem, & ſupplicia capitalia in ſontes exercere? A.

19. An fidelis fidelem fratrem in jus trahere apud Magiſtratum poſſit? A.

20. An homini Chriſtiano arma parare & fabricari nefas ſit? N.

21. An omne bellum ſit illicitum Chriſtianis? N.

22. An Polygamia ſimultanea ſit licita? N.

23. An præter adulterium & malitioſam deſertionem ulla detur valida ratio legitimi divortii? N.

24. An omnis pretioſus habitus & ornatus ſit Chriſtianis illicitus? N.

25. An æquivocationibus & ſtrophis verborum alios decipere, ſit peccatum mendacii? A.

26. An in cœtu Eccleſiaſtico expediat Paſtorem altâ voce toti gregi præire in præcibus ad Deum fundendis? A.

27. An inter pios omnia bona debeant eſſe communia? N.

28. An ad vitam latam pertineat, juſtificationem coram Deo in ſola remiſſione peccatorum per meritum & ſatisfactionem Chriſti, abdicatâ propriâ ex operibus juſtitiâ, conſtituere? N.

29. An fides juſtificans per obedientiam bonorum operum rectè definiatur? N.

30. An infideles habeant in foro ſoli juſtum & legitimum rerum ſuarum dominium, ut nefas ſit fidelibus eorum bona involare hoc ſolo argumento quod infideles ſint? N.

31. An Chriſtus ſit θεάνθρωπος Deus & homo in una & individua perſona? A.

32. An quod animam & carnem humanam ſimul aſſumpſerit, perſonam humanam vel aſſumere debuerit, vel aſſumpſiſſe cenſendus ſit? N.

33. An verbum Caro factum ſit per mutationem, ut aqua facta fuit vinum in Cana, an verò per aſſumptionem? N prius, A. poſt.

34. An Chriſtus habuerit animam humanam noſtræ ſimilem & ejuſdem ſpeciei ac naturæ, excepto peccato? A.

35. An Caro Chriſti ſit ex ſubſtantia, ſemine & ſanguine B. Virginis; an verò cœlitùs per ſemen quoddam Divinum in illius uterum delapſa? N. poſt: A. prius.

36. An hoc reſpectu Chriſtus ſit Semen Mulieris & Davidis & Abrahami propriè & ſecundum carnem? A.

37. An anima à corpore ſeparata ſtertat & dormiat, omnis operationis expers uſque ad diem judicii; an verò ſtatim recipiatur in locum vel gaudii ſolidi, vel tormentorum infernalium? A. poſt: N. prius.

38. An eadem numero & ſubſtantiâ corpora quæ nunc habemus recipiemus in reſurrectione? A.

39. An corpora poſt & per reſurrectionem naturâ ſuâ erunt ſpiritualia? N.

40. An Chriſtus regnabit mille annis cum piis in hoc mundo, per omnium commodorum temporalium affluentiam? N.

41. An ulla juſta ſubſit cauſa Anabaptiſtis communionem Reformatorum deſerendi & ſegreges cœtus habendi? N.

42. An ſimplicitati & infirmitati, an potiùs philautiæ & ſuperbiæ Phariſaicæ, Anabaptiſtica profeſſio, plurium ſaltem reſpectu, ſit adſcribenda? N. prius, A. poſt.

43. An perfecta ſingulorum membrorum Sanctitas, aut ſpecialis de illa ſervanda conjuratio, nota ſit eſſentialis veræ Eccleſiæ? N.

44. An Sanctitas perfecta poſſit dari in hac vita, & tam exacta juſtitia ut per illam homo juſtificetur coram Deo? N. utrumque.

45. An omnis ſanctitas Anabaptiſtarum, ſit hypocritica, Phariſaica, Jeſuitica & Monachalis? A.

46. An ad Chriſti Eccleſiam pertinuerint fideles V. T? A.

47. An cœtibus Anabaptiſticis conveniant notæ veræ Eccleſiæ, quibus ſe debeant adjungere pii omnes ſalutis ſuæ ſtudioſi? N.

48. An duplex ſit ordo Miniſtrorum Eccleſiæ, Admonitorum ac Epiſcoporum, quorum illi uni tantum Eccleſiæ præficiantur in auditoribus docendis, hi plurimis ſimul, & ad quos ſolos Sacramentorum adminiſtratio pertineat? N.

49. An opificibus, piſtoribus, aliiſque mechanicas artes exercentibus, hominibus ἀμούσοις & illiteratis, ſit committendum Eccleſiæ Miniſterium? N.

50. An Eccleſiæ Miniſtris liceat honeſtum ſalarium pro labore quem præſtant conſequi? A.

51. An poteſtas Clavium ſit penes ſolos Eccleſiæ Miniſtros, an verò penes univerſam fraternitatem? N. poſt: prius A.

52. An pro quolibet peccato ſit procedendum ſtatim ad excommunicationem? N.

53. An quemquam liceat excommunicare abſque prævia admonitione? N.

54. An

54. An excommunicare fas sit hominem de sua culpa dolentem & resipiscentem? N.

55. An excommunicatus ita sit fugiendus, ut nullum omninò cum illo commercium in statu œconomico vel politico retinere liceat? N.

56. An fidelis conjugi excommunicato cohabitare debeat? A.

57. An qui propter conjugem disparis cultus excommunicatus fuerit, etsi resipiscat, debeat excommunicatus manere, donec vel obeat conjux, vel eadem sacro cum ipso amplectatur? N.

58. An infantes fidelium Christianorum & fœderatorum, non expectatâ eorum ætate adultâ sint baptizandi; An verò nemo baptizandus nisi jam adultus, imò qui jam annum ætatis 30. attigerit? N. post: A. prius.

59. An Baptismi hac in re & quoad initiationem fœderalem ea sit ratio quæ Circumcisionis sub V. T? A.

60. An Pædobaptismus, ex dicto Christi, *Sinite puerulos ad me venire*, ejus mandato ad Apostolos, *Docete omnes gentes & baptizate*, & quod integræ familiæ ab Apostolis baptizatæ legantur, benè probetur? A.

61. An fidelium liberi, quia *Sancti* dicuntur Paulo, meritò sint baptizandi? A.

62. An eo quod infantes non credant, & nondum fidei suæ Confessionem possint edere, non sint baptizandi? N.

63. An procedat ratio ab Eucharistia negata infantibus, ad baptismum illis recusandum? N.

64. An Baptismus immersione necessariò debeat fieri, quasi merâ aspersione non sufficiente? N.

65. An fuerint rebaptizandi qui à Johanne baptizati fuerant? N.

66. An fas sit rebaptizare eos, qui in infantia fuerint baptizati? N.

67. An eos qui solâ aspersione tincti fuerint, nec in aquam immersi? N.

68. An eos qui fuerint baptizati in Ecclesiis hæreticis, in quibus tamen Ministerium aliquod publicum obtinet, si modò baptizati fuerint in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti? N.

69. An Baptismi semel collati irreiterabilitas sit absoluta in Sacris Scripturis? A.

70. An Sacra Cœna non alium omninò usum habeat præter commemorationem theoreticam mortis Christi, quam unionis contesserandæ inter homines eadem Sacra profitentes? N.

III.
ELENCHUS
PRÆCIPUARUM
Controversiarum quæ inter Orthodoxos & Socinianos agitantur.

AN religionis Mysteria debeant exigi ad lumen rationis nostræ corruptæ & ex illo suspendi? N.

2. An Articulis fidei Christianæ ea dogmata sint annumeranda quæ per evidentem & necessariam consequentiam ex Scripturis educuntur? A.

3. An Scriptores sacri ita immediatè fuerint acti à Spiritu Sancto, ut in consignandis libris Canonicis nec de facto errarint, nec etiam errare potuerint? A.

4. An sine speciali & interna illuminatione Spiritus Sancti, possit fides adhiberi Scripturæ, & illa legi & audiri cum fructu & salute? N.

5. An Christi religio in libris V. T. contineatur? A.

6. An etiam ex Scripturæ sensu mystico, non quoquo modo illato, sed ex intentione Spiritus Sancti quadantenus innato, dogmata fidei possint comprobari? A.

7. An benè hactenus distinguatur inter Normam fidei & Controversiarum judicem, ut illa Scriptura esse dicatur, iste vero Ratio humana? N.

8. An detur cognitio Dei naturalis, tum insita, tum acquisita? A.

9. An illa & quod de Deo beneficio rationis cognosci potest, sufficiat ad salutem? N.

10. An Deus constet genere & differentiâ, ac definiri possit? N.

11. An nomen *Dei* in augustiori significatu ita sit

proprium supremo Numini, ut simpliciter appellativum & univocè commune Deo & Creaturæ statui non possit? A.

12. An attributa divina Deo propriè sive accidentaliter insint, & realiter differant tum ab ipsomet Deo, tum inter se? N.

13. An Deus sit expers omnis compositionis? A.

14. An Deus per suam immensitatem sit ubique, enter, præsenter & potenter? A.

15. An Dei æternitas sit indivisibilis & tota coexistat singulis temporis differentiis cùm illæ existunt? A.

16. An Deus certò præsciat, idque in suo Decreto, per scientiam liberam & visionis, omnia futura, etiam contingentia & libera? A.

17. An justitia Dei vindicativa ita sit Deo naturalis, ut peccatum impunitum relinquere aut absque prævia satisfactione remittere non possit? A.

18. An in Deo sit tantum ut unica essentia, sic etiam unica persona? N.

19. An nomen ipsum *essentiæ* de Deo commodè possit usurpari? A.

20. An Sociniani jure nobis Sabellianismum impingant propter doctrinam Trinitatis? N.

21. An Trinitatis mysterium rectæ rationi & unitati Dei reluctetur? N.

22. An sufficienter ex Scripturis V. & N. T. illud comprobetur? A.

23. An nomina *Adonai* & *Elohim*, ut pote pluralia, aliquid efficaciæ habeant ad probandam Trinitatem? A.

24. An eo quod nomen *Adonai*, imò tetragrammaton *Iehôvæ*, ceu incommunicabile Creaturæ, sæpè tribuitur Domino nostro Jesu Christo, benè æterna ejus Divinitas comprobetur? A.

25. An vera & æterna sit generatio Filii ex Patre, ut & processio Spiritus Sancti ex Patre & Filio? A.

26. An procedenti personæ essentia divina communicetur citra divisionem aut alienationem? A.

27. An Jesus Christus sit verus, summus, & propriè dictus Deus, Patri coessentialis & coæternus, non verò Deus in sensu diminuto, putativus & factitius? A.

28. An omnia attributa divina Christo conveniant? A.

29. An omnium rerum Creatio primæva, ut & postea miraculorum patratio, ei competat principaliter, non instrumentaliter? A.

30. An honos & cultus religiosus fidei atque adorationis soli Deo debitus, ei propriè debeatur? A.

31. An sit Dei Filius proprius & naturalis, non ex conceptione in utero B. Virginis per Spiritum Sanctum, sed ex generatione inenarrabili & æterna? A.

32. An ejus minoratio œconomica quicquam deroget suæ Divinitati? N.

33. An extiterit antequam, vel quà homo nasceretur ex Virgine, vel mundus ipse conderetur? A. utrumque.

34. An Spiritus Sanctus sit persona divina, à Patre & Filio distincta, utrique tamen coessentialis & coæterna? A.

35. An solius & veri Dei cultus ei quoque communicetur? A.

36. An fides in Spiritum Sanctum quam in Symbolo profitemur nitatur Dei Verbo? A.

37. An Decretum Dei sit ipse Deus? A.

38. An Decreta Dei sint absolutè æterna? A.

39. An quicquam eveniat in tempore cujus certa futuritio non sit ex Dei Decreto? N.

40. An dentur quædam Decreta Dei conditionata, quæ ex conditione incerta & dubii eventus suspendantur? N.

41. An prædestinatio ad salutem quorundam hominum sit peremptoria & immutabilis? A.

42. An sit merè gratuita, nec ex fidei aut operum prævisione suspensa? A.

43. An creatus sit mundus ex nihilo, an ex aliqua præjacente materia? A. prius, N. post.

44. An Angeli sint Deo cooperati in creatione mundi? N.

45. An Creatio sit opus ad extra S. Trinitatis, commune Patri, Filio & Spiritui Sancto? A.

46. An Angeli vel extiterint vel existere potuerint ante Principium Mosaicum? N.

47. An Angelorum creatio in Principio Mosaico, ex Mose & aliis Scripturis certò demonstretur? A.

48. An Angeli corporei jure statui possint? N.

49. An ullus Angelus creatus Jehovam se vocet, etsi ab eo missus? N.

50. An cultus religionis & adorationis, vel olim sub V. T. ulli Angelo creato deferri possit aut jure potuerit? N.

51. An homo fuerit conditus ad solius Dei imaginem? A.

52. An fuerit originaliter sapiens & justus? A.

53. An hactenus ita immortalis fuerit, ut nisi peccasset mortalitati actuali nunquam obnoxius fuisset? A.

54. An imago Dei in homine, sita fuerit in solo Dominio in reliqua animantia; an etiam in Justitia, Sapientia & Sanctitate? N. prius, A. posterius.

55. An

55. An etiam mulier ad imaginem Dei condita fuerit? A.

56. An voluntarium propriè dictum sit de definitione peccati? N.

57. An peccato primi hominis ipsi & suis posteris, quibus jure imputatur, perierit Justitia originalis? A.

58. An ex ordine Justitiæ Divinæ totum genus humanum lapsu Adami subsit condemnationi? A.

59. An originale peccatum & nativa omnium corruptio ab Adamo in suos posteros per generationem derivata, passim inculcetur in Sacris literis? A.

60. An solus peccandi habitus confirmatus, an verò quilibet actus peccaminosus & à Lege Dei devius, hominem subjiciat condemnationi coram Deo? N. prius, A. post.

61. An mors temporalis sit pœna peccato debita & inflicta? A.

62. An mors æterna sit pœna tantum damni, an etiam pœna sensus? N. prius, A. posterius.

63. An mors æterna impiorum incipiat statim à morte corporea respectu animæ separatæ, continuanda in anima & corpore simul post resurrectionem? A.

64. An Lex Dei naturalis, ut Decalogo exprimitur & in Scripturis exponitur, sit immutabilis & æterna? A.

65. An Christus Matthæi v. aliquid adjecerit præceptis legalibus in genere morum; an verò ea duntaxat explicarit & vindicarit â corruptelis Pharisaicis? N. prius, A. posterius.

66. An mandatum de solo summo Deo religiosè colendo & adorando, semper obtinuerit, & porrò in æternum obtinebit? A.

67. An quartum Decalogi præceptum, etiam quoad mandati substantiam, sit penitus sublatum sub Euangelio? N.

68. An Magistratum sustinere, etiam cum jure & exercitio gladii tam privatim quam publicè, fas sit Christiano? A.

69. An supplicia capitalia sontium Euangelio sublata sint? N.

70. An Polygamia & Concubinatus Patriarcharum vitio caruerit? N.

71. An sub N. T. id adulterium sit, quod tale non erat sub Veteri; sed legitimum conjugium etiam in foro poli? N.

72. An moderatum & prudens rei familiaris augendæ studium, per licita media, debeat insimulari illius avaritiæ quæ damnatur in Sacris literis? N.

73. An prima sanctio fœderis gratiæ extet Gen. III, 15. in promissione seminis mulieris contrituri caput serpentis? A.

74. An promissiones & beneficia Euangelici fœderis per Christum, pertinuerint etiam ad pios qui vixerant sub œconomia V. T? Affirm.

75. An præcepta hæc tria, de sui abnegatione, crucis tolerantia & imitatione Christi, ignota fuerint sub V. T? N.

76. An tanta sit hominis depravatio sub peccato, ut nihil possit ex sese agere boni verè spiritualis & salutaris? A.

77. An homo adjutus Dei gratiâ possit in via hujus vitæ eam præstare perfectam obedientiam Deo, quâ vel justificetur, vel ab omni peccato abstineat, N. utrumque.

78. An Christus sit θεάνθρωπος, verus Deus & verus homo in una persona? A.

79. An cùm esset in forma Dei, & Patri coessentialis & coæternus, assumpserit formam servi, hypostaticè sibi conjungens naturam humanam ex semine Davidis & B. Virginis desumptam & propriâ personalitate destitutam? A.

80. An in illa carne fuerit raptus in cœlum ante vel illicò post suum baptismum, ut de mysteriis Dei edoceretur? N.

81. An seipsum virtute suâ divinâ suscitarit ex mortuis? A.

82. An corpus quod ex Sepulchro retulit, fuerit illicò gloriosum & immortale? A.

83. An ascensurus in cœlum corpus illud deposuerit & cum alio spirituali permutarit; an verò illud ipsum intulerit in Sacrarium cœleste, in eodem rediturus tandem visibiliter ad judicium universi? A. post. N. prius.

84. An sit Mediator verus & verè εἰρηνοποιὸς V. & N. T? A.

85. An sit Servator instrumentalis tantum, an etiam principalis efficaciâ & merito? N. prius, A. post.

86. An homines peccatores Deo Patri reconciliare debuerit sanguine suo? A.

87. An ulla salus potuerit obtingere hominibus peccatoribus, absque Satisfactione præstita justitiæ Divinæ pro eorum peccatis? N.

88. An Christus illam Satisfactionem debitam justitiæ Divinæ pro peccatis nostris præstare potuerit tanquam victima succidanea & vas atque expromissor noster? A.

89. An eam de facto loco nostro præstiterit, & eo respectu pro peccatis nostris mortuus & datus in pretium redemptionis pro nobis dicatur in Scripturis? A.

90. An illa Christi substitutio in locum nostrum repugnet Justitiæ Divinæ? N.

91. An Satisfactio plenaria Christi pro nobis, Salutem nostram minus gratuitam respectu nostri faciat? N.

92. An Christus eâ primariâ parte Sacerdotii sui, quæ sita fuit in satisfactione & immolatione victimæ, ita functus fuerit in his terris, ut non sit alio fine Sacrarium cœleste ingressus, ejusdem Sacerdotii respectu, quam ut efficaciam Sacrificii sui propitiatorii repræsentet jugiter Deo & illius applicationem suis procuret? A.

93. An Christi mors & passio in cruce fuit actus Sacerdotalis quo seipsum obtulit in victimam piacularem pro peccatis nostris? A.

94. An victimæ Legales in omnibus Sacrificiis propitiatoriis, typi & figuræ fuerint mortis Christi & Sacrificii istius cruenti, in quo Deus odoratus est sua veolentiam placamenti erga nos? A.

95. An negare Christi Satisfactionem, sit crucem ejus evacuare, & nihil amplius ipsi tribuere quam gregariis martyribus? A.

96. An aliunde potuerit esse horror & tremor Christi in horto, & calicis istius deprecatio, & exclamatio in cruce, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti!* quam ex sensu iræ Dei in peccata nostra, cui suberat cùm fieret peccatum pro nobis ut nos essemus justitia Dei in ipso? N.

97. An Christus non ante Sacerdotio suo cœperit fungi quam ingressus est in cœlum? N.

98. An ideo tantum mortuus sit, ut exemplo suo nobis ad patientiam præluceret & doctrinæ suæ veritatem obsignaret, non verò etiam & potissimum ut passionis suæ merito nos Deo reconciliaret, nobisque æternam redemptionem conficeret? Neg. prius, A. post.

99. An sibi ipsi sit meritus suâ passione exaltationem & gloriam? Neg.

100. An Satisfactio Christi plenâ & totali ejus obedientiâ constans, fuerit non tantum exsolutiva ejus quod debebamus, sed etiam reconciliativa nostri cum Deo, & nobis meritoria Salutis & vitæ æternæ? A.

101. An Christus regiam illam dignitatem quâ fruitur in sua gloria, etiam ut Mediator θεάνθρωπος, sit unquam depositurus? Neg.

102. An vocatio efficax & conversio Electorum fiat per gratiam Dei planè irresistibilem? A.

103. An Jesu Christi cognitio in adultis, ad salutem & fidem salvificam necessariò requiratur? A.

104. An fidei justificantis forma sit obedientia quæ Deo ad Christi præscriptum defertur; an verò meriti & satisfactionis Christi apprehensio fiducialis in veram & solidam justitiam coram Deo? N. prius, A. post.

105. An alio sensu quam forensi, ut sonat justificatio absolutionem à reatu, justificemur coram Deo per Christum fide apprehensum? N.

106. An ipsum τὸ credere, sive ipse fidei actus, per acceptilationem nobis imputetur in justitiam, vice perfectioris & plenioris obedientiæ aliàs ex rigore debitæ? N.

107. An omninò sit admittenda & propugnanda ex Dei Verbo in Justificatione Euangelica, Imputatio satisfactionis, justitiæ & meriti Christi, ut nobis ejus obedientia imputetur ad coronam, sicut illi nostra peccata fuerunt imputata ad pœnam? A.

108. An bona opera præcedant justificandum, an justificatum sequantur? N. post. A. prius.

109. An Sanctificatio in sola actuum emendatione sita sit, an etiam in nativæ corruptionis repressione & expugnatione? N. prius, A. posterius.

110. An ex libertate conscientiarum non opprimenda, benè colligant Sociniani Magistratum Christianum teneri ipsis facere licentiam impietatum suarum cum Christianismi probro publicè exercendarum? N.

111. An animæ hominum sint immortales, & piorum statim post ipsorum obitum admittantur ad Dei visionem & gaudia cœlestia, ut jam in cœlis constituant Ecclesiam triumphantem? A. utrumque.

112. An Resurrectio erit universalis omnium hominum, piorum ad vitam & impiorum ad tormenta æterna? A.

113. An in resurrectione gloriosa, hæc eadem corpora substantiâ & numero, nec aliter quam in suis qualitatibus suoque regimine pleno per Spiritum Sanctum spiritualia, nobis restituentur, ut in hac carne Deum videamus? A.

114. An unquam Ecclesia Christi in his terris totaliter defecerit, aut penitùs deficere & interire possit? N.

115. An Verbum Dei annunciare & Sacramenta administrare, nominatim Sacram Cœnam, omnibus liceat; an verò eorum demum sit qui ad Ministerium Euangelii legitimè vocati & ordinati fuerint? N. prius, A. post.

116. An ad solos Ecclesiæ Ministros eorumque in Synedriis assessores, pertineat Disciplinæ administratio ex clavibus regiminis, & potestas excommunicandi eos qui nolunt se subjicere? A.

117. An

117. An de Baptiſmo aquæ debeat intelligi dictum Chriſti, *Baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti?* A.

118. An Baptiſmus ſit verum Sacramentum neceſſariæ & perpetuæ obſervationis in Eccleſia Chriſtiana ex Dei mandato? A.

119. An ſit adminiſtrandus juxta formulam à Chriſto præſcriptam in nomine & fide S. S. Trinitatis, A.

120. An ſoli adulti ex Gentilibus aut Judæis converſi ad Chriſtum ſint baptizandi; an etiam Chriſtianorum ac fœderatorum infantes & liberi? N. prius, A. poſterius.

121. An Baptiſmus immerſione tantum debeat peragi, an etiam poſſit ſolâ aſperſione? N. prius, A. poſterius.

122. An Sacra Cœna ſit ritus indifferens, & duntaxat ad theoreticam commemorationem mortis Chriſti ordinatus; an verò ſit Sacramentum perpetuum Eccleſiæ Chriſtianæ, adeoque ſignum practicum gratiæ inviſibilis, ſuo modo exhibens & obſignans fidei noſtræ rem ſignificatam? N. prius, A. poſt.

123. An Sociniani aliquid credant de interno vel pœnis ſenſus poſt hanc vitam? N.

124. An doctrina eorum ſit Achriſtiana, ex Mahumetiſmo & Judaiſmo conflata, pietatis ſtudio ex adverſo repugnans, & planè exitioſa? A.

125. An Sociniani pro veris Chriſtianis & fratribus noſtris in Chriſto haberi poſſint aut debeant? N.

126. An in communione & doctrina Socinianorum, quamcunque prætexant larvam pietatis, ſalus poſſit obtineri? N.

IV.
ELENCHUS PRÆCIPUARUM
Quæſtionum Theologicarum inter Reformatos & Doctores Auguſtanæ Confeſſionis (uti ſe ſpeciatim vocant.) controverſiarum.

AN Myſteria fidei ita ſint ſupra rationem, ut tamen non ſint contra illam? A.

2. An Contradictionis judicium in rebus fidei, pendeat organicè ex lumine rationis? A.

3. An efficacia Verbi Divini, quatenus externè per homines annunciatur, ſit phyſica, an tantum moralis? N. prius, A. poſt.

4. An in Dei præſcientiam & decretum certitudo futuritionis omnium rerum quæ eventuræ ſunt, commodè rejici poſſit? A.

5. An Reformati faciant Deum cauſam vel authorem peccati? N.

6. An Deus unicuique præfixerit immobilem terminum ſuæ vitæ quem non ſit præteriturus? A.

7. An Decretum Electionis factum ſit ex prævisa fide & perſeverantia, ceu antecedentibus ad illud conditionibus? N.

8. An Chriſtus ingrediatur Decretum Electionis ut illius cauſa meritoria; an verò ut ejus executor futurus, & fundamentum omnium beneficiorum per illam nobis deſtinatorum? N. prius, A. poſt.

9. An Deus decrevit ſolis Electis Filium ſuum dare in Redemptorem & eos ſolos efficaciter ad ſe evocare? A.

10. An ita immutabiliter definitus ſit Divino decreto numerus Electorum ut plures non poſſint ſervari quam qui actu ſervantur? A.

11. An omnes veri fideles ſint Electi, ita ut totaliter & finaliter nequeant deficere? A.

12. An Lutherani benè propugnantes certitudinem ſalutis ex fide, teneantur fidelium certiſſimam perſeverantiam ex Dei electione adſtruere? A.

13. An Reprobationis *abſolutæ* fundamentum ac cauſa, ſic debeat ſtatui peccatum, ut ejuſdem *comparatæ* nulla alia ratio reddi poſſit præter liberrimum Dei beneplacitum? A.

14. An mundus ſit in loco ſibi adæquato? A.

15. An dentur aquæ ſupercœleſtes à nubibus quæ per aëra circumferuntur diſtincta? N.

16. An Angeli ſint propriè in loco & localiter ac ſucceſſivè moveantur? A.

17. An imago Dei in homine pertinuerit ad ſolas animæ dotes; an etiam ad ipſius naturam & ſubſtantiam? N. prius, A. poſterius.

18. An

18 An arbor vitæ in Paradyſo vim habuerit phyſicam, vitam prorogandi, arcendi ſenium & immortalitatem conferendi ? N.

19. An eo quod ſtatuant Reformati fidelium liberos naſci Sanctos, juxta Paulum, negent peccatum originale ? N.

20. An prima tabula Decalogi tribus tantum conſtet præceptis, ſic ut Imaginum prohibitio nuda ſit appendix prioris ? N.

21. An ſatius ſit Imagines in Templis tolerare quam evertere ? N.

22. An gratuitum fœdus cum veteribus Patribus initum, idem ſit ſubſtantiâ cum N. F ? A.

23. An fœdus Euangelicum ſit univerſale ? N.

24. An Euangelium ſit concio Pœnitentiæ ? A.

25. An libertas arbitrii humani ſit tantum à coactione & neceſſitate phyſica ac conſequentis ; an verò importet immunitatem ab omni neceſſitate, etiam ſuppoſitionis & conſequentiæ ? A. prius, N. poſt :

26. An Reformati auferant libertatem arbitrii, etiam in rebus indifferentibus & civilibus ? N.

27. An potiùs ad pronunciationem nominis Jeſu, quam Dei vel Chriſti, caput aperire aut genu flectere ſuperſtitioſum ſit ? A.

28. An Corporis Chriſti eſſentialis ſit & inſeparabilis proprietas, circumſcribi loco, ſive habere partes extra partes in ordine ad ſe & in ordine ad locum ? A.

29. An tactile & viſibile eſſe neceſſariò & ſemper Corpori Chriſti conveniat ? A.

30. An dici poſſit quod perſona λόγου aſſumpſerit naturam humanam *intra ſuam hypoſtaſim* ; an verò tantum quod eam *ad ſe* aſſumpſerit ? N. prius, A. poſt :

31. An benè dicatur totus λόγος eſſe in carne ſumpta, totus extra illam, quod eâ, ut pote finitâ, circumſcribi vel includi non poſit ? A.

32. An Neſtorianiſmi duas in Chriſto perſonas ſtatuentis meritò inſimulemur à Lutheranis ? N.

33. An potiori jure, ſaltem per conſequentiam, Ubiquitatis acres defenſores ſint inſimulandi Eutychianiſmi, naturas in perſona Chriſti commiſcentis & confundentis ? A.

34. An naturæ humanæ per λόγον aſſumptæ formaliter & ſubjectivè communicata ſit, vel hypoſtaſis, vel Divinitas λόγου ? N. utrumque.

35. An liceat dicere Divinitatem eſſe paſſam aut mortuam ? N.

36. An communicato humanitati aſſumptæ uno aut altero attributo Divinæ naturæ, cœtera ſimiliter communicari deberent ? A.

37. An unio hypoſtatica importet aliam Idiomatum communicationem, quam eam quâ alterutrius naturæ proprietates, cæteroquin incommunicabiles ſibi mutuo, de toto ſuppoſito legitimè prædicantur ; ut cùm dicitur Deus Eccleſiam redemiſſe ſuo ſanguine, aut ille filius hominis qui alloquebatur Nicodemum eſſe in cœlo ? N.

38. An dona humanitati ſubjectivè collata per incarnationem, utut magna, ſint tamen ſuo ſenſu finita, quod finitum infiniti capax non ſit ? A.

39. An carni Chriſti per incarnationem ſit ſubjectivè & formaliter communicata Omnipotentia ? N.

40. An Omniſcientia ? N.

41. An Omnipræſentia & Ubiquitas ? N.

42. An vis vivifica ? N.

43. An quod Chriſtus quà θεάνθρωπος & Mediator ſit adorandus, etiam illius humanitas præciſè & abſtractè conſiderata, debeat religioſè adorari ? N.

44. An prædicationes perſonales, *hic homo eſt Deus*, & *hic Deus eſt homo*, ſint quadantenus identicæ ; an verò in illis natura de natura & diſparatum de diſparato propriè prædicetur ? N. poſterius, prius ? A.

45. An Chriſtus naſcens ex B. Virgine per ejus uterum clauſum prodierit ? N.

46. An Chriſtus triduo mortis ſuæ localiter ad inferos deſcenderit ? N.

47. An Chriſtus reſurrexerit clauſo ſepulchro ; an verò Angelus id honoris ei exhibiturus lapidem ab oſtio ſepulchri removerit ? A. poſt : N. prius.

48. An venerit ad ſuos diſcipulos per januas clauſas eas penetrando, an verò illæ miraculoſè ipſi ceſſerint & patuerint ? A. poſterius. N. prius.

49. An Aſcenſio Chriſti mera fuerit diſparitio ; an verò latio ſive motus localis de loco inferiori ad ſuperiorem ? A. poſt : N. prius.

50. An Cœlum in quod aſcendit, ſit locus creatus & corporeus, ſupra Cœlos ſtelliferos, & quo humanitatis ſuæ reſpectu contineatur uſque ad diem judicii, ac eodem cœlo ſit tunc nos recepturus ? A.

51. An Chriſtus ita ſit in cœlo corporis ſui reſpectu, ut eodem reſpectu abſit à nobis & ſit abſuturus quamdiu his in terris peregrinamur ab ipſo ? A.

52. An ſedere ad Dei dextram, Chriſto conveniat tantum ſecundum humanitatem, vel per ſe ad corporis ſitum & ubietatem pertineat ? N.

53. An ex eo quod dextra Dei ſit ubique, poſſit colligi Chriſtum eſſe ubique ſecundum humanitatem ſecundum quam etiam ſuo ſenſu ſedet ad dextram Dei ;

Dei; an verò semper sint futuri quatuor termini in argumento quod inde pro Omnipræsentia carnis Christi peti solet? N. prius. A. post:

54. An Christus pro omnibus & singulis ex sua & Patris mittentis intentione mortem subierit, eo fine ut illos Deo reconciliaret? N.

55. An vocatio ad Christum sit universalis omnium & singulorum? N.

56. An valeat distinctio Gratiæ in Sufficientem & Efficacem? N.

57. An Gratia Dei in hominis conversione agat insuperabiliter? A.

58. An quæ docent hodierni Lutherani de cooperatione liberi arbitrii cum Gratia & Gratiæ per illud determinatione, possint conciliari cum iis quæ Lutherus benè docuit de servo arbitrio? N.

59. An conciliari possint eadem, cum doctrina de certitudine salutis quam benè propugnant? N.

60 An fides actualis, conveniat piorum infantibus recens natis; vel an hoc negato, Pædobaptismus evertatur? N. utrumque.

61. An vera, salvifica ac justificans fides, sit tantum Electorum, adeoque inamissibilis? A.

62. An fides illa, nobis præsentia sistat quæ cæteroquin absunt vel tempore vel loco? A.

63. An privata Confessio & Absolutio sit necessariò retinenda? N.

64. An cœlum Dei à Beatorum cœlo benè distinguatur, & sit hoc locus creatus & corporeus? N. prius, A. post:

65. An vera Ecclesia ut ex solis verè fidelibus sic etiam ex solis Electis propriè constet? F.

66. An Ecclesiæ Ministri quibus incumbit in Verbo laborare, debeant esse necessariò disparis potestatis? N.

67. An homo per excommunicationem separetur actu à Deo; an tantum per illam separatus declaretur & pronuncietur? A. post: N. prius.

68. An contra charitatem & veritatem peccent Lutherani accusando Reformatos errorum in fundamento? A.

69. An non obstantibus ἀγνοήμασι quibusdam in doctrina & ritibus Ecclesiarum quæ Lutheranæ volunt dici, veræ Ecclesiæ Christianæ censendæ sint, in quarum communione Salus possit obtineri? A.

70. An benè & prudenter faciant illius Communionis Doctores, quod se *Lutheranos* vocitent, & ipsum B. Lutherum, *Divi* & *Theandri* elogio ad ravim usque insigniant? N.

71. An possit Syncretismus inter illos & Reformatos institui, ut se fratres profiteantur, & tanquam ejusdem Augustanæ Confessionis Socios contra communes adversarios mutuò tueantur, ac concordes maneant in suæ Protestationis capitibus contra Antichristum Romanum, se invicem tolerando in quæstionibus inter suos Doctores controversis, utrimque abstinendo ab invectivis & conviciis apud populum, & sua dissidia à Templorum pulpitis ad subsellia Scholarum & Academiarum tantisper remittendo? A.

72. An etiam in quæstionibus de persona Christi, remoto disputandi pruritu, & animo tuendi quæcunque duriora nonnullis exciderint, possit inter illos, si sanas suas hypotheses retineant, & Reformatos convenire? A.

73. An æquum fuerit eò acerbitatis devenire circa rationem præsentiæ Christi in Eucharistia, & determinationem ejus quod in eo Sacramento infideles & hypocritæ percipiunt? N.

74. An justè possint queri Lutherani se fuisse damnatos in Synodo Nationali Dordracena, quam Ecclesiæ Reformatæ Belgii celebrarunt contra nonnullos pacis suæ domesticæ turbones, nec ullo vinculo Ecclesiastico Lutheranis conjunctos? N.

75. An Reformati in illis capitibus de Prædestinatione, Gratia & libero arbitrio longè mitiùs sentiant de Lutheranis, ceu minus graviter hic errantibus, quam de Jesuitis aut Remonstrantibus? A.

76. An Sacramenta ex se efficiant & producant ipsam Gratiam quam obsignant, atque rem significatam exhibeant & conferant non credentibus? N.

77. An Sacramentorum forma benè constituatur analogia ex instituto Divino ad rem signatam, quæ sit fundamentum prædicationum Sacramentalium.? A.

78. An Sacramentorum V. & N. T. par sit ratio quoad rem significatam in genere, & illius exhibitionem? A.

79. An ullus sit casus necessitatis (extra eum quo Laico & privato liceret omnes partes Ministerii publici obire,) quo Laicis & privatis, imò mulieribus, baptizare fas sit? N.

80. An Johannis III, 5. *Nisi quis sit natus ex aqua & spiritu*, agatur de Sacramento Baptismi? N.

81. An Baptismus benè in externum quo sordes corporis abluuntur, & internum qui fit Spiritu Dei & sanguine Christi, distingui possit? A.

82. An ita sit necessarius necessitate medii, ut primus censeatur efficere omnem sanctificationem & regenerationem nostram? N.

83. An exorcismus in Baptismo sit adhibendus? A.

84. An ad salutarem Christi communionem requiratur oralis manducatio carnis Christi? A.

85. An oralis manducatio carnis Christi, quam propugnant Lutherani, sit Capernaitica? A.

86. An impii & hypocritæ non minus quàm pii & verè fideles, præter externa Symbola panis & vini, unà percipiant verum Christi corpus & verum ejus sanguinem in Cœna? N.

87. An Christi verba, *Hoc est corpus meum*, sint sumenda κατὰ τὸ ῥητὸν, ut denotent Corpus ejus *in*, *cum & sub* pane tradi, ore percipiendum; an verò tropicè & figuratè, ut panis sit & dicatur Corpus Christi Sacramentaliter & significativè? N. prius, post: A.

88. An sedes tropi sit verbum *est* pro *significat* usurpatum? A.

89. An verum Christi corpus, nonnisi ore fidei, credendo corde non premendo dente, possit ac debeat in Cœna recipi & manducari? A.

90. An fractio panis sit cæremonia indifferens; an verò circumstantia necessariò retinenda in Sacra Cœna? N. prius, A. post:

91. An panes orbiculares & azymi atque altaria ad communionem debeant retineri? N.

92. An Symbola sint communicantium oribus ingerenda à Ministro; an verò tradenda in eorum manum, ut acceptum panem comedant & calicem dibant? A. post: N. prius.

V.

ELENCHUS PRÆCIPUARUM

Controversiarum Quinquarticulanarum, quæ Orthodoxis hactenus intercedunt in Belgio cum iis qui Remonstrantes sese indigitarunt.

AN nihil aliud sit Electionis æternæ decretum quam generica Dei voluntas de servandis credituris & in fide & obedientia perseveraturis? N.

2. An Electio ad salutem sit multiplex, alia generalis & indefinita, alia singularis & definita; & hæc iterum, vel incompleta, revocabilis & conditionalis, vel absoluta, peremptoria & completa; item alia ad fidem, alia ad salutem? N.

3. An Electio sit certorum hominum in Adamo lapsorum determinata & immutabilis præordinatio ad salutem per Christum consequendam? A.

4. An in Electione ad fidem hæc prærequiratur conditio ut homo lumine naturæ rectè utatur, sit probus, parvus, humilis, & ad vitam æternam intrinsecè & subjectivè dispositus? N.

5. An Electio æterna sit ex fide prævisa, an verò ad fidem? N. prius, A. post:

6. An Electi possint deficere totaliter & finaliter; an verò possint ac debeant esse certi per fidem suæ Electionis & gloriæ æternæ ex illa obtinendæ? N. prius, A. post:

7. An Deus ex mera eaque justissima sua voluntate, quosdam præterierit, & decreverit relinquere in communi statu peccati & damnationis? A.

8. An Reprobatio sit tantum hominum in positiva infidelitate & rejectione obstinata Euangelii finaliter perseverantium? N.

9. An ex quorundam hominum, in Adamo perditorum, absoluta Reprobatione, eaque liberrima, Deus author peccati statui possit? N.

10. An in solum Dei beneplacitum liberrimum, comparativa præteritio quorundam, aliis electis, sit rejicienda; item quod ad hanc gentem potiùs quam ad illam Euangelium mittatur? A.

11. An infantium quoque sit Electio & Reprobatio? A.

12. An Electionis & Reprobationis decretum subordinetnr decreto de Christo mittendo ad redemptionem generis humani? N.

13. An Pater Filium suum destinaverit in mortem crucis sine certo & definito consilio quemquam nominatim servandi? N.

14. An Christus satisfecerit & mortuus sit pro omnibus & singulis ex Patris suaque intentione? N.

15. An applicatio Redemptionis per Christum adæquetur ejus impetrationi, ut nec latior sit, nec angustior? A.

16. An debuerit & potuerit Christus mori pro iis quos

quos Deus diligebat amore benevolentiæ, & ex illo ad ſalutem elegerat? A.

17. An nemo propter peccatum originale ſit amplius damnationi obnoxius, vi reconciliationis quæ eſt in Chriſto; an illa demum ad ſolos electos pertineat? A. poſt: N. prius.

18. An Chriſtus ideo demum ſit mortuus, ut Patri ſuo acquireret jus quodcunque fœdus, ſive fidei, ſive operum, pangendi cum hominibus; an verò ut novum fœdus Gratiæ reipſâ ſanciret in ſuo ſanguine? N. prius, A. poſt:

19. An meriti Chriſti ſufficientia ad Diabolos ſit extendenda? N.

20. An aliquis fructus mortis Chriſti etiam ad reprobos dimanet, ut minuantur eorum pœnæ in inferno? N.

21. An Chriſtus ſit omnium hominum Mediator ſuo merito, licet efficaciâ ſolorum Electorum? N.

22. An Chriſtus reſurrexerit pro omnibus & ſingulis hominibus? N.

23. An benè conveniat ſolidæ conſolationi fidelium, praxi Eccleſiaſticæ, & œconomiæ Verbi Divini, Orthodoxa doctrina quæ mortem Chriſti, ut ut infiniti valoris & eo reſpectu pretii ſufficientiſſimi pro ſingulorum redemptione ſi ei deſtinata fuiſſet, ad ſolos Electos reſtringit? A.

24. An ſinguli homines, aut ſaltem ſinguli illi quibus annunciatur Euangelium, teneantur ſimpliciter & abſolutè credere, Chriſtum pro ſe nominatim eſſe mortuum? N.

25. An peccatum originale per ſe ſufficiat toti generi humano condemnando, aut temporales & æternas pœnas promerendo? A.

26. An habitus boni potuerint eſſe connaturales voluntati primi hominis, & ab ea per lapſum ſeparari? A.

27. An voluntas per peccatum duntaxat impedita, an verò moraliter corrupta dicenda ſit? N. prius, A. poſt:

28. An homo ſub peccato poſſit eſurire & ſitire juſtitiam, ac ſacrificium ſpiritus contriti, quod Deo acceptum ſit, offerre? N.

29. An homo lumine reſiduo naturæ, citra Gratiam ſpecialem, poſſit benè uti, ut ſeſe diſponat ad ſalutem in Chriſto conſequendam? N.

30. An fides ita ſit voluntatis noſtræ actus obedientialis, ut habitus infuſus à Deo dici nequeat? N.

31. An Gratia benè diſtinguatur in Sufficientem & Efficacem? N.

32. An Deus det omnibus ut poſſint credere ſi velint, ita ut actus credendi ex eorum arbitrio pendeat & ſuſpendatur? N.

33. An Converſio hominis merâ ſuaſione morali peragatur; an verò efficaciſſimâ & infallibili perſuaſione & operatione planè irreſiſtibili? N. prius, A. poſt:

34. An Gratia & Liberum Arbitrium ut cauſæ ſociæ & partiales concurrant ad hominis converſionem; an verò ordine cauſalitatis Gratia operationem voluntatis antecedat? N. prius, A. poſt:

35. An liberum arbitrium ſit facultas naturalis, quâ poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, homo poſſit agere vel non agere, etiam in ſenſu compoſito? N.

36. An vocatio ad Chriſtum & Gratiam ſit univerſalis, & num benè diſtinguatur in efficacem & inefficacem? N. prius, A. poſt:

37. An perſeverantia verè fidelium, ſit effectum Electionis, & Dei donum quod Chriſtus ſuis acquiſivit morte ſuâ? A.

58. An perſeverantia hæc ſit duntaxat conditio Novi Fœderis merè poteſtativa & ex arbitrio noſtro ſuſpenſa, præſtanda antecedenter ad cujuſcunque electionem & juſtificationem peremptoriam? N.

39. An ſola duntaxat facultas perſeverandi ſit à Deo; an verò etiam ipſa actualis Perſeverantia? N. prius, A. poſt:

40. An verè credentes & regeniti poſſint à fide juſtificante & ſalute excidere totaliter, & de facto quandoque excidant? N.

41. An peccatum in Electis omnem Gratiam habitualem tollat, non meritoriè tantum, ſed reverâ & effectivè? N.

42. An peccatum regnans, item peccatum ad mortem & in Spiritum Sanctum, cadat in regenitos & verè fideles? N.

43. An fides temporaria, non ſolâ duratione, ſed totâ naturâ, differat à ſalvifica? A.

44. An Perſeverantia offeratur omnibus ſub conditione? N.

45. An fideles ſemel regeniti iteratò renaſcantur? N.

46. An habitus & ſemen fidei poſſit conſiſtere cum gravioribus peccatis, etiam altè conſcientiam vulnerantibus? A.

47. An vera & ſalvifica fides ſit naturâ & conditione ſuâ inamiſſibilis? A.

48. An ex hypocritarum apoſtaſia rectè colligatur defectibilitas Sanctorum & vere fidelium? N.

49. An fidelium ſpes & certitudo Salutis, ſit tantum moralis & conjecturalis; an verò abſoluta & fidei? A. poſt: N. prius.

50. An Salutis certitudo quæ ex fide habetur, ſit

tantum de præſenti, an etiam de futuro? N. prius, A. poſt:

51. An Excommunicatio, etiam juſta, importet in juſtificato abſolutam interciſionem juſtificationis ſuæ, & totalem fidei & Gratiæ habitualis exſtinctionem? N.

52. An certitudo futuræ Perſeverantiæ haberi queat abſque ſpeciali revelatione? A.

53. An dubitatio de Salute & Perſeverantia ſit utilis? N.

54. An doctrina de Perſeverantia & Salutis certitudine ſit ex ſe carnis pulvinar, & bonis moribus ac pietatis exercitiis contraria? N.

55. An Chriſtus rogarit Patrem pro credentium ſuorum Perſeverantia finali? A.

56. An Salomon bene proferatur in exemplum Apoſtaſiæ ſanctorum? N.

57. An ex Angelorum & Adami lapſu bene colligatur Apoſtaſia fidelium Chriſti? N.

58. An plus recuperavimus in Chriſto, nempe auxilium *quo* perſeveremus, quam amiſeramus in Adamo, nempe auxilium *ſine quo non* perſeveretur? A.

59. An quia omnia piis & fidelibus cooperantur in bonum, etiam peccata in quæ per infirmitatem incidunt eorum ſaluti per accidens inſerviant? A.

60. An fidelium in gravia peccata prolapſorum, ſit omninò par ratio quæ reproborum & irregenitorum? N.

61. An ſatius fuerit Remonſtrantes condemnari in Synodo Dordracena, quam in muneribus Eccleſiaſticis cum hac ſua doctrina tolerari? A.

62. An Schiſmatis excitati in Eccleſiis Belgii poſſint jure accuſari? A.

63. An legitime eorum errores fuerint condemnati & ipſi à ſuo Miniſterio depoſiti? A.

64. An non tolerata eorum doctrina in Docentibus, poſſint nihilominus tolerari & ad Sacram Synaxim in Eccleſiis noſtris admitti qui adhuc titubent circa has Controverſias quinquarticulanas, modò promittant ſe ideo pacem & unitatem Eccleſiæ non conturbaturos? A.

VI.

ELENCHUS PRIMARIARUM

aliquot Controverſiarum quæ nobis intercedunt cum Judæis, Mahumetanis, Ethnicis, Deiſtis, Libertinis, cœteriſque Chriſtianæ Religionis irriſoribus & hoſtibus.

An Religio in communi nihil aliud ſit quam inventum hominum Politicorum ad plebem in officio continendam? N.

2. An quilibet in ſua Religione poſſit ſervari? N.

3. An ſola Religio Chriſtiana ſit vera & ſalutaris? A.

4. An Scripturæ Sacræ V. & N. T. pro Dei verbo, infallibilis veritatis & authoritatis, ſint ſuſcipiendæ? A.

5. An præter Scripturam V. T. neceſſariæ ſint traditiones Thalmudicæ & Kabballiſticæ? N.

6. An Alkoranus Mahumetis ſit Dei Verbum, vel ulla ratione conferendus cum noſtris Scripturis? N.

7. An Mahumetes, qui ſe Prophetam & Apoſtolum Dei falſò vocitat, pro impoſtore ſit habendus? A.

8. An Deum eſſe, ſit naturaliter & per ſe notum? A.

9. An Deus ſit tantum unus, nec plures concipi aut dari poſſint? A.

10. An Deum credere unum eſſentia trinum perſonis, Polytheiſmum vel Contradictionem implicet? N.

11. An Deus Filium coeſſentialem habere queat? A.

12. An Providentiâ Dei omnia regantur & adminiſtrentur? A.

13. An mundus ſit tantum unus, nec plures poſſint ſimul dari? A.

14. An mundus ſit vel potuerit eſſe ab æterno? N.

15. An ſit in ſe finitus, licet magnitudinis quoad nos

nos indefinitæ, & necessariò in tempore & ex nihilo conditus? A.

16. An homines alii extiterint ante Adamum? N.

17. An dentur homines non Adamici? N.

18. An homines ex limo terræ potuerint progigni per influentias Solis & Syderum? N.

19. An Mosis narratiò de mundi origine & creatione sit certissima & ἀξιόπιςος? A.

20. An ulla absurda Moses narret vel indigna fide? N.

21. An Moses finxerit colloquia cum Deo ut narrationibus & legibus suis authoritatem conciliaret? N.

22. An quæ patravit miracula, quibus narrationis suæ veritas comprobatur, non magica sed verè Divina fuerint? A.

23. An dentur Angeli & Dæmones, qui debuerint esse creati in principio Mosaico, adeoque nec fuerint nec esse potuerint ab æterno? A. utrumque.

24. An primo homini ante Evam quædam Lilith nupserit, ex qua Dæmones genuerit? N.

25. An Adam & Eva in idem suppositum Androgynum, primùm conditi fuerint, deinde Dei manu à se invicem divulsi? N.

26. An Adamum Eva coegerit, etiam verberibus, ad fructum vetitum comedendum secum? N.

27. An corruptio & propensio ad malum, quæ omnibus inest, debeat referri in lapsum primi hominis? A.

28. An discrimen omne turpis & honesti, virtutis & vitii, ex sola hominum imaginatione vel constitutione pendeat; an verò detur aliquod jus naturale & primigenium, omnium conscientiis insculptum, quod est immotæ & perpetuæ veritatis? N. prius, A. post:

29. An sola honestas moralis & Philosophica sufficiat ad salutem? N.

30. An jus naturale ad septem præcepta Noachidarum ex traditione Patrum debeat referri; an verò ad Dei Legem cordibus hominum primitùs insculptam, & cujus rudera adhuc remanserunt post peccatum? A. post: N. prius.

31. An Lex Cæremonialis Mosaica debuerit tandem abrogari? A.

32. An Euangelium Christianorum sit *Aven Gilajon* & nullius authoritatis? N.

33. An in N. T. quædam perperam citentur ex Mose & Prophetis? N.

34. An N. T. authoritas per Vetus comprobetur? A.

35. An quæ narrantur de Jesu Christo in Euangelio sint certissimæ fidei? A.

36. An conveniens fuerit Filium Dei incarnari ad Redemptionem generis humani? A.

37. An Messias promissus per Prophetas debuerit esse Deus & homo? A.

38. An debuerit nasci ex Virgine, Bethlemi, & stante secundo Templo? A.

39. An debuerit comtemni à Judæis, rejici, crucifigi, & resurgere à mortuis? A.

40. An Jesus Nazarenus, quem Judæi cruci fixerunt per Pilatum, sit verus ille Messias? A.

41. An duo Messiæ benè à Judæis nonnullis constituantur, unus patiens & egenus filius Josephi, alter triumphans Davidis filius? N.

42. An tempus destinatum primo adventui Messiæ jamdiu præterierit? A.

43. An Judæi possint ac debeant adhuc Messiam, rejecto Jesu Christo, expectare? N.

44. An sint aliquando restituendi in integrum, & Templum Hierosolymitanum reparaturi, cultumque Mosaicum restituturi? N.

45. An illa in qua sunt dispersio, justo Dei judicio illis sit inflicta ob Jesum Christum rejectum & crucifixum? A.

46. An miracula quæ Christus fecit, divinâ virtute non arte magicâ perpetrata sint? A.

47. An revera ipse fuerit crucifixus, non alius ejus loco? A.

48 An resurrexerit die tertio ex mortuis? A.

49. An Religionis Christianæ propagatio inter Gentes, sit illa earum ad Deum Israelis evocatio & conversio quam Prophetæ prædixerant? A.

50. An Cæremoniæ legales, Christum & ejus beneficia, maximè Satisfactionem illius pro peccatis nostris, adumbrarint? A.

51. An nulla alia justificatio inculcetur in Scripturis V. T. quam operum & legalis? N.

52. An hominis anima sit immortalis & remaneat post ipsum, vel beanda vel punienda? A.

53. An post hanc vitam nulla alia sit expectanda? N.

54. An admittenda sit Metempsychosis quâ animæ transeant de corpore in corpus? N.

55. An unicuique homini sua anima sit peculiaris? A.

56. An dentur Tartara & pœnæ infernales in quibus impii sint æternùm cruciandi? A.

57. An omnes homines erunt servandi? N.

58 An voluptates Paradysi erunt sensibiles, corporeæ & venereæ? N.

59. An Resurrectio mortuorum sit possibilis & futura? A.

60. An soli Judæi, vel soli pii, sint resurrecturi ultimo die? N.

61. An Polygamia simultanea, & omnis concubitus extra legitimas nuptias unius cum una, honestati naturali adversetur? A.

62. An quæ docent nonnulli Philosophastri, absurdorum consarcinatores, de spatiis imaginariis extra hunc mundum; accidentium existentia sine subjecto; possibili ubiquitate Creaturæ; possibilitate Angelorum ab æterno; vacui in rerum natura; existentiæ materiæ absque omni forma, ac formarum quas materiales vocant extra omnem materiam; multipræsentiæ unius ejusdemque hominis in diversis & separatis locis simul; animæ rationalis divisibilitate &c. non solum erroribus tetris incrustandis, sed etiam Religioni Christianæ ludibrio apud Deistas & Libertinos exponendæ, inserviant? A.

BREVIS METHODUS SACRARUM

Concionum ad populum habendarum, per Aphorismos digesta.

TOt extant *Rhetoricæ Ecclesiasticæ* Synopses *à Viris Doctissimis concinnatæ, ut aliud insuper in eo genere meditari, vix aliud sit quam actum agere; Quin olim ex communi nostræ Facultatis Decreto, Guillelmi Bucani* Ecclesiastes *fuit recusus in* Enchiridio Candidatorum sacri Ministerii, *ut in illo haberet Studiosa Iuventus regulas quas in suis sacrarum Concionum præexercitamentis formandis sequeretur. Quia tamen etiam ante illud Decretum, & recusum ex illo Bucani* Ecclesiastem, *contexueram & meis Discipulis proposueram pauculos Aphorismos, mihi jam tum per triginta ferè annos in hoc genere dicendi ad populum cum aliqua ædificatione publica exercitato, & diuturno illo usu quadantenus observatos, qui exinde per manus variorum circumferri & ab aliis desiderari cœperint, putavi haud abs re fore si eos hîc auctos & correctos ad calcem adjicerem, quo saltem Tyronibus sint æquè pro Isagoge prima in Practicis, ac nostrum Systema illis primam viam pandit ad Theoretica, & per hæc minutiora possint paulatim ad solidiora & perfectiora in utroque genere eniti. Igitur ad rem ipsam veniamus.*

CUjuslibet textus sacri tractatio peragitur Exordio, Divisione, Explicatione & Applicatione.

II. Exordium debet esse, 1. Appositum & ad rem; non tamen ex reipsa; Longiùs petitum est vitiosum. 2. Breve & concionis corpori, ut caput membris, benè proportionatum. 3. Perspicuum & lene, quo Auditorum attentio faciliùs excitetur & præparetur.

III. Nunquam incipiendum est ex abrupto, aut ex mera connexione cum præcedentibus, quæ potiùs Narrationis est quam Exordii; & in Exordio motus violentiores sunt cavendi, ac stilus turgidior vitandus.

IV. Exordium commodissimè desumitur à connexione textus explicandi cum præcedentibus; quâ observatâ, vel sententia moralis, vel quæpiam similitudo, vel axioma aliquod generale, vel aliquis Scripturæ locus eò spectans proponatur, per cujus brevem exegesim, sensim ad ipsum textum deveniatur.

V. Si connexionem reperire difficiliùs fuerit, saltem attendatur textus explicandi scopus & quò spectet, indequè desumatur Exordium.

VI. Vel videatur ecquod generale axioma posset ex textu colligi ac consequi, & illud in Exordium deligatur.

VII. Vel si textus fuerit metaphoricus, Exordium petatur ab illa re ex qua desumpta est metaphora, cujus generalior natura ac remotior à subjecto quod est præ manibus primùm proponatur, & ita propiùs ad rem ipsam pertractandam pedetentim deveniatur.

VIII. Vel si Concio extraordinaria, ut in diebus festis aut jejunii, habenda fuerit, poterit Exordium peti à fine & instituto solemnitatis celebrandæ.

IX. Ita verò connectatur Exordium textui explicando, ut nexus ille naturalis & facilis Auditoribus appareat.

X. Succedat Propositionis sive Narrationis loco, Divisio textus, sive ejus in partes legitimas distributio.

XI.

XI. Ea autem debet eſſe, 1. Textus explicandi, non rerum ab Eccleſiaſte dicendarum, ut à non-nullis vitioſè obſervatur. 2. Ipſi textui adæquata; hoc eſt nec plures nec pauciores habens partes quam fuerint in textu. 3. Tam facilis ut non ſolum ipſius Concionatoris, ſed & Auditorum quoque memoriæ poſſit conducere. 4. Ad ſummum trium vel quatuor membrorum, (quantum nempe patietur ipſe textus) nunquam coincidentium.

XII. Si textus unicam tantum Enunciationem ſimplicem contineat, Diviſio ſit trimembris, ſubjecti, prædicati, & prædicationis ipſius.

XIII. Si plures enunciationes vel eminenter vel formaliter complectatur, tot fiant partes quot illæ deprehendentur.

XIV. Si textus narrationem hiſtoricam vel parabolicam contineat, tot ſunto partes quot circumſtantiæ in illo poſſunt notari.

XV. Si textus contineat aliquam ſimilitudinem, prima pars eſto de re cui illuſtrandæ ſimilitudo adhibetur, altera de ſimilis in textu adhibiti cum illa convenientia.

XVI. Textus terminis duntaxat metaphoricis conſtans, vel reducendus eſt ad ſimplices, ut tot partes ſint in textu quot forent ſi propria & ſimplex fuiſſet loquutio, vel tot partes conſtituantur quot metaphoræ occurrunt explicandæ.

XVII. Sin conſtiterit terminis partim metaphoricis, partim propriis, talis ſiat diſtributio ut metaphoræ ratio ſemper unam partem conſtituat.

XVIII. Textus minas, prohibitiones, aut mandata continens, ſæpè poterit ſic diſtribui ut partes ejus ad quatuor has circumſtantias, Quis, Cui, Quid, & Quare, aut aliquas ex illis revocetur.

XIX. Si verò diſtributio in partes difficilior appareat, pro diviſione proponat Eccleſiaſtes, brevem textus Paraphraſim, eamque poſtea κατὰ πόδας explicet.

XX. Diſtributione textus factâ, ſingularum partium ſuccedat debita & ordinata Explicatio, in qua ſemper fiet initium à vocibus, quarum plures vel uſus in Scripturis, vel ſignificationes, ſi illæ occurrunt majoris momenti, expendentur; & quæ in textu fuerit retinenda aliis è Scriptura exemplis communietur.

XXI. Quod ſi ſingula Diſtributionis membra, themate ſimplici ſive unico termino conſtiterint, unumquodque tractetur ſeorſim & in eo diſpiciatur 1. Quid nominis, ſi rarius illud fuerit 2. Quid rei.

XXII. In Nomine explicando, removenda eſt Homonymia; Paronymia & Etymologia quandoque notanda; Synonyma ex Scripturis apponenda; prout citra affectatæ Grammaticationis & Critices vitium poterit fieri.

XXIII. Circa Rem, ſi ſingularis fuerit aut facti, verſandum per circumſtantias; ſi univerſalis & juris, per locos Dialecticos aut quoſdam ex illis, Cauſarum, Effectorum, Proprietatum, Subjecti, Adjuncti, Oppoſitorum, Similium, Diſſimilium.

XXIV. Aut poſt Nomen explicatum, Rei definitio ſive deſcriptio generalior proponatur, quæ poſtea per partes & membra enarretur, adjectis breviter unicuique, teſtimoniis, ſimilitudinibus, ac etiam aliquot quæſtionibus tum didacticis, tum polemicis, tum practicis (ſi ita res feret) maximè appoſitis; Sic tamen ut non videatur Eccleſiaſtes arreptâ occaſione textus in Locum communem excurrere, ſed potiùs quæ ſunt Loci communioris ad textum ſuum commodiùs explicandum neceſſariò referre.

XXV. Poſt membra ſic ordine diviſim explicata, maximè ubi rerum copiæ ſtudetur, accedet Concionator ad illorum explicationem complexam; Et ſi res fuerit facti deducet factum; ſi juris, ſtatum formabit quæſtionis, quam poſtea, prout comminatoria, promiſſoria, permiſſiva, prohibitiva, affirmativa, negativa-ve fuerit propoſitis argumentis artificialibus & inartificialibus à ſubjecto & prædicato, fuſiùs enarrabit.

XXVI. Quod ſi membra dividentia fuerint themata complexa, ſive propoſitiones integræ, explicentur primò earum partes, ſubjectum nempe & prædicatum ad modum thematis ſimplicis, ſed breviùs; tum illarum veritas & natura complexè prolixiùs perpendatur.

XXVII. In textu metaphorico, metaphoræ ratio, in quibus commodiſſimè poterit membris, debebit explicari, adjectis tamen diverſitatibus notabilioribus.

XXVIII. Si textus fuerit Moralis, quæſtiones tractentur Practicæ, quæ officium ſpectent & directionem Conſcientiæ; Si Dogmaticus, capita doctrinarum ac controverſiarum eò ſpectantium, quantum ex textu peti poſſunt argumenta, vel confutandis erroribus & Hæreticis, vel veritati confirmandæ ac illuſtrandæ idonea.

XXIX. Hiſtoricus ſi fuerit, literaliter per omnes circumſtantias erit explicandus, obſervationibus moralibus ad ſingulas additis ut ſeſe obtulerint. Tum Myſticus ſubjicietur ſenſus pro applicatione.

XXX. Textus hypotheticus ad theſim generalem debet revocari, quæ fuſè explicanda.

XXXI. Theticus non generaliorem tantum

exiget

exigit explicationem, ſed etiam ut ad hypotheſes deſcendatur.

XXXII. Poſt Explicationem uniuſcujuſque membri, ſuccedat illius Applicatio, per efflorēſcentes ultrò, non quidem ex iis quæ in explicatione dicta fuerint, ſed ex ipſo textus membro ſufficienter explicato, concluſiones tum Doctrinales, tum Morales.

XXXIII. Concluſiones eas voco, ut fit perperam à multis, id quod formaliter textui ineſt, vel elenchi, vel doctrinæ, vel redargutionis, vel inſtitutionis ad mores, traducatur ad Applicationem, Explicatione in jejuna & levidenſi vocularum conſideratione totâ conſiſtente. Nihil enim propriè ad Applicationem pertinet, niſi quod textus continet eminenter, ideſt quod poriſmaticè ex illo jam planè explicato commodè deducitur.

XXXIV. Malè meo judicio differtur Applicatio omnis in finem Concionis, quia ſic nimis languet oratio; Sed Applicatio immiſta explicationi auditorem magis retinet attentum & excitatum.

XXXV. Imò non perperam fecerit qui inter explicandum ſingula membra, ea ſubintexuerit quæ ſeſe commodiùs obtulerint, ad aliquam ex quatuor illis Applicationis ſpeciebus, quæ dicuntur Paulo, διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία.

XXXVI. Partiales tamen iſtæ Applicationes, ita ſingulis partibus adjiciantur, ut generaliores, ex toto ſcilicet textu, pro fine reſerventur.

XXXVII. Caveatur hîc eorum vitium qui quodlibet faciunt ex quolibet; Sed Applicationes omnes ita explicata conſequantur, ut quaſi ſponte ſuâ ex ipſo textu fluere appareant.

XXXVIII. In Elenchticis maximè ii impugnentur errores à quibus plus eſt periculi Eccleſiæ illi quæ docetur; Sed id fiat cum lenitatis Spiritu, rationibus & argumentis, non conviciis & jurgiis; Et ſic deducatur adverſarius ad abſurdum, ut tamen illi nihil per calumniam affingatur.

XXXIX. Reprehenſiones ſint patheticæ & graves, Prophètico ſtylo, imò quoad fieri poterit, Prophetarum verbis conceptæ, Conſolationes affectuoſæ & altè deſcendentes, quibus Conſcientiis inflicta Legis aculeo vulnera, oleo Euangelii deliniantur & conſolidentur, & omnium tentationum ac ſcrupulorum fibræ penitùs revellantur.

XL. Sic fiducia inculcetur, ut tollatur carnis ſecuritas: Sic ſecuritati obviam eatur, ut caveatur deſperatio: Sic fides commendetur, ut bona opera urgeantur; Hæc iterum ſic premantur, ut ſupercilium ſemper deprimatur, diſcantque homines ſuam coram Deo juſtitiam non in ſuarum virtutum perfectione & merito, ſed in peccatorum ſuorum remiſſione collocare.

XLI. In peccatis reprehendendis parcatur perſonis, dicatur de vitiis, punganturque Conſcientiæ, ſed ipſi homines non traducantur; ſentiantque peccatores Eccleſiaſtem eorum amore duci & optare converſionem, non infamiâ & opprobrio delectari. Sit ergo canis Domino fidus, nec mutus, nec mordax: In ſuggeſtu ſacro, iræ, odio, affectibuſque privatis, nihil indulgeat; & ita Superiores moneat liberè officii, ut eorum contemptum plebi non inſtillet nec Magiſtratum apud eam proſtituat.

XLII. Applicatio debet eſſe vehementior Tractatione, & ſua habere Epiphonemata, Apoſtrophas, Proſopopoëas, ſimileſque ferventiores tropos.

XLIII. Concluſio ſit lenis & moderata, ad quam gradatim deveniatur, potiùs ad conſolationem, quam ad terrorem & minas comparata; Nec ſimpliciter probem morem eorum qui concluſionis loco frigidam proponunt repetitionem ſuæ diviſionis & membrorum à ſe tractatorum, vel ex abrupto finiunt.

XLIV. Nimia prolixitas non affectetur. Juvat enim redire è Templo auditores non laſſatos, ſed ſatiatos; imò quibus adhuc volupe fuiſſet paulò diutiùs Concionem fuiſſe continuatam. Hic cibus ſpiritualis eſt, prudenter diſtribuendus ad famem ſedandam, non temerè ad faſtidium uſque ingerendus.

XLV. Is certè oleum & operam luſiſſe videtur, ex cujus Diatriba nihil aliud retinere poſſint Auditores, quam quod nimis prolixa fuerint.

XLVI. Orationis ornamenta præcipua ſunto ex Sacris literis, allegoriis ſcilicet, ſimilitudinibus, exemplis, tropiſque inde deſumptis. Rariora ex profanis ſcriptoribus, Poëtis & Philoſophis, eorumque dictis vel factis, petantur; niſi ubi vel ſingularioris exempli, vel illuſtrationis expreſſiſſimæ & quaſi nativæ, vel comparationis valdè idoneæ, loco eſſe potuerint.

XLVII. Si quæ inſuper ſimilia debeant adhiberi, illa ex Naturæ penetralibus, Artis obſervationibus, Hiſtoriarum narrationibus, Diſciplinarum placitis, imò & quandoque, ſed longè infrequentiùs, ex Mythologorum explicationibus, dextrè deſumantur. Altè enim illa deſcendunt in Auditorum animos, & rem quæ per ea explicatur fœliciſſimè inculcant; ac ſummæ erit induſtriæ ad publicam ædificationem conferre quicquid fueris conſecutus eruditionis etiam humanæ, & Templum Dei ex ſpoliis Ægyptiorum per ſacra anathemata exornare.

XLVIII. Prout autem hîc illud obtinere velim, *Ne quid nimis*, vitatâ, sedulò omni ostentationis vanæ specie & suspicione, sic putem eos justo severiores esse qui istiusmodi condimentum, quo potest excitari Auditorum attentio & detergi fastidium quo plerumque laborant, velint omninò arceri à Sacris Concionibus.

XLIX. Nam dum Christus tot adhibuit parabolas inter docendum, dum etiam Prophetæ & Apostoli haud pauca suis insperserunt ex profanis authoribus & ritibus Ethnicis deprompta, satis docuerunt illum qui exotica quælibet prudenter & cum delectu studuerit conferre Auditorum institutioni, non magis peccare in eam legem quâ ad Dei eloquia alligatur, quam qui se superstitiosè non adstringit in suis conceptibus exponendis ad vocabula Scripturæ, ut nullo alio utatur in sua Concione quam quod extet in Bibliis.

L. Quin ubi ad doctos & indoctos Concio est habenda, ita est attemperanda oratio ingenio & captui Auditorum, quos omnes ædificare studemus, ut in ea tanquam in opiparo convivio, habeat quisque quod sapiat suo palato, & quod capiant indocti, & quo docti capiantur; prout de ipso Dei Verbo dicit Gregorius, quod *sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet: Habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admirationem rapiat? Quasi quidam quippe est fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.*

LI. Patrum verò, uti vulgo dicuntur, authoritas quandoque, sed tamen nonnisi rarò usurpetur, maximè à junioribus, quos propter ætatem minus in illis versatos esse constat; ac tum demum adhibeantur cùm vel acutiùs aliquid habent quod mores spectet, vel solidius quoad dogmata, quod Adversariis convincendis apprimè faciat.

LII. Juniores igitur textum Sacrum diurnâ nocturnâque manu versare debent, eumque sibi reddere perfamiliarem, & inter legendum perpendere semper quæ sit historiarum aut typorum illic occurrentium mystica ratio; item formulas magis patheticas reprehensionum, comminationum, promissionum, consolationum, penitùs imbibere, ut illis deinceps commodè adhibitis in Concione, reverâ λόγια Θεοῦ loqui, imo non tam loqui quam fulgurare videantur.

LIII. Legenda autem est Sacra Scriptura à futuro Concionatore, linguâ vernaculâ, sive eâ quâ est dicturus, atque seligenda est ad id optima & usitatissima Versio, quam vertat ipse in succum & sanguinem.

LIV. Textum aliquem explicaturus eum attentè relegat, & ante omnia, vel ex se se vel ope Commentatoris alicujus brevis & fidelis, illius connexionem cum superioribus & scopum dignoscat.

LV. Mox adhibeat Concordantias, quas vocant, sive Latinas utriusque Testamenti, sive Hebraicas Kirckeri aut Buxtorfii pro Veteri instrumento, & Græcas H. Stephani aut recentiores Schmidii pro Novo, & omnia loca Scripturæ in quibus eadem reperiuntur vocabula, quæ explicanda habet in suo textu percurrat, atque expendat quid inde ad rem suam facere possit.

LVI. Habebit hac ratione, non solum Homonymiæ tollendæ optimum & certum subsidium, sed etiam peramplam Amplificationum segetem, ex locis parallelis, allegoriis, exemplis, similibus, diversis & allusionibus.

LVII. His fretus, ex Methodo jam præscripta Concionem digerat; scribat nitidè; ediscat memoriter; Quæ scribuntur longè meliùs ordinantur, & faciliùs addiscuntur, & si satis nitidè scripta fuerint fœliciùs retinentur ac proferuntur.

LVIII. Tyronibus author sim ut prolixos vitent Commentarios & integras Homilias ac Postillas cane pejus & angue; ne potius assuescant aliena describere & recitare, quam ex propria penu promere ac disponere quæ dicenda fuerint.

LIX. Id etiam genus Amplificationis caveant, quod est potius verborum quam rerum, foliorum quam fructuum. Quare tantum abest ut debeant synonyma varia cumulare, aut verborum copiæ impensiùs studere, ut è contrario nihil eos magis curare conveniat, quam sibi formare stylum masculum, elegantem, gravem, nitidum, nervosum, & ab omni hyperbato, Obscuritate, dicterio humiliori ex triviis desumpto, viliori proverbio ad risum ciendum accommodo, ac operosâ superfluitate defœcatum.

LX. Stylum verò sibi idoneum formabunt, non solum exercitio, ac eorum imitatione qui hac Sacrâ eloquentiâ pollent, sed etiam lectione assiduâ, tum Sacræ Scripturæ potissimùm, tum insuper eorum Authorum qui de rebus vel Moralibus vel Theologicis, oratione vel adstrictâ vel solutâ, ordinatiùs & elegantiùs in ea lingua quâ sunt concionaturi scripserunt.

LXI Præterea Studiosis apprimè commendaverim ex Theologis quorum lectione veram eloquentiam sibi comparare queant, Institutionem Calvini & Locos communes Martyris.

LXII. Si ad Veteres velint amandari, ex Latinis Lactantius & Ambrosius, ex Græcis Chrysostomus, erunt instar omnium: & nemo est Vete-

rum meo judicio, qui tam potenter ac Chrysostomus Lectori suo sensim instillet usum Rhetoricæ Ecclesiasticæ.

LXIII. Nostri quoque Tyrones, quas audiunt aliorum Conciones, ad has regulas exigant, & earum apud se analysim instituant, quo non meliores tantum sed etiam doctiores ex Templo redeant, & faciliùs optimæ Methodo assuescere possint.

LXIV. Imò multum illis prodesset Collegia quædam repetitoria habere, in quibus per vices auditas optimorum Ecclesiastarum Conciones diebus Dominicis concionatorio more Præside aliquo Professore repeterent syntheticè, ad stylum sibi formandum elegantiorem, & postea analyticè in omnes suas partes resolverent.

LXV. Præter Exegeses textus Sacri, habentur quoque Conciones Catecheticæ, in quibus paullò aliter est procedendum. Neque enim singulæ voculæ Catechismi scrupulosè sunt expendendæ, ut fit in Dei Verbo explicando, sed integræ tantum sententiæ.

LXVI. Tum in Catechismis, Polemica & Dogmatica magis tractantur quam Moralia: & plus illic Explicationi doctrinæ, quam Applicationi studetur; Quanquam neque hæc sit planè negligenda.

LXVII. Cœtera Usus ipse docebit, qui solus facit artifices: Ad Naturam enim debet accedere Institutio; ad hanc Exercitatio; Cui velim nostros tyrones sese dedere, quam primum aliquid in Theologicis delibarunt: Nam fabricando fabri fimus.

LXVIII. Qui juniores incipiunt, plus proficiunt in hac arte dicendi, quam illi qui nonnisi amplâ jam supplectile rerum Theologicarum comparatâ ad eam se accingunt: Hos enim sæpè copia facit inopes; & dum judicium potissimum exercuêre studiis Theoreticis, passi sunt æruginem ac situm contrahere imaginativam suam, cujus in adornandis Concionibus præcipuæ sunt partes.

LXIX. Pronunciatione & Actione ipsa, non multa sunt præmonenda. In ea vis & robur Orationis videtur consistere. Sic autem est moderanda, ut in voce duo vitentur, nempe monotonia, & nimia aut nimis repentina ejus alteratio.

LXX. Gestus quoque tragici aut mimici sunt præcavendi; Quare & Vox & Gestus, Capitis, Manuum, totius Corporis, ita debent ad Sanctam Gravitatem attemperari, ut etiam citra affectationem scrupulosam accommodentur prudenter ad ea quæ dicuntur, quo subjectæ materiæ semper conveniant, illique sint pro vehiculo, cujus ope citiùs & efficaciùs Auditorum mentes subeat.

CATA-

CATALOGUS LOCORUM PRÆCIPUORUM
NOVI TESTAMENTI,

De quorum sensu & usu in controversiis de Religione Capitibus, inter Ecclesiæ Reformatæ Theologos & eorum Adversarios multiplices, præcipualis est.

Editus olim Londini anno 1622. *ad calcem Novi Testamenti Græci, nunc commodioris paullo ordine recusus & hac editione plurimum auctus, in usum Collegiorum Examinatoriorum.*

Litera P. Pontificios notat, S. Socinianos, A. Anabaptistas, L. Lutheranos, R. Remonstrantes & eorum asseclas.

EX MATTHÆO.

CAP.	VERS.	ADVERS.
I,	1. 20.	A.
	21.	P.L.R.S.
II.	1, 2. 11.	S.
III.	11. 12.	P.
IV,	10.	P. S.
V,	3. 10. 14. 15.	P.
	21. 22.	P. S.
	31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.	S. A.
	46.	P.
VI,	25. 26.	P.
VII,	13. 14.	P. A.
VIII,	17.	S.
IX,	2. 3. 28.	P.
X.	15.	S.
XI,	12. 13-14.	P. A.
	21.	P. L. R.
	25. 26. 27.	P.S.R.
	28.	P R. L.
XII,	32. 40.	P.
	49.	P. A.
XIII,	47. 48. 49.	P.
XIV,	4.	P.
XVI,	16. 17. 18. 19. 24. 27.	P.
XV,	3. 4. 5. 6. 9.	P.
XVII,	5.	A. S.
	12.	P.
XVIII,	17. 18. 20.	P. L.
	27. 31. 32.	P. S.
XIX,	7. 8. 9.	A. P.
	12.	P.
	14.	A.
	17.	A. S. P. R.
	21. 22. 23.	P.
XX,	1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.	P.
	23.	S.
	28.	P. L. R.
XXI,	32.	S.
	43.	P.
XXII,	42, 43.	A. S.
XXIII,	2 3.	P.
	37.	P. S. R. L.
XXIV.	14.	P.
XXV,	29.	P. R.
	35.	P.
		XXVI,
XXVI,	11.	L.
	26. 27. 28. 29.	P. S. L.
	34.	P.
	36. 37.	P.
	70. 72. 74.	P.
XXVII,	46.	P.
XXVIII,	6. 18.	L.

Cap.	Vers.	Advers.
	19.	A. S.
	20.	L.

Ex MARCO.

Cap.	Vers.	Advers.
I,	4. 8.	P.S.A.
II,	8. 9.	P.
III,	28. 29.	P.
V,	39.	A.
VI,	5. 11.	S.
VII,	20.	P.
VIII,	11, 33.	P.
IX,	23.	P.
X,	11.	P.
XI,	17	P.
XII,	17.	P.
	26. 27.	S.
XIII,	32.	P. S.
XIV,	12.	P.
	22. 23. 24.	P. L.
	68. 70. 72.	P.
XVI,	12.	L. S.
	15. 16.	P.L.R.A.
	17. 20.	P. L.

Ex LUCA.

Cap.	Vers.	Advers.
I,	6.	P.
	15.	P. S.
	33.	S.
	34.	P.
	35.	S. A.
	42. 43.	A.
II,	14.	S. P.
	21.	A.
	40.	P. L.
	52.	P. L.
III,	23.	A.
	38.	S.
IV,	30.	L.
V,	34. 35.	P.
VI,	38.	P.
VII,	7. 8. 9,	P.
	42.	P. S.
	43. 47. 48.	P.
VIII,	3.	P.
	11.	A.
	13.	P. L. R.
IX,	48. 60.	P.
X,	1. 4. 20 30. 31. 33. 34. 35.	P.
XI,	27. 28.	P.
XII,	10. 33. 42.	P.
XIII,	3.	P.

Cap.	Vers.	Advers.
XIV,	23.	P. L. R.
XVI,	22. 23.	S.
	26 29. 31.	P.
XVII,	10. 19.	P. S.
XVIII,	13. 14. 22.	P.
XIX,	9.	A.
	10.	P. L. R.
XX,	13. 35. 36. 41. 42.	S.
XXI,	19.	P.
XXII,	17. 18. 19. 20.	P. L.
	32. 57. 58. 60.	P.
XXIII,	34.	P. L. R.
	43.	P. S.
XXIV,	19.	S.
	27. 30.	P.
	31. 38. 39.	P. L.
	45.	P.
	49.	S.
	51.	L.

Ex JOHANNE.

Cap.	Vers.	Advers.
I,	1. 2. 3.	S.
	12.	P.
	14.	S.
II,	19.	S.
	23. 24.	L. R.
	25.	S.
III,	5.	P. L.
	13.	S. A. L.
	16. 18.	P. L. R. S.
	34.	P. L.
IV,	23.	P.
V,	18. 19.	S.
	27.	L.
	30.	S.
	36.	S. L.
	43.	P.
VI,	29.	P.
	33.	A. S.
	31. 32. 33. 34. 35.	P.
	37. 39.	P. L. R.
	50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63.	P. L.
VII,	17. 39.	S.
VIII,	7. 11. 23.	A.
	32.	A.
	58.	S.
	59.	L.
IX,	35, 38.	S.
X,	11, 15.	S. P. L. R.
	30. 35 36.	S.

Cap.	Vers.	Advers.
XI,	15.	L.
	24.	S.
	51. 52.	P.L.R.
XII,	8.	L.
	32.	P.L.R.
XIII,	14.	P.
	37.	S.
XIV,	1.	S.
	6.	P.
	23.	P.
	26.	S.
XV,	2.	P.L.R.
	13.	P.S.A.
XVI,	12.	P.
	13. 14. 15.	S.
	28.	L.
XVII,	1.	S.L.
	2.	L.
	3.	S.
	5.	L.S.
	9. 11.	P.L.R.
XVIII,	17. 15. 27. 36.	P.
XIX.	33. 36.	P.S.
XX.	17.	S.
	19.	L.P.
	21. 22. 23.	P.
	26.	L.P.
	28.	S.
	31.	P.
XXI,	15. 16. 17. 25.	P.

Ex ACTIS.

Cap.	Vers.	Advers.
I,	3.	P.S.
II,	22.	S.
	27.	P.
	30.	A.
	36.	S.
	38.	P.L.
	46.	P.
III,	21.	L.P.
IV,	32. 34.	P.A.
V,	3.	S.
	4.	P.S.
VI,	1. 3. 3.	P.
VII.	30. 32. 35.	S.
	51.	P.L.R.
	59. 60.	S.
VIII.	13. 85. 20. 21. 31. 37. 38.	P.
IX,	17. 18.	P.
X.	15. 47.	P.
XI,	18.	P.
XII,	15.	P.
XIII,	2.	P.
	18.	P.S.L.R.
	32. 33.	S.
	38. 39.	P.
	48.	P.L.R.
XIV,	15. 16.	P.L.R.
XV.	7. 9. 18. 28.	P.
XVI,	14.	P.R.
XVII,	11.	P.
	31.	S.
	39.	L.R.
XVIII,	10.	P.L.R.
	24. 28.	P.
XIX,	4. 5. 6.	P.A.
XX,	7.	P.
XXII,	16.	P.L.
XXIII,	11.	P.L.
XXIV,	15.	S.
XXV,	11.	P.
XXVI,	15.	S.
XXVIII,	25.	S.

Ex Epiſtola ad ROM.

Cap.	Vers.	Advers.
I,	3.	A.
	4. 19. 20.	S.
II,	2.	S.P.
	5. 6. 13. 14. 15.	P.S.
III,	3.	P.L.
	8.	P.
	20. 21. 22. 23.	P.
	24. 25. 26.	S.
	27. 28.	P.S.
IV,	2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13.	P.
	18. 19. 20. 21. 23. 24.	P.
	25.	S.
V,	5.	P.
	6. 7. 8. 10.	S.
	12. 18. 19.	P.S.L.R.
	21.	R.S.
VI,	3. 12. 13.	P.
	23.	P.S.
VII,	3.	P.
	7.	P.S.
	14. 15.	R.S.
VIII,	1.	P.S.
	3.	P.S.
	4.	P.
	14. 15.	R.S.
	15. 16. 28.	P.S.L.R.

CAP.	VERS.	ADVERS.
	32.	S.
IX,	5.	A. S.
	11. 12. 13. 16.	P.S.L.R.
	20. 21. 22. 23.	P.S.L.R.
X,	4.	S. A.
	5. 6. 7. 1.	P.
	10.	P.L.R.
	15. 17.	P. A.
XI,	2. 3. 4.	P.
	6.	P. S.
	17. 20. 21. 22. 23. 32.	P.L.R.
XII,	1.	P.
XIII,	1. 8.	P.
	4.	S. A
XIV,	2. 3. 5. 6.	P.
	15.	L.R.
	17.	P.
XV.	4.	P.
	12.	A.
XVI,	25. 26.	S.

Ex priori CORINTH.

I,	13. 17. 30.	S.
II,	6.	P.
	10.	S.
	12.	P.
	14.	P. S. R.
III,	6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16.	P. S.
IV,	1.	P.
V,	7. 9 11.	P.
VI,	1.	A. S.
	7.	A. S.
	11.	P. S.
	13. 14. 20.	S.
VII,	2. 7. 9.	P.
	10. 11' 15.	P. A.
	19.	P. L.
VIII,	4. 5. 6.	S.
	11.	P.L.R.
IX,	5.	P.
	27.	P.L.R.
X,	2.	S.
	34.	S. P. L.
	16. 17.	P. L.
XI,	2.	P.
	20. 22. 23.	P.
	24. 25. 26. 27. 29.	P. L.
	34.	P.
XII,	4. 5. 6.	S.
	13. 21.	P.
XIII,	1. 2. 3.	P.
XIV,	6. 9. 11. 12. 16. 19. 22. 34.	P.

CAP.	VERS.	ADVERS.
XV,	9. 10.	P.
	22.	L.R.P.
	41. 42. 43. 44. 45.	S.
	47.	S. A.
	50.	S.
XVI,	2.	P.

Ex Poster. ad CORINTH.

I,	21. 22.	P.
II,	10.	P.
III.	14. 15. 16. 1718.	P. S.
IV,	3.	P.
	17.	P.
V,	1.	P.
	1. 18. 19. 20. 21.	S.L.R.
VI,	14.	P.
VII,	10. 11.	P.
IX,	10.	P.
X,	4.	A.
XI,	5.	P.
XII,	11.	P.
XIII,	5.	P.
	13.	S.

Ex Epist. ad GALATAS.

I,	4.	S.
	13. 14. 22.	P.
II,	8. 9.	P.
	16.	P. S.
III,	10. 12.	P.
	13. 19. 20. 21.	S. P.
	27.	P. L.
	29.	S.
IV.	4. 5.	S. A.
	9.	P. L. R.
	22. 23. 24.	P. S. A.
V,	1. 4.	P.L.R.
VI,	2. 7. 14. 17.	P.

Ex Epist. ad EPHESIOS.

I,	4. 5.	P.L.R.S.
	6. 7.	S.
	14. 18.	S.
	17. 18. 19. 20.	S.
II,	8. 9. 10.	P. S.
III,	9. 10.	P.
IV,	5. 6.	S.
	9.	P. A. S.
	9. 10.	L. A.
	11.	P.
V,	2	S.
	3. 4. 17, 18. 23. 26. 27. 32.	P.

VI,

Cap.	Vers.	Advers.
VI,	17.	P.
	Ex Epist. ad PHILIPP.	
I,	23.	P. S.
II,	3.	P.
	6. 7. 8. 9.	S.
	10.	P. S.
	12. 13.	P. L. R.
III,	9.	P.
	15. 19.	L.
IV,	13.	P.
	Ex Epist. ad COLOSS.	
I,	15. 16.	S.
	18.	P.
	19. 20. 21.	S.
	24.	P. S.
II,	9.	L. S.
	17.	P. L.
	19. 20. 21. 22. 23.	P.
III,	3.	P. L.
	16.	P.
IV,	16.	P.
	Ex priori ad THESSAL.	
I,	4.	P.
II,	9.	A.
	13.	P.
III,	8. 13.	P.
IV,	13.	P.
V,	10.	S.
	20. 21.	P.
	Ex post. ad THESSAL.	
I,	5.	P.
	6.	S.
II,	3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.	P.
	13.	L. R.
	15.	P.
III,	2.	S. L. R.
	6.	S.
	8.	A.
	Ex prima ad TIMOTH.	
I,	5.	P.
	17.	S.
	19.	P. L. R.
II,	4.	P. L. R.
	5.	P.
	5. 6.	S. P. R. L.
III,	2. 4. 11. 15.	P.
	16.	S.
IV,	1. 2. 3. 4.	P.
	10.	P. L. R.
V,	9. 11. 17. 21. 22.	P.
VI,	15. 16.	S.
	20.	P.
	Ex secunda ad TIMOTH.	
I,	6.	P.
	9.	S. P.
	13.	P.
II,	2. 4.	P.
	7.	A.
	19. 20. 21.	P.
III,	6.	P.
	15. 16. 17.	P.
IV,	7. 8.	P.
	Ex Epist. ad TITUM.	
I,	5. 6. 7. 15.	P.
II,	13. 14.	S.
III,	5.	P. L.
	6. 7.	P.
	Ex Epist. ad HEBRÆOS.	
I,	2. 3. 5. 6. 8.	S.
	9.	S. L.
	10. 11.	S.
II,	9. 10. 11.	S. L. P. R.
	14. 16. 17.	P. S. A.
III,	3. 4. 5. 6.	S.
IV,	11.	P. L. R.
	16.	P.
V,	4. 7.	P.
	9.	S.
	1.	P.
VI,	4. 5. 6.	P. L. R.
	10. 18. 19.	P.
VII,	3. 19. 24. 26. 27.	S.
VIII,	4.	S.
IX,	7.	S.
	8.	P.
	9.	P. L.
	12. 14. 15.	S.
	22. 25. 26. 27. 28.	P.
X,	1. 4.	P. L.
	5.	S.
	14. 22. 23.	P.
	26. 29.	P. L. R.
XI,	1.	P.
	6.	P. S.

Cap.	Vers.	Ad vers.
	10.13.26.	S.
	39.40.	P.
XII.	23.	P.
XIII,	4.	P.
	8.	S.
	10.17.	P.

Ex Epist. JACOBI.

I,	6.13.14.15.	P.
II,	17.18.19.20.21. 22.23.24.25.26. }	P.
V,	14.15.16.	P.

Ex prima PETRI.

I,	5.9.	P.
	10.11.	S.
	23.	A.
	24.	S.
II,	4.5.13.	P.
	21.24	S.
III,	18.	S.
	19.20.21.	P.
IV,	8.18.	P.
V,	1.2.3.13.	P.

Ex secunda PETRI.

I,	14.15.	P.
II,	1.3.18.19.20.	P.L.R.
III,	8.	S.
	9.	S.P.L.R.
	16.	P.

Ex prima JOHANNIS.

I,	1.	S.
	7.	P.S.
II,	1.3.	P.S.L.R.
	18.19.20.22.27.	P.
III,	9.	P.
	16.	S.
IV,	1.	P.
	9.	P.L.R.
	12.	S.P.

Cap.	Vers.	Ad vers.
V,	4.	P.
	6.	P.
	7.20.	S.
	21.	P.

Ex secunda Epist. JOH.

Com.	12.	P.

Ex tertia JOHANNIS.

Com.	13.	P.

Ex Epistola JUDÆ.

Com.	4.	P.S.
	9.	P.
	25.	S.

Ex APOCALYPSI.

I,	4.	P.S.
	5.8.11.	S.
	13.	P.
	13.	L.
II,	1.	L.
	17.	P.
III,	20.	P.L.R.
V,	1.	P.
	5.	A.
	8.	P.
	12.13.	S.
VI,	10.11.	S.
VIII,	3.	P.
	12.	P.
IX,	2.	P.
X,	2.3.8.	P.
XII,	1.2.6.14.	P.
XIII,	3.5.7.8.10.	P.
XIV,	*Per totum*	P.
XV,	3.	S.
XVII,	3.4.5.	P.
XVIII,	7.	P.
XIX,	10.	P.
	17.	S.
XX,	12.13.14.15.	S.P.
XXI,	14.	P.
XXII,	9.12.18.19.	P.

Haud diffitemur, *Amice Lector*, accuratiorem & meliori cum judicio hunc Indicem confici potuisse, & si quos in illo defectus observaveris, eos debebis compilatori Anglo imputare; quanquam nonnullos auferre studuimus, maximè hac editione, quæ multo accuratior & auctior prodit. Saltem arbitrati sumus eum tantisper nostro consilio suffecturum, ut qualemcunque nobis exhibeat Catalogum locorum N. T. hodie controversorum, cui in Examinatoriis Collegiis, etiam illi rei destinatis, insistamus; & ex quo Studiosa Juventus meliùs assuescat textui sacro, ac certiùs intelligat de quibus sit examinanda, sicque ad Collegia sua veniat paratior. Fruere & Vale.

ORA,

ORATIO INAUGURALIS;
De
USU ET ABUSU
Rationis in rebus Theologicis & Fidei;

Habita ab Authore in frequentiſſima Reip. Procerum Virorumque ac Iuvenum Eruditorum Panegyri, cùm S.S. Theologiæ Profeſſionem in Illuſtri Groningæ & Omlandiæ Academia, publicè rituque ſolemni cupeſſeret.

Ad d. XIII. Kal. Febr. CIƆ IƆC XLIII.

Auxilium noſtrum ſit in nomine Domini qui fecit Cœlum & Terram.

Adeſto, Bone Deus, Clementiſſime Pater, præſenti ope Spiritus tui Sancti, qui mentem illuſtret, os aperiat, linguam dirigat, meque deducat in omnem Veritatem, ut quæ dicturus ſum de Rationis uſu in rebus Fidei, rectæ Rationi & analogiæ Fidei per omnia concordent, ad Nominis tui Gloriam, per & propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, AMEN.

Magnifice Domine Rector; Nobiliſſimi Ampliſſimique Curatores, cæterique Reipubl. Proceres; Clariſſimi Profeſſores; Reverendi ac Vigilantiſſimi Paſtores; & quotquot adeſtis, Generoſi, Nobiles, Cives, Hoſpites, Ornatiſſimi Auditores.

SOlemne fere eſt omnibus Profeſſionem Theologiæ aggreſſuris, ab ejus laudibus & encomiis auſpicari: quo in argumento ampla illis ſuppetit dicendi materia, ſive nobiliſſimæ Diſciplinæ objectum ac uſus attendantur, ſive ea cum aliis ad Symbioſim duntaxat aut rerum Phyſicarum ſtudium ſpectantibus conferatur: Hæc enim eſt Summa illa *S*apientia, cujus domus & epulum deſcribuntur Salomoni in Proverbiis, cui virtutes omnes Intellectuales & Morales debent ancillari. Nec quicquam de illius decedit pretio, quod hodie ſit rarior numerus eorum qui illam ſeriò amplectantur, dum plerique de loculis vel poculis ſunt magis ſolliciti, quam de *S*cripturis θεοπνεύστοις, quibus homo Dei *S*apiens ſit ad ſalutem, & ad omne bonum opus inſtruitur: Adyti enim in Templo Hieroſolymitano Sanctimonia, vel inde conſtabat, quod illud ſubire uni tantum ſummo Sacerdoti liceret. Per hunc tamen campum, hodie Profeſſionem Theologicam in inclyta hac Academia (quod illi mihique fœlix ac fauſtum ſiet) auſpicanti, decurrere non lubet: Nam ut *S*partanus ille ad laudes Herculis audiendas invitatus, reſpondebat, *Ecquis eum vituperat*; ita forte dicturo de laudibus Theologiæ, regereret aliquis, neminem eſſe qui illam vituperet. Tum ipſius rei magnitudine meritò deterreor: Ut enim non cuivis olim conceſſum pingere Alexandrum, aut illius vultus ex luto vel marmore fingere, ita non facile eſt Theologiæ faciem idoneis coloribus exprimere, ſicque de illa dicere ut ejus pretium non deteratur, vel illius ſplendor tarditate dicentis non obſoleſcat. Non eſt ad manum purpura quâ hanc Scientiarum Reginam ſatis pro illius dignitate amiciam, malimque de ejus Majeſtate tacere, quam Solem atro lapillo deſcribere. Ut olim *Præconi Lingua* juxta adagium

adagium destinabatur, ita præconi futuro laudum Theologiæ, opus esset linguâ unâ ex illis quæ cœlitùs Apostolos die Pentecostes delapsæ leguntur. Quin rem insito lumine conspicuam & coruscantem, velle verbis illustrare, quid aliud esset quam digitum in Solem intendere?

Hoc igitur stadio aliis relicto, aliud mihi deligam argumentum, huic loco & actioni vestræque de me expectationi, meo quidem judicio, æquè benè respondens, atque quâ potero industriâ & perspicuitate, de *recto Rationis Humanæ usu in rebus Theologicis & Fidei* disseram. Qua in Diatriba non est quod à me expectetis verborum conquisita pigmenta & phaleras Oratorum: Has saniores ad popellum jamdiu relegarunt: Nobis satis est intelligi. Jezabelis rugosa facies incrustetur minio, & sub mille pyxibus abdita lateat; Veritatem, ut matronam honestam, Simplicitas decet; & innata illius pulchritudo Grammaticorum flosculis ac coloribus potius dehonestaretur quam commendaretur. Quod si paullò prolixior in hac mea Oratione fuero, id pro vestra æquitate condonabitis facilè & Quæstionis ipsius difficultati, & Actionis hujusce celebritati: Nec enim quotidie inaugurantur Professores Theologiæ & Linguæ Sanctæ, neque optandum ut fiat sæpiùs; & sicut Sole hujusce Academiæ geminos sibi Professores adsciscente, diffusioris paululum Sermonis ad vos facultas nobis fieri videtur.

Rationis humanæ nomine, ut id explicem, hîc intelligo, quicquid superest luminis naturalis in homine post lapsum, & residua illa Imaginis quondam divinæ in illius mente rudera, ex quibus jacturæ nostræ magnitudinem intelligimus, ut Priami & Phrygum clades ex Trojæ ruinis percipiebatur: Homo enim non immeritò definitur Philosophis Animal rationale; nec aliâ nobiliori notâ à cæteris animantibus quam ratiocinationis usu, certo animæ immortalis indicio, distinguitur. Et qui bruta etiam ratione uti affirmarunt per contradictionem in adjecto, quod voluit inter alios Plutarchus expresso ea de re libello, ut hominem cum Nebucadnetzare ad belluas & fœnum relegarent, mihi videntur cum ratione insanire voluisse & ratiocinandi facultatem, quæ soli homini competit, perperam confudisse cum bestiarum instinctu ad unum fermè cœlitùs determinato; ex quo Arabes hoc axioma jure collegerunt, *Opus naturæ, opus intelligentiæ*. Ut obtusus ille sensus qui inest plantis, quæ solum naturæ suæ conveniens aut repugnans, amicæ item vel immicæ plantæ viciniam, sentire videntur, quo etiam pertinet arboris pudicæ decantatum exemplum, cæteraque his similia quæ sollicitè corrasit Thomas Campanella in opere suo *de sensu rerum*; non gradu tantum sed specie etiam differt ab eo, qui in animalibus observatur; ita si quæ est scintilla facultatis intelligentis in bestiis, quam Thomas Æstimativam esse statuit, alii sensilem rationem vocant, adeo ut sæpè minus appareat discriminis inter homines aliquos & quasdam bestias, quam inter homines duos, (nam homo homine quid præstat?) tamen illa non solum inferioris est gradus, sed alterius planè generis ab humana ratione. Indicio est quod nullæ sint bestiæ quæ hominibus in rem suam uti queant, sicut homines per rationem imperium exercent in belluas. Nonnullarum quoque artium subobscura in quibusdam bestiis deprehenduntur vestigia; sed singularum tantum in singulis speciebus; solæ araneæ fila nent & telas texunt; solæ hirundines in opere fornicato nidulantur; solæ ciconiæ injecto enemate purgant alvum. Sed omnium artium capax est ratio humana, etiam plurimarum, quarum nec vola nec umbra apparet in bestiis; cujusmodi speciatim sunt pyrotechnicæ, sive quæ per ignem exercentur; ut ideo finxerint Poëtæ ignem suum è cœlo in terram Prometheum detulisse.

Cùm ergo quæritur ecquis sit rectus usus Rationis Humanæ in Theologia, de illa ratione disputatur, quam alii Logicam naturalem dixêre, quâ πάντες καὶ οἱ ἰδιῶται τρόπον τινὰ χρῶνται τῇ διαλεκτικῇ καὶ πειραστικῇ; & cujus lumen & acumen pro ratione temperamenti, indolis, exercitationis, culturæ & studii cujusque, vel majus vel minus est. In hac autem quæstione Veritas, prout Virtus omnis consistit in medio, medium iter arripit, angustum quidem illud sed tutum, quale Jonathanis inter Botsets & Sene cum suo armigero gradientis, & sedulò illud servat, *Ne quid nimis*. Etenim non uno modo hic peccatum fuisse & à Veteribus & à Recentioribus certissimum est.

Taceo Gentiles atque Ethnicos, qui dum lusciosæ suæ rationi plus æquo in Religione indulserunt, & ignem illum fatuum pro vero lumine sequuti sunt, in Syrtes & brevia omnium errorum & detestandæ Idolomaniæ inciderunt; Paulo *Rom.* 1. insinuante eos stultos factos fuisse eo ipso quod sibi bellè sapere viderentur. Mihi quippe decretum est agere potissimum de usu rationis in ea Theologia, cui tamen sua sunt immota atque certa Revelationis Divinæ principia.

Ita Patrum nonnulli λόγον quo utimur, confundunt cum λόγῳ οὐσιώδῃ καὶ ἐνυποστάτῳ, secunda scilicet persona Trinitatis, sive Christo, ut insinuent Philosophos λόγῳ, id est ratione, utentes, Christo ac Dei Verbo essentiali, in quo omnis salus,

non

non caruisse: Disertè enim Justinus *Apol* 1. asserit absque Christo Socratem non fuisse cùm λόγῳ uteretur; & *Apol*. 2. statuit Christum Dei primogenitum esse λόγον οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέχει; unde Christianos fuisse pertendit, licet Athei auditent, τοὺς μετὰ λόγου βιώσαντας; *quales*, inquit *fuere inter Græcos Heraclitus & Socrates, inter Barbaros Abraham, & Ananias, & Azariel, & Mizael, & Elias, & alii complures.* De hac quoque τοῦ λόγου participatione & illius gradibus, videatur Origenes *in Ioh. tom.* 2. Nec puduit Campanellam, Dominicanum audacem, idem τοῦ λόγου æterni participium in humana ratiocinatione collocare, *Atheismi triumph. cap.* 10. Hæc verò sententia potiùs pro ingenii lusu in voce λόγου, cujus tamen homonymiam sedulò vitandam optimè monet Basilius *hom. ad Ioh. init.* quam pro serio dogmate Veterum illorum est habenda: Ut enim anima humana perperam dicitur quibusdam *Divinæ auræ particula*, cùm Deus sit naturæ impartibilis ac simplicissimæ, neque per modum principii constituentis & essentialis, veniat in compositionem cum Creaturis; ita Ratio illa quâ præfulget mens hominis, neutiquam censeri potest, vel particula, vel radius λόγου illius, cujus meminit Johannes initio Euangelii sui, quem omnium Conditorem, & Dei, & apud Deum ab æterno, & ipsummet Deum fuisse, asserit. Plus est inter nostrum λόγον & illum discriminis, quam inter cicindelam & Solem.

Sed longè magis insaniunt hodierni Sociniani, qui ad Rationis suæ trutinam expendi volunt vel maxima Religionis Christianæ Mysteria, nullaque admitti patiuntur, quæ illius palato non benè sapiant: quo prætextu Sanctæ Trinitatis doctrinam, Incarnationem item & Satisfactionem Christi, & plurima alia, utut in Scripturis luculenter revelata, respuunt. In quo imitatores habent *Servum pecus*, ut ait Horatius, nostrates Remonstrantes, qui jamdiu cum Socini juvenca triturare assueverunt, atque Sarmaticis Photinianorum ulnis, vites Hispanicas Jesuitarum maritare: Nec enim alio utuntur fundamento in suo Pelagianismo incrustando & revocando. Id quidem minus mirum in hominibus, qui ut priores apertè, posteriores etiam ex parte, nativam hominis corruptionem & cœcitatem ex labe originali detrectant agnoscere; Sed etiam minus convenienter ad placitum aliud eorundem, quo statuunt nihil esse de fide nisi quod αὐτολεξεὶ extet in Scriptura; nec articulis ad Salutem necessariis quicquam annumerandum, quod per solas consequentias ex Scriptura eruitur: Siccine eos homines in utrumque latus claudicare, ut & primatum rationi suæ assignent in Religionis negotio, & consequentias tamen per rectam ratiocinationem ex Scriptura deductas rejiciant?

In vitium huic oppositum propendent Theologi plerique concitatiores, partium illarum inter Protestantes, quæ sibi à Luthero nomen fecerunt, qui ad incitas redacti circa Ubiquitatem & Consubstantiationem, illicò clamitant in rebus fidei non audiendam esse rationem; & passim insurgunt in illud Nostrorum axioma, Esse quidem Mysteria Religionis supra rationem, non tamen contra illam; uti videre est apud Stegmanum *Photin. disp.* 2. Gerhardum *in exeg. loci de Script. N.* 470. *& seq.* atque Brochmannum *loci de Script. cap.* 3. Pontificii verò qui Cæremoniarum suarum prolixa contexuêre Rationalia, qualia Guilelmi Durandi & Johannis Belethi circumferuntur, & Sacra colunt ad Prudentiæ carnis amussim exacta, & passim *congruentias*, sic enim loquuntur parum congruè, excogitant, quibus tanquam quæsitis coloribus vestiant propudiosissima sua Dogmata & à Scripturis remotissima; tamen longè acriùs quam isti bellum ἄσπονδον rectæ rationi indixisse videntur, dum nullum plebi Christianæ (quasi sola ei relinquatur obsequii cœci gloria) de rebus fidei permittunt judium; atque hanc *melius per ignorantiam quam per notitiam*, (sic loquitur Bellarminus tenebrio) definiri pertendunt; & plenis velis in rationem invehuntur, sicubi Transsubstantiationem, Concomitantiam, Purgatorium, similiàque portenta, ratione convelli sentiunt; ac nominatim his ultimis temporibus, Manichæorum, Arrianorum & Donatistarum veteri vitilitigatione ab orco revocatâ, nullis consequentiarum ex Scriptura locis, veri filii Belial, se constringi patiuntur; Quò spectat nova illa agendi contra nos Methodus à Jesuita Gontherio primum adhibita, à Veronio & Regurdio exculta, à cœteris Monachis usurpata, qui ideo tantum disputant ne disputent, & à nuperis etiam nonnullis Henoticis approbata; quâ putant se de nostris posse seriò triumphare, si petant expressa loca Scripturæ quæ dicant Pontificem Romanum esse Antichristum, Missam non esse Sacrificium propitiatorium incruentum pro vivis & mortuis, Panem non transsubstantiari in corpus Christi, non esse communicandum sub alterutra tantum specie, non dari ignem Purgatorium post hanc vitam, & similia. Si enim per consequentias ex Scripturis velis agere, vel κατασκευαςικῶς, vel ἀνασκευαςικῶς, statim audies se expressam petere Scripturam, non consequen-

quentias artificio Logico deductas; Fidei enim dogmata non rationis discursui, sed revelationis certitudini, inniti; Dixerit licet Hieronymus *ad cap. 1. epist. ad Gal. non in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu; non in superficie sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis*. Parum absunt hi versipelles Jesuitæ à vafritie Mahumetis, qui omnem prorsus in Religione disputationem prohibuit, nec passus est suas nænias ad ullum examen revocari.

Inter has verò Planetarum declinationes dextras & sinistras, Australes & Boreales, quænam erit linea Eccliptica pro Sole Veritatis? Eam paucis, sed certis, positionibus circumscribam, deinde varios usus rectæ Rationis in Theologia indicabo.

Primò igitur certum est Theologiam sacram ex Verbo & Oraculis Dei, non ex lumine Naturæ aut Rationis dictamine, esse depromendam; Dei enim gloriam enarrant Cœli, ut habetur *Psalm* 19. at non explicant illius voluntatem. Et sicut Sol non nisi proprio lumine videri potest, ita Revelatione divinâ egent mortales, ut Deum & res Dei percipiant; *In lumine tuo videbimus lumen*, inquit David *Psal.* 36. Hinc Fides non immeritò Scientiæ à Scholasticis opponitur; cùm hæc sit habitus evidens ex lumine rationis, illa habitus inevidens, solius Dei dicentis authoritate nixus: *Si vides*, inquit Augustinus, *non est fides*; hæc enim est *ex auditu, auditus verò verbi Dei*, ut habet Gentium Apostolus *Rom.* 10. Ejus Mysteria, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ascenderunt in cor hominis.

Deinde qualem prærogativam habet oculus mentis, sive ratio, supra oculum corporis, eadem debetur oculo fidei supra oculum rationis. Ratio sæpè corrigit sensum, nec illius errori obsequitur; Ita mens rectum & integrum esse novit remum, qui oculo corporis in aqua fractus apparet, imò & erroris illius causam in sensu, ex Optica intelligit: Sic fides corrigit rationem nec illius aberrationi adstipulatur; v. g. Virgineum suscipit partum & omnium creationem ex nihilo; etsi ratio primo obtutu dictitet, non posse virginem esse matrem, & ex nihilo nihil fieri. Ratio item longè plura percipit quam sensus; Ita Sol qui Rustico minor creditur rotâ currus sui, quoniam solo corporis oculo eum intuetur, 154. orbe terrarum major ab Astronomo intelligitur & demonstratur. Mens similiter longè plura videt in Divinis per fidem illustrata, quam ex subobscura & fumigante luce rationis; ut benè dixerit Apostolus 1 *Cor.* 2. hominem ψυχικὸν, animalem, non percipere ea quæ sunt Dei, prout sanè nec homo αἰσθητὸς, quique solo sensu ducitur, percipit ea quæ sunt Cœli: ut hæc hominis sunt ψυχικȣ̃, sic illa πνευματικȣ̃ esse debent.

Id quoque est certissimum, prærogativam Dei totum hominem complecti, nec minus ad rationem quam ad voluntatem humanam extendi, ut homo in universum se abneget & accedat Deo. Quare sicut Legi Divinæ obedire tenemur, licet reluctetur Voluntas, ita Verbo Dei credere decet, licet reclamet Ratio. Igitur quanto Revelatio sublimior fuerit & à Rationis captu remotior, tanto sit nobilior victoria fidei, de qua *Joh.* 5. & dignior Deo dicenti honor exhibetur. Ut enim per peccatum facultas Appetens, à Bono in commutabili ad mutabile & apparens, quodam sui pondere retrahitur, ita & Cognoscens per ejusdem labis nebulas facile à supernaturali Vero ad naturale & sensile relabitur. Ac sicut illi quibus oculi lippiunt, intensius Solis lumen ferre nequeunt, sed subobscurum duntaxat & suo morbo contemperatum, ita Ratio hominis morbida & corrupta, connivere solet ad Revelationis facem, & cœlesti illo lumine magis offenditur quam recreatur. Hæc Sara irrisui plerumque rem eam habet, cujus fides Abrahamo imputatur ad justitiam. Quare Scriptura non rarò nos ad nostri abnegationem invitat, & Rationem Christo docenti captivandam esse statuit. Credendum est Dei Verbo, non contra illud disputandum: Sunto spiramina ventorum ora absque auribus, homines coram Deo debent esse aures absque oribus; prompti ad audiendum, inquit Jacobus, tardi ad loquendum; similes in Mysteriorum Divinorum Templo, statuis illis Harpocratis & Angeronæ, quæ in Ethnicorum delubris visebantur, digito compescentes labellum: Caro & Sanguis in fidei consilium admitti non debent.

Absit ergo à nobis ut Revelationem subjiciamus Rationi, & Sacrarium Dei ex hac fragili arundine & inepta decempeda dimetiamur; cùm Revelationis sit Rationem & corrigere & dirigere ac quodammodo erigere supra sphæram activitatis suæ nativæ; prout oculus infirmus conspiciliorum ope supra potentiæ vel impotentiæ potiùs suæ naturalis metam attollitur. Esto Revelatio coticula Rationis, illi exacuendæ destinata: Sed absit à Christiano imitatio Accii Nævii Auguris, qui novaculâ cotem mediam diffecuit, cùm novaculam ad cotem exacuere debuisset. Retineatur Agar Ægyptia quamdiu Heræ suæ absque querelis subjicitur; si illam verò contemnere & cum ea rixari aggrediatur, ejiciatur domo. Et quemadmodum in circulo describendo, circini pes alter debet esse firmus & fixus, dum alter in orbem circumducitur, ita in rebus Theologicis sic Ratio circumducatur, ut circini pes alter, Revelatio scilicet, immotus;

tus ac firmus remaneat. Itaque rapientibus Revelationis Mysteria ad Rationis suæ tribunal, meritò dixerim id quod habet Augustinus *libr. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 6. Non afferamus hic stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, Hoc grave, Hoc leve est; Sed afferamus Divinam stateram de Scripturis Sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in ea quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Ut in Zodiaco Virgo est Libræ proxima, ita Theologica Virgo semper in manu debet habere illam Cœli Libram, quam Libri cœlestes utriusque Testamenti exhibent & conficiunt.

Neque tamen ideò nullus rectæ Rationis usus in Theologia concedendus; Sed quemadmodum de Caligula dicebatur apud Suetonium, nullum unquam vel meliorem servum, vel pejorem Dominum extitisse; ita nihil nocentius humanâ Ratione, si imperium sibi sumat in Revelationes Divinas, nihil utilius si Dei Verbo subjiciatur & ancilletur. Luna tum nobis plena apparet cum Soli per Cœli diametrum opponitur; sed humana Ratio tunc plenum suum usum in Theologia consequitur, si composita, imò supposita, non opposita, Dei Verbo fuerit. Quin priusquam à Theologo cooptetur, ab insitis suis nævis & erroribus est repurganda, atque nativo suo nitori quoad fieri potest restituenda; prout Lege Veteri toto corpore lavari, resectis etiam unguibus & crinibus, debuit mulier captiva, priusquam à viro Israelita in contubernium assumeretur: Quò spectat illud Hieronymi *epist.* 84. *Quid mirum si Sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio, & si quid in ea mortuum Idololatriæ, erroris, voluptatis, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtus purissimo corpori, vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth?* Scilicet, juxta diverbium Thalmudicum, sic debes dactylos comedere, ut projicias foras duritiem eorum.

Nihil igitur possit humana Ratio contra Veritatem, sed pro illa: Hæcque illius, si contradicere aggrediatur, omnes refringat vires, ut adamas magnetis, vel sicut pluma aquilina cœteras consumit, & Mosis virga Magorum virgas devorasse legitur. Sed interim Revelatione præsuppositâ, suus usus isque multiplex Rationi est concedendus, quæ fasces suos illi submittat, ut in Josephi somnio ejus fasci cœteri omnes assurgebant. Neque enim est de nihilo quod *Rom.* 12. cultus noster λογικὴ λάτρεια appellatur: Sic enim opponitur cultui Judaico, in quo pecudet ratione carentes Deo mactabantur, ut etiam denotes cultum recte rationi consonum: nam & ita 1 *Pet.* 2. non ἄδολον tantum & sine fraude, sed etiam λογικὸν & rationale, dicitur laç illud salutiferum, quod Ecclesia recens genitis propinat, ex binis illis suis Uberibus, inter quæ Christus quiescit, Veteri scilicet & Novo Testamento. Imò Aaronis ornamentis, quibuscum Deo ministrare debebat, annumeratur Rationale, cui inserta erant Urim & Thummim, quo constaret non malè convenire rectæ Rationi cum Revelatione Divina.

Etenim in Mysteriis Fidei nobis proponendis, non dedignatur Deus se ad captum nostrum demittere, sic illa explicando, ut à nobis optimè pro modulo nostro percipi possint, (quo pertinet Orthodoxorum doctrina de Perspicuitate Scripturarum, atque Revelationes suas in Rationis nostræ syllepses & notiones veluti inoculando, easque ad intellectum nostrum aperiendum perinde accommodando, ut figura clavis figuræ seræ cui destinatur solet adaptari. Qua tamen in parte nobis deesse non debemus. Cùm enim Deus ipse operâ Rationis nostræ in suis Revelationibus quodammodo utatur, etiam nos eandem in omnes partes versare debemus, quo capaciores simus Mysteriorum recipiendorum & imbibendorum; Id enim eveniet, modò animus ad Mysteriorum amplitudinem, quantum in se est, dilatetur, ad instar eorum utrium, qui quo plus infundis plus capiunt; non Mysteria ad angustias animi constringantur: Sic tamen etiam ut circa τὸ διότι non nimis curiosè versemur in iis quorum τὸ ὅτι duntaxat nobis Deus revelare voluit: Nec enim temerè aut propiùs quam par est ad rubum ardentem licet accedere, nisi calceis exutis & cogitationibus terrenis atque merè humanis remotis. Malè cessit Bethschemitis quod in ipsam Dei Arcam introspicere aggressi essent. Monti suo limites circumposuit Deus, quos revellere aut transilire nemini conceditur. *Scrutator Majestatis*, inquit Salomon, *opprimetur à gloria.* Liceat Rationi *Quomodo* B. Virginis proponere, ut scilicet instituatur; nunquam tamen impunè *Quomodo* Saræ vel Zachariæ usurpabit, ut Dei Verbo per incredulitatem reluctetur.

Præterea etiam, ut ex Logicis constat sua esse Præcognita ad Demonstrationes & Scientias quaslibet prævia, quæ præsupponi par est; ita Revelatio Divina & supernaturalis, præsupponit in homine lumen naturæ & usum Rationis. Nec enim bestiis Dei Verbum destinatur, ut malè feriatus ille Franciscus Mendicantium Monachorum Pater, de quo Boskierus & ipse Franciscanus dixit, *Aut Diogenes Franciscisat, aut D. Franciscus Diogenisat*, dicitur concio-

natus fuiſſe ad piſces & hirundines; ſed hominibus ratione præditis. Exhibet Revelatio certas Religionis regulas; ſed ipſa Religioſitas, ſi fas ita loqui, tam arcto vinculo cum Ratione humana connectitur, ut Lactantius *lib. 3. cap. 9.* ſtatuat hominem definiendum *Animal rationale religioſum*, & jure dicat Tertullianus, *Præmiſit Deus Naturam, ſubmiſſurus & Prophetiam, quo faciliùs credas Prophetiæ diſcipulus Naturæ.* Illuxit Magis in Oriente ſtella index nati Chriſti, priuſquam Hieroſolymis amplius de hoc Myſterio ex Prophetarum Vaticiniis edocerentur. Quapropter ut lumen majus minori non eſt contrarium, licet hoc illud offuſcet & abſorbeat, ita ſtatui nequit lumen Rationis lumini Revelationis adverſari; quod & benè definitum, etſi cœtera non item, à Concilio Lateranenſi III. *ſeſſ.* 8. Sunt quidem Fidei Myſteria, uti jam ante monui, ſupra rationem, non tamen contra illam: Nec unquam fiet Theologicè falſum eſſe quod Philoſophicè verum fuerit, vel è contrario: Et ſi quæ contradictio videtur ſubeſſe inter axiomata quædam Theologica & Philoſophica, illa facile tollitur diſtinctione factâ inter ea quæ naturaliter conſtant & nota ſunt, ac ea quæ ſupernaturaliter fieri poſſunt & revelantur. E. g. Creatione mundi ex nihilo per abſolutam Dei potentiam quam Fides ſuſcipit, non evertitur axioma hoc in natura conſtituta veriſſimum & juxta curſum illius ordinarium certiſſimum, Ex nihilo nihil fieri: Quin ipſi Creationis doctrinæ lucem quodammodo commodat Phyſicus, Principiis naturalibus Privationem annumerando. Ut enim à non hoc Ente ad hoc Ens procedit natura in generatione, ita conditor Naturæ in creatione debuit procedere à non Ente ad Ens, & ſic omnia ex nihilo facere.

Porrò ut paullò diſtinctiùs indicem rectæ Rationis uſum in Theologia, eum ad quatuor capita revocabo: Illa enim vel Arguit, vel Infert, vel Confert vel Illuſtrat. Arguit Ratio in Theologicis, quoties ex ſuo quaſi cènſu & propria penu promit argumenta quibus vel propugnet dogmata Orthodoxa, vel Heterodoxa impugnet; prout ſummæ Veritati omnes aliæ debent ſubſervire. Marco Valerio Tribuno militum ad pugnam ſingularem procedenti, ferunt corvum propugnatorem adfuiſſe, unde & illi Corvini nomen, qui alis & unguibus hoſtis faciem & oculos impetens, facilem ei paravit victoriam; ita Theologo in Hæreticos inſurgenti, propugnatrix adeſt Rationis ales, quæ Adverſariorum oculos verberat, dum ipſe eorum latus ſacro Verbi Divini mucrone ſuffodit. Si Theologica diſputatio inſtituatur in eos qui ſupernaturalem Revelationem detrectant agnoſcere, non aliter convinci poterunt quam ex lumine Rationis. Quanquam enim Fidei Myſteria, ut pote inevidentia & captum naturalem Rationis ſuperantia, per Rationem nequeant demonſtrari, tamen oſtendi poteſt eorum credibilitas, ſive quod Revelatio in illis, nihil impoſſibile vel irrationale aut contradictorium, nihil lumini naturæ contrarium, ſtatuat. Eò ſpectant Summa Thomæ contra Gentes, Raymundi à Sabunde & Georgii Pacardi Theologia Naturalis, Hieronymi Savonarolæ Triumphus crucis, Veritas Chriſtiana Ludovici Vivis, Philippi Mornæi, Hugonis Grotii, hanc ita in compendium redigentis ut multa inſperſerit ex Socino; & qui non ita pridem editus eſt Atheiſmus triumphatus Campanellæ, de quo illud Homericum poſſim uſurpare,

φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά

Ipſe Ariſtoteles per varios in orbe motus devenit ad primum Motorem, nempe Deum, cujus exiſtentiam & proprietates tota hæc Mundi moles deprædicat. Animæ humanæ immortalitatem & quod *anima poſt animal non perit*, ut loquitur Macrobius, alterum Religionis columen, & Plato in *Phædone* aſſeruit, & multis ex ratione deſumptis argumentis probant Theologi; *Sunt aliquid Manes, Lethum non omnia finit.* Scripturarum quoque Sacrarum Divinam originem oſtendunt plurimæ rationes, ab earum Antiquitate, Simplicitate, Majeſtate, Vaticiniis, Conſenſu, Conſervatione, Efficacia & Authoritate deſumptæ, quæ nondum credenti pro motivis ad fidem eſſe poſſunt. Imò in iis in quibus jam agnoſcitur vel admittitur Revelatio, ut primaria argumenta deſumuntur ex Scripturis, ſive Veritas ſit adſtruenda, ſive oppoſitum Mendacium ſit diruendum, ita ſecundaria ad inſtar copiarum auxiliarium ex Ratione petuntur; Tum ut quoad nos revelata fortiùs adſtringantur; cùm ipſæ Scripturæ plenæ ſint ſimilitudinibus, parabolis, metaphoris, argumentis ex natura & ratione deſumptis, & nos quandoque ad naturam, ut 1 *Cor.* 11. quandoque etiam ad ſenſus externos ablegent, ut *Luc.* 24. Tum ut quæ pro revelatis falsò obtruduntur, cùm homines malè ſani putant ſe videre in Scripturis quæ nuſquam ſunt, & Oraculis Dei, ut pueri nolarum ſono, ea affingunt quæ cogitant, non ſolum ex Scriptura, ſed etiam ex ratione & natura rejiciantur. Ipſe Chriſtus Servator contra Sadducæos diſputans *Matth.* 22. duplicem adhibuit machinam in eodem argumento; unam quidem à Scriptura, quod Deus apud Moſem dicatur Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi; alteram ex ratione evidenti, quod Deus dici nequeat Deus mortuorum & eorum qui non ſunt, ſed viventium & eorum qui ſunt; nam de eo quod non eſt nihil poteſt prædi-

prædicari; ſubjecto negato tollitur adjunctum; non entis non eſt accidens. In ejuſmodi argumento cujus propoſitio altera eſt revelata & Fidei, altera naturaliter certa & Rationis, concluſionem eſſe de Fide, naſutiores è Scholaſticis agnoſcunt, ut nominatim Puteanus *in Thomam*, vel etiam quia concluſio ſequitur ſemper debiliorem partem; Philoſophicè enim loquendo debilior cenſetur propoſitio quæ nititur authoritate, quam ea quæ nititur ratione, quod à ſcientifica demonſtratione ſit remotior.

Nec ſolum principaliter & argumentativè, ſive per modum Principii, rectæ Rationis ſuus uſus in Theologia eſt concedendus, ſed & alium quoque obtinet Miniſterialem & Organicum, in conſequentiis nectendis & illationibus educendis, ad quas ſanè opus eſt lumine rationis, & ſenſibus illis exercitatis ad diſcretionem boni & mali, de quibus *Heb.* 5. Nam Theologiam eſſe argumentativam, benè ſtatuunt Scholaſtici ad 1 *Thomæ*, *q.* 1. *art.* 8. & vere dictum ab Auguſtinò *contra Maxim. libr.* 3. *cap.* 3. *Ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligimus.* Abſque ejuſmodi conſequentiis ex Scriptura deſumptis, quas qui ſublatas volunt hominem exuunt, & reluctantur exemplis Chriſti, Apoſtolorum, Patrum omnis ævi, vix ullum uſum haberet Scriptura vel Theoreticum vel Practicum. Non moror hic diſtinctionem Scholaſticorum quorundam inter Concluſiones Theologicas & Fidei, quarum illas *deductas* vocant, has *expreſſas*: Scio enim alias aliis propiores eſſe, certiores, evidentiores; Satis eſt ipſosmet prudentiores Pontificios, Canum, Bellarminum, Ptapletonum, alios, agnoſcere id eſſe de fide quod per conſequentiam evidentem & neceſſariam ex Scripturis colligitur: Et cùm inſtrumentaliter tantum concurrat Ratio ad conſecutiones ex Scriptura eliciendas & cognoſcendas, ſicut oculus & manus concurrunt in rebus ponderandis & menſurandis, ſive ad publicam amuſſim exigendis, illarum certitudo in Revelationem Divinam, non in humanam Rationem refunditur.

Haud facile verò exprimi poteſt quantus ſit & quam frequens in Theologia hic Rationis uſus illativus, ſive in Practicis, ſive in Dogmaticis: In illis quidem, ſi homo ex Conſcientiæ ſenſu vel Dei Mandata ad Officium, vel ejus Minas ad Terrorem & Reſipiſcentiam, vel illius Promiſſiones ad Fidei πληροφορίαν & Certitudinem Salutis, ſibi debeat applicare; In his autem, quando ex vero verum aliud colligitur, prout Veritas inſtar lucis eſt ſui diffuſiva, aut ex vero tanquam ex Demetrii Elepoli cui nulla mœnia poterant reſiſtere, falſum deſtruitur. Sic enim ex Immutabilitate & Præſcientia Dei, infert recta Ratio Decretorum Divinorum conſtantiam, eventuum infallibilitatem, Electorum efficacem vocationem ad fidem, & verè fidelium Perſeverantiam finalem: Et ex gratuita per fidem in Chriſtum Juſtificatione, colligit neminem meritis ſuis poſſe ſervari; Item non territandas conſcientias ignis Purgatorii metu, cum ſanguis Chriſti nos purget ab omni peccato; Et ex Chriſti nativa conditione, atque exaltatione, eum non eſſe cruſtum aut in cruſto, cùm Cœlum debeat ipſum continere uſque ad tempora reſtitutionis omnium.

Quin & Ratio in Theologicis eo maximè argumentationis utitur genere, quo Adverſarius ad abſurdum vel impoſſibile deducitur, cùm ex uno abſurdo plura alia colligit evidenti deductione, quæ talia eſſe vel ſenſus communis dictat, vel ipſe Adverſarius fateri tenetur. Sic contra Synergiſtas & eos qui efficaciam Gratiæ convertentis ex Liberi arbitrii putri paxillo ſuſpendunt, colligit ratio ita ſalutis humanæ initium fore adſcribendum ipſi homini ſeipſum diſcriminanti, contra quam diſertè Paulus habet 1 *Cor.* 4. Sic contra Socinianos ſatisfactoriam eſſe negantes mortem Chriſti, colligit ratio nullum ergo fore diſcrimen inter tormenta Martyrum & crucem Chriſti. Sic contra Pontificios Sanctorum invocationem, Imaginum & Reliquiarum cultum, Hoſtiæ conſecratæ adorationem urgentes, infert ratio illos teterrimi illius criminis, quod Idololatria dicitur, reos eſſe. Id equidem certum, non ſtatim alicui tanquam proprium Dogma tribuendum eſſe, abſurdum illud quod ex ejus placitis infertur, aut inferri putatur, ut non malè agnovit Grotius in parum pia Pietate ſua, quo à nobis removeret, quæ tum erat illius humanitas, Manichæiſmi crimen, quod nunc noſtris Eccleſiis palam impingit. Sed fruſtra contra Pelagianiſmum proteſtantur qui illum fovent in ſinu ac rectà eò tendunt. Fruſtra ſe ab Idololatria immunes aſſerunt, qui nullum diſcrimen inter ſe & Idololatras, Dei Verbo deſcriptos atque proſcriptos, poſſunt oſtendere. Proteſtatio factis contraria nihil prodeſt aut operatur.

Tertium his addo Rationis uſum in Theologicis, quem Collativum, ut præcedentem Illativum meritò dixeris. Confert enim recta Ratio, ut germanum Scripturæ ſenſum aſſequatur, & ἐναντιοφανῆ, ſi quæ ſunt in illa, conciliet, varia loca inter ſe, expenſis antecedentibus, conſequentibus & connexis; imò etiam variis loci ejuſdem interpretationibus, ſi quando variant: ut ſicut ex ſilicibus inter ſe colliſis ſcintillæ micant, ita ex collatis hoc pacto invicem Scripturæ vel dictis vel Verſionibus, lux veri ſenſus emicet.

Con-

Confert Versiones quaslibet ad textus originalis fontes Hebræos & Græcos, juxta illud Hieronymi, quod ceu Augustini Gratianus retulit in suum Decretum, *Vt Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita Novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.*

Confert Novi Fœderis placita cum Veteri, ut sic utrique lux mutua affulgeat; Nam & Novum in Veteri fuit velatum, & Vetus in Novo revelatum, prout duo Cherubini in Sanctuario se mutuò respiciebant.

Confert cum hodiernis Ecclesiæ Orthodoxæ placitis scita Veterum, quo magis unitas fidei in Ecclesia elucescat: quia Tertulliano teste, *Primum quodque verissimum.* Sic tamen ut in Veteribus suos agnoscat nævos, longè certius quam nonnulli hodie in Sole exorbitantias & maculas comminiscuntur. Homines enim illi fuerunt, à quibus nihil humani alienum suspicari debemus. Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis amica Veritas; Neque Christus se *consuetudinem* dixit, ut benè Veteres, sed *veritatem*, & *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est*; *Nec debemus*, inquiunt, *attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit: Nec enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Optimè; cùm & ipse Paulus Jurisconsultus *ff. de reg. juris* dixerit *quod initio vitiosum est, tractu temporis convalescere non posse.*

Confert cum erroribus multiplicibus qui hodie circumferuntur errores damnatos veteri Ecclesiæ, atque in Socinianis Paulianismum & Arrianismum, in Arminianis Pelagianismum & Massilianismum, in Anabaptistis Novatianismum, Donatismum & Marcionismum, in Ubiquitistis Eutychianismum, in Pontificiis omnium veterum Hæreseôn centonem & sentinam deprehendit.

Confert cum Sancta Christianorum Theologia, triplicem Theologiam Ethnicorum, Fabulosam quæ Theatris, Politicam quæ Delubris, & Physicam quæ Scholis destinabatur, ut scilicet ex hac collatione illius Divinitas magis elucescat. Nam quæ Philosophi de Dei natura magis celebria dixerunt, nostris adstipulantur. Sacrificiorum ritus qui vigebant in Templis, ex præpostero imitamento cultus Levitici & Sacrorum Legalium enati sunt: Fabularum plerarumque origo, interpolatæ Scripturæ est adscribenda. Sic enim in Prometheo hominem ex luto fingente utcunque exprimitur Providentia Divina damum ex pulvere formans, unde homo & ab *humo* nomen habet, & Poetæ *lutum Princeps* dicitur. Saturnia regna & aureum sæculum, statum Innocentiæ primorum parentum in paradyso denotant. Ex horto Edenis & serpente seductore, nati Adoniihorti & mala aurea quæ Draco vigil asservaret. Ipsa Ate infœlix, omnium malorum fons & origo apud Homerum, Eva videtur fuisse, quæ genus humanum peccato & mortalitati subjecit. In Deucalionis Cataclysmo, Noæ diluvium intelligebatur, qui & Janus à *jain*, idest vino, quod primus excoluit; & Janus bifrons, quod utrumque mundum viderit; & Liber Pater διφυής, quod à Diluvio servatus secundùm natus visus sit, & accensendus illis ὑστεροπότμοις de quibus Plutarchus *in quæst. Græcis.* Tres quoque ejus filii fuêre Ethnicis celebrati; nam Jupiter Hammon à Chamo fuit dictus, à Japheto Europæi *Audax Iapeti genus* apud Horatium, & Semi quem Semonem vocat, videtur Ovidius meminisse *in Fastis*: Ex Tubalcaino & Noema ejus sorore apud Mosem, fabricati sunt Poetæ Vulcanum & Venerem; Tum Gigantomachia & montes montibus impositi, quos Jupiter fulminibus dejecit, quid aliud sunt quam Nimrodi & sociorum ejus consilia de Babylonica turri, cujus insanam substructionem, Deus immisso novo fulmine confusionis linguarum disturbavit? Ipsum Jovis nomen ab Hebræo *Iehova* est derivandum; ut Jupiter sit dictus non quasi juvans pater à *juvando*, sed quasi Jehova pater ab *essendo*, juxta Delphici Templi inscriptionem *Eἶ*, *Est*, de qua Plutarchus: Pallas item dicitur non ἀπὸ τοῦ πάλλειν, à vibrando & quatiendo hastam, ut Græculi voluerunt, sed ab Hebræo *Phele* quod *Admirabilem* significat, & inter nomina Christo destinata refertur *Esa.* 9. Est enim hic Sapientia Dei æterna, quam Pater absque matre ex sua Intelligentia progenuit ab æterno; de qua admiranda planè generatione aliquid fando Gentiles accepisse vel inde conjicias, quod ipsam Palladem ex Jovis cerebro natam confinxerunt. Bacchi item nativitas ex Jovis femore, ei Scripturæ loquutioni debetur quâ posteri Jacobi ex illius femore egressi dicuntur. Ex uxore Lothi in statuam conversa, facta est apud Poetas Niobis præ dolore in saxum transformatio. Castitas Hippolyti Phædræ novercæ concubitum recusantis, debetur Mosaicæ narrationi de Josepho, qui heræ impudicæ in stuprum sollicitanti, maluit togam relinquere, ex quâ Innocentia ejus postea calumniosè impeteretur, quam conscientiam cum Dei offensa subjicere. Et Jonæ historia, Arionis in mare per nautas projecti ac Delphini tergo mediis in undis excepti & per eum in portum subducti, fabulam peperit. Plura his similia possem referre nisi jam ad exitum mea properaret oratio.

Con-

Confert quoque recta Ratio Heterodoxorum errores atque figmenta inter se; ut vel ab ipsis invitis, per quasdam fidiculas, extorqueat Veritatis confessionem; vel ut illos inter se committat tanquam Cadmæos fratres, & prout factum in die Madian sub Gedeone, atque scorpionem ipsum conterat super vulnere quod inflixit, ac Goliæ caput proprio ipsius gladio recidat.

Confert etiam placita quæ credenda proponuntur inter se, ut distinguat summè necessaria & fundamentalia, in quibus nihil est contra sentientibus largiendum, à minus necessariis, in quibus minus periculosè erratur, & diversa sentientes possunt tolerari. Habet enim Theologica domus suas projecturas atque pergulas, in quibus liberiores sunt cuique obambulationes, salvâ fide & charitate. Habet Agnus Paschalis & carnes quæ edantur & ossa quæ rodantur. Tam difficile est omnes in singulis etiam minutissimis convenire, cùm tantum in ænigmate, ut monet Paulus, & per speculum nunc videamus, & nonnisi ex parte cognoscamus, quam impossibile est singulos inter se, voce, manu, vultu, corporis habitu, aliisque conditionibus individuantibus, non discrepare. Fundamentalia verò & simpliciter necessaria ad salutem, sunt equidem pauca, si absolutè & in se considerentur; sed comparata ad fraudes hæreticorum, quibus obviam eundum & consentire nefas, necessariò crescunt & minùs certò possunt definiri. Neque sic solis Symboli articulis aut ipsissimis Scripturæ sententiis innituntur, sed etiam consequentiis ab illa deductis, ad Veritatem ab Hæreticorum strophis & corruptelis asserendam & vindicandam. In minùs necessariis, non ita mordicùs est urgenda Veritas quin etiam de Charitatis vinculo retinendo seriò cogitetur; Sed in fundamentalibus & absolutè necessariis, in quibus de summa rerum agitur, quæ Christi personam, Officium triplex ac Salutis in eo Beneficium merè gratuitum spectant, necnon ea omnia quæ in Formulis consensus ad Ecclesias inter se colligandas reposita sunt, nullo præpostero Charitatis prætextu aliquid licet de Veritate remittere. Hic neque momento cedendum est.

Sed imprimis confert sana Ratio Placita Doctorum Ecclesiæ, Formulas consensus, Conciliorum decreta, Conciones Sacras, & quicquid publicè vel privatim ab hominibus in negotio Religionis proponitur, ad normam auream Verbi Divini, ut falsa à veris, legitima à nothis, æra à lupinis distinguat. Sic enim omnia esse probanda & quod bonum est retinendum, ipsa sacra testantur Oracula. Atque in ea collatione ad illum lapidem Lydium qui *analogia fidei* dicitur Paulo *Rom.* 12. consistit judicium illud discretionis, quod solum in Sacris, mortalibus quà publicè quà privatim conceditur, & ad quod singuli etiam pro modulo tenentur, ringentibus licet Pontificiis, ne saxum pro pane, serpentem pro ovo, veratrum pro antidoto, sibi ingeri patiantur; Eritque hoc judicium tanto certius, quanto magis Ratio fuerit affectu omni præpostero defœcata & in Scripturis exercitata. Quamvis enim verum sit non multum proficere posse Rationem hominis in Dei Scripturis, absque irradiatione Divina, si usus earum practicus attendatur; tamen suæ partes non sunt Rationi denegandæ, etiam ante fidei lumen, in illarum usu theoretico, ut inter sectas dissidentes dijudicet quæ propiùs accedat ad Dei Verbum, juxta Chrysostomi consilium ad Gentilem *hom.* 33. *in Acta.* Constat enim etiam interdum lectos fuisse Philosophos, à Religione Christiana alienos, qui inter Christianos dissidentes de rebus fidei, ex Scripturis Sacris tanquam principio utrique partium communi, Arbitri sederent & ferrent judicium. Potuisse Ethnicos nosse ex Scripturis Mysteria Christianorum, licet illis non crederent, tum Claudiani hymnus de Christo, tum quæ Tribonianus in Codicem Justiniani retulit de Fide Catholica & Sancta Trinitate, ut alios & alia mittam, satis evincunt.

Quartus denique rectæ Rationis usus in Theologia, de quo paucula dicenda restant, est illius Mysteria illustrare; comportatis eum in finem omnibus iis quæ ex libro naturæ, humanioribus literis, historiarum monumentis, disciplinis Philologicis & Philosophicis, possunt haberi. Atque hic usus eo latiùs patet, quo qui Theologica tractant, vel majori acumine pollent, vel profundiori eruditione, quà Ægyptiorum spolia & opes, ut Israelitæ quondam, Tabernaculo erigendo & ornando, tanquam sacra quædam anathemata, dedicent. In quo sanè nobis præluxit Paulus Apostolus, qui non pauca ex Gentilium ludis ac certaminibus ad Christianam transtulit militiam, & aliquot etiam Poetarum exotica testimonia *sanctificavit*, ut loquitur Tertullianus *libr.* 1. *ad uxor. cap.* 8. Sic Augustinus *libr.* 2. *de Doct. Christ. cap.* 40. vult à Philosophis, tanquam ab injustis possessoribus, vindicari, si quæ forte vera & fidei nostræ accommoda dixerint. Inter ea verò quibus Ratio illustrat Fidei dogmata, sunt primò Testimonia exterorum quæ lucem aliquam fœnerant aut Mysteriis religionis, aut Sacræ Historiæ authoritati; qualia multa Josephus collegit duobus libris contra Appionem, & Eusebius Cæsariensis libris decem *de Præpar. Evang.* Videantur insuper Stromata Clementis Alexandrini, Origenis libri περὶ ἀρχῶν, Lactantii Institutiones, & Augustini opus aureum *de Civitate Dei.* De-

inde Axiomata quædam aliarum Diſciplinarum rebus Theologicis adaptata; Et denique ex hiſtoria humana & naturali exempla & ſimilia; quorum vis tanto major, quod illa ſenſibus ſint propiora. Sæpè enim obſervatum, plebeiis preſertim mentibus altiùs inſidere ſimilitudines, exempla, hiſtorias, parabolas, apologos, quam ſublimiores rerum Divinarum enarrationes, aut ſubtiliſſimas de illis rationes; quia ſenſus plus in illis viget quam intellectus: & omnis ferè noſtra notitia à ſenſu incipit; juxta tritum illud & ſæpiùs in Scholis decantatum, Nihil eſſe in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu.

Igitur quam Cicero in Oratore ſuo exigebat, eam in noſtro Theologo auſim requirere, omnium rerum Divinarum & Humanarum accuratam notitiam, quantam quidem homines queant ſibi ſtudio & commentatione comparare. Scio Diſciplinis omnibus ſuos limites eſſe diſtinctos, quos temerè nolim confundi; cùm juxta Ethnicorum ritus, Dei Termini Sacra non ſint violanda. Quæ ſunt Medicorum promittant Medici, tractent fabrilia fabri. Nec Sutor ultra crepidam. Non minus confuſionis in Schola pareret promiſcua Scientiarum confuſio, quam Platonica & Pſeudo-Clementis apud Gratianum mulierum communio in Republica. Non amo Theologum πολυπράγμονα neſcium τὰ ἴδια πράττειν, qui ſuperciliosè ſui fori faciat omnes alias Diſciplinas, & ſublatâ aliis honeſtâ libertate Philoſophandi, ſtatim hæreſeôs inſimulet, per coactas quaſdam conſequentias, quicquid præconceptis ſuis opinationibus non concinit; ut ſolemne eſt Sorbonicis Magiſtris, & nonnullis veteribus Hæreſeologis accidit, qui, exempli causâ, quod fecit Philaſtrius, Antipodum aſſertores hæreticis annumerarunt. Vice verſâ verò quam non debeant qui profanas & ſæculares tractant ſcientias, noſtra Sacra ſuis immiſcere, nequidem Saturnalium tempore quo heri & heræ ſuis mancipiis ſerviunt, vel Theodectis Poetæ exemplum Joſepho commemoratum doceat, qui cùm in quandam Tragœdiam aliquid inferſiſſet ex libris ſacris, offuſâ caligine coactus fuit ab incœpto deſiſtere. Similiter Theopompo per Numen non licuit aliquid ex ſcriptura excerptum Hiſtoriæ ſuæ commendare. Non ſunt vaſa Sanctuarii Babylonicis epulis inferenda, quod à Belſchatſare tantatum *Dan.* 5. inultum non fuit. Interea autem Theologo, ſic unum illud eſt neceſſarium de quo Chriſtus ad Martham *Luc.* 10. ut in exteris aliis diſciplinis non debeat eſſe peregrinus. Verſari debet in illis caſtris, non quidem tanquam transfuga, ut loquitur Seneca, ſed tanquam explorator; & apes imitari quæ mel ſuum ex omnibus floribus conficiunt. Abſit ab eo ſcrupuloſa illa ſuperſtitio cujuſdam Rabbini, qui nullam horam volebat impendi alii ſtudio quam Legis, niſi reperiretur talis hora quæ neque diei eſſet neque noctis; cùm ſcilicet Scripturam diurnâ nocturnâque manu verſandam, ipſe Dominus præceperit.

Ecquis enim, verbi gratiâ, niſi Aſtronomus & Phyſicus, quæ in Jobo extant, ut alios libros ſacros taceam, poterit enarrare? Quis benè intelliget quæ de Adoptione & Regeneratione noſtra dicuntur in Scripturis, qui vetera jura Adoptionum & reſtitutionis Natalium, quam Juriſconſulti παλιγγενεσίαν & regenerationem appellarunt, neſciverit? Quis ſenſum illius diverbii percipiet, quo Satan utitur apud Deum *Iobi* 2. (nam & ſententias loquitur carnifex) hominem pro pelle pellem daturum, qui ex Homero & aliis non didicerit antiquam mercaturam in mercium permutatione ſitam fuiſſe? Quis ἀγεώμετρος, Arcæ fabricam & capacitatem, aut ſtructuram & ſymmetriam Templi, præſertim apud Ezechielem, benè aſſequetur? Quis Prophetæ querelam de Iſraele, quod abundantiâ panis & pacis corruptus fuerit, ritè elucidabit, niſi adhibito illo filiorum Hippocratis axiomate, *Repletionem omnem malam eſſe, panis autem peſſimam*; item, *Plures gula quam gladio perire*? Quis Pauli locum de Galatis qui in curſu ſubſtiterant quaſi maleficio retenti, fœliciter explicabit, niſi qui legerit apud Philologos in ludicris veterum extitiſſe quandoque Lamias & Veneficas, clam etiam pretio conductas, qui carminibus quibuſdam vel oculorum faſcino, currentes in ſtadii medio derepente ſiſterent, & quaſi occultis pedicis injectis illaquearent? Quis ex Pole in quo ſimul corpus lucidum, lumen & calor, vel ex anima in qua intellectus, voluntas & memoria, S. Trinitatis obſcuram aliquam umbram non percipiet, ſi parva magnis componere licuerit? Aut ex Phœnicis vel hiſtoria, vel hieroglyphico, nam hanc litem meam non facio, qui ex ſuis cineribus dicitur renaſci, futuram Reſurrectionem mortuorum non intelliget?

His plurima ſimilia poſſem adjicere, niſi plus ſatis mihi viderer abuſus veſtra patientiâ. Meo quoque propoſito ſufficit digitum ad fontes intendiſſe, atque ſic Cynoſuram quandam mihi præfixiſſe, ad quam pro mea tenuitate curſum meum ſum directurus in hac Theologica Profeſſione, in qua Authoritate publica hodie tibi conſtituor σύζυγος & parippus, Altingi Clariſſime, & ſuccenturior Celeberrimo Gomaro τῷ μακαρίτῃ. Is ſub quo prima tyrocinia Theologiæ in Galliis ante annos XXVI. poſui cum doceret Salmurii, nunc curſu ſuo peracto & raptus ad Cœli-

tes, lampada mihi tradere videtur. Post annos quatuor in solo Ministerio, ad quod circa ætatis vigesimum fueram evocatus, in mea Picardia expletos; post octo insequentes exantlatos Sedani in Theologica Professione & Ecclesiæ regimine, adepta prius publicè laurea Doctoratus Lugduni Batavorum; post ferè quatuor alios transactos in Ecclesia Reformata Christo colligenda, lingua & stylo, voce & calamo, Trajecti ad Mosam & in locis vicinis, cùm Urbs Hispano erepta fuisset; post septem ultimos Sylvæducis consumtos in Ecclesia Gallicana regenda & novo Gymnasio Philologico, Philosophico & Theologico instituendo; (semper honorificè vocatus, honorificè habitus, honorifice dimissus, ubique relicto mei desiderio;) visum est Providentiæ Divinæ me ad vos evocare, ut quicquid vitæ superest inpendam alacriter puriori Theologiæ docendæ in hoc meliorum literarum Lyceo; in hoc Studiorum & Pietatis Emporio; in hac fortunatissima Republica, quamdiu suæ fœlicitati par fuerit; in hac Urbe florentissima; in hac communi Patria, ut olim de Roma dictum, omnium bonorum; sub Sapientissimis ac Prudentissimis Ordinum ac Satriæ Proceribus, Nobilissimis Academiæ Curatoribus, cum Doctissimis & Clarissimis Collegis, apud quos Humanitas cùm Eruditione certat, & qui eodem hospitio Gratias & Musas receperunt, tanquam in Lotophagorum insula, quæ Patriæ & anteactorum laborum oblivionem queat inducere. Hic Bellona Palladi militat, nec arma alio fine strepunt, quam ut studiis pacis sua quies secura remaneat.

Præter naturam aliquo modo fuerat quod succederem Sylvæducis Doctissimo Juveni-viro, præmatura morte erepto, qui meus olim Auditor & Discipulus in Academia Sedanensi fuerat: Naturæ legibus nunc magis convenit quod primo meo quondam Professori & in Theologicis Magistro, successor sim disignatus; (ita enim solent filii patrum hereditatem cernere;) & qui Belga me in Galliis habuit Discipulum, nunc me Gallum in Fœderato Belgio, & quidem meorum popularium primum in hac Academia perillustri, sucessorem consequatur. Quid dico sucessorem? Imo binos hodie accipit successores; me quidem in Theologicis; Reverendum verò D. Jacobum Altingium, Clarissimi Patris & Collegæ Theologici deinceps futuri, dignissimum filium, in Studiis Hebraicis. Amplior erat hæc hæreditas quam uni ex asse obveniret. Vix duo simul sufficient illi oneri quod iste Atlas humeris suis solus sustinebat. Nec sine Numine factum ut Linguæ Sanctæ Professor, cùm Professore Theologiæ hodie inauguretur; Ea enim est utriusque hujus studii connexio ut pari passu debeant procedere, Jacobo semper Primogeniti sui tenente calcaneum.

In hac autem obeunda statione, vel ipsa Clarissima Nomina, Gomari cui succedo, Altingii cui colligor, satis me possunt monere officii. Plus ex eorum exemplis, quam ex aliorum regulis discere est. Hæc Cathedra ad tam celebria Nomina sanctum quempiam mihi incutit horrorem, & parum abest quin dicam cum Jacobo, *Quam reverendus est hic locus!* Quare operæ pretium est ut in ea verser cum timore ac tremore, & sollicitè ac prudenter, quantum dabit Pater luminum, defungar isto munere; illudque exigam pro virili ad eam amussim quam satis supraque explicavi. Non fert hic suggestus heterodoxias vel errores, ut Hybernæ trabes non ferunt araneas, nec viperas ager Melitensis. Sic ergo suus apud me Rationi erit locus, in confirmandis, applicandis, explicandis, illustrandis fidei Mysteriis, ut solæ tamen Scripturæ, quod Dei beneficio antea semper apud me obtinuit, sint mihi futuræ pro helice. Et sicut motus ac conversio primi mobilis, fit super duobus Mundi polis, ita erunt mihi pro utroque polo in hac commotione Vetus & Novum Testamentum. Nam si turpe est Jurisconsultum sine lege loqui, turpius esset loqui Theologum absque θεῷ λόγῳ, vel sine Scriptura, vel contra eam; & contra illam dicitur quod sine illa. *Quod de Scripturis Sanctis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*, ait Hieronymus *ad* 23. *Matt.*

Vos autem, Magnifice Domine Rector, Amplissimi ac Nobilissimi Curatores, Pastores ac Symmystæ Vigilantissimi, vestris me precibus apud Deum juvate, ut par huic oneri porrò reperiar. Vos verò Studiosissimi atque Ornatissimi Auditores, cùm Auditor excitet studium, & eo magis nutrices lacte abundent, quo avidiùs à suis alumnis earum papillæ exsuguntur, ac viduæ illius in historia Sacra oleum tamdiu flueret, quamdiu aderant vasa quæ repleret, meam diligentiam, vestrâ excitate, atque meâ opera, quà publicè quà privatim libenter utimini: Celebrem veteribus Memnonis statuam, quæ affulgente Sole loquebatur, decedente silebat, facilè imitabor; ut publici favoris radiis collustratus, Divinæ Sapientiæ alacer verba fundam, sed si subducti fuerint, triste mihi indicem silentium: Nec tandem aliud in votis habeo quam ut sim Reip. & Academiæ ornamento, Ecclesiæ Reformatæ ædificationi, Collegis commodus, Juventuti Studiosæ ac filiis Prophetarum utilis & facilis; ut post alios in Orthodoxa Theologia eruditos, meumque talentum explicatum ad messores præparandos in opus Domini, ipse fœlicitatis æternæ præmium referam. Tu ergo, Pater

cœlestis, fons & author omnis bonæ donationis, velis mihi in hac vocatione affatim benedicere, eamque Spiritus tui largiri gratiam, juxta quam Sanctissimo isto munere ritè defungar: Tuere hanc Rempublicam; Procerum & Superiorum in ea nostrorum mentes prudentiæ lumine & concordiæ Spiritu rege; Academiam fove & auge. Frustra plantamus & rigamus, nisi dederis incrementum. Professorum itaque laboribus, Juventutis diligentiæ ac studiis, benedicito, quo subinde ex hoc Asceterio fortes Virtutis & Veritatis athletæ prodeant, & cedant omnia ad Nominis tui gloriam, Ecclesiæ ædificationem, Reipublicæ utilitatem, & animarum Salutem, per Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, cui tecum Pater æterne & Spiritui Sancto, sit Laus, Honos & Gloria in Sæcula Sæculorum. AMEN.

ELENCHUS
SCRIPTORUM MARESII
quæ hactenus publicè prostant, præter varias Disputationes habitas Sedani, Sylvæducis & Groningæ.

1623.



Ermon de la Prædestination, in 2 Tim. 11, 12. Inscio authore nec ipso nominato editus, & sæpiùs recusus in Gallia. 24.

1628. *Preservatif contre la Revolte*: fuit ex Gallico postea translatus in linguam Germanicam. 8.

1633. *L' esprit du Bourgmaistre Beekman retuorné de l' autre monde, aux fideles Bourgeois de la cité de Liege.* Anonymôs. 8.

Abbrege de la voye de salut, ou Declaration familiere de la verité Chrestiene, par forme de Catechisme pour confirmer les Catholiques & instruire les duoteux ou errants, avec les Observations des R. R. Peres Iesuites &c. 8. Anonymôs.

Apologie & Requeste pour ceux qui font profession de la Religion reformeé à Messieurs les Deputes des trois Estats, des Cité, bonnes Villes & pays de Liege. 8. Anonymôs.

Prosepopee, ou discours de l' espèe qui à descapité Simonet, aux Espagnols. 8. Anonymôs.

Acta Disputationis habitæ Trajecti, inter Anonymum quendam Franciscanum, qui Lovanio eum in finem venerat, & Ministros Trajectenses. 4. Recusa sunt postea in Monachomachia.

1634. *Traitté le la procession anniversaire des Battus ou Flagellants soubs la conduitte des Dominicains; avec un essay populaire de la Doctrine l' un des principaux du mesme ordre.* 8.

L' imposture Monachale, ou la fable du Monstre descouverte. 8.

La voix du peuple & de Dieu, ou Treshumble & Catholique remonstrance à Messieurs du Clergè. Anonymôs. 8.

Monachomachia, sive Vindiciæ pro veritate Religionis reformatæ adversus Matthiæ Hauzeur Franciscani Leodiensis ac nonnullorum aliorum Monachorum strophas, argutias & calumnias. 8.

1635. *La chandele mise soubs le boisse au par le Clergè Romain; ou Considerations Theologiques sur le Mandement Episcopal publiè par tout le diocese de Liege le* 24. *de May, reiteré le* 3. *Iuillet ensuivant, deffendu & sonstenu par le sieur de Chokier Vicaire general en sa Parenese aux Heretiques, anquel la lecture des livres des Reformès, & notamment celle des Sainctes Escritures en langue vulgaire est absolument prohibèe.* 8.

Responce facile & peremptoire à l'argument pretendu invincible touchant la lecture des Soinctes lettres en langue vulgaire. 8.

Salus reformatorum asserta; sive Romanensium de Reformatis eorumque damnatione æterna Iudicium temerarium, ad Charitatis & Veritatis limam exactum & castigatum. 8.

Brevis ad Theodorum Tranquillum *parænesis, addita Virgidemiæ Phil. Ludovici, adversus eundem.* 8.

1637. *Scholæ Illustris Sylvæducensis inauguratio.* 4.

1638. *Specimem Iurisconsulti Orthodoxi, sive Enucleatio quæstionis Iuridico Politicæ, An Iurisperiti Catholico-*

tholico-Romani ex Iustiniani Codice satis firma habeant argumenta remanendi in communione Ecclesiæ Romanæ, necne? 12.

1640. *Dissertatio de Antichristo, quâ expenditur & refutatur nupera commentatio ad illustriora eâ de re Novi Testamenti loca, Ill. V.* Hugonis Grotii *credita: simulque Ecclesiarum Reformatarum sententia de Antichristo Romano defenditur & confirmatur.* 8.

1641. *Eschantillon des maximes du Clergè Romaines Provinces Unies; representè par le chapitre onzieme de la seconde partie du livre intitulé* Mars Francois, *escrit contre la Iustice des Armes & des Alliances du Roy Treschrestien; avec un Discours sur iceluy à Messieurs les Catholiques Romains de la Nation Francoise, qui sont au service de pays, pour les justifier & esclaircir en ce faict.* 8.

Vindiciæ pro salute Reformatorum; sive Decas argumentorum quibus Anoymus quidam Leodiensis pertendit, nullam spem salutis superesse pro Reformatis, cum eorum refutatione. 8. Anno 1646. Rev. & Doctiss. Everhardus Schuyllius, Pastor Sylvæducensis, hunc tractatum transtulit in linguam Belgicam.

Abbregè familier du Catechisme ordinaire des Eglises Reformees es Provinces unies, distribue en douze sections pour l'instruction particuliere de la jeunesse, en l'Eglise & es Escholes de la langue Francoise à Bosleduc. 8.

1642. *Cursus Philosophici contracti pars Practica, continens Logicam & Ethicam, cum Oeconomica Synopsi & Isagoge ad Politicam, in usum Scholæ Sylvæducensis.* 4.

Concordia discors & Antichristus revelatus; id est Ill. Viri Hugonis Grotii *Apologia pro Papa & Papismo, quam prætextu Concordiæ inter Christianos sarciendæ exhibet illius* Appendix *ad interpretationem locorum Novi Testamenti de Antichristo, modeste refutata duobus libris, tomis* 2. 8.

Defensio Pietatis & Synceritatis Optimatum Sylvæducensium, in negotio Sodalitatis quæ à B. Virgine nomen habet, testibus Veritate & Charitate. 4. Fuit iterum recusa Ultrajecti in 12. & in Ultima patientia in 8.

1643. *Epistola Apologetica ad amicum, quâ ratio nem reddit cur non respondeat libro contra se edito sub hac inscriptione,* Specimen assertionum partim ambiguarum aut lubricarum, partim periculosarum &c. 12.

1644. *Sapientiæ Domus & Epulum ex Prov.* IX, *sive Oratio habita in Rectoratu adeundo,* 23. *Augusti.* 4.

Oratio funebris in luctuosissimum obitum Theologi Celeberrimi, D. Henrici Alting, *in Academiis Heidebergensi per* IX. *& Groningo Omlandicæ per ipsos* XVII. *annos Doctoris ac Professoris meritissimi* 4.

1645. *Collegium Theologicum, sive Breve Systema universæ Theologiæ.* Recusum fuit multo locupletius anno 1649. dein anno 1656. & nunc adhuc cultius & auctius prodit. 4. & 12.

Epigraphe Athenæi Groningæ & Omlandiæ, sive Oratio habita in Rectoratu deponendo 23. *Augusti; Necnon Brevis Refutatio Libelli famosi à quodam Iesuito Sycophanta se falsò* W. Gutherthoma *vocante, ante biennium emissi ac nuper huc remissi, sub titulo* Muneris adventitii. 4.

Samuelis Maresii *Theologi Ultima patientia tandem expugnata à* D. G. Voetio *Ultrajectino Professore & quibusdam illius affeclis; sive Modesta & Necessaria defensio tripertita, tum sui ipsius, tum eâ occasione causæ Procerum Sylvæducensium & Decretorum Synodicorum circa illam, ipsi extorta variâ ac longâ Contumeliarum serie, ac præsertim nupero libello famoso, Belgicè edito, & inscripto,* **Kort ende op-recht verhael** *&c.* 8.

1646. *Bonæ fidei Sacrum: sive Documenta omni exceptione majora Veracitatis & Innocentiæ* Samuelis Maresii *Theologi in causa Schoockio-Voetiana; necnon ejusdem seria & Christiana* ἐπανόρθωσις *ad C. V. D.* Gisbertum Voetium *super libello quem haud ita piè* Pietatis *nominè nuper inscripsit.* 8.

Theologiæ Elenchticæ nova Synopsis; sive Index Controversiarum fidei ex Sacris Scripturis, à Iacobo Tirino Iesuita concinnatus, & censurâ perpetuâ, auctus, emendatus & refutatus: tomis duobus in 4. quorum prior prodiit anno 1646. sub finem, alter sub initium anni 1648.

Dissertatio Theologica de usu & honore sacri Ministerii in Ecclesiis Reformatis, opposita nupero Anonymi cujusdam eruditi periculoso libello qui inscribitur Ad Legem & testimonium. 4.

Lingua abortiva, à D. Gisberto Voetio *Theologo Ultrajectino refossa, & adhibita ad atroces calumnias ex suo* Tribunali iniquo, Judicio *Pseudo-Riveriano,* & *similibus libellorum famosorum quisquiliis, vel jam editis vel porrò edendis, pronunciandas in* Samuelem Maresium *S. Theol. D. & Professorem, ab illis ad æquissimum Dei tribunal provocantem.* 8.

1647. *Biga Fanaticorum eversa; sive Dissertationes duæ Theologicæ, quarum prior continet Vindicias pro S. S. Trinitatis Mysterio, adversus epistolam* Andreæ Dudithii *Quinqueecclesiensis Episcopi; Posterior exhibet Refutationem* XXVIII. *Objectionum,* D. N. N. *contra varia Religionis Christianæ capita.* 12.

Expostulatio ad D. G. Voetium *Theologum Ultrajectinum de violata fide publica editione Epistolæ virulentissimæ quam nuper emisit Ultrajecti, sub nomine Is.*

Chabanæi, cum brevi ejusdem epistolæ confutatione &c. 8.

1648. Alter tomus Antitirini, cujus prior prodierat anno 1646. 4.

Exorcista sive de Exorcismis, liber singularis; cui adjiciuntur Dissertationes tres, de Deo Maozim, de Calice Eucharistico, de Precibus pro mortuis. 12.

Quæstionum aliquot Theologicarum, Regimen, Ordinem, Praxim & Eutaxiam Ecclesiæ spectantium, Decisio Academica. 4.

Munera Sacra Sapientum, sive Diatribæ tres Theologicæ, De auro, thure, & myrrha, quæ magi ex Oriente apertis suis thesauris Christo obtulerunt. 4.

1649. Theologus Paradoxus retectus & refutatus: sive Samuelis Maresii exercitationes aliquot Academicæ, opposita duodecim paradoxis plus æquo virulentis Disputationibus, ex professo contra ipsum habitis, in Lycéo Vltrajectino, authore & præside D.D. Gisberto Voetio, ibidem primario Theologo: Cujus centum assertiones lubricæ, periculosæ & planè paradoxæ, bonâ fide referuntur & confutantur. 8.

Popularis ad popularem: sive Irenæi Simplicii Philadelphi Epistola partim Increpatoria partim Apologetica, ad D. Petrum Becca Szatthmari Vngarum, super libello quem nuper emisit Franekeræ sub hoc titulo Defensio Simplicitatis Ecclesiæ, adversus nonnullas Quæstiones practicas anno superiori publicè Groningæ ventilatas duobus Vngaris respondentibus & posteà ab Authore & ræside in unum collectas, & editas cum hac inscriptione Quæstionum aliquot Theologicarum &c. 4.

Ad Epistolam R. D. N. N. ex Transsylvania nuper scriptam Brevis responsio, sive Iudicium Liberum & Consilium Theologicum ac Christianum de Controversiis Transsylvaniæ & Hungariæ ab aliquo tempore agitatis, præsertim circa regimen Ecclesiasticum, & illarum componendarum recta ratione. 4.

Pro Maresio eodem anno editus est, Stevartus ἐλεγχόμενος, sive Ionathanis Helosii Gallo-Belgæ Spongia destinata acerbissimo ac convicioso libello, quem nuperrimè sub hoc titulo Addenda delenda &c. emisit Adamus Stevartus Philosophus Leydensis, ad hos suos quatuor errores capitales propugnandos; 1. Quod idem homo unus & vivus possit esse simul præsens multis in locis à se mutuo magnâ intercapedine separatis. 2. Quod nulla detur notitia Dei naturaliter omnium mentibus insita, 3. Quod justitia Originalis non fuerit naturalis in primo homine. 4. Quod peccatum originale non sit naturale, ceu subjecto debitum vi generationis ordinariæ ex Adamo post peccatum.

1650. Xenia Academica; sive 1. Disputatio Theologica de Personalitate adeoque Divinitate Spiritus Sancti contra Socinianos. 2. Apologia trimembris pro decisione Synodi Nationalis Dordracenæ de Objecto Prædestinationis; opposita operosæ cuidam Disputationi Anti Synodicæ alibi habitæ 31. Octobris 1649 Cum Præfatione de Variis, ad Revendos & Clariss. D.D. Professores Facultatis Theologicæ in inclyta Academia Groning. Omlandica.

1651. Epistola Antapologetica pro Synodi Nationalis Dordracenæ judicio de objecto Prædestinationis, Decretis publicis Ill. ac PP. DD. Ordinum Groningæ & Omlandiæ ideo factis 10. 11. & 16. Iunii 1640. & aliquot aliis quæstionibus Theologicis: opposita Libello nuper edito Amsterodami sub hoc titulo, Francisci Gomari V.C. Disputatio Theologica de Divinæ Prædestinationis Objecto, cum necessaria & modesta pro eodem Apologia. 4.

Theologus pacificus, sive Dissertatio Theologica de Syncretismo & Reconciliatione partium in Religione dissidentium, quousque & quibuscum optari & urgeri possit. 4.

Hydra Socinianismi expugnata, sive Anti-Volkelii tomus primus. 4.

Synopsis veræ Catholicæque doctrinæ de Gratia & annexis quæstionibus; proposita partim libello qui anno superiori à Iansenitis in Communione Romana Gallicè prodiit sub hoc titulo, Catechismus Gratiæ, & postea recusus fuit sub isto, Elucidationes quarundam difficultatum de gratia; partim brevibus ad illam Scholiis Theologicis. 4.

Pro Maresio iterum prodiit hoc anno Ionathanis Helosii Hyperaspistes, sive Epistola Nathanaelis Agamenii Frisii ad Illustrem Virum Claudium Salmasium, de novis quibusdam deliramentis & portentosis hæresibus, Adami Stevarti Philosophi Leydensis, Speciminis ergo breviter enotatis, ex illius conviciosissimo & famoso libello, quem nuper propriis sumptibus suppresso nomine Vrbis & Typographi, atque, ut ajunt, contra expressum Superiorum suorum interdictum, sub titulo Ignorantiæ Elenchi Maresianæ, emisit adversus Samuelem Maresium, Theologiæ Professorem Groningæ; Quâ occasione ejusdem Maresii orthodoxia, adversus Stevartianas & recentissimas Vltrajectinas criminationes, obiter vindicatur. 8.

Dissertatio Theologica de peccato in Spiritum Sanctum; necnon Appendix Vbbeniana ad trutinam rationis appensa; sive Liberum judicium de nupera Appendice D. Martini Ubbenii, in qua, deserto licet patrocinio litis principalis, quam ultrò in alterius gratiam, nec ullo modo lacessitus, moverat Maresio, orationeque totâ in illius personam iniquè conversâ, nihilominus priorem suam contumaciam adversus Synodi Nationalis Dordracenæ apertam definitionem & Rescripta Ill. ac

PP.

PP. DD. *Ordinum Groningæ & Omlandiæ, imò totius Fœderati Belgii, in Illustri suo nupero Conventu, art. 2. & 3. obstinatè retinet.* 4.

1652. *Auctarium primum Bibliothecæ Theologicæ* D. Gisberti Voetii *nuper recusæ cum virulentâ præfatione; continens* 1. *Summariam deductionem litis decennalis quæ ipsi cum* Samuele Maresio, *licet pacem & amnestiam semper deprecante, hactenus intercessit;* 2. *Vindicias Conditionum Amnestiæ & Reconciliationis partibus oblatarum, à R. R. Deputatis Synodi Groning. Omlandicæ, ab hoc admissarum & ab illo rejectarum.* 3. *Conditiones iniquissimas & impracticabiles, ab ipso* D. Voetio *pro imperio præscriptas; Ad ejus pertinax odium & animum invincibiliter irreconciliabilem toti Belgio demonstrandum.*

Fœderatum Belgium Orthodoxum; sive Confessionis Ecclesiarum Belgicarum Exegesis, quâ illius Veritas ex Dei Verbo & Antiquitate Catholica, asseritur & adversus oppositos errores vindicatur. 4.

Munimen Orthodoxiæ & Perseverantiæ Euangelicæ contra Tentationes & Scandalum Defectionis illius as Papismum, cujus lugubre exemplum, parario Valeriano Magno *Capucino, non ita pridem in Princip, magni nominis Germania vidit.* 4.

1653. *Senio Sacrarum Dissertationum propositarum & habitarum in Academia Groning-Omlandica. Idest* 1. *Dissertatio Theologica partim Historica & Facti, partim Dogmatica & Iuris, quâ demonstratur* 1. *Cyrillum Alexandrinum & Concilium Ephesinum hæreseôs circa personam Christi non posse insimulari.* 2. *Nestorium Constantinopolitanum, ab hæresi non posse liberari.* 3. *B. Virginem Mariam,* Θεοτόκον, *sive* Dei param & Matrem Dei, *posse ac debere appellari; opposita libello qui inscribitur,* Disputatio de supposito, in qua plurima hactenus inaudita de Nestorio tanquam Orthodoxo & de Cyrillo Alexandrino aliisque Episcopis Ephesi in Synodum coactis tanquam hæreticis demonstrantur, ut solius Scripturæ sacræ infallibilitas asseratur. II. *Quæstio Theologica de Vbi animæ Lazari quatriduani & aliorum qui ad hanc vitam mortalem è mortuis resurrexerunt.* III. *Synopsis quæstionum de Cœna Domini inter Reformatos & eos qui se Lutheranos vocant hodie controversarum, prout proponuntur & tractantur in suo* Systemate à *C. V. D.* Casparo Erasmo Brochmanno *Theologo Hafniensi Celeberrimo; in qua Orthodoxorum argumenta ab illius Exceptionibus vindicantur, ejusdemque in contrarium Objectiones diluuntur.* IV. *Orationes tres in tribus solemnioribus actibus habitæ, de Cauponis vitandis; Aristotelis salute non asserenda; Convenientia Mosis & Christi.* 4.

Hydra Socinianismi *expugnata; sive Anti-Volkelii tomus secundus.* 4. Tertius qui est ultimus, sudat sub prælo.

1654. *Apologia novissima pro S. Augustino, Iansenio & Iansenitis contra Pontificem & Iesuitas; sive Examen Theologicum tripertitum Constitutionis nuperæ* Innocentii *x. P. R. quâ in gratiam Iesuitarum & Pelagianorum contra Augustini & Iansenii sequaces declarantur & definiuntur quinque propositiones in materia fidei. Præmittitur Præfatio ad Iansenitas, & adjicitur ad calcem iterata editio* Planctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis, *ante aliquot annos in Brabantia emissi.* 4.

Iterata editio *Synopseôs de Gratia & annexis Quæstionibus ad* Catechismum Gratiæ, *aucta loricâ pro illius defensione contra* Valentinum Randour *Duacenum Theologum, & tribus dissertationibus Theologicis, de libero arbitrio, de Scopulis universalismi in negotio Gratiæ, & de Peccato originali.* 4.

Valeriani Magni *Capuccini Methodus* ἀμέθοδος *& Ignis fatuus; sive* 1. *Examen Theologicum novæ* Methodi *ab ipso nuper procusæ ad retrahendos Protestantes sub jugum Pontificis.* 2. *Brevis refutatio libelli alterius quem postea sub titulo* Lucis in tenebris lucentis *emisit. Vtrique inseritur integer textus opusculi Monachalis; adduntur que ad calcem Observationes aliquot Theologicæ in* Epistolam peremptoriam *editam sub nomine Illustrissimi ac Celsissimi Principis* Ernesti Lantgravii, *ac inscriptam R. D. Doctori Calixto* 26. *Febr.* 1654. 4.

1655. *Exemtio Scrupulorum quos Missionarii Pontificii injicere conantur conscientiis* Protestantium *ad eos seducendos, in libello quem nuper Anonymus Iesuita Monasterii edidit linguâ Germanicâ, sub hoc fallaci mendacique titulo,* Scrupuli conscientiæ & dubia quæ omnibus Protestantibus Theologis à quodam Protestantium religioni addicto, qui circa hodiernas multiplices Religionis controversias in conscientia sua angitur; ad indagationem veritatis placidè solvenda proponuntur. 4.

Dissertatio Theologica quâ per saturam ostenditur variis exemplis quomodo ex vitiosa Grammatica falsa Theologia nata sit. 4.

Diatribæ tres Theologicæ quarum duæ priores sunt miscellaneæ, tertia est de gradibus proximitatis Matrimonium impedientibus. 4.

1656. *Epicrisis Theologica & amica ad quæstiones de Gratia & Redemptione universali: Pars prior; opposita primæ parti* Apologiæ *nuper in Belgio editæ adversus Ecclesiarum & Scholarum Belgicæ Fœderatæ constantem sententiam.* 4.

Refutatio Fabulæ Præadamiticæ, absoluta septem primariis quæstionibus, cum Præfatione Apologetica pro

ἀυ-

αὐθεντίᾳ Sacræ Scripturæ. 4. & iterum 12.

Disputatio Apologetica ex Scripturis, Ratione & Patribus, de novitate & absurditate Transsubstantiationis Pontificiæ, in hoc unum corpus ex septem partialibus Disputationibus eadem de re recollecta, & opposita Schediasmati Manuscripto Anonymi cujusdam Iesuitæ, qui dicitur esse P. Witfeldius *Monasteriensis; cujus scriptum integrum hic bonâ fide repræsentatur & κατὰ πόδα refutatur.* 4.

*Dissertatio Theologico-*Historica *de Sphærulis præcatoriis, quæ* Rosaria *vulgò dicuntur; necnon Observationes aliquot Theologicæ & Apologeticæ ad librum non ita pridem Vltrajecti editum sub hac inscriptione,* Theologia naturalis reformata. 4.

Oratio Theologica de duobus extremis in Peste vitandis, cui ob affinitatem adjungitur Diatriba quâ disquiritur Num possit & debeat homo Christianus in suis morbis Medicos advocare & eorum curæ se committente.

Denunciatio amica ad Bernardum Rasfeldt *Typographum Monasteriensem, super libello nuper ab ipso edito Linguâ Germanicâ, absque nomine Authoris, cum hac inscriptione.* **Alt und jetziges ubereinstimmendes Päbstumb / ausz den Schrifften der Heiligen Vaetter / welche in den Funff oder Sechs-hundert Jahren nach Christi Himmelfahrt das** Euangelium **gelehrt / unt geprediget haben / Kurtzlich bewiesen / und Herrn** Samueli Maresio Professori **zu Groningen zu** examiniren, **und zu beantworten furgestelt von einen der Warheit unt seiner Zeelen Saligheit Liebhaber /** 4.

Judicium & Responsum Theologicum conforme decreto Synodi Nationalis habitæ Medioburgi anni 1581. *ad quæstionem propositam de Canonicis Vltrajectinis qui Reformatam Religionem profitentur.* 8. Anno insequenti ejusdem prodiit in 4. *Editio secunda priori auctior, maximè hinc inde insperfâ refutatione eorum, quæ illi, postquam prodiit, opposita fuêre.*

1657. *Brevis & sincera responsio ad Viri cujusd. Ampliss. Cons. & Eruditissimi Considerationes Erotematicas circa Fœnus Trapeziticum, cui præmittitur Præfatio de famosa Præfatione præfixa libro qui inscribitur* Prima Philosophia reformata. 4.

Examen Theologicum quatuor insignium Quæstionum, De Episcoporum Origine, Clericorum Iurisdictione Temporali, Divortiis, Annihilatione Mundi: Oppositum earum Decisioni præposteræ per R. V. D. Iohannem Prideaux, nuperum Episcoporum Wigorniensem. 8.

Ioannis Gratiani Presbyteri Querela & Appellatio ad futurum Concilium, instituta nomine B. Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi, circa Bullam nuperrimi emissam ac ubique affixam ex authoritate Alexandri VIII. *P. R. hodie sedentis.* 4.

1658. *Breve Apologeticon pro Salmasio* 4. Præfixum Animadversionibus V. C. Justi Kriecxii ad Dissertationem Boxhornii de Trapezitis.

Epicrisis Theologica ad quæstiones de Gratia & Redemptione Vniversali. Pars ἀνασκευαστικὴ, *constans Exercitationibus decem, adversus* Joannis Dallæi *Apologiam editam in Belgio contra Ecclesiarum & Scholarum Belgicæ fœderatæ & omnium aliorum Reformatorum communem & constantem sententiam; Accedunt Breves Stricturæ ad ejusdem* Dallæi *nuperrimas* Vindicias *quas verbosissimas & contumeliosissimas tribus prioribus harum Exercitationum ipsi libuit opponere.* 12.

Iohanna Papissa restituta: sive Animadversiones & Annotationes Historicæ ad Davidis Blondelli *Catalaunensis librum posthumum anno superiori editum Amstelodami sub hoc titulo,* De Johanna Papissa, *sive Famosæ Quæstionis, An Fœmina ulla inter Leonem* IV. *& Benedictum* III. *R. R. P. P. media sederit, Anacrisis. His additur Brevis Refutatio Præfationis Apologeticæ quam Anacrisi præfixit* Stephanus Curcellæus *illius editor, & Appendicis loco Dissertatio Theologica pro S. S. Trinitate, eidem* Curcellæo *Antitrinitario opposita.* 4.

Celebriorum Distinctionum tum Philosophicarum tum Theologicarum Synopsis, Authore Henrico Ludovico Castenæo, *cum Maresii Notis perpetuis, quibus singularum Distinctionum usus vel abusus in rebus Theologicis breviter ostenditur.* 4.

Oratio Parentalis in obitum Nobiliss. & Ampliss. Viri DD. Petri Eyssinge *Reip. Groninganæ dum viveret Consultiss. Senioris Prudentissimi & Academiæ p. t. Sapientissimi Curatoris, de ipsa optimè sæpiùs meriti, habita & recitata in choro Templi Academici apud Amplissimam & frequentissimam panegyrim* 26. *Aprilis* 1658. in folio.

Advertissement au lecteur, mis à la teste du livre intitulé, Considerations libres & charitables sur les Actes pretendus Authentiques du Sr Blondel, *touchant L'Autheur & son ouvrage.*

Fasciculus Myrrhæ, continens, varios Tractatus Theologicos, maximè Polemicos, hactenus quidem editos, sed nunc quod plerique ex illis desiderarentur, ut unum volumen recollectos, juxta indicem qui versâ Paginâ legitur. 4.

Emisit præterea Author varias Disputationes selectas de rebus Theologicis, quæ propediem in unum volumen recolligentur.


Opuscula quoque Gallica hic commemorata, brevi, cum Deo, togam Latinam induent, & pariliter in unum corpus redigentur.


INDEX LOCORUM SYSTEMATIS,

Cum appositis Nominibus eorum, qui cum primum privatim disputaretur, Respondentium partes in Collegio sustinuerunt.

INDEX PRÆCIPUARUM MATERIARUM
SYSTEMATIS,
Prior Numerus Locum, posterior Thesim sive Paragraphum denotat.

FYNIS.




00567314